
\# 35⁰⁰ net.
3 vols in (2)

38 or 40 guineas

Title-page engraved by C. Galle, from a design by P. P. Rubens. The original drawing is in the British Museum in London (Glück-Haberditzl, fig. 155)



FRANCISCI HARÆI
ANNALES
DVCVM SEV PRINCIPVM
BRABANTIÆ
TOTIVSQVE BELGII.

Tomi tres:

Quorum Primo ſolius BRABANTIÆ, Secundo BELGII vniti PRINCIPVM res geſtæ, Tertio BELGICI TVMVLTVS, vſque ad INDVCIAS anno M. DC. IX. pactas, enarrantur.

Cum DVCVM *ſeu* PRINCIPVM *Imaginibus, & breui rerum per omnem* EVROPAM *illuſtrium narratione.*


FRANCISCI HARÆI
ANNALES
DVCVM SEV PRINCIPVM
BRABANTIÆ
TOTIVSQ. BELGII.
TOMI TRES:
Quorum Primo ſolius BRABANTIÆ,
Secundo BELGII vniti PRINCIPVM
res geſtæ; Tertio BELGICI TVMVLTVS,
vſque ad INDVCIAS anno M. DC. IX.
pactas, enarrantur.
Cum DVCVM ſeu PRINCIPVM Imaginibus,
et breui rerum per omnem EVROPAM
illuſtrium narratione.
ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
Apud Balthaſarem Moretum
et Viduam Ioannis Moreti
et Io. Meurſium.
M. DC. XXIII.
ASIA

SERENISSIMAE

PRINCIPI

ISABELLAE

CLARAE EVGENIAE

INFANTI

HISPANIARVM, ETC.



N, PRINCEPS Serenissima, ANNALES DVCVM seu PRINCIPVM BRABANTIÆ per annos mille à Principatus initio vsque ad vestri Imperij tempora difficillima, atque INDVCIAS demum vestra prudentia patientiaque concessas. Est istud Ana-

nalium Opus MAGNO illi vereq́ue PACIFICO ALBERTO tuo pridem (eheu!) & noſtro viſum pro parte, gratanterq́ue ab eo in manus acceptum; ideoq́ue meritò iam tum Illius ac Tuæ Sereniſſimæ CELSITVDINI dicatum ſacratumq́ue. Quid ni igitur, etſi ob belli redeuntis procellas tardiùs ad lucem venit, ſummo iure ad Sereniſſimam Tuam CELSITVDINEM, cui tum proprio tum chariſſimi Coniugis nomine dudum debetur, veniat?

Sed & opportunè venturum ſpero, quòd ex eorum, quæ per annos quadraginta ſeu quinquaginta in Belgio geſta ſunt,

&

& à nobis distinctè sinceréque describuntur , continuato decursu disci fortasse poterit (absit dicto arrogantia) qua ratione bellum felicius, quàm hactenus, administretur , donec tandem honestas PACIS leges hostis petat vel offerat. Qua PACE vti Serenissima Tua CELSITVDO, nósque cum ea Belgæ aliquando frui possimus , DEVM OPT. MAX. intimis votis supplex oro obsecróque,

SER^MÆ CELSITVDINIS TVÆ

humillimus cliens

FRANCISCVS HARAEVS.

LECTORI S.



NOTVS *Apologus est, benigne Lector, corniculæ ornantis se alienis plumis. Eum ne quis mihi imprudenter appingat, crebrò istiusmodi occinenti, Illo teste, Eo narrante, Vt ille habet, Hæc ille, & quæ sunt generis eiusdem; meminerit is velim, eadem ratione etiam primario illi & celeberrimo* HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ *Scriptori* EVSEBIO *ante mille trecentos annos inuri posse eamdem notam. Quid enim illi magis curæ, quàm vt fidelißimè verba eorum, qui eum scribendo præcesserunt, producat? Omitto plures, qui subsequentibus sæculis eumdem scriptionis modum sunt secuti,* BEDAM, ADONEM, *alios. Gaudeo inprimis, mihiq́; gratulor, nostro quoque æuo, eadem methodo & via contexuisse nobilißimos illos suos* ANNALES ECCLESIASTICOS *Illustrißimum & doctiss. Dominum Cardinalem* BARONIVM, *meum aliquamdiu, vtinam diutiùs! In cuius scriptis, si quis verba ad calculum reuocet, quis non videat permagnam eorum partem ipsius non esse? Atqui sanè non ornat ille tamen se alienis plumis, sed ipsos potiùs veteres Scriptores ornat celebrátque, dum eos in aciem producens, ijs ipse, non sibi, asserta & triumphata Veritatis trophæa consecrat. Viderint magis, qui posterioribus aliquot sæculis proprijs verborum lenocinijs & phaleris, nulla facta eorum ex quibus hauserunt mentione, historias quasi suas scribere aggreßi sunt, ne ipsi, corniculæ illius instar, ex alienis lucubrationibus furtim sese hactenus ornantes, tandem nigri appareant; dum singulis veterum Scriptorum, suis sententijs & verbis ab Illustrißimo Domino* BARONIO *quidem in suo, & à nobis in no-*

in nostro argumento sincerè restitutis, quantum isti sæpè hallucinati sint, aliquando omnibus manifestum erit. Ego ANNALIVM BRABANTIÆ *longè aliud duco filum, quàm hactenus alij; sed innixus Scriptoribus antiquis, qui omnes ante annos ferè sexcentos claruerunt; & cùm aliquot sæculis latuissent, tandem ante annos plus minùs triginta à* PITHOEO *& alijs typis vulgati sunt. Illorum ergo Veterum prima laus, noster labor est in recensendo: quem si alij coment, aut vbi Veterum suffragatur auctoritas, etiam subinde corrigant, fero; imò, vt id faciant, rogo.*

Cur verò hosce ANNALES *non vno & vulgato titulo* ANNALES DVCVM BRABANTIÆ *inscribam, sed gemina voce* DVCVM *seu* PRINCIPVM, *intelliges ex prolixiori hac de re, alijsq́ue huc spectantibus, disceptatione proximè subiecta. Pluribus enim hic Titulus, totiusq́ue Operis ratio adstrui debuit, propter alias eiusdem argumenti commentationes, alioqui eruditas;* MILITIAM *inprimis* SACRAM DVCVM BRABANTIÆ D. IOANNIS MOLANI, *tum* LIBROS XIX. RERVM BRABANTICARVM PETRI DIVÆI: *qui vterque longè aliter quàm nos, Duces Brabantiæ recenset; posterior etiam quingentis propè annis tardiùs, quàm par erat,* DVCATVS *titulum Brabantiæ concedit. Inde ergo rationem horum petito; vbi & disces, quàm non rectè* HADRIANVS BARLANDVS, *Chronici Brabantiæ pridem Scriptor, ducentos & quinquaginta integros annos in medio historiæ cursu, capite vigesimo septimo sui Chronici, præterierit, imò & silentio inuoluendos duxerit. Hæc in ipso limine ne nescires, volebam, cetera ex subiectis Prolegomenis pleniùs cogniturus. Vale benigne Lector, & nostra boni consule.*

IN

IN ANNALES DVCVM SEV PRINCIPVM BRABANTIÆ TOTIVSQVE BELGII PROLEGOMENA.

I.

De vera serie primorum Brabantiæ Principum, ex antiquis Monumentis nunc primùm stabilita.

PROVINCIAM, quæ Brabantia vocatur, celeberrimam multis à sæculis fuisse, testantur celeberrimæ ibi vrbes, ANTVERPIA, nota iam tum anno partus Virginei 650. in rebus Gestis S. Eligij, ab eius sodale S. Audoëno Episcopo Rothomagensi grauissimè scriptis; tum BROSELLA anno 680. in Vita S. Vindiciani Cameracensium Episcopi, vti etiam C. V. Lipsius in suo Louanio mecum obseruat. Quàm vetustum ergo LOVANIVM Brabantiæ Metropolis? Quare dolendum, res huius Prouinciç nondum pro dignitate tractatas. Hadrianus Barlandus, qui libellum de Ducibus Brabantiæ ante annos plus minùs octo-

octoginta ſcripſit, integris annis ducentis & quinquaginta ſex (puta ab obitu Ludouici Pij Imp. hoc eſt ab anno 840. vſque ad Godefridum Barbatum, cuius Principatus initium eſt annus 1096.) omnia inuoluit ſilentio, nullos interim ne quidem recenſens Brabantiæ Principes (pudet referre) quaſi, vt videri vult, nulla extent de his incorrupta rerum monimenta. Sed benè accidit, quòd ſtrenui illi noſtri æui Varrones, Molanus, Diuæus, & in ſuo Louanio pro parte quoque doctiſſimus Lipſius, tandem hac ignauiæ nota vtcumque Brabantos liberarint, & quiſque eorum ex Sigeberto, qui ante annos quingentos Gemblaci vixit, alijſque nonnullis, ſeriem Principum à Barlando intermiſſorum ſuo modo contexuerint. Sed quiſque dico ſuo modo: & mox explanabo quid his verbis velim. Noſter conatus eſt, ex ſingulis eorum, quod commodiſſimum, & proximum vero videbitur, ſeligere, & ſerie vnâ continuâ, apertâ, & quæ ſanguinis ductum ſequatur, ſemel rectè conſtitutâ, res geſtas Principum illuſtriores deinde adiungere. Vir eximius, & diligentiſſimus Antiquitatum Belgicarum ſcrutator, quique mihi primus hiſtoriæ tractandæ auctor ante annos triginta fuit, D. Ioannes Molanus, in ſua Ducum Brabantiæ Militia ſacra, Comites Louanienſes (ſic more vulgato voco Principes Brabantiæ hereditarios ab anno 991. vſque 1096.) vix attingit, etſi ipſe Louanienſis, ſed eorum loco celebrat Imperatores aliquot ſeu Reges Germanorum, eorumque Legatos ſeu Vicarios qui eo temporum interuallo magnam Lotharingiæ & Brabantiæ etiam portionem (de qua diſtinctione mox pleniùs) maximeque Marchiam Antuerpienſem tenebant, iure an iniuria, nondum pronuntio; certè inuitis heredibus. Vnde illud vulgatum,

gatum, quod & C. V. Lipſius firmat, Godefridum Magnum, BARBATVM dictum, quòd iuraſſet barbam non ponere, donec Lotharingiæ Ducatus diu debiti (verba ſunt Lipſij) compos eſſet. Diu miratus ſum, cur Louanienſes iſti Principes à D. Molano Louanienſi eſſent neglecti. Sed demum video id factum, quòd hi nullum aut perexiguum ſuppeditarent argumentum ipſius ſcriptioni Militiæ ſacræ. Diuæus in eruditis ſuis Rerum Brabanticarum libris, vtroſque quidem agnoſcit & recenſet, ſed ita, vt Imperiales Duces primarios, Louanienſes adiectitios faciat; atque adeò, nulla Louanienſium, imò nec præcedentium magnorum illorum Pipinorum & Carolorum habita ratione, primum annum inſtituti Ducatus facit annum à Chriſto nato milleſimum centeſimum ſeptimum, quingentis annis tardiùs quàm oporteat. Quid enim? An non Prouinciæ huius Princeps iam tum anno ſexcenteſimo decimoquinto, Dux ille inclytus, vt vetera monumenta illum vocant, PIPINVS Niuigellæ Brabanticæ ornamentum, diuæ Gertrudis pater? An non Principes, eius filius Grimoaldus, nepotes Pipinus II. Carolus Martellus, Pipinus Rex, Carolus Imp. cognomento & re Magnus? Atqui eorum legitimi heredes fuerunt Comites iſti Louanienſes, vt ex noſtra Principum Brabantiæ ſerie ſtatim patebit.

Eſto, pulſi fuerint tantiſper magna parte poſſeſſionum: ſed quo iure? Ab alto, ſed breuiter nunc texam, latiùs in ipſis Annalibus. Sub annum Domini 843. filij Ludouici Pij, Magno illo Carolo auo progeniti, poſt ſanguinariam vnam & alteram congreſſionem ſic partiti ſunt paternum Regnum, vti Ludouicus, Germanicus dictus, Orientalem, Carolus Caluus Occidentalem, Lotharius

natu

natu maior & Imp. mediam teneret portionem. Hic Lotharius ex media illa sua anno 855. filijs suis Ludouico Italiam (quem & Imperatorem salutari fecerat) Lothario Regnum, quod ex suo nomine vocatur, (verba sunt Reginonis ante annos septingentos) Carolo Regnum Prouinciæ tradidit. At quæres: Quinam limites huius LOTHARICI Regni? Nunc pro parte dicam, curiosus Lector amplius inuestiget ex ijs quæ ex Aimoïno subiungam. Lotharius iste secundus Lotharij Imperatoris filius decessit sine legitima prole anno 869. Hereditas iure veniebat ad eius fratrem Ludouicum II. Imp. tunc superstitem; pro quo & extat Rescriptum Pontificis, de quo suo loco: nihilominus eorum patrui, iam dicti, Ludouicus Germanicus & Carolus Caluus, vicina loca armis inuaserunt; pauloque pòst anno 870. ad Marsanam iuxta Mosam venientes (loquitur idem Regino Chronographus Prumiensis) Regnum æquis partibus diuiserunt, & Carolus ad HERISTALLVM (locus est iuxta Leodium cis Mosam) perrexit, quia eidem palatium in parte acciderat, Ludouicus verò ad AQVAS palatium redijt. Ista Regino Lotharingus. Eadem suis terminis etiam exactiùs distincta posteà dabo ex Aimoïni lib. 5. capite 25. Nunc obseruet Lector Lotharingiam haberi duplicem; hanc CISMOSANAM Caroli, vbi Heristallum; illam TRANSMOSANAM Ludouici Germanici, cuius caput Aquisgranum: vt nulli iam dubium esse debeat, Cismosanam hanc, vbi nostra Brabantia est, ab eo tempore Caroli Calui & posterorum eius ea ratione esse factam. Et possedit eam pacificè tum Caluus, tùm eius filius Balbus. At posteà (pergit Regino ad annum Christi 879.) Ludouicus filius Germanici, cognita morte æquiuoci sui (Ludouici

Balbi)

Balbi) Regnum illius inuadere diſpoſuit, & tranſuadato Moſa, Imperij fines occupauit. Sic ille. Atque en inuaſor Lotharingiæ noſtræ Ciſmoſanæ vocatur Ludouicus filius Germanici; ac proinde inuaſores quoque, frater eius Carolus Craſſus, & poſt eum Arnulphus & alij nonnulli Germanici. Fateor, Tutores Caroli poſtumi, dicti Simplicis, filij Balbi (eodem Reginone atteſtante) eam dicto Ludouico inuaſori veluti ceſſerunt (quo titulo etiam Arnulphus Imp. Ludouici illius & Caroli Craſſi ex fratre Carolomanno nepos eam poſteà tenuit, eiuſque filij, primò illegitimus Zuentiboldus, tum legitimus Ludouicus, qui & Imperator) ſed nullo iure, idcircò quòd Tutoribus bona pupilli alienare non liceat. Quare cùm Carolus Simplex verus heres, vir factus, etiam primarium Franciæ Regnum contra alios inuaſores, Odonem, Robertum, & Rudolphum vix tutari potuerit, vt in Annalibus pleniùs dicam, mirum non eſt, ſi Lotharingia ipſi quoque eiuſque poſteris pro parte fuerit adempta. Nec tamen eum propterea excidiſſe Lotharingico Regno, hæc præterea docent apud veteres Chronologos: apud Sigebertum in Actis anni 916. Carolus Rex Francorũ Regnum Lotharingiæ recepit. & apud Frodoardum Sigeberto etiam antiquiorem ad annum 923. Carolus (nota) cùm ſuis Lotharienſibus Moſam tranſiens, ad Attiniacum venit, & antequam Rotbertus (Regni inuaſor) ſuos fideles adunare potuiſſet, Axonem tranſijt; commiſſoque prælio, multis ex vtraque parte cadentibus, Rotbertus quoque Rex lanceis perfoſſus cecidit. Hæc illi. Vnum eſt, quòd ſponte videatur Carolus Simplex tandem Lotharingiam Regi Germanorum, Henrico primo, dicto Aucupi, ceſſiſſe. Sunt hæc Sigeberti verba ad eumdem annum

num 923. Reges Henricus & Carolus apud Bunnam confœderantur, & Carolus reddit Henrico Regi Regnum Lotharingiæ, Episcopis & Comitibus vtrimque iureiurando rem confirmantibus. Sic ille. Sed hæc aut non gesta, aut non nisi per Legatos. Nam, vt Frodoardus ducentis annis Sigeberto antiquior, & res sui temporis Rhemis scribens ad eumdem annum testatur (& nos in Annalibus pleniùs narrabimus) post victoriam illam mox Carolus dolo Heriberti in carcerem coniectus fuit, nec dimissus ante annum 927. Neque etiam fuisset traditio hæc valida; nempe maxima parte Procerum Regni Francici (vt posteà patebit) à Carolo tunc aliena; ne quis existimet Germanicos Imperatores vel hinc ius nisi armorum in Lotharingiam nostram adeptos. Vnde & istud rursum apud eumdem Sigebertum ad annum 930. post mortem Caroli, nolentibus Lotharingis Henrico Regi subesse, Rex, inspecta industria & potentia Gisleberti, filiam suam Gerbergam ei despondet, & eum iterùm Lotharingiæ præficit. Sic ille. Nupsit Gerberga hæc posteà anno 939. Ludouico Franciæ Regi, eiusdem Caroli Simplicis filio. Et videretur iam lis omnis de Lotharingia sopita; sed nihilominùs ad annum proximum 940. ista adscribit Frodoardus: Rex Ludouicus in Regnum Lothariense cum Artaldo Episcopo (Rhemensi) & alijs fidelibus suis profectus est; Otho quoque Rex (erat is Rex Germanicus & Imp. eius nominis primus, filius Henrici, & frater Gerbergæ) Rheno transito, aduersus eum venit, sed ab eorum Fidelibus inter eos induciæ determinatæ sunt. Sic ille. Secuta sunt & alia, quæ Lotharingiam nunc iuris Germanici seu Imperialis, nunc Francici esse suadeant, sed ea Annalibus ipsis seruo. Illud nunc Lectorem

 moneo,

moneo, quidquid digladiatum leget de Lotharingia, meminerit iam confirmatum à nobis, anno 870. Cismosanam saltem (in qua Brabantia) liquidò factam esse iuris Caroli Calui, eius heredum, Balbi, Simplicis, Ludouici, dicti Transmarini, & Lotharij Regum; ac proinde Caroli quoque Ducis, fratris iam dicti Lotharij, eiusque filij Othonis, filiæque Gerbergæ, ceterorumque iure sanguinis succedentium Comitum Louaniensium. Quò etiam facit, quòd anno 921. mortuo Stephano Leodinorum Antistite, cùm Richarium successorem confirmasset Carolus Simplex, velut eius Ecclesiæ totiusque Lotharingiæ saltem Cismosanæ patronus, aliumque nomine Hilduinum iam dictus Gislebertus, tunc Dux Bulloniensis, & paulò pòst ab Henrico Germaniæ Rege totius Lotharingiæ præfectus, vellet intrudere; auctoritate Romani Pontificis Richarius oblatus à Simplice præualuerit, Hilduino postea ad Sedem Mediolanensem tamen assumpto. Vide pleniùs, si lubet, apud Baronium. Et habes iam, benigne Lector, quomodo non Carolo Caluo tantùm (quod Diuæus lib. 4. fol. 55. se nulla ratione expiscari potuisse scribit) sed & eius filio Ludouico Balbo, nepotique Carolo Simplici, imò & pronepoti Ludouico, eiusque filio Lothario manserit ius, & ex parte etiam possessio eius Lotharingiæ partis in qua Brabantia; eius, inquam, quæ (vt diximus) Caluo anno 870. ad Marsanam obuenerat, cuius etiam limites mox clariùs ponemus.

Neque ad rem facit, quòd heredes istorum Regum, nempe Reguli seu Principes Louaniensium, multis annis non se Duces, sed Comites tantùm inscripserint. Quid enim? In primis Godefridus Barbatus, etiam postquam ab Imperatore Dux solemniter esset salutatus, præposuit tamen

tamen adhuc titulum Comitis Louanienſis. Succeſſores quoque titulos ſuos variant. De quibus, alijſq́ue huc pertinentibus, iſta V. C. Lipſius Louanij ſui libro 2. capite 1. Et ita fuit, inquit: tam celebre enim & diffuſum nomen huius Vrbis, vt non ſolùm adtexeretur illi Brabantiæ, ſed præponeretur ſæpè, aut & pro eo ſolum poneretur. Præponi video in Diplomatis; vt Gemblacenſi donatione anno 1123. Godefridus gratia Dei Comes Louanienſis, Dux Lotharienſis. adtexi, in Othone ſancto-Blaſiano Actis anni 1196. de expeditione Syriaca illa ſacra (verba ſunt Lipſij) cui interfuit Dux Brabantiæ de Louin cum multis Baronibus. ſolum poni, in Diplomate, quod in S. Michaëlis Antuerpiæ ſeruatur: Ego Godefridus Dux Louanienſis. In Guilielmo quoque Malmesburienſi Anglico Scriptore: Deſponſa eſt Henrico primo filia Ducis Louanienſis. Et in Rogerio eiuſdem gentis: Rex Richardus venit è Germania ad portum de Anuers, & eſt ille portus in terra Ducis de Luuain. Et paulò ſuperiùs idem Lipſius: Quin, cùm Innocentius IV. Pontifex in Concilio Lugdunenſi Imperij Electores conſtitueret, quatuor ſæculares iſtos nominauit, Ducem Auſtriæ, Ducem Bauariæ, Ducem Saxoniæ, Ducem Brabantiæ, qui & Louaniæ. Hæc (ait Lipſius) ita ex ipſis Actis verbatim inter alia recitat Matthæus Pariſienſis, qui hiſtoriam ante trecentos quinquaginta circiter annos in Anglia, nec infeliciter, ſcripſit. Hactenus V. Cl. Lipſius. Ex quibus concludo, Comites Louanienſes etiam priùs ſibi ſatis placuiſſe tam celebris Vrbis quocumque titulo; fortè etiam ſuperbiore titulo Ducis idcircò dudum abſtinuiſſe, ne Imperatores Germanos, eorumq́ue Præfectos armis potentiores, magis infenſos haberent, non quin ſummo iure Du-

 ces

ces ſe, ex Ducibus & Regibus nati, ſcribere potuiſſent. Nos idcircò omnes vnius formæ titulo PRINCIPES inſcribemus. Atque hæc de ſerie.

I I.

De limitibus Brabantiæ, ſeu Bratuſpantij veteris.

DE limitibus huius Prouinciæ difficile eſt definire, idcircò, quòd non Diplomate aliquo Regio Principatus hic initium ſumpſerit, vt Comitatus Flandriæ, Hollandiæ, & alij, ſed quòd in hereditate auita in confinijs Hasbaniæ & Brabantiæ PIPINVS primus Princeps noſter bellicis facinoribus, alijſque virtutibus clarus, tandem Maior Domus Regis Franciæ renuntiatus ſit; eaque via in immenſum ipſe eiuſque poſteri deinceps ſua auxerint, vt in rebus geſtis eorum videre erit. Primùm, vſque annum plus minus 850. regio hæc pars erat Regni Auſtraſiæ ſeu Ooſtraſiæ (cuius Regia Metis ciuitas) ſic nuncupatæ ad diſcrimen Neuſtriæ,(an VVeſtriæ?)cuius Reges Pariſijs præſidebant;& aliquando alter Pariſijs,alter Sueſſione, quod Annales veteres docent. Poſteà nomine Lotharingiæ & Brachbanti ſeu Bratuſpanti eadem regio cenſa fuit:& vtrumque nomen ab anno Chriſti nati 870. notum, Brachbanti credo etiam priùs; nec tamen ijdem vtriuſque fines. Qui curioſiùs indagare cupit, leget quæ in fine ſubiungam ex Aimoïno, vtinam non multis mendis obſcura. De Brachbanto veteri ſic delibandum offero cum Lipſio ex eodem: In Brachbanto (inquit Aimoïnus, qui ſcripſit ante annos octingentos) Comitatus tres, Cameraceſium, Hanoium, Louienſem. Sic legit Lipſius, & Loua-

Louanienſem interpretatur: neque abnuo. Sed quid? num tam latè patuit Brachbantum? imò latiùs. Audiemus mox. Quin & fuerunt Brachbantenſes Comitatus minores adhuc plures. Nam ad annum 997. (quo certum eſt Carolum fratrem Lotharij Regis Bruxellæ & Louanio præſediſſe, &, ni fallor, etiam toti Brabantiæ) legitur tamen apud Sigebertum ad eumdem annum id quod ſequitur: Ansfridus, cùm Comes fuiſſet Bratuſpantium, depoſito militiæ cingulo, factus eſt Epiſcopus Vltraiectenſis. Quæ verba cùm protuliſſet Lipſius, ſe torquet cap. 13. libri primi ſui Louanij; ac tandem, Tenebræ, inquit: & omnia faciamus, nullum ingenium vel induſtria examuſſim hæc adæquet incuriosè ſcripta, aut nec ſcripta. Sic ille. Et quid ſi aduertiſſet ab Ægidio Leodieſi (qui ſcripſit circa annum 1240.) eumdem Ansfridum in rebus geſtis Notgeri Epiſcopi, vocari quoque Comitem Louanienſem? Sed bono animo ſimus. Nam primò, in Diplomatibus Imperatorum, etiam trium adhuc Othonum, tot ferè leguntur Comites, quot pagi, ne dicam villæ; pagíque perſæpè ab ipſis Comitibus denominantur, non Comites à pagis; cuius rei exempla aliquot ſuis locis proferemus. Adde, quòd Heda diligens rerum Vltraiectinarum Scriptor, de eodem Ansfrido ſic narrat, explicans quomodo is & à ſe, & à Sigeberto dictus ſit Comes Bratuſpantium: Eius munificentiæ, inquit, vt etiam Eccleſia Traiectenſis eſſet particeps, contulit eidem infra Comitatum RIEN, hereditatem ſuam, VVeſterloo, Oerlo, Bolo, Meerbeke, Honbeke, Bucoute; quarum villarum quaſdam ſeu earum bona Nobiles de Meroden ſub cenſu poſſident. Hactenus ille. Qua ratione quoque Ægidius eum nominauerit Comitem Louanienſem, ſcilicet pagi ſeu

 diſtri-

diſtrictus Louanienſis. Quin etiam Bratuſpantij fines, vt dixim us, multò latiùs ſe extenderunt; de quibus prolixè tam Lipſius quàm Diuæus. Poſterioris hæc inter alia ſunt lib. 1. rerum Brabanticarum cap. 2. Iacobus Meierus, inquit, recentior licet Flandrorum Chronographus, ſed qui multa ex Archiuis Cœnobiorum Hiſtoriȩ ſuȩ inſeruit, in geſtis anni 959. ſcribit, Arnulfum Comitem Cœnobio Gandauenſi detraxiſſe vicos aliquot in pago Brachbantenſi; videlicet, Meren, Crainham, Bellauicum, Bruggecinam, Milimam, Mersken, Aingam, Badingam, Mortſelam, & Maſiminam. Idem in geſtis anni 974. tradit, Othonem II. Imperatorem eidem Cœnobio confirmaſſe poſſeſſiones ſuas in pago Brachbantenſi, Sechlecam, Beruintam, Fleterzele, Papingam, Bauingem, Ghiſenſele, & Holthem: quarum villarum maxima pars eſt in ditione Aloſtana. De Teneramundis nec ipſi Flandri negarint, vſque ad annum 1180. Brabantiæ connumeratos fuiſſe; obueniſſe verò Philippo Comiti ex ceſſione Godefridi tertij Ducis. Et paucis interiectis: Sigebertus in geſtis anni 1059. palàm Brachbantenſem pagum Tornacum vſq; extendit. In pago, inquit, Brachbantenſi iuxta Tornacum, multitudines colubrorum altrinſecus congregatæ, prodigioſo prælio inter ſe concurrunt. Hæc Diuæus. Ex quibus probat, priſcis temporibus Brabantiam ſeu Brachbantum, pagum Louanienſem, pagum Bruxellenſem (ſunt eius verba) pagum Niuellenſem, terram Angienſem, Atum, vicinumque agrum vſque ad Tornacum, Aloſtanos demum & Teneramundanos, partemque Gandaui comprehendiſſe; limites verò eius fuiſſe ab Oriente Velpam, à Meridie Sabin, ab Occidente Scaldim, Demerim à Septemtrione. Sic ille. Quȩ an per omnia conſtent,

constent, non assero, quòd iam tum ab anno 863. Comites Flandriæ omnia ab Oceano vsque ad Scaldim velut iure possederint. Ceterùm quænam tenuerint nostri Principes hereditarij Comites Louanienses, tractu illo temporum ab anno 991. vsque 1096. & quæ Duces ipsi Imperiales, iam conabimur sub titulo Lotharingiæ exponere, vt quod ad lucem historiæ magis faciat.

III.

De Lotharingia, & Marchionatu S. Imperij, qui & Riensis, & Antuerpiensis; & de finibus posterioris Brabantiæ, seu Lotharingiæ Cismosanæ.



LOTHARINGIÆ Regnum latissimè olim patens, omnia complectebatur, quæ vtroque membro partitionis, quam paulò pòst ex Aimoïno ponemus, continentur. Nam hæc omnia Lotharius possederat, à quo LOTHARINGIÆ nomen, vt suprà ex Reginone docuimus, adeò vt etiam S. Nortbertus Ordinis Præmonstratensis feruentissimus Institutor, Xantis municipio Cliuiæ ad Rhenum natus, hac ratione Lotharingus censeatur. Verùm postquam Regnum hoc, anno 870. inter patruos Lotharij Secundi Ludouicum Germanicum & Carolum Caluum diuisum fuit (qua de re plura infrà ad annum illum notauimus) varij inde orti sunt Lotharingici Ducatus & Comitatus. Ducatus duos præcipuos apud veteres obseruo, Mosellanum vnum, & alterum Lotharingicum simpliciter, sine additamento. De posteriore ista Sigebertus ad annum 944. Otho Dux Lothariensium obijt. Conradus gener Regis Othonis succedit. Et ad annum 957.

Bruno

Bruno Archiepiſcopus Ducatum Lotharienſem poſt Conradum adeptus, Cœnobium S. Pantaleonis Coloniæ conſtruxit. Ac denium ad annum 977. Ducatus Lotharingiæ datur Carolo fratri Lotharij Regis Francorum, multis inſuper conducto beneficijs, vt & ipſe àb inſolentijs deſiſtat, & fratris ſui Lotharij motibus obſiſtat. At verò illius Moſellani, tamquam diſtincti ab alio, ſic meminit idem Auctor ad annum 1045. Gothelo Dux obijt, cuius filius Godefridus, dum ei Ducatus Moſellanorum denegatur, altero Ducatu repudiato, contra Imperatorem rebellat. Et ad annum 1070. Gerardus Dux Moſellanorum moritur, moritur etiam Dux Godefridus. Gerardo filius eius Deodericus, Godefrido ſuccedit filius eius Godefridus Gibboſus. Sic ille. Mallem diſtingui Lotharingiam Tranſmoſanam & Ciſmoſanam, ſed neminem cogo; illud nunc potiſſimùm inueſtigo, qui fuerint noſtræ Lotharingiæ Ciſmoſanæ limites? & quid eo temporis interuallo quod diximus, Louanienſes Comites, & quid Imperiales Duces tenuerint? De his Lipſius lib. 1. c. 12. Marchiam vocamus limitem Lotharingiæ ad Scaldim fluuium; quem pagum Rienſem olim dixerunt; qui continebat Antuerpiam hanc nobilem, Liram, Bredam, Herendatum, Bergam, & Campaniæ multos pagos. Lazius Marchiam limitis Anglicani appellatam vult; & Vtilonem Marchionem agnoſcit iam olim anno 511. Adduntur alij: & denique ipſi Duces Lotharingiæ ab Imperatore impetrarunt, inter quos Carolus Lamberti ſocer & Otho filius. Neque tamen Lambertus ipſe Comes obtinuit. Hæc C.V. Lipſius. Apud Diuæum lib. 6. partim in initio, partim in fine, iſta habentur: Filium reliquit Carolus Othonem paterni Ducatus ſucceſſorem, Gerbergam

Lam-

Lamberto Montensi nuptam, qui vxorio iure post soceri mortem Louaniensem Comitatum obtinuit, qui Louanium, Bruxellam, Niuellam, Villeuordiam cum Fura ac Sonia silua complectebatur. Et de terminis Ducum Imperialium sic in fine: Hæc de priscis Lotharingiæ Ducibus dicta sufficiant; quibus maximam Brabantiæ partem subiectam fuisse certissimum est: Campaniam videlicet, Marchiam Antuerpiensem, Gallo-Brabantiæ partem, & ea quæ à Louanio in Hasbaniam protenduntur, vbi nunc Thenensis iurisdictio est: terram quoque Gasbecanam, Ascanam, Grimbergensem, ceteraque à Bruxella in Flandriam vergentia. Ita ille. Sed heus, vt tamen constet Affligemum & vicina loca fuisse iuris Comitum Louaniensium; quod sanè patebit in Henrico Tertio. Atque illud inprimis velim, aliquis pro Diuæo edisserat (quod adhuc à nemine pertractatum inuenio) qua in vrbe potissimùm hi tam ampla potestate, vt Diuæus vult, Duces Imperiales præsederint? vt ita de his clariùs innotescat. Antuerpiæ Imperij Lotharingici ab Germaniæ Imperatoribus occupati sedem dudum fuisse, ista suadent, quæ habet Sigebertus ad annum 1055. Balduinus, inquit, Flandrensis cum Godefrido, auunculum suum Fredericum Ducem intra Andouerpum obsidet: sed concurrentibus Lotharingis, ab oppugnatione desistit. Posteà tamen inuenio Marchionatum Antuerpiensem, & Ducatum Lotharingicum diuersis tributum; qua de re ita Lambertus Scafnaburgensis sui ęui res conscribens, ad annum 1076. Gozzilo Dux Lotharingorum, cùm esset in confinio Lotharingiæ & Flandriæ, in ciuitate, quæ dicitur Antuerpha, occisus est per insidias, vt putabatur, Roberti Flandrensis Comitis. Et mox de Imp. Henrico agens: Pascha Traiecti

iecti celebrauit; ibique Ducatum Lotharingiæ filio suo Cunrado; Marcham verò, quæ vocatur Antvverpha, Godefrido consobrino Gozzilonis Ducis, filio Eustathij Comitis, impigro, & ad rem militarem acerrimo adolescenti tradidit. Hæc ille, designans Magnum illum paulò pòst Godefridum Bullonium. Sed pergo quærere: Vbi ergo Ducis huius Lotharingię Cunradi Curia seu Regia? Grammaius suspicari videtur Thenis fuisse, alij Traiecti ad Mosam constituunt. Dicum, quod proximum vero censeo. Primùm id præmitto, post illud quod Sigebertus ad annum 1012. annotat in hunc modum; Henricus Imp. Godefridum Ducem cum exercitu in fines Bratuspantium mittit ad obsidendum castrum Louanium; sed inefficax redijt, (verba sunt Sigeberti;) deinceps transactũ fuisse, vt seposita hostilitate Comites Louanienses in sua auita possessione quieti agerent. Et huc facit, quod D. Molanus cap. 42. Militię sacrę dicit, Imperatorem Henricum Pium Principem, ne ciuilibus bellis Regna sua magis inquietaret, voluisse, Duces Lotharingiæ deinceps auulso Comitatu (Louaniensi) carere. Certè nulla deinceps inter eos legimus bella; ac proinde bellorum ciuilium metu sublato, Duces Imperiales modò hîc modò illic sedem habuisse existimo; neque vlla ratione mihi persuadeo, tam amplas eorum res præ Louaniensibus fuisse, atque Diuæus eas depinxit. Adfert his quoque lucem Diploma Ecclesiæ Leodiensi ab Henrico Germanorum Rege II. & Imperatore I. anno 1008. concessum. Sunt hæc eius verba: No- «
tum sit omnibus ... qualiter Nos interuentu atque peti- «
tione Heriberti Coloniensis Archiepiscopi, bannum no- «
strum bestiarum, Baldrico sanctæ Leodiensis Ecclesiæ «
Præsuli, nec non Baldrico Comiti, super eorum proprias «
siluas,

„ ſiluas, quæ ſunt inter illa duo flumina, quæ ambo Nithe „ vocantur, & tertium quod *Thilia nominatur, ſitę, & quæ „ pertinent ad illas villas Heiſte & Heiſten, ac Balfrido, nec „ non Maclines nominatas, quod tamen totum Wauer„ vvald appellatur, in Comitatu verò Gotizonis Comitis, „ qui ANTVVERF dicitur, ſitum, per hanc noſtram præ„ ceptalem paginam concedimus atque largimur, & de no„ ſtro iure in eorum ius ac dominium transfundimus; ea „ videlicet ratione, vt prædicti Baldrici de prænominato „ banno, eiuſque vtilitate dehinc liberam habeant, quid„ quid ſibi placuerit, poteſtatem faciendi, omnium homi„ num contradictione remota .... Datum pridie Idus Se„ ptembris Indictione ſexta, anno Dominicę Incarnationis „ milleſimo octauo, anno verò Domini Henrici Secundi „ regnantis ſeptimo. Actum Treueris feliciter, Amen.

*Dilia

Hucuſque Diploma; vbi Gotizonis Comitatum, qui Antvverf dicitur, Marchionatum poſteà nominatum intelligo. Sed an idem Gotizo tunc ſimul fuerit totius Lotharingiæ Imperialis cis Moſam Dux, ambigo; magis tamen inclino, hunc Gotizonem eumdem eſſe, qui à Sigeberto ab anno 1005. & deinceps Godefridus Comes & Dux Lotharingię vocatur. Quidquid ſit, hoc video, nec hunc quidem Comitem limitaneum Antuerpienſem hîc adhuc Marchionem vocatum, vt multò minùs Regiam certam Ducis Lotharingiæ Imperialis Thenis conſtituam, vel alibi. Porrò Comitem Baldricum, cuius in Diplomate mentio eſt, dicerem Baldricum fratrem Lamberti mariti Gerbergæ, illum qui poſt Othonem nepotem præfuit, eò quòd in Diplomate dicitur, *ſuper eorum proprias ſiluas*; & temporum ſeries patitur: & hinc inprimis liqueret (quod priùs dixi) hoſtilitatem omnem inter Imperatores

 & Co-

& Comites Louanienſes deinceps quieuiſſe. Concludo; limites Ducum Imperialium & Comitum Louanienſium à Diuæo ſuperiùs aſſignatos eatenus placere, vt tamen non concedam, Imperiales, quod ille vult, maximam partem Brabantiæ obtinuiſſe, certè nullo modo meliorem. Si vlteriùs quæras, qui fuerint ante Pipinum, noſtræ Seriei Anteſignanum, Brabantiæ Principes; res obſcura eſt, & vix vlla certa haberi credo, præter ea quæ generatim de Galliæ & Germaniæ populis ſunt apud Cæſarem, Tacitum, & alios meliores eius ordinis Scriptores. Nam cetera quæ paſſim Annalibus vernaculis, & Latinis nonnullis, præfiguntur, paruo delectu videntur congeſta; nec proinde operæpretium cenſeo, vt in limine noſtræ hiſtoriæ Lector huiuſmodi tricis & diſſertationibus diutiùs detineatur. Nunc en quod dudum promiſimus ex Aimoïno.

I V.

De limitibus veteris Lotharingiæ ex Aimoïno (qui ſcripſit ante annos ampliùs ſeptingentos) libro 5. De geſtis Francorum, cap. 25.



AROLVS Rex (inquit Aimoïnus, Caluum intelligens) Legatos ſuos ad fratrem ſuum Ludouicum (Germanicum) ad Franconofurt dirigens, petijt, vt ad Regnum Lotharij diuidendum ſimul conuenirent; ipſeque Pontigonem petens, ibidem eos Legatos accepit, nunciantes, vt ipſe ad HERISTALLIVM veniret, & frater eius Ludouicus ad Smarnam venturus eſſet; & in meditullio eorumdem locorum Kalend. Auguſti colloquerentur; & vnuſquiſque eorum quatuor Epiſcopos & decem Conſiliarios,

liarios, & interministeriales & Vaſallos triginta tantummodò ad idem colloquium ducerent.

Et hæc eſt portio quam ſibi LVDOVICVS accepit; Coloniam, Treuiros, Vtrech, Traiectum, Straburch, Argentinam, Baſileam, Abbatiam Sueſtre, Berch, Nui Monaſterium, Caſtellum Indam, S. Maximinum, Ephernacum, Horream, S. Gandulphum, Fauerniacum, Polemniacum, Luxouium, Laureram, Balmam, Offonis villam, Meiem, Monaſterium S. Deodati, Bodonis Monaſterium, Stiuagium, Romerici montem, Morbachum S. Gregorij, Mauri Monaſterium, Eboresheim, Homouua, Maſonis Monaſterium, Homburch, ſancti * Stapni, Eroſtein, S. Vrſi in Solodoro, Grandiuallem, Altam petram, Iuſtiniani Vallem, Cluſi Caſtellum, Carnones, Heribodesheim, Abbatiam de AQVIS, Homchircha, Auguſtchirche, Comitatum * Teſtebrant, * Bauiam, Harmarias, Moſam ſubteriorem de iſta parte. Ita Moſam ſuperiorem quantum de iſta parte eſt, (Parienſis Scriptor loquitur) Lingas quãtum de iſta parte eſt. Diſtrictum Aquenſe, Diſtrictum Trectis, Iuribuarias, Comitatus v. Mogenenſium, Bedagouuam, Nithacouuam, Sarachouuam ſubteriorẽ, Bleſitchouua, Selme, Albechuuam, Suentiſcum, Calmontem, Serachouuam ſuperiorem. Odornenſe quod Bernhardus habuit, Solocenſe, Baſiniacum, Eliſcouue, VVarachſtudingum, Emaus, Baſalchouuam. In Eliſano Comitatus II. De Friſia duas partes, de Regno quod Lotharius habuit. Super iſtam portionem, propter pacis & charitatis cuſtodiam ſuperaddimus iſtam adiectionem, ciuitatem Metenſem cum Abbatia S. Petri, & S. Martini, & Comitatu Moſſenſi cum omnibus in eo conſiſtentibus, tam Dominicatis, quàm etiam Vaſallorum. De Arduenna, ſicut flumen Vrca ſurgit inter Biſlaue & Tumbas, ac decurrit in Moſam; & ſicut recta via pergit in * Bedenſi, ſecundùm quod

* *an* Staphni .i. Stephani?

* Teiſterbant,

* *an* Bauuam?

* *infrà eſt*, Hodenſe.

quod communes Miſſi noſtri rectiùs inuenerunt, excepto, quòd de Conduſtrio eſt ad partem Orientis trans Vrcam, & Abbatias* Prannam & Stabolam cum omnibus Villis Dominicatis, & Vaſallorum.

*an Pruniam?

Et hæc eſt portio, quam CAROLVS de eodem Regno ſibi accepit: Lugdunum, Veſontium, Viennam, Tungros, Tullum, Viridunum, Camaracum, Viuarias, Vzotias, Montem Falconis, S. Michaelis, Suldum Monaſterium, S. Mariam in Biſintiono, S. Martini in eodem loco, S. Augentij, S. Marcelli, S. Laurentij Leudenſi, Sennonam Abbatiã Mellam,* Molburium, Laubias, S. Gaugerici, S. Saluij, Criſpino, Foſſas, Marilias, * Humulfuirt, S. Seruatij, MALINAS, Ledi Suniuacum, Antonium, Condatum, Merrelecchi,* Ticliuium, Luttoſam, Calmontem, S. Mariam in Deonant, Echam, Andanam, Vuaſloos, Altum Montem, Comitatum Texandrum. In BRACHBANTO Comitatus III. *Cameracenſem, Hamonem, Lonienſem. In Aſbanio Comitatus IV. Moſam ſubteriorem, quantum de iſta (eadem) parte eſt.*Lingua, quod de iſta parte eſt Moſę, & pertinet ad *Verſatum, Scarpomuſe, Viridunenſe, Dulmenſe, Ælon, Vuarenſe, Comitatus II. Moſnunſe, Caſtritium, Condruſt. De Arduenna, ſicut flumen Vrca ſurgit inter Biſlane & Tombas, ac decurrit ex hac parte in Moſam: & ſicut recta via ex hac parte Occidentis pergit in Hodenſe, ſecundùm quod Miſſi noſtri rectiùs inuenerunt. Tullenſe aliud, Odornenſe quod Temarus habuit, Barrenſe, Portenſe, Salmoringum, Lugdunenſe, Viennenſe, Viuarias, Vzetium. De Friſia tertiam partem. Et poſtridie ſcilicet IV. Idus eiuſdem menſis ſimul iterùm conuenerunt: & valedicentes ſibi mutuò, ab inuicem diſceſſerunt. Hæc ibi: quæ vtinam aliquando à mendis puriora, nominibus iam notis etiam illuſtrentur; nos ea damus vti iam poſtremùm anno 1603. Pariſijs edita ſunt.

*an Malbodium?
* an Hunolcourt?
* an Siclinium?
**C. VVerdenenſis legit* Antauienſem. *Nã & Cameracum iã paulò antè nominatũ eſt.*
* *an* Liega?
* *an* Viſetum?

SERIES

SERIES
DVCVM SEV PRINCIPVM
BRABANTIÆ

Ab anno Christi DC. XV. vsque M. DC. XXI.

quot annis singuli præfuerint; simul Vxores & Liberi.

PIPINVS I. *dictus* DE LANDIS, *præfuit annis* 32. I.
Ab anno 615. *vsque* 21. *Februarij anni* 647. *Tunc piè obdormiit, non sine opinione sanctitatis. Vxor, venerabilis Itta seu Iduberga Aquitana. Ex ea liberi, Grimoaldus, Gertrudis, Begga. Sepulchrum eius Niuellæ.*

GRIMOALDVS *filius præcedentis, annis* II. II.
Periit Lutetiæ in carcere anno 658. *Vxoris nomē nondum inueni. Filius ei fuit Hildebertus, sed patri non superuixit, cæsus in acie.*

ANSEGISVS *&* BEGGA, *præfuerunt annis* 27. III.
Ipsa, soror fuit Grimoaldi. Maritus eius Ansegisus, filius magni illius Arnulphi, ex Maiore Domus, Metensis Episcopi. Ex his natus Pipinus Herstallus. Cæso marito à perduelle quodam, cessit Principatum filio suo Pipino anno 685. *Quiescit Andanæ ad Mosam, non longè à Namurco.*

PIPINVS II. *dictus* HERSTALLVS, *annis* 29. IV.
Filius præcedentis Beggæ. Obiit 16. *Decembris, anno* 714. *Vxor legitima Plectrudis. Ex ea liberi, Drogo & Grimoaldus, vterque mortuus ante patrem, superstite tamen nepote ex Drogone Theodobaldo. Nihilominus heredem Principatus scripsit Carolum Martellum filium, ex Alpaide pellice.*

CAROLVS MARTELLLVS *filius Pipini, præfuit annis* 27. V.

Vxor incognita. Filij, Carolomannus & Pipinus. Obiit 22. Octobris, multis bellicis facinoribus clarus, anno 741. *Sepultus inter Reges Franciæ ad S. Dionysij.*

VI. PIPINVS III. *demum* REX FRANCIÆ, *annis item* 27.
Filius Martelli. Vxorem habuit Bertam, Bertradam, seu Bertrudam, filiam Imperatoris Græcorum; ex qua liberi, Carolus & Carolomannus. Obiit die 23. *Septembris anno Domini* 768. *Regni* 17. *Sepulchrum eius ad S. Dionysij.*

VII. CAROLVS MAGNVS REX, *etiam posteà* IMP. *annis* 46.
Filius superioris, Vxores habuit plures. Nonnulli quinque numerant. Tertia ordine, Hildegardis nomine, Ducis Sueuorum filia, peperit ei Carolum & Pipinum ante patrem mortuos, nec non Ludouicum, posteà Pium dictum, pluresq́ filias. Obiit die 28. *Januarij anno Domini* 814. *Imperij* 14. *Regni* 46. *Sepultus Aquisgrani.*

VIII. LVDOVICVS PIVS IMP. *præfuit annis* 26.
Filius præcedentis. Eius vxores duæ; Hermingardis filia Comitis Saxonis, ex qua Lotharius Imp. Pipinus Rex Aquitaniæ, & Ludouicus Rex Germaniæ. Altera Juditha, filia VVelphonis primi Comitis Altorfensis, quæ ei peperit Carolum, dictum posteà Caluum. Obiit Ludouicus Pius 12. *Kal. Iulij anno* 840. *Sepulchrum eius Metis.*

IX. LOTHARIVS IMP. *filius Pij, præfuit annis* 15.
Vxor ei fuit Hermingardis filia Hugonis Comitis. Liberi, Ludouicus II. *Imp. eius nominis, Lotharius Rex Lotharingiæ, & Carolus Rex Prouinciæ. Decessit Imperio, Monachum induens, anno* 855. *Sepultus in Prumia Monasterio.*

X. LOTHARIVS II. REX, *filius superioris, annis* 13.
Vxorem habuit Theutbergam, liberos ex ea nullos. Conatus est, ea dimissa, ducere quamdam VValdradam; qua ex re natæ turbæ maximæ. Obiit misero fato 7. *Idus Augusti anno* 868. *vnico relicto filio Hugone ex dicta pellice VValdrada, sed non herede.*

XI. CAROLVS CALVVS REX, *& posteà* IMP. *annis* 9.

Pa-

Patruus fuit superioris, de qua successione prolixè suprà egimus. Vxor ei fuit prima Hermendrudis, ex qua nati, Ludouicus Balbus patris successor, Lotharius infans extinctus, & Carolomannus Dux Prouinciæ, tandem cæcatus à patre; & filia Juditha, vxor Regis Anglorum, & posteà Balduini Flandri. Obiit pridie Nonas Octobris anno Domini 877. Imperij 2. prope Vercellas in Italia, posteà delatus in Franciam.

LVDOVICVS BALBVS REX & IMP. *annis 2.* XII.
Filius Calui. Pro vxore primò habuit Ansgardam, ex qua Ludouicus & Carolomannus. Ea relicta iussu patris, duxit Adelhaidem, ex qua Carolus Postumus, dictus Simplex. Obiit Balbus 3. Idus Aprilis anno 879.

LVDOVICVS & CAROLOMANNVS, *annis 5.* XIII.
Filij fuerunt præcedentis Balbi, de quorum successione vide plenius in Annalibus. Obiit Ludouicus anno Domini 883. & Carolomannus anno sequenti.

CAROLVS *Postumus, dictus* SIMPLEX, *annis 45.* XIV.
Filius Balbi. Gessit Regium nomen varia fortuna. Vxorem habuit filiam Regis Anglorum, quæ ei peperit Ludouicum heredem, Transmarinum dictum. Obiit in carcere apud Peronam Carolus Simplex, anno 929.

LVDOVICVS IV. *Transmarinus, annis 25.* XV.
Filius superioris. Præfuit multis sibi aduersantibus. Vxor fuit Gerberga, soror Othonis I. *Imp. Liberi, Lotharius, post eum Rex, & Carolus Dux noster* XVII. *Moritur Rhemis, teste Frodoardo, anno Christi 954. Sepultus ad S. Remigij.*

LOTHARIVS III. REX *præfuit annis 24.* XVI.
Filius præcedentis. Vix quietior fuit patre aut auo. Vxor fuit Emma, filia Regis Italici. Filiolus Ludouicus, sed qui vix annum patri superuixit. Cessit Lotharius, seu potius permisit fratri Carolo Lotharingiam nostram anno 978. Mortuus ipse demum octauo anno pòst, scilicet 986.

CAROLVS DVX, *frater superioris, annis 13.* XVII.

 Vxo-

Vxorem habuit Trecarum Comitis filiam; ex qua nati, Otho Dux successor, & Gerberga filia, nupta Lamberto Montensi, nec non Ermingardis data Namurcensi. Obiit Aureliis captiuus Hugonis Capeti anno 991.

XVIII. OTHO, *filius præcedentis, præfuit annis* 15.
Decessit sine liberis anno salutis 1005. *Sepulchrum eius Niuellæ.*

XIX. LAMBERTVS & GERBERGA, *annis* 10.
Soror hæc Othonis & filia Caroli, filium reliquit heredem Henricum. Cæsus est maritus eius Lambertus dictus Montensis & Longicollius, anno 1015. *pridie Idus Septembris. Iacent Niuellæ.*

XX. HENRICVS, *filius præcedentium, præfuit annis* 23.
nempe partim cum matre, partim solus. Filium habuit Othonem, sed qui breuissimo tempore patri superuixit. Interfectus est Henricus à quodam captiuo suo, anno 1038.

XXI. LAMBERTVS II. *aliter* BALDRICVS, *annis* 16.
Frater præcedentis, Othone filiolo Henrici mox intra annum defuncto, iure successit. Vxor ei fuit Oda filia Gozelonis Ducis alterius partis Lotharingiæ pro Imperatore, ex qua filius Henricus successor. Cæsus est Lambertus seu Baldricus iuxta Tornacum 13. *Kal. Iuly anno* 1054. *Iacet Niuellis.*

XXII. HENRICVS II. *filius superioris, præfuit annis* 14.
Vxorem habuit Adelam filiam Lantgrauy Thuringiæ, quæ peperit ei Henricum tertium successorem, & Godefridum. Obiit Henricus pater anno salutis 1068.

XXIII. HENRICVS III. *filius præcedentis, præfuit anno* 28.
Vxor eius Gertrudis, filia fuit Roberti Frisy, qui paulò pòst etiam Flandris præfuit. Non reliquit proles masculas, sed tantùm filias. Cæsus est in armorum ludo Tornaci anno 1096. *Sepultus Niuellæ.*

XXIV. GODEFRIDVS BARBATVS, *annis* 44.
Frater fuit Henrici proximè præcedentis. Vxorem habuit filiam Henrici IV. *Imp. &* V. *Regis Germaniæ, nomine Sophiam, &*

ex ea

ex ea liberos, Godefridum successorem, Henricúmque, & filias Aleidam & Idam. Obiit Dux, Magnus meritò cognominatus, anno 1140. *Sepulchrum eius in Affligem.*

GODEFRIDVS II. *filius superioris, præfuit annis* 2. XXV.
Vxor ei fuit Lutgarda, (filia, vt volunt, Berengarij Comitis Zulzbachensis) quæ ei peperit Godefridum successorem. Obiit Idibus Iunij anno 1142. *Iacet Louanij ad D. Petri.*

GODEFRIDVS III. IN CVNIS, *annis* 44. XXVI.
Filius Godefridi superioris. Vir factus vxorem duxit primam Margaretam Limburgicam, ex qua Henricus successor, & S. Albertus Episcopus Leodiensis & Martyr; & alteram, filiam Comitis Lossensis, quæ ei peperit Guilielmum primum Paruisij Dominum, & Henricum Dominum de Cuyck. Obiit veriori calculo (de quo pleniùs in Annalibus) anno 1186. *Item sepultus Louanij ad D. Petri.*

HENRICVS IV. PRINCEPS & I. DVX, *annis* 49. XXVII.
Filius fuit superioris; superbiori illo titulo Ducis, eius nominis primus, sed alioqui iure sanguinis, vt videmus, quartus Henricus inter Principes: de quo latiùs in Præfatione. Vxor prima ei Mathildis, filia Comitis Bononiæ: liberi, Henricus, Gotfredus, & filiæ, Maria nupta Othoni Imp. Mathildis Comiti Holland. vna item Geldro, & aliæ duæ. Vxor posterior filia Philippi Regis Franciæ, ex qua filiæ duæ, quarum vna nupsit Comiti Cliuiæ. Obiit Magnus Heros Nonis Septembris anno 1235. *Sepulchrum eius Louanij ad D. Petri in medio Choro.*

HENRICVS V. *filius præcedentis, præfuit annis* 12. XXVIII.
Vxores habuit duas, priorem Mariam filiam Philippi Imp. ex qua ipsi liberi Henricus successor, & filiæ hæ, Mathildis vxor fratris S. Ludouici Regis, Maria Bauaro, & Beatrix Thuringo nupta. Secunda vxor fuit Sophia filia S. Elisabeth, ex qua Henricus Thuringus. Obiit Kalendis Februarij anno Christi 1247. *Quiescit apud Villarienses.*

HENRICVS VI. PRINCEPS, III. DVX, *annis* 13. XXIX.

Filius

Filius superioris. Vxorem habuit Aleidam filiam Ducis Burgundiæ, quæ ei peperit Henricum, Joannem & Godefridum filios, & filiam Mariam vxorem Philippi III. *Regis Francorum. Obiit pridie Kalend. Martij, anno* 1260. *Sepultus Louanij apud Prædicatores.*

XXX. ALEIDIS PRO LIBERIS, *annis* 7.
Hæc, quòd filij impuberes essent, septennium præfuit; posteà maiori natu Henrico Monacho facto, Ioannes succedit. Vide pleniùs in ipsis Annalibus. Sepulta est iuxta maritum.

XXXI. IOANNES I. *filius Henrici præcedentis, annis* 26.
Ex Margareta Flandrica liberos habuit Ioannem successorem, Gothfredum, qui infans decessit; Margaretam Henrico VII. *Imperatori, & Mariam Amadeo Sabaudiæ Comiti nuptam. Obijt* 5. *Idús Iunij anno* 1294. *Cõditus Bruxellæ ad D. Francisci.*

XXXII. IOANNES II. *filius superioris, præfuit annis* 18.
Vxor ei Margarita filia Eduardi Regis Anglorum. Filius & heres Ioannes, natus anno 1300. *Obiit pater Furæ* 6. *Kalend. Nouembris anno* 1312. *Sepultus Bruxellæ ad D. Gudilæ.*

XXXIII. IOANNES III. *filius præcedentis, præfuit annis* 43.
Vxorem habuit filiam Ludouici Ducis Ebroicensis filij Regis Franciæ. Filij eius ante patrem defuncti sunt. Filiæ, Joanna VVenceslao Duci Boëmiæ, Margareta Ludouico Comiti Flandriæ, & altera Maria Reinaldo Geldro nuptæ. Decessit Nonis Decembris anno 1355. *Sepultus in Abbatia Villariensi.*

XXXIV. VVENCESLAVS & IOANNA *præfuerunt simul annis* 28.
ipsa sola, defuncto marito, annis 21.
Nulli ex hoc coniugio liberi. VVenceslaus obiit anno 1383. *mense Decembri. Ioanna grandæua cessit Ducatum Antonio Burgundo pronepoti ex filia sororis suæ, anno* 1404. *die* 7. *Maij, & biennio pòst obiit Kalend. Decembris anno* 1406. *Sepulta Bruxellæ in Choro Carmelitarum.*

XXXV. ANTONIVS BVRGVNDVS *præfuit annis tantùm* 9. *Dux, sed biennio antè etiam Ducatus Administrator.*

Pro-

Pronepos Ioannæ superioris ex filia sororis eius & Philippo Duce Burgundiæ & Comite Flandriæ. Vxorem habuit Ioannam filiam Comitis S. Pauli, & ex ea liberos Ioannem & Philippum. Cæsus est pro Francis pugnans contra Anglos non longè à Blangio 8. Kal. Nouemb. anno 1415.

IOANNES IV. BVRGVNDVS, *præfuit annis* 12. XXXVI.

Filius præcedentis, anno 13. *ætatis Ducatum excepit. Duxit vxorem Iacobam Hollandam mense Aprili anno* 1418. *sed quæ biennio pòst eum deseruit, de quo pleniùs in Annalibus. Fatis concessit* 17. *Aprilis anno* 1426. *ad proximum Pascha exeunte. Sepultus Furæ.*

PHILIPPVS *frater præcedentis, tantùm annis* 3. XXXVII.

Vxor ei destinata erat Jolentis filia Regis Siciliæ, sed quam non accepit, morte præuentus. Obiit 4. *Augusti anno* 1430. *Item Furæ conditus.*

HINC PRINCIPES BELGII VNITI.

PHILIPPVS BONVS, *Fundator Belgici Imperij, præfuit annis* 37. I.

Fratruelis superioris, nempe filius Joannis Burgundi, qui ea lege Antonio fratri minori tantùm Brabantiam concesserat, vt cùm ex eo non superessent liberi, iterùm ius ad Ioannis heredes rediret. Ex Elisabetha Lusitana filius heres Carolus, dictus Audax. Obiit Philippus 17. *Kal. Iulij anno* 1467. *Sepultus primò Brugis, deinde in Burgundia Diuione.*

CAROLVS AVDAX, *filius præcedentis, præfuit annis* 10. II.

Vxores habuit successiuè tres; primam Catharinam filiam Caroli septimi Regis Francorum, secundam Jsabellam Borbonicam ex qua MARIA *heres, & tertiam Margaretam Eboracensem. Cæsus est ante Nanceium Lotharingiæ Nonis Ianuarij anni* 1476. *ad Pascha exeuntis. Sepultus primùm Nanceij, inde translatus Lutzemburgum, ac demum Brugas.*

MARIA *cum* MAXIMILIANO AVSTRIACO, *annis* 5. III.

Filia superioris vnica, nupsit Austriaco Maximiliano Fred. Imp. filio, 18. *Augusti, septimo mense post patris mortem. Ex hoc*

hoc coniugio liberi, Philippus heres, & filia Margareta Ioanni Principi Hispaniæ nupta. Obiit 5. Kal. Aprilis anno 1482. item sepulta Brugis.

IV. PHILIPPVS AVSTRIACVS, *posteà Hispaniæ Rex, præfuit annis 24. mensibus 6.*
Vxor ei Ioanna filia Regis Hispaniæ. Filij Carolus heres & Ferdinandus, vterque Imp. & filiæ, Leonora, primùm Lusitaniæ, deinde Franciæ Regibus nupta; Isabella Daniæ, & Maria Hungariæ Reginæ. Obiit in Hispania die 27. Septembris anno 1506. Sepultus ibidem prope Burgos in Carthusia.

V. CAROLVS V. HISP. REX & IMP. *præfuit annis* 49.
Filius præcedentis natu maior. Vxor ei Isabella Lusitana, ex qua Philippus heres; & filiæ, Maria Maximiliano II. *Cæsari, & Joanna Principi Lusitaniæ nupta. Cessit filio Hispaniam, Indiam, & Belgium, ipse Deo vacaturus, 7. Kal. Nouemb. anno* 1555. *Cessit paulò pòst etiam Jmperium fratri Ferdinando, ipseq; deinde piè obijt in Hieronymiano S. Iusti in Hispania* 21. *Septembris anno* 1558.

VI. PHILIPPVS II. HISP. & IND. *Monarcha, præfuit annis* 43.
Vxores habuit quatuor, sed ex duabus tantùm superuixere liberi; ex tertia Elisabetha seu Isabella filia Regis Franciæ, Isabella Serenissima nunc Belgij nostri Princeps, & Catharina nupta pridem Duci Sabaudiæ. Ex quarta verò Anna Austriaca, Philippus III. *Monarcha. Piè obdormijt in Scoriaco S. Laurentij in Hispania Idibus Septembris anno* 1598. *cùm eodem anno Nonis Maij*

VII. ISABELLAM *filiam, Serenissimo Principi nostro* ALBERTO AVSTRIACO *Impp. filio, nepoti, fratri, cum dote Burgundiæ & Belgij, annuente simul Philippo filio, addixisset.*

FRAN-

FRANCISCI HARÆI
ANNALES
DVCVM SEV PRINCIPVM BRABANTIÆ.

TOMVS PRIMVS.

PIPINVS
PRIMVS BRABANTIÆ PRINCEPS.

Præfuit Austrasiæ Inferiori, seu Brabantiæ, annis XXXII.



IPINVS dictus DE LANDIS (oppidulum id nunc Brabantiæ est, in confiniis Hasbaniæ, olim Principum palatium) filius fuit Carolomanni Tungrorum & Hasbanię Ducis, præfecti, credo, limitanei & militaris eorum locorum nomine Austrasiæ Regum. Successisse eum patri anno Christi nati sexcentesimo quintodecimo, Annales vernaculi tradunt, veteresque Scriptores Latini tacitè adstipulantur, vti in progressu ostendemus. Cur autem is potiùs quàm pater vel auus constituatur primus Brabantię velut hereditarius Princeps, ratio ea est, non quòd totam eam regionem, quæ nunc Brabantiæ nomine continetur, hereditario iure, aut etiam donatiuo alicuius Regis possederit, sed quòd possessiones auitas iis in locis suâ industriâ ipse primus maximè augere cœperit, idcircò quòd tota etiam Austrasia, non solùm Hasbania & Tungri, à Regibus Francorum, qui & Austrasiorum, eius fidei fuerit commissa. De quo sic in eiusdem Pipini rebus gestis ante plura sæcula conscriptis: Beatus Pipinus (ita vo-

Pipini patria & stirps.

615.

Qua ratione is primus Brabantiæ Princeps.

catur ob insignem sanctimoniam virtutibus eius bellicis, quod rarum est, coniunctam) primò Regum Austrasię, postmodum ipsius Austrasię Inferioris Præpositus & Dux gloriosus, erat lingua & natione Teutonicus, decus & gloria Teutonicorum, via & exemplar morum. Et paulò superiùs: Venerabilis Pipinus ex patre Carolomanno Principe, & matre Æmegarde, fuit Maior domus Franciæ sub Clotario Rege Francorum, & Dagoberto eius filio. Qua dignitate parũ à dominatione ac sublimitate Regia differente præditus, omnia prudenti dispositione ordinabat, præstabatque tam in bello fortitudine, quàm iustitia in pace. Hæc ibi inter alia. Atque adeò verosimillimum est, omnia bella aliaque præclara facinora, à Regibus illis patrata, magna quoque parte eius industria, vtpote Maioris domus Regiæ (nunc Comestabilis vocatur) fuisse confecta. Et innuunt haud obscurè veteres Annales. Sanè Sigebertus Gemblacensis, qui Chronicon suum scripsit ante annos quingentos, cùm ad annum Christi sexcentesimum decimum octauum narrasset, qua ratione Monarchia Francici Regni ad Clotarium fuisset delata (nempe filiis * Theodorici Regis bello captis & occisis, Brunichilde quoque eorum proauia, cui Clotarius decem Regum mortes imputabat, vno pede & brachio mutilata, & ad caudam equæ indomitæ religata & membratim discerpta) his verbis deinde Pipini nostri meminit ad annum sexcentesimum vigesimum quintum: Pipinus, inquit, filius Carolomanni, Maior domus Clotarij,* Principatum gerebat; Pipino verò in disponenda Republica cooperabatur sanctus Arnulfus, filius Arnoldi, filij Ansberti, ex Blithilde filia prima Lotharij Regis. Et triennio pòst: Lotharius seu Clotarius Rex filium suum Dagobertum in Regno adscitum Pipino & Arnulfo committit ad Austrasiis regnandum. Verba sunt vetusti Scriptoris. Sed quid? Horúmne testis solus Sigebertus Brabantus? Minimè; quin Aimoïnus, eo etiam ducentis annis antiquior, & qui in intima Francia ad muros Lutetiæ Parisiorum vixit, semel atque iterùm Pipini huius nostri honorificentissimè meminit: Dagobertus, ait, patre defuncto, totius regimen nactus gentis, in Burgundiam ea propositi intentione proficiscitur, vt oppressis & calumniam sustinentibus iustitiam exercendo subueniret. Vsque ad id temporis consilio beati Arnulfi Metensis vrbis Pontificis, nec non Pipini in Regno Austrasiorum Maioris domus officium gerentis vsus est; ideoque tam strenuus tamque efficax in administrando apparebat Regno, vt circumpositæ nationes, eius vererentur nomen, suaque auxilia in subiiciendis exteris sponderent gentibus fide promptissima. At verò post discessum præfati Antistitis, consiliis iam dicti Pipini & Chuniberti vrbis Coloniæ Præsulis obaudiens, suggerentibus eis, æquitati ac iustitiæ operam dabat. Pergit capite proximo:

Idem Maior domus Regum Francorum.

Claret Pipinus tam fortitudine belli quàm iustitia pacis.

**Fuit hic Theodoricus Burgundiæ Rex, nepos Sigeberti patrui Clotarij.*

625

* principabatur; *Pipino socius regiorum negotiorum S. Arnulfus Episcopus Metensis.*

Aimoïnus de gestis Francorum lib. 4. cap. 19.

631

Encomium eorumdem scriptum ante annos septingentos.



PIPINVS DE LANDIS I. BRABANTIÆ PRINCEPS.

Cap. 20. ximo: Porrò octauo anno Regni sui cùm more Regibus assueto superiores Franciæ partes peruagaretur, metusque esset quòd filium non progeneraret, puellam quamdam, Ragnetrudem nomine, thalamo sibi sociauit: ex qua filium eo anno suscepit. Quem dum postmodùm in Aurelianensi vrbe venerabilis vir Amandus Traiectensium (seu Tungrensium) Episcopus iuxta morem fidelium præsignaret, assistente genitore pariterque Ariberto Aquitaniæ Rege, finita oratione, & nullo è tanta exercitus multitudine Amen respondēte, aperuit Dominus os pueri (qui non plusquam triginta à natiuitate expleuerat dies) ac audientibus cunctis Amen respondit. Statim igitur sanctus Antistes eum regenerauit: quem Aribertus Rex de sacro Fonte suscepit, nomenque Sigiberti ei imposuit. Sed exinde Dagobertus, dum patriam sæpè studet Neustriam inuisere & Regnum, prioris oblitus bonitatis, non solùm Ecclesiarum, verùm etiam quorumcumque locupletium inhians rebus, improbus effectus est prædo. Luxuriæ quoque tam ineffrenatæ se tradidit, vt (exceptis tribus, quæ cum nomine, cultu etiam fulciebantur regio) plurimus concubinarum illi obsequeretur numerus. Auersum itaque cor eius à Deo fuisse æstimabatur prorsusque abalienatum, nisi in semet reuersus, peccata sua eleemosynis redimere deliberasset. Erat in Regno eius PIPINVS de potētissimis Austrasiorum, familiaritati eius inhærens, qui oderat improbos, nec se miscebat flagitiosis. Hunc quidam malignantium Dagoberto adorsi sunt facere odiosum: sed Domini protectus clementia (cuius in obseruanda iustitia sectabatur præcepta) & insidias paratas euasit, & Regi vtilia suadendo fidelissimus apparuit. Hæc Aimoïnus. Ceterùm quod suprà capite 19. indicauit nationes exteras industria simul PIPINI domitas, illustre inprimis est quod idem narrat, capite decimo octauo his verbis: Austrasiis Francis Rex institutus Dagobertus à patre, aduersus Saxones, qui rebellare tentauerant, arma mouit; transgressusque Rhenum, cum Bertoaldo Saxonum Duce pugna commissa, ense percussus in caput, decisos cum parte galeæ crines patri per armigerum mittit, & vt sibi, antequam cunctus corruat exercitus, in auxilium properet mandat. Fortuna adfuit: Clotarius enim venationis gratia Longolariam siluam petierat: vbi accepto periculorum filij nuntio, graui exagitatus dolore, raptis, quos in promptu habebat, iuuenibus, ad alios etiam vt se sequerentur, directis legatis, breui tempore longū iter emensus (nam & noctibus viam carpebat) ad filium vsque peruenit. Et ea quidem nocte fixis super Wiseram fluuium tentoriis, quieuerunt. Manè autem facto, dum Franci plausus ac voces lætitiæ pro aduentu Regis Clotarij ederent, Bertoaldus Saxoniæ Dux super ripam fluminis prælium postulans, audito tumultu, interrogat vt quid tantus in Francorum

S. Amandus Episcopus Traiectensis seu Tungrensis.

Infans triginta dierum loquitur.

Dagobertus Rex ad grauia scelera prolabitur.

639.

Multa sustinet Pipinus pro iustitia.

Lib. 4. cap. 18.

Bellum Saxonicum eius simul industria gestum.

630.

rum

rum castris oriretur lætantium sonus. Dictum est ei, Clotarium aduenisse Regem, atque ob id diem festum agere Francos. At ille ad hæc, Falsa, ait, spe decepti, præ timore desideria somniant sua: nam Regem, quem secum gratulantur manere, certa ferente fama nos compertum habemus vita iam defunctum. Clotarius citeriori armatus superstans littori, dum talia superbè profantem audiret, nil dicens, quò maior taciturnitate sua hostibus incuteretur timor, celerrimè galea nudauit caput. Erat quippe eius cæsaries pulchra canitie veneranda, in cuius adspectu ab aduersariis maximè dignoscebatur. Denique statim à Bertoaldo agnitus incongrua percepit responsa. Túne (dixit) hîc muta aderas bestia? Tunc Rex huiusmodi commotus conuitio, & vltrà quàm dici possit exardescens ira, capiti reposita casside, calcaribus equum versus eum impulit, vt transmeato flumine se de inimicis suis vlcisceretur. Franci ibidem, iniuria Regis permoti, atq; eius exemplo animati, flumen natantes transibant sequentes Regem, qui fugienti Bertoaldo infestus insistebat. Grauabatur sanè ad insequendum, & pondere armorum, & quòd dum transnataret fluuium, aqua sinum eius nec non ocreas repleuerat. Bertoaldus verò recedendo clamabat, se eius seruum, illum verò suum confitens dominum; viderique iniustum, vt vel seruus à clementissimo domino, vel dominus à se seruo licet inuito ac coacto, perimatur. Verùm Clotarius callidè hæc eum prosequi sciens, nec ea quæ dicebantur curans, tandem pernicitate equi quo vehebatur eum assecutus interemit; sublatoque eius capite, ad filium & ceteros Francos, qui tristes eò quòd eum perniciter volantem consequi nequirent, eius saluti timentes, post eum iter pro posse accelerabant, regreditur. Indeque releuatis mœstitia eorum animis, vnà cum eis Saxoniam ingressus, ita depopulatus est eam, vt nullum hominem viuentem relinqueret, qui longitudinem spathæ quam tunc fortè gerebat excessisset. Ista Aimoïnus. Refert eam victoriam Sigebertus ad Christi 630. annum. Dagobertus, inquit, Rex Saxonibus bello concurrit, cui pater Lotharius accurrens auxilio, interfecto Bertoaldo Duce Saxonum, victoriam obtinuit, & peruagans omnem Saxoniam, nullum omnino Saxonum (virilis sexus, addit Regino) mensuram gladij sui excedentem dimisit viuentem. Meminitque idem victoriarum eius contra Sclauos & Wascones anno 634. & sequenti, quas & Aimoïnus narrat, sed non sunt omnia hîc inserenda. Clarebant eo tempore in Francia tres fratres, Ado, Rado, Dado, qui & Audoënus dictus est, singuli singula cœnobia fundantes, quos animabat ad pietatem Eligius aurifex, iamdudum in aula Regis Lotharij clarus, qui etiam ex dono Dagoberti Regis Solemniacum monasterium construxit. Hic nempe est Eligius, qui eodem Audoëno grauissimo Scri-

Saxonum Dux stultè insultat Regi Clotario.

Ecce, & tunc viri fortes.

Bertoaldus Saxo resecto capite victus.

630.

Item vincuntur Sclaui & Wascones.

645. ptore ante tot ſęcula in eiuſdem Eligij Vita atteſtante, Epiſcopus Nouiomenſis & Tornacenſis factus, multùm in Flandris laborauit, iugi inſtantia ANDOVERPIS decertauit. Et hi quidem Flandrenſes atque Andouerpenſes, Friſones quoque & Sueui & Barbari quique circa maris littora degentes, primò eum hoſtili animo & auerſa mente ſuſceperunt, ſed poſtmodum, cùm paulatim per gratiam his verbum Dei inſinuare cœpiſſet, pars maxima trucis ac barbari populi, relictis idolis conuerſa eſt ad Deum verum, Chriſtoque ſubiecta. Sic Audoënus. Et vide quanta ſemper manſerit Pipino auctoritas. Dagobertus Rex non contentus ſe rectè eius ſapientia induſtriaque inſtitutum, filium ſuum quoque, cuius ſuprà meminimus, Sigebertum eius curæ committit. De quo iſta Sigebertus ad annum Chriſti ſexcenteſimum quadrageſimum: Dagobertus

S. Eligius prædicat Christum Antuerpiensibus & vicinis.

Filius Regis Dagoberti Pipino commissus.

640. Rex filium ſuum Sigebertum Auſtraſiis Regem mittit, ſub tutela Pipini & Cuniberti Epiſcopi Colonienſis. Poſteà Dagobertus bella adhuc quædam geſſit, ſed pietate admodum temperata, atque adeò redolentia ſanctimoniam ſui huius formatoris ac moderatoris Pipini. Ea his verbis idem Chronologus perſtringit: Anno 642. Dagobertus Rex, Saxonibus contra Winidos ſibi auxiliantibus, annuum quingentarum vaccarum tributum indulget. Et anno ſequenti Dagobertus Waſcones ſubigit, & Iudacail Rex Britonum gratiam eius ſibi redimit. Porrò inclytus Rex Francorum (dicam verbis Aimoïni*) annis 14. glorioſa functus Regni adminiſtratione, in Spinogilo (villa ſuper fluuium Sequanæ ſita, haud procul à Pariſiis) conſtitutus, profluuio ventris laborare cœpit. Indeq; obſequentium manibus ad Baſilicam ſancti Dionyſij delatus, dum ſe incommodo vltimæ ęgritudinis ad mortem vrgeri intellexiſſet, Egam Conſiliarium ſuum ad ſe venire mandauit, ſeque diſceſſurum è præſenti ſæculo intimans, vxorem ſuam Nantildem, ac filium Clodoueum eius tuitioni commiſit; & vt ſecundùm prudentiam ſibi à Deo conceſſam filium enutriret, piéque regnum diſponeret, admonuit. Ceteris etiam Optimatibus ac Pontificibus Neuſtriæ ac Burgundiæ accerſitis, eos filio, eiſque filium commendans, 14. Kalend. Februarij diem clauſit extremum (anno Chriſti 645. ad proximum Paſcha exeunte.) At verò Pipinus

Rex Britonum gratiam Dagoberti sibi redimit.

*Lib. 4. c. 33.

Dagobertus Rex moritur.

645. (verba ſunt eiuſdem capite 36.) qui ſub Dagoberto aſſiduè cũ aliquibus ex Auſtria primoribus palatium incoluerat, eo obeunte ad Sigebertum ſe confert; iunctoque cum Cuniberto Pontifice, vt pridem, amicitiarum fœdere, vtilia cum eo Regi memorato conſilia miniſtrabat. Ex quorum ſententia Sigebertus ad Clodoueum dirigit fratrem, qui debitam ſibi portionem ex paternis poſcerent theſauris. Ad quam redhibendam certus cum loco deſignatur terminus. Statuta ergo die Cunibertus cum Pipino vſque Compendium villam Regiam acceſſit; ibique procurante

Pax inter filios Dagoberti agente Pipino stabilita.

Ega

Ega Clodouei Regis palatium gubernante, omnis theſaurorum Dagoberti ſupellex, in ſpeciebus variis, muneribuſque anteà abditis, prolata, ac inter fratres æqua eſt lance diuiſa: tertia parte tamen, ex omnibus quæ Dagobertus adquiſierat poſtquam Nantildem ſibi ſociauerat, ipſi Reginæ ſeruata. Partem Sigeberti Cunibertus & Pipinus ad ipſum pertulerunt. Hactenus Aimoïnus. Denique Pipinus, Dux pius æquè ac ſtrenuus, anno poſt Chriſtum natum ſexcenteſimo quadrageſimo ſeptimo, die Februarij vigeſimo primo, ad meliorem vitam tranſiit Landis oppidulo Brabantiæ, prætorio tunc Auſtraſiæ inferioris ſeu Ciſmoſanæ; ſed tranſlatus, non ſine opinione eximiæ ſanctitatis ornat nunc vnà cum filia ſanctiſſima Gertrude & coniuge Itta ciuitatem Niuellenſem. Etenim coniugem habuit Ittam venerabilem, ex inclyta Aquitanorum ſtirpe; ex qua ſuſcepit liberos, Grimoaldum, Gertrudem & Beggam; fuitque Itta ſoror ſancti Modoaldi Treuirenſis Epiſcopi, quod ex eiuſdem ſanctiſſimi Antiſtitis rebus geſtis, ante annos quingentos fideliſſimè ſcriptis, diſcimus; vbi & hoc PIPINI elogium eſt, dignum quod hîc attexatur: Clarebant (inquit Auctor) tunc temporis in palatio viri ſtrenuiſſimi, iidemque religioſiſſimi, inter quos eminebat PIPINVS Dux clariſſimus, & Maior domus ſub Clotario, Dagoberto & Sigeberto potentiſſimis Regibus. Qui ſapientiſſimus Dux, quia ſanctarum Scripturarum ſcientia minùs eruditus erat, prudentes quoſque viros negotiorum ſuorum ſocios aſſumebat. Nam & Arnulphum Metenſium Pontificem, qui ante Pontificatum hanc eamdem dignitatem irreprehenſibiliter adminiſtrauerat, poſtmodumq; eo defuncto, beatum Cunibertum Colonienſem Antiſtitem pari ſanctitatis fama illuſtrem, in hac negotiorum adminiſtratione curabat adhibere participem: in quorum numero dum beatum quoque Modoaldum adſciuiſſet, mirum, quanto æquitatis & ſanctimoniæ decore aula illa Regia vbique reſplenduit. Ita ibi. Sub hoc Principe, præter ſanctiſſimos Amandum & Eligium, quorum meminimus, alioſque de quibus in ſucceſſore filio ſermo erit, illuſtrauit inprimis Brabantiam ſancta Hermelendis virgo, de qua Molanus noſter ex antiquis monumentis iſta habet vigeſima nona Octobris: Villa Meldricis ſanctæ Hermelendis virginis. Hæc præclaris parentibus nata in villa Odenca, virginitatem ſuam duodennis Deo deuouit atque conſecrauit. Quam cùm in villa Beuecum duo fratres profanare vellent, qui in virginis concupiſcentiam exardeſcebant, Angelus eam iuſſit in Meldricem vicinam inſulam recedere. In qua animam ſuam caſtitate virginali, obedientia regulari, & mira abſtinentia, inſuper & eremitica vita ſanctificatam, Deo eam repetenti reddidit. Poſt mortem verò per quadraginta octo annos à cultu ſæculi latuit, donec miraculorum gloria

647. Pipinus tranſit ad meliorem vitam.

Eius coniunx & liberi.

Elogium eius ex rebus geſtis S. Modoaldi.

Claret ſub eo S. Hermelendis virgo Brabanta.

646.

eam magnificante, permotus Dux Pipinus pater beatæ Gertrudis, sacrum corpus leuauit è tumulo: prædiorum quoque maxima multitudine locum ditauit, instituens illic sanctarum Virginum monasterium. Quibus, vt diuinum sacrificium peragerent, presbyteri posteà ex monasterio S. Bauonis, quod in vicino monte, qui Teutonicè dicitur **Calfmont**, situm erat, adiuncti sunt. Sed neutrum monasterium nunc superest. Est autem Odenca apud Louaniolum, **ter Dunck by Lueuenioul.** Meldricis autem insula nunc continens est, dicto loco, & Hugardiæ in finibus Brabantiæ contigua; vbi natalis virginis celebris est cum nouem Lectionibus dicto die 29. Octobris. Sub hoc Principe quoque ad cælos transiit anno Christi 631. magnus ille Allouinus cognomento Bauo, Agilulphi Hasbaniæ Comitis filius, Carolomanni senioris patruelis, conuersionis suæ anno quadragesimo, cuius laudes etsi Hasbani, in Flandricis narranda seruamus, quòd Gandaui Flandrorum palęstræ sacræ simul & quietis locum delegerit. Externa, quę eodem temporum interuallo insigniora acciderunt, hæc ferè sunt: Anno sexcentesimo vigesimo quinto Cosrhoës Rex Persarum multis cladibus ab Heraclio Imperatore Christiano attritus, anno belli Persici quinto, collectis omnibus suis viribus, & Barbaris aduersus Romanum Imperium concitatis, Auaribus, Bulgaris, Sclauis, aliisque qui Constantinopolim obsiderent, ad auertendum ex Perside Heraclium, ipse à tripartito Heraclij exercitu variis in locis, non absque diuinis portentis & signis profligatur, quæ pleniùs Annales Theophanis, Cedrenus, & alij exponunt; vt & liberationem Constantinopolis ab obsidione, præsidio Deiparæ Virginis, hostibus etiam visibilis factæ, cum classis & exercitus interitu. Ac biennio pòst Heraclius prosequens profugientem Cosrhoën, amœnissimis eius villis & arcibus potitus, trecenta signa bellica Romanis priùs erepta, vindicauit. Vbi cùm Cosrhoës tandem Seleuciam vrbem munitissimam cum coniugibus, liberis, ac thesauris se recepisset, in morbum incidens, Mardesam iuniorem filium ex Syra dilecta coniuge, coronare statuit; quo cognito, maior natu Syroës cum Optimatibus comprehensum patrem, postquam ante eius oculos, alios eius filios occidisset, ipsum quoque post multa ludibria interfecit, factaque pace cum Romanis, captiuos, & inter eos Zachariam Pontificem Ierosolymorum, liberos dimisit, prouincias ereptas & ipsum LIGNVM CRVCIS intactum restituit (teste etiam Suida in Heraclio) quod missum Constantinopolim sequenti anno retulit Heraclius Ierosolymam. Sub idem tempus aperitur via Euangelio apud Aquilonares Anglos, Nordanhumbros dictos, ex hac occasione: Eduinus eorum Rex, postulata in vxorem Edelburga, Edelberti Cantuariorum Regis filia Christiana, cùm responsum esset,

Monasterium à Pipino institutum.

S. Bauo coæuus & consanguineus Pipini.

Externa insigniora eiusdem æui.

625.

Constantinopolis præsidio Deiparæ ab hostibus liberata.

Lignum S. CRVCIS Persa restituit.

esset, non licere Christiano Christianam virginem pagano homini dare, promisit, se illi, & omnibus qui cum ea venirent, permissurum liberam fidem & cultum suę Religionis, atque adeò ipsummet quoque eamdem suscepturum, si prudentibus sanctior videretur. Mittitur igitur virgo, & simul Paulinus, pridem à sancto Gregorio Papa, Augustino primo Anglorum Apostolo sub anno Christi 600. in subsidium missus, cuius exhortationibus idem Eduinus Rex cum cunctis gentis suæ Nobilibus, ac plebe plurima, anno ab incarnatione Domini 627. Eboraci baptizatur. Idem quoque Rex Eduinus sic erga cultum veritatis affectus est, vt ad eumdem etiam Regem Orientalium Anglorum Carpualdum pelliceret. Hæc Beda. Hac tempestate innotuit portentosa doctrina Mahometis, qui (vt Annales Theophanis & Cedrenus tradunt) mortuus est, anno Christi 630. Præcursorem Antichristi hunc omnium scelestissimum extitisse Ioannes Damascenus vicinus illorum temporum existimauit. Citati verò Annales tradunt, apud Homeritas, siue in Arabia Felice, eum Hali parente Ismaëlita genitum, pauperem hominem suam operam mercede locasse, inhæsisseque seruitio cuidam potenti viduæ Cadichæ siue Tadichæ dictæ, cuius pascendos suscepit camelos; & cùm vafer esset ingenio, insinuantem se dominæ gratiæ effecisse tandem, vt eam sibi coniungeret vxorem. Cùm autem à dæmonio exagitaretur, & comitiali morbo laboraret, vxorem suam indignè id ferentem ea arte demulsit, vt diceret ad cõspectum Angeli Gabrielis sibi apparentis concidere. Quod cùm eidem mulieri confirmasset pseudomonachus quidam Arrianus, ob falsam fidem in ea loca relegatus, eaque paulatim opinio animis omnium inhæsisset, idem sibiipsi varia effingens, ea vt diuinitus accepta curioso populo persuasit, plenumque vanis figmentis volumen conscripsit, quod è cælo delatum mentitus, suis tradidit sectatoribus obseruandum. Excogitauit autem ad sectam propagandam illecebras ex voluptatibus carnalibus comparatas, feminarum multitudinem in hac vita suis concedens, & in futura iisdem illecebris consitum paradisum, in quo ipsis omnia ad cibum & potum lautè abundéque suppeterent, & ad Venerem præstò esset pulcherrimarum feminarum multitudo, his verò potissimùm potituros fore, qui vel hostes huius sectę occiderent, vel occiderentur ab eis. Itaque armis hanc religionem propagandam, & nullatenus de ea disputandum, vt quæ cælo descendisset. Vt verò omnium nationum homines alliceret, ex cunctis fermè aliqua miscuit; nempe ex Iudæis Circumcisionem, Dei vnius cultum, abstinentiam à carne suilla, (non tamen à ceteris carnibus Iudęis immundis:) ex Christianis, Christum, sed cum Arrianis creatum & seruum, cum Nestorianis purum hominem, cum Manichæis, non eum fuisse crucifixum,

Aquilonarium & Orientalium Anglorum Reges fiunt Christiani.

Mahometis sordidi natales.

Imposturis sibi auctoritatem parat.

Mahometis fœda deliramenta.

fixum, ſed eius tantùm vmbram ſeu ſpectrum; ex Gentilibus, Lunæ ſeu cuiuſdam aſtri cultum. Sepulchrum Mahometis, inquit Leonicus, in ciuitate Mecha compertum habeo exſtructum eſſe ex lapidibus pretioſiſſimis, & ſublime pendere in medio templo. Impij hi Saraceni Arabes pluribus prœliis ea ratione aduerſus Chriſtianos victores, mox anno 634. Heraclium Imperatorem Syria & Ægypto ſpoliant, & biennio pòſt etiam ſancta Ieroſolymorum ciuitate, ac deinde Antiochia & aliis; puniente Deo Heraclium, qui cùm Catholicus fortiter ſuperaſſet, vti diximus, indomitos Perſas, iam hæreticus Monothelita factus, turpiter ab imbellibus Saracenis ſuperaretur, maximiſque Prouinciis exueretur.

Propagata eius ſecta armis.

GRIMOALDVS

FILIVS SVPERIORIS

II. BRABANTIÆ PRINCEPS.

Præfuit annis vndecim.



ATRE Pipino elato, Grimoaldus filius eius (verba ſunt Sigeberti ad annum 647.) in aula Sigeberti Regis
647 potenter principatur. Vnde eum pro honore & officio Ducatus adfuiſſe dubium non videtur, cùm anno ſequenti, eodem Chronologo teſte, Rex Sigebertus cum Radulpho Turingorum Duce bello concurrit. Sed deinceps idem Rex, cooperante Grimoaldo, totum ſe pietati dedit, quemadmodum & Itta Grimoaldi mater; quæ mox anno ſexcenteſimo quinquageſimo, triennio poſt mariti Pipini mortem, inſtinctu ſanctiſſimi Amandi, ſe & ſua Deo deuouens, Monaſterium Niuellenſe (vtor verbis eiuſdem Scriptoris) fundauit, eique filiam ſuam Gertrudem Deo dignam virginem præfecit, de qua agemus pleniùs paulò pòſt.
651 Porrò anno ſequenti Sigebertus quoque Rex de poſteritate prolis deſperans, duodecim Monaſteria Deo conſtruxit; in quibus Stabulaus & Malmundarium eminebāt; cooperante in his Maiore domus Grimoaldo, & Traiectenſium Epiſcopo Remaclo: qui Remaclus & ipſe non multò pòſt in Stabulaus monachicæ vitæ habitum ſuſcepit. Ita Sigebertus Chronologus. Imò de Stabulaus, ſeu Stabuleto, & Malmundario iſta

Mater Grimoaldi ſibi & filiæ Gertrudi fundat Monaſterium Niuellenſe.



GRIMOALDVS II. BRABANTIÆ PRINCEPS.

ista leguntur in rebus gestis sancti Modoaldi: Grimoaldus duo præclara *Monasteria duo item à Grimoaldo constructa.* Monasteria Stabulaus & Malmundarium ex proprio construxit. Nec dissonant quæ sunt in testamento Regis Sigeberti, in Vita sancti Remacli per Notgerum ante annos sexcentos scripta, vbi hæc leguntur: Monasteria, inquit Rex, Stabulaus & Malmundarium, quæ Grimoaldus suo opere construxit, quæ mundanam substantiam cernuntur parumper habere, decreuimus aliquantùm respicere. Ista Rex; & ecce quomodo *In Grimoaldo non respondent vltima primis.* Monasteria illa & à Rege & à Grimoaldo sint constructa. Sed non respondent in Grimoaldo vltima primis. Sigebertus Rex de prole desperans, anno Christi sexcentesimo quinquagesimo secundo Grimoaldi filium Hildebertum adoptauerat in Regnum, sed nō multò pòst nascitur *652.* Regi Sigeberto filius Dagobertus. Nihilominùs, defuncto iam dicto Rege, eam adoptionem tanta vi tutatus est Grimoaldus, vt Dagobertum Sigeberti filium in Monachum attonsum in Scotiam ad amicos ablegârit. Primò proferam quæ de his habet noster Chronologus Brabantus Sigebertus, deinde quæ alij. Anno 656. (inquit ille) Rex Austrasiorum Sigebertus moritur, Dagoberto filio suo admodum paruulo, fidei Grimoaldi commendato, vt in Regnum eius auxilio promoueretur. *657.* Et anno sequenti Grimoaldus Maior domus, domino suo Dagoberto *Attonso filio Sigeberti Regis, suum filium nititur euehere ad Regnum.* Sigeberti filio attonso per Didonem Pictauensem Episcopum, & in Scotiam directo, Hildebertum filium suum facit Austrasiorum Regem. Porrò anno sexcentesimo quinquagesimo octauo, Franci dolentes super infidelitate Grimoaldi, captum eum præsentant Parisiis iudicio Clodouæi; quem Clodouæus vinculis constrictum in carcere fecit amara morte consumi, filiumque suum iuniorem Childericum Regem fecit Austrasiorum. Hæc Sigebertus Chronologus noster ante annos quingentos, quæ & confirmantur ex aliis. Sic enim scribit sanctus Notgerus, quem diximus, in Vita sancti Remacli: *De eius exitu testimonia veterum.* Grimoaldus sub prætextu munerum accipiendorum à Clodouæo fratre Sigeberti Parisios euocatus, illic retentus est, quòd filium domini sui Sigeberti, quem in suam fidem susceperat, vt eum patri substitueret, Clericum effecisset, suum filium Regem volens substituere. ista Notgerus. Ex quibus coniicio, Grimoaldum honoris titulo euocatum Parisios, ibi in vincula coniectum fuisse, ibique mortuum anno 658. *658.* Posteriores aliqui Scriptores narrant, quasi in acie captus sit, filiúsque eius Hildebertus ibidem cæsus: *Filius eius Hildebertus prælio cadit.* sed magis adhibenda fides antiquis; interim, quòd Grimoaldo sic Parisiis specie honoris euocato & detento, Hildebertus filius cum Clodouæi Ducibus concurrerit, & ceciderit. Sepultus est Grimoaldus, iuxta Chronicon vulgare, Iopiliæ non longè à Leodio. Non dubium quin pientissimam Ittam viduam Pipini, eiúsque filiam sanctam Gertrudem hi ca-

hi casus Grimoaldi & Hildeberti grauiter perculerint: certè Itta Grimoaldi mater eodem anno (eodem Sigeberto Chronologo teste) defuncta est. De sancta Gertrude hæc leguntur in eius Vita grauiter ante plura sæcula conscripta, non parum lucis his Annalibus nostris allatura: Gertrudis (inquit Auctor) virgo clarissimis & per totam Europam promulgatis natalibus, hoc est, venerabili illo Pipino Magno patre, Maiore domus Franciæ exorta, ab ipsis pueritiæ annis viam mandatorum Dei ingressa, omnem lubricæ ætatis leuitatem fugiebat: quæ dum altiori proposito virgineæ pudicitiæ sigillum consecrare vellet auctori castitatis Domino IESV, superuenit ad ædes patris eius Pipini Rex Dagobertus: in cuius comitatu erat Ducis cuiusdam Austrasiorum filius, qui & in matrimonium eam postulauit. Sed virgo Deo dilecta, Regi, parentibus, & reliquis Principibus respondit: Ego neque hunc neque quemuis alium volo mortalem hominem, sed mihi sposum delegi Christum, in cuius diuitiis cælum & terra sunt, & omnis ornatus eorum. Mortuo patre eius Pipino, veneranda eius mater Itta castæ quoque professionis velamen à beato Amando Episcopo accepit, domúmque suam in Sanctimonialium Monasterium eiusdem Antistitis consecratione commutauit. Ob quod factum multas calumnias & iniurias cum dilecta filia sua Gertrude sustinuit. Sed mater vsque adeò non est his mota, vt etiam filiæ suæ ob hoc gaudenti (ne fortè eam animorum corruptores vi à se aliquando abstraherent) licet nondum consecratæ, arrepta forfice capillos absciderit. Vnde & ipsa etiam aliquantò pòst inter Virgines, suscepto velamine, consecrata est; ac deinde, succedente tempore, vnanimi consensu ad regimen quoque expedita; in eleëmosynis & hospitalitate maternæ traditionis cooperatrix sedula, omnia prædia amplissimi patrimonij conferens Ecclesiæ in vsum Sanctimonialium, pauperum, ac peregrinorum. Sanè Foillanum, Vltanum, alióśque transmarinos viros lucra animarum quærentes lætissimè suscepit; quósdam etiam apud se retinuit. Sed & pretiosos Codices, & de vrbe quoque Roma pignora diligenter acquisiuit Sanctorum: atque inter hæc scilicet Dominicæ seruitutis augmenta, beata Itta ad Dominum migrauit. Post cuius mortem, mox sancta Gertrudis onus, quod ei iam soli incumbebat, in plures diuisit exemplo Moysi. Atque foris quidem agenda fratribus in timore Dei perfectis commisit, intus autem spiritualibus sororibus rei familiaris curam demandauit: in his, in ascensu spiritualium ita proficiens, vt cernentibus sororibus lux etiam sphæræ igneæ super eam aliquando irradiare sit visa: deinde & nuntios quoque suos in mari periclitantes inuocata, licet absens corpore, ipsa liberauerit. Hæc ibi inter alia eius encomia. Eodem temporum decursu, anno Christi 650.

S. Gertrudis sororis Grimoaldi laudes.

En monile vetus sponsarum Christi.

658

Foris fratribus, intus sororibus agenda Gertrudis committit.

Externa eiusdem anni insigniora.

(quo & ſanctus Martinus Papa Romanus iuſſu Conſtantis Imperatoris
hæretici Monothelitæ in exilium abductus eſt) quidam hæreticus pul-
ſus à partibus tranſmarinis in Gallias venit, cœpítque Auguſtoduni ſub-
dolè nefanda ſua dogmata prodere. Quòd cùm in palatium ad aures

Hæreticus Galliâ pulſus, negans illud Christi: Pater, non quod ego volo, ſed quod tu.

ſancti Eligij perueniſſet, is conſilio cum Audoëno (qui iſta ſcribit) inito
egit cum Rege, quatenus ad hæreticum refellendum Synodus Epiſco-
porum Aureliani congregaretur: in qua cùm idem hæreticus mira in
diſputando ſubtilitate omnes Antiſtitum rationes diu eluſiſſet, tandem
cuiuſdam doctiſſimi Epiſcopi Saluij induſtria conuictus, communi
Epiſcoporum ſententia damnatus eſt, & cum ignominia à finibus Gal-
liarum eiectus. Hæc Audoënus in rebus geſtis ſancti Eligij. At verò
anno 653. (vt habent ex Theophane Annales Græcorum) Mahuuias Sa-

Saraceni Rhodum vaſtant, & Coloſſum vnum ſeptem miraculorum confringũt.

racenorum Princeps Rhodum Inſulam deuaſtans, Coloſſum ſiue
æneum illud Solis ſimulachrum in portu conſtitutum, interque ſeptem
mundi miracula numeratum (cuius nimirum tanta magnitudo erat, vt
ſub diuaricatis cruribus ſpatium præberet nauibus tranſeundi, altitudi-
nem habens centum viginti ſex pedum) iam anteà terræmotu diſiectum
confregit, Iudæóque cuidam Emeſeno vendidit, qui nongentos came-
los ex eius ære onerauit. Quo eodem tempore Armenia ab iiſdem Sa-
654 racenis lòngè latéque deuaſtata eſt. Anno verò ſequenti Foillanus, cuius
iam meminimus, natione Hibernus, qui à ſancto Martino Papa

S. Foillanus Hibernus occubuit martyrio.

prędicandi gentibus Euangelium acceperat, martyrij coronam ſuſcepit,
vnà cum tribus diſcipulis, in ſilua Carbonaria territorij Leodienſis.
Etenim ſancta his temporibus peruaſit æmulatio Hibernos ſeu Scotos
religionis Chriſtianæ cultores. Quòd enim ſcirent, ab vrbe Roma com-
plures in Britanniam ad Anglorum conuerſionem ſanctos viros miſſos,
ipſique hactenus non ſine culpa neglexiſſe viſi eſſent id quod ob loco-
rum propinquitatem commodiùs peragere potuiſſent; complures ex
ipſis paternis egreſſi domibus, ad prædicandum gentibus Euangelium

Quibus occaſionibus Hiberni prædicatores in Belgium venerint.

profecti ſunt, vt ex Beda conſtat. Sed incentor inprimis & inſtigator, vt
ex Hibernia eiuſmodi viri transferrentur in Gallias, vel alias vicinas re-
giones, fuit Vincentius Comes Hannoniæ, qui vxorem habuit conſan-
guineam Regis Dagoberti beatiſſimam Waldetrudem. Miſſus enim ille
à Francorum Rege in Hiberniam, inde ſecum duxit ſtrenuos fidei præ-
dicatores, Foillanum eiuſque germanum Furſeum, & alios quos egre-
gia ſanctitas decorauit. Acta eiuſdem beati Vincentij ſic habent: Die
decima quarta Iulij Sonegiis depoſitio beati Vincentij Confeſſoris Chri-
ſti, qui fuit Hannoniæ Comes, anteà Madalgarius dictus, inter Pala-
tinos Regis Francorum Dagoberti non infimus. Habuit enim vxorem
conſanguineam Regis beatiſſimam Waldetrudem; ipſumque Rex ha-
buit

buit ad annos aliquot Hiberniæ gubernatorem. Vnde posteà in Gallias rediens, sanctissimos & strenuos fidei prædicatores secum adduxit. Inter quos sancti viri memorantur Foillanus, Furseus, Vltanus, Eloquius, Etto, & Adalgisus. Autbertum Episcopum miro humilitatis affectu coluit, qui eum adeò superni amoris feruore accendit, vt deposito cingulo militiæ sæcularis, totum se ad cultum diuinum adstrinxerit. Vnde ad Sambram, in municipio quod Mons-altus dicitur, Monasterium construxit, vbi monastico habitu suscepto, sub sanctæ conuersationis regula sese humiliter reclusit, separatus ab vxore sua Waldetrude, quæ in Castriloco (Montibus Hannoniȩ oppido primario) Sanctimonialium Monasterium construxit. O sanctitas prisca!

S. Vincentius Hannoniæ Comes, aliquamdiu Hiberniæ gubernator.

Tam ipse quàm vxor se Deo tãdem consecrant.

ANSEGISVS CVM BEGGA SORORE PRÆCEDENTIS, III. BRABANTIÆ PRINCEPS.

Præfuit annis viginti septem.



POST mortem Grimoaldi, eiúsque filij Hildeberti, Begga Grimoaldi soror Principatum adiit, sorore eius maiore natu sanctissima Gertrude iam tum anno sexcétesimo quinquagesimo, vti dictum est, Deo sacrata. 658
De Begga eiusq; coniugio cum Ansegiso in hunc modum meminit Sigebertus Gemblacensis ad annum Christi sexcentesimum quadragesimum nonum: Ansegisus etiam filius sancti Arnulphi clarebat, cui Begga soror Grimoaldi nupserat. Sed pleniùs eorum laudes celebrat Stephanus Abbas Leodiensis ante annos quingentos in historia sancti Modoaldi: Sciendum est, ait, Ansegisum filium fuisse beati Arnulphi ex Maiore domus Metensis Episcopi. Cui venerabilis Begga felici iuncta matrimonio, generosæ sobolis, & nobilissimorum Regum mater extitit. Cuius quoque sanctitatis pia apud nos clarent monimenta, eo in loco, in quo ex diuina reuelatione septem construxit Ecclesias; vbi & corpus eius à sacris Virginum choris honoratur, quæ Deo ibidem famulantur. Ibi quoque coniunx piissimus Ansegisus ab ea conditus est, qui ab alumno suo (quem idem Dux puerum fortè inuentum, & è sacro Fonte susceptum aluerat in filium, & exaltauerat)

De Arnulpho hoc vide etiã suprà ad annum 625.

Beggæ eximia pietas.

rat) crudeliter in venatione peremptus est, propter appetitum honoris
sui, quem tamen impius ille consecutus non est. Hæc ille breuiter. De
anno mortis Ansegisi posteà. Nunc plura quæ huc faciunt, ex antiquis
monimentis sunt eruenda. Anno post Christum natum sexcentesimo
661. sexagesimo primo ad cælos transiit sanctissimus Amandus, consecra-
tor (quod superiùs narrauimus) matris & sororis beatæ Beggæ, magnus
inquam ille Galliæ & inprimis Belgicæ Apostolus, qui dudum Episco-
patu Tungrensi improbitate quorumdam extrusus, circumquaque
Christum annuntians, demum in Elnonensi Monasterio, quod nunc
sancti Amandi vocatur iuxta Tornacum, in Christo hoc anno quieuit.

Moritur S. Amandus consecrator matris & sororis beatæ Beggæ.

Anno verò proximo Clodouæus Rex Francorum obiit, & Lotharius
eius filius eidem succedit, & regnat annis quatuor, cuius Maior domus
post Erchanoaldum fuit impius Ebroinus, de quo statim plura. Et ab
hinc, ait Sigebertus, Francorum Regibus à solita fortitudine & pruden-
tia degenerantibus, Regni potentia per Maiores domus in vniuersum
disponebatur, Regibus solo nomine regnantibus; quibus moris erat
principari quidem secundùm genus, & nil agere vel disponere, quàm
edere & bibere, domique morari, & Kalendis Maij præsidere coram
tota gente, salutare & salutari, obsequia & dona accipere & rependere,
& sic secum vsque ad alium Maium habitare. Hactenus Sigebertus.

Turpiter degenerant Reges Francorum.

Intereà anno 664. obiit sanctissima Gertrudis soror venerabilis Beggæ,
& anno sequenti etiam sanctus Eligius Flandrensium & Andouerpien-
sium, quòd anteà docuimus, Apostolus. Ceterùm anno sexcentesimo
sexagesimo sexto Lotharius quoque moritur, & Theodoricus frater eius
ab Ebroino Maiore domus in Regnum sublimatur. Verùm enimuerò
668. biennio pòst idem Theodoricus Rex propter insolentiam Ebroini à
Francis repudiatur, fratre eius Childerico, qui in Austria seu Austrasia
dudum regnabat, à cunctis ad regnandum euocato: idemque Theodo-
ricus Rex & Ebroinus Maior domus tonsurantur (verba sunt Sigeberti)
& Theodoricus quidem Parisiis in Cœnobio sancti Dionysij, Ebroinus
verò in Luxouium Burgundiæ Monasterium relegantur. Ecce quantæ
turbæ: quæ tamen pietatem Beggæ & eius coniugis Ansegisi, funda-
tamque eorum in Deo mentem turbare non potuêre; quod etiam, iis
quæ sequuntur diligenter expensis, magis mirum erit. Etenim post an-
nos deinde octo, anno Christi 676. Hildericus Rex leuitate morum
suorum accendit in se odia Francorum, sanctusque Leodegarius hac oc-
679. casione in Luxouium se abdit. Denique sexcentesimo septuagesimo no-
no, Bodilo Francus, quem Hildericus Rex ligatum ad stipitem cædi
præceperat, Hildericum in venatione exceptum cum Blitilde vxore eius
prægnante interfecit. Tunc Theodoricus Regno restituitur, consilioque
sancti

Rex & Maior domus in Monasteria retruduntur.



ANSEGISVS ET BEGGA III. BRAB. PRINC.

ſancti Leodegarij à Luxouio reuocati aliorúmque Principum, Leudeſius filius Erchonoaldi Maior domus conſtituitur, cùm mox anno ſequenti Ebroinus (qui ob ſuam inſolentiam, vt diximus, in Monaſterium retruſus erat) à Luxouio egreſſus, vires reſumit, inſidiatores ſuos premit (loquitur Sigebertus) ſuper Theodoricum Regem irruit, theſauros eius & theſauros Eccleſiæ diripit, Leudeſium Maiorem domus occidit: Clodouęum quemdam fingens filium Lotharij, Regem ſibi facit: ad eius ſacramentum quos poteſt, pœnis, minis vel blandimentis impellit. Quin anno 682. dictus ſanctus Leodegarius Auguſtodunenſis Epiſcopus ab Ebroino capitur, & cum fratre ſuo Gerino ampliùs biennio ſæuiſſimis tormentis & contumeliis excruciatus: ad vltimum Leodegarius decollatur, Gerinus verò lapidibus obruitur. Ac demum anno

Ebroinus Maior domus, relicto Monaſterio, vires reſumit.

Sancti Leodegarius & Gerinus ab eo martyrio affecti.

685. ſexcenteſimo octuageſimo quinto Theodoricus Rex Ebroinum in gratiam recipit, eiuſque conſilio Synodum Epiſcoporum conuocans, in ea multos ipſorum ex ſententia Ebroini Epiſcopatibus priuat, aliquos etiam irreuocabili exilio damnat. Tunc quoque ſanctus Lambertus à Traiectenſi ſeu Tungrenſi amotus Epiſcopatu, in cœnobio Stabulaus monachicæ quietis portum expetiit, ibique per annos ſeptem manſit, Martyr poſteà futurus. Et eodem anno octuageſimo quinto ſupra ſexcenteſimum Anſegiſus maritus Beggæ & pater Pipini à Gunduino perimitur, quem inuentum & nutritum de ſacro Fonte ſuſceperat, & ad maximos militiæ honores prouexerat. Hæc omnia Sigebertus noſter. Et ſubdit ad annum ſequentem: Begga relicta Anſegiſi, ſe & ſua Deo mancipat, & Monaſterium Andanenſe fundat. Sed pleniùs iſta ſic effero in Vita eiuſdem pridem à me ex veteribus Scriptoribus collecta.

Dux Anſegiſus Beggæ maritus trucidatur.

At verò Deo dilecta Begga, marito perempto, Romam adiit dominam mundi & Eccleſiæ caput. Vnde cum benedictione Papæ, & donatis Reliquiis reuerſa, in honorem ſeptem eccleſiarum Romanarum Andanæ ad Moſam Cœnobium Septem Eccleſiarum fundauit; vbi & feminas ſub Religione congregauit, & ſecundùm ſanctorum Canonum præcepta clauſtris regularibus muniuit. (notent Dominæ Canonicę Andanenſes.) Quin & expetiuit ex Monaſterio germanę ſuæ Gertrudis, ſacras Virgines & Reliquias, vt cœptum poſſet opus perſoluere. Nec mora; datæ ſunt ei ſacræ Reliquiæ, & libri ſanctarum Scripturarum, & eiuſdem habitus aliquot religioſæ ſorores, quæ illic monaſticæ Religionis prima iacerent fundamenta, addita etiam parte quadam lectuli, in quo ſancta Gertrudis ſoror eius ſupremum Chriſto reddiderat ſpiritum; ad quem certè innumera facta ſunt miracula. Obiit piiſſima Begga ibidem velata anno decimotertio, poſtquam ſæculo ſe abdicans filio Pipino gubernacula prouinciæ ceſſiſſet, anno videlicet Chriſti 698. die

Begga Romam adit religionis cauſa.

Fundat Monaſterium ſeu Cœnobiũ.

Obdormit in Chriſto anno 698.

die 17. Decembris: quo die festum eius celebratur Andanæ, in loco quietis, qui est inter Namurcum & Huium. Quod ad res insigniores peregrinas spectat: cùm in prouincia Mediterraneorum Anglorum, Nordhumbrorum, & Merciorum, ex Scotia petiti præsiderent Episcopi, iique, etsi in omnibus alioqui fide essent orthodoxi, in celebratione tamen Paschatis minimè cum Catholicis conuenirent; huius rei gratia factum est, testante Beda, vt anno ab incarnatione Domini sexcentesimo sexagesimo quarto coram Rege Osuui, eiusque filio Alchfrido (quorum ille Scotorum, iste Catholicorum partibus inhærebat) inter vtriusque partis sacerdotes ea de re disputatio haberetur: cuius is fuit exitus, vt auditis Catholicorum rationibus, nitentibus præcipuè auctoritate Romanæ Ecclesiæ, & potestate sancto Petro collata, Rex ipse Osuui cum omnibus fermè aliis, relicta Scotorum opinione, Catholicis adhæserit. Anno quoque sexagesimo octauo supra sexcentesimum Vitalianus Romanus Pontifex, in Angliam sacrorum ministrorum inopiâ laborãtem, misit Theodorum Tarsensem Cilicem, opere & sermone potẽtem, moribus probatissimum, ac diuina & humana literatura Græcè & Latinè excultissimum: de cuius in Episcopum Dorouernẽsem ordinatione Romę hoc anno facta, & honorifico in Angliam anno sequẽti aduentu, vnà cum Hadriano Abbate Afro, æquè doctissimo, & monasterialibus simul atque Ecclesiasticis disciplinis instructissimo, & de magnis in ea insula ab iisdem sanctissimis viris factis progressibus in docẽda fide Catholica, ordinandisq; ritibus Ecclesiasticis, pluribus agit idem Beda. In Oriente anno Christi 676. (qui fuit annus nonus Constantini Pogonati Catholici Imperatoris) Saraceni, metu Mardaitarum siue Maronitarum, qui ipsorum Imperium in Syria & Palæstina inuaserant, composita cum Imperatore Constantino pace in triginta annos, consenserunt, tributum annuum pendere trium millium librarum auri, virorum captiuorum quinquaginta, totidemque nobilium equorum. Sed & ista intelligentes Auares, aliique Romani nominis hostes, ipsi pariter per Legatos pacem ab Imperatore (testante Theophane) postularunt, Deo sic Christianos nonnihil respirare permittente. Ceterùm anno Christi sexcentesimo octogesimo, post Lunæ Solisque eclipsim pestis ingens per tres continuos menses dirè vastauit vrbem Romam & alias nonnullas Italiæ ciuitates, vti tradunt Paulus Diaconus & Anastasius Bibliothecarius. Quin addit Paulus, qui proximus iis temporibus vixit, multis Romæ visibiliter apparuisse bonum & malum Angelum noctu per ciuitatem pergere, & quoties ex iussu boni Angeli malus venabulo, quod in manu ferre videbatur, ostium alicuius domus percuteret, tot de eadem domo die sequenti homines interirent. Tuncque per reuelationem cuidam

Externa insigniora.

Lib. 3. c. 25.

Quæstio de Paschate celebrando in Anglia ad normam Ecclesiæ Romanæ definita.

Eodem missi prædicatores Romã.

Lib. 4. c. 1. & 2.

Christiani in Asia aliquantò respirant.

Pestis Romæ mitigatur suffragante S. Sebastiano. dictum esse, pestem non priùs quieturam, quàm in basilica sancti Petri ad Vincula poneretur Altare sancti Sebastiani martyris memoriæ; eo verò facto, pestem protinus cessasse. Hæc ille. Extat autem hactenus integrum ipsum altare, nec non eiusdem sancti Martyris imago veteri musiuo opere expressa. Sed & ex hoc propagata ad posteros religio est, vt pestis tempore voti causa imago sancti Sebastiani diuersis in locis pingi soleret, atque in eius memoriam altaria erigi, & ecclesiæ seu sacella fabricari.

PIPINVS II. HERSTALLVS

FILIVS SVPERIORVM,

IV. BRABANTIÆ PRINCEPS.

Præfuit annis viginti nouem.



685 ANSEGISO cæso anno vti diximus sexcentesimo octuagesimo quinto, & mox anno proximo vidua eius Begga sæculo valedicente, Pipinus eorum filius in hereditatem successit. Dictus est Herstallus, à loco non longè à Leodio, quem libenter & sæpiùs incolebat. *Pipinus vnde dictus Herstallus.* Eius res gestæ multæ & illustres sunt; nos eas ex veterum monumentis & Annalibus, adeò etiam iisdem verbis, quò certior
687 fides sit, serie temporum digeremus. Anno sexcentesimo octuagesimo septimo, ait Sigebertus, Vlfrado Maiore domus mortuo, Pipinus filius Ansegisi principatur in Austria cum Duce Martino. Sed iis congressus Ebroinus victoria potitur; Martinus fugiens ab Ebroino perimitur. At *Ebroini impij interfector fugit ad Pipinum.* mox anno octogesimo octauo Ebroinum Francos insolenter opprimentem Ermenfredus similiter occidit, & ad Pipinum fugit. Waratho interim pro Ebroino Maior domus statuitur. Quare anno sequenti inter Pipinum & Gislemarum filiũ Warathonis apud * Namucum castrum pugna committitur; nec multò pòst, Gislemaro diuinitus punito, Warathone quoque mortuo, Bertarius gener Warathonis fit Maior domus
690 sub Rege Theodorico. Sub id tempus anno incarnationis Dominicæ sexcentesimo nonagesimo, Pipinus duodecim Apostolicos viros recepit, *S. Willibrordus & socij veniunt in Belgium.* Willibrordum & socios, ex Anglia ad lucrum animarum Wiltenburgum, nunc Vltraiectum, appulsos: qui eius fauore & auctoritate fulti, non solùm

*Namurcum



PIPINVS II. HERSTALLVS IV. BRAB. PRINC.

solùm Vltraiectenses & vicinos Frisones, sed etiam plurimos in Brabantia locisque conterminis, ad fidem Christianam veramque pietatem deinceps traduxerunt, Pipini quoque gloria in omnem partem peruagante. Certè mox anno nonagesimo primo ipse Theodoricus Francorum Rex cum Berthario, de quo diximus, Pipino nostro congressus vincitur; Bertharius à suis perimitur, Theodoricus Rex à Pipino capitur; sicque Pipinus Neustriam sibi subiugat, & sub Theodorico solus toti Regno principando (verba sunt Sigeberti) statum rerum meliorat; sanctum quoque Lambertum (quem anteà ab Ebroino pulsum diximus) in Traiectensi Presulatu relocat. Porrò anno 693. Ewaldus Albus & Ewaldus Niger Presbyteri venientes ab Anglia martyrizantur, & iussu Pipini sepeliuntur in Agrippinensi colonia. Hæc Sigebertus. Quæ posteriora quid sibi velint, clariùs exponit Venerabilis Beda scriptor eius æui, omni exceptione maior, libro quinto Historiæ Anglorum capite vndecimo: Duo presbyteri, inquit, pro diuersa capillorum specie, vnus Niger alter Albus Ewaldus, cùm cogniti essent à barbaris quòd essent alterius religionis, nam hymnis & psalmis semper & orationibus vacabãt, & quotidie SACRIFICIVM Deo victimæ salutaris offerebant, habentes secum vascula sacra, & tabulam ALTARIS vice dedicatam, suspecti sunt habiti, quia si peruenirent ad satrapam & loquerentur cum eo, auerterent illum à diis suis, & ad nouam Christianæ fidei religionem transferrent, sicque paulatim omnis eorum prouincia veterem cogeretur in nouam mutare culturam. Itaque rapuerunt eos subitò, & interemerunt, Album quidem Ewaldum veloci occisione gladij, Nigellum autem longo suppliciorum cruciatu, & horrenda membrorum omnium discerptione, quos interemptos in Rhenum proiecerunt. Nec martyrio eorum cælestia defuere miracula: nam cùm perempta eorum corpora amni, vt diximus, à paganis essent iniecta, factum est vt hæc contra impetum fluuij per quadraginta ferè millia passuum ad ea vsque loca, vbi illorum essent socij, transferrentur: quæ vbi comperit gloriosissimus Dux Francorum Pipinus, adducta ad se eorum corpora condidit cum multa gloria in ecclesia Coloniæ ciuitatis iuxta Rhenum. Hęc Beda. Posteà anno 694. idem
694 Pipinus Radbodum Ducẽ Frisonum bello vicit. Ita breuiter Sigebertus. Sed pleniùs idem in Actis S. Suitberti socij S. Willibrordi à Marcellino consocio fidelissimè scriptis narratur his verbis: Radbodus expulsus à Traiecto per Pipinum, morabatur apud insulam Fostilandiæ. Et post pauca: Sacerdotes (Willibrordus & socij) perpendentes, quoniam Radbodus nequaquam ab idolorum cultura desisteret, diuerterunt ad Pipinum, à quo gratanter sunt suscepti: & quia nuper citeriorem Frisiam, expulso Radbodo, ceperat, illò eos denuò ad prædicandum misit, præci-

Pipinus cæso Berthario, & capto Rege Theodorico, Rempublicam restituit.

Obserua iam tum apud Belgas MISSAE SACRIFICIVM.

SS. Ewaldi pro fide cæsi, & à Pipino culti.

præcipiens paganis sibi subditis auctoritate Regia, ne quis prædicantibus quidquam molestiæ adferret. Sic ibi. Quin etiam venerabilis Beda maiora de liberalitate & pietate Pipini Principis erga Willibrordum & socios commemorat in hunc modum: Misit, inquit, Pipinus, fauente omnium consensu, virum venerabilem Willibrordum Romam, cuius adhuc Pontificatum Sergius habebat, postulans, vti Fresonum genti Archiepiscopus ordinaretur: quod ita vt petierat, impletum est, anno scilicet ab Incarnatione Domini sexcentesimo nonagesimo sexto. Donauit autem ei Pipinus locum cathedræ Episcopalis in castello suo illustri, quòd antiquo gentium illarum vocabulo Wiltaburg, id est oppidum Wiltorum vocatur, in quo, ædificata Ecclesia, reuerendissimus Pontifex longè lateque verbum Dei prædicans, plures per illas regiones Ecclesias, & Monasteria nonnulla construxit. Ipse autem Willibrordus, cognomento Clemens, adhuc superest, longa iam venerabilis ætate. Hæc Scriptor irrefragabilis, primitiuam Ecclesiam eorum locorum depingens. Sed heu! læta hæc, tantasque Pipini laudes atra quædam nubes subsecuta obscurat. Siquidem anno sexcentesimo nonagesimo octauo, Sigeberto referente, sanctus Lambertus Pipinum Principem increpare ausus, quòd pellicem Alpaidem Plectrudi legitimæ vxori suæ superduxerit, à Dodone fratre ipsius Alpaidis Leodij martyrizatur, & Traiecti tumulatur. Phrasis est Sigeberti. In rebus gestis eiusdem sancti Antistitis in hunc modum ista narrantur: Pipinus Princeps, cetera egregius, vno malo tam multa bona corrumpebat, contempta legitima vxore, Alpaidi pellici nimiùm addictus. Id verò, ceteris ferè Episcopis dissimulantibus, Lambertus præ zelo Domus Dei ferre non sustinens, opportunè, importunè Principem arguebat. Et nonnullis interiectis: Per id tempus Pipinus Princeps in Iopiliam villam aduenit; venit etiam eò vir sanctus. Apparatur conuiuium. Princeps oblatum sibi à pincerna poculum innuit Episcopo offerendum, benedictionis loco habiturus, si à consecrata manu ipse poculum acciperet, quod Maximum Imperatorem olim nouerat à beatissimo Martino expectasse. Et Episcopus quidem illud Pipino tradidit; cuius exemplum mox etiam secuti sunt Proceres reliqui. Cunctis igitur certatim id expetentibus, ipsa quoque pellex clàm suam inserit manum; cùm ecce vir sanctus ad Principem conuersus, de mulieris temeritate conqueritur, quòd calliditate quadam conetur notam ipsi inurere inuisæ Deo communionis. Surgensque à mensa ab aula vult recedere, & omnis illa conuiuij iucunditas perturbatur. Nec sic tamen quiescit versutia mulieris; sed vesperi volenti recedere Episcopo mandat Princeps, illa suggerente, ne insalutata sua coniuge recedat. At Episcopus magna animi constantia, Ego verò, inquit,

Eximia Pipini erga Willibrordum & socios pietas.

Lib. 5. c. 12.

696

Construuntur in Belgio Ecclesiæ & Monasteria.

698

Heu! degenerat Pipinus.

Reprehendit eius adulterium sanctus Lambertus.

O verum Episcopum!

quit, ô Princeps, teſtor Ieſum, ſpem vitæ meæ, me numquam adulteræ communicaturum; te verò nolle reſipiſcere omnino, fero moleſtè & doleo. & ſic abiit in vicinam villam Legiam, ibique à Dodone fratre pellicis crudeliter occiſus eſt decimo quinto Kalend. Octobris, anno ſexcenteſimo nonageſimo octauo, Epiſcopatus ſuſcepti quadrageſimo. Corpus ſacrum Traiectum auectum eſt. Dodo percuſſor putrefactis & profuſis inteſtinis periit. Ita ſancti viri Acta. Sigebertus ad annum ſequentem ſic habet: Dodo peſſimo languore cruciatus, & à vermibus conſumptus, ob intolerantiam fœtoris in Moſam demergitur. De occiſoribus ſociis in vniuerſum hunc tradit verſiculum Wandelbertus,

A fratre pellicis crudeliter necatur.

698

Vltio diuina in eius percuſſores.

Factio quem cæſum ſemper tremebunda paueſcit.

Pipinum territum tam immani horrendaque morte Dodonis percuſſoris, ad tempus à ſe ablegaſſe pellicem Alpaidem, conciliatumque fuiſſe legitimæ coniugi Plectrudi, ſatis eſt veroſimile. Sic enim refert Heda ex Theofrido Abbate Epternacenſi, qui vixit ante annos quingentos:
699 Anno Regni Hildeberti ſecundo (eſt is annus Chriſti 699.) Pipinus cum coniuge Plittrude tertio Idus Maij, tradidit beato Willibrordo medietatem Fiſci Eſternacenſis, à Theodardo Theodarij Ducis filio ſibi relictam. Sigebertus quoque noſter de filiis legitimis Pipini ex dicta Plectrude iſta commemorat hoc eodem anno: Drogo filius Pipini Dux Campanienſium moritur, Grimoaldus verò frater eius à patre Pipino in aula Hildeberti Regis Maior domus conſtituitur, eique filia Radbodi Friſonum Ducis in vxorem deſpondetur. Intereà anno Chriſti
700 ſeptingenteſimo venerabilis & Deo dilectus Vulfrannus Senonenſis Epiſcopus, cum licentia tum Regis Childeberti, tum Pipini Principis, & ipſe ad prædicandum Friſonum genti ſe totum impendere cœpit, referente Iona Fontanellenſi eius pænè coæuo: qui & teſtatur, patenam ſacram, & Altare conſecratum in modum clypei, quod ſecum, dum iter ageret, vehere ſolitus erat, in Fontanellæ Cœnobio non longè à Rothomago religioſè aſſeruari. Quin etiam anno ſeptingenteſimo ſecundo, teſtante Beda, Suitbertus Antiſtes, Willibrordi ſodalis cum quibuſdam Pipinum Principem adiit, qui interpellante Plichdruda coniuge ſua, dedit ei locum in inſula quadam Rheni: in qua ipſe, conſtructo Monaſterio, continentiſſimam geſſit vitam, ibique diem clauſit vltimum. ita Beda. Hic eſt Coëpiſcopus ſancti Willibrordi. eademque narrantur pluribus in Actis eiuſdem ſancti Suitberti per ſanctum Marcellinum ſcriptis. Porrò anno poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimo
708 octauo dominus Pipinus perrexit in Suauos contra Wilarium. ſic Chronicon antiquum à Pithœo ante paucos annos editum. Nam Sigebertus per aliquot annos nihil habet inſtituto noſtro ſeruiens. Et idem Auctor rurſum

Coniectura Pipinum ad tempus vxori legitimæ reconciliatum.

S. Vulfrannus auſpiciis Pipini in Belgio prædicat, & Miſſas celebrat.

Lib. 5. c. 11.

Item S. Suitbertus conſtruit Monaſterium.

Varia expeditiones Pipini contra hoſtes Francorũ.

rurſum ad annum 710. Idem Pipinus in Suauis contra Wilarium. quin
& annis duobus proximis, ſecundùm eumdem, adhuc exercitus Fran-
corum in Suauis contra Wilarium. Quæ quid ſibi velint, ſtudioſis dili-
gentiùs inquirendum relinquo. Interim eodem anno ſeptingenteſimo 710
decimo (eſt is à martyrio ſancti Lamberti duodecimus) ſanctus Huber-
tus eius ſucceſſor cælitus admonitus, corpus ſancti Lamberti à Traiecto
Leodium cum magna miraculorum gloria reportat, ſedemque ſimul
Epiſcopalem in eamdem villam Leodienſem transfert. ita Sigebertus, &
adſtipulantur vtriuſque Sancti res geſtæ. An verò his miraculis & por-
tentis motus Pipinus in vniuerſum Alpaidem ſcortum à ſe abiecerit,
difficile eſt aſtruere. Ex iis quæ ſuprà ad annum 699. narrauimus, &
quæ mox narraturi ſumus, videtur quidem is Princeps iterùm commu-
nicaſſe Plectrudi legitimæ coniugi; ſed diſplicet, quòd nihilominùs Ca-
rolum filium pellicis, dictum Martellum (neglecto Theodoaldo ne-
pote, ex filio legitimo Drogone, adeò etiam Maiore domus ab ipſo, vt
mox videbimus, conſtituto) Principatuum ſuorum heredem ſcripſerit.
Quare quod Diuæus lib. 1. cap. 6. & alij quidam tradunt, Alpaidem
Orpij in Monaſterio à ſe conſtructo pœnituiſſe, collegiumque Hugar-
dienſe fundaſſe, nec non Geldoniam Comitatum ſuum Principi Bra-
bantiæ tranſcripſiſſe, ea lege vt eſſet fidelis Aduocatus Eccleſiæ Hugar-
dienſis, ea certè non niſi poſt mortem Pipini contigerint. Res eiuſdem
Principis Pipini reliquæ, vndique conquiſitæ ſic ſe habent: Anno Chri-
ſti ſeptingenteſimo decimo tertio (teſte Sigeberto) Grimoaldus Maior 713
domus Leodij ante altare ſancti Lamberti orans à Ranigario ſatellite
Radbodi Ducis Friſonũ perimitur, & Theodoaldus filius Drogonis ab
auo ſuo Pipino Maior domus ſtatuitur. Ceterùm anno quarto Dago-
berti Regis (eſt is annus Chriſti 714.) ſexto Nonas Martij contulit Pipi-
nus venerabili Willibrordo (Theofrido Abbate teſtante, qui vixit an-
te annos quingentos) etiam villam in pago Moſariorum, à præterfluente
riuo Sueſtra nomen ſortitam, per Plittrudem ab ingenuis coëmptam:
qui quidem Willibrordus quàm diligenter Euangelicæ prædicationis
vomere Brabantiam etiam excoluerit, ex iis diſcimus, quæ idem Theo-
fridus Epternacenſis Abbas apud Hedam ſubiungit: Præterea, inquit,
Rothingus vir præpotens delegauit Willibrordo adhuc viuenti Eccle-
ſiam in Antuerpo caſtello ſitam ſuper fluuium Scaldim in pago Rien-
ſium, cum villis & appenditiis, & tertia parte telonij eiuſdem caſtelli,
quod nunc eſt Marca ſeu Limes Regni. Et ſubdit Heda: Templum apud
Antuerpiam diuæ Walburgi coætaneæ Willibrordi dicatum, credi-
mus eſſe donationem Rothingi huius, cuius & numiſma in auro legi-
mus. & pergit idem Auctor: Heribaldus inſuper dignitate fulgens tra-
didit

S. Lamberti corpus miraculis illuſtre Leodium relatum.

Diſputatur de pœnitentia Pipini & pellicis.

Filio Pipini cæſo, nepos pro eo fit Maior domus.

S Willibrordo traditur Eccleſia in Antuerpo cum villis & tertia parte telonij.

Item alia eidem traduntur.

didit in pago Marſum in ora Moſæ fluminis vnà cum omnibus appendítiis Baſilicam. Angibaldus quoque villam Waderlo in Taxandria ſuper fluuium Dumella. Engilbertus etiam cuncta quæ iuris ſui erant in villa Ereſtecho nuncupata, & Alfeim villa integra. Ansbaldus omnem poſſeſſionem ſuam in Hockenſtert, villam Diſenam. Hæc & plura ibi: nobis ſatis eſt pauca retuliſſe, omiſſis aliis locorum nominibus nimis obſcuris. Sed & eo tempore * Broſella (nunc Bruxella) nota fuit: de qua hæc in ſancti Vindiciani Epiſcopi Cameracenſis ſeu Atrebatenſis rebus geſtis: (obiit is ſub annum Chriſti 695.) Iam ſummus paterfamilias (ait Auctor) deſudanti ipſi in vinea Eccleſiæ decreuerat denarium reddere diurnum, cùm contigit eum (ſanctum Vindicianum) in quoddam diœceſis ſuæ territorium, quod Broſella dicitur, deuenire. Vbi cùm carnis moleſtia fuiſſet tactus, atque aliquamdiu decubuiſſet, tandem ad extrema perueniens, ſpiritum veris virtutum ſpoliis onuſtum, cæleſti paradiſo feliciter reddidit. Hæc ibi. Sed ad ſeriem redeo. Eodem itaque ſupra-

**Broſella ſeu Bruxella iam tum anno 695. nota.*

714 dicto anno ſeptingenteſimo decimo quarto poſt Chriſtum natum obiit Pipinus Princeps, filium ſuum ex Alpaide Carolum Tutidem ſeu Martellum cognominatum, quòd in bellis omnia contuderit, Principatus ſui heredem relinquens. Sic breuiter Sigebertus. Annales veteres à Pithœo, vt diximus, editi in hunc modum paulò pleniùs: Pipinus filius Anchiſi Dux Francorum, poſt mortem Wolfradi Ducis (vide ſuprà ad annum 687.) partem Auſtriæ regens obtinuit Regnum Francorum per annos XXVII. cum Regibus Ludouico ſeu Clodouæo, Hildeberto & Dagoberto. Moritur anno ab incarnatione Domini ſeptingenteſimo decimo quarto, menſe Decembri. Sic illi Annales. Et pleniſſimè de morbo & morte eius commemorant Acta S. Suitberti cap. 25. in hunc modum: Contigit (inquit Auctor eius æui S. Marcellinus) anno ab incarnatione Domini 714. Pipinum de Herſtallo ſtrenuum Principem, dolentem ſuper innocente morte ſanctiſſimi Lamberti, ad mortem ægrotare. Accerſituſque ſanctus Swibertus ad viſitandum eum per nobiles viros, perrexit priùs Coloniam ad Plectrudem illuſtrem Duciſſam: quæ miſit eum & Agilolfum Colonienſem Epiſcopum cum aliis ad Pipinum Principem coniugem, ad informandum eum, ſi obiret, ne illuſtres legitimos ſuos exheredaret. Venientes igitur præfati Pontifices Iopiliam (locus eſt iuxta Leodium) ad ægrotantem Principem, benignè ab eo ſuſcepti ſunt. Qui ipſum conſolātes, tandem nacto opportuno tempore & congruo, cauſam pro qua venerant, ei deuotè & ſalubriter exponentes, & de illicito matrimonio admonentes, ſtatim cum indignatione repulſam paſſi ſunt. Alpaïs quoque legationem ſanctorum Pontificum ſciſcitans & comperiens, irata valdè, Pontifices abire celeriter præcepit; & ipſa interpel-

Pipinus Maior domus Regni Francorum per annos 27.

Nota: dolebat ſuper morte Lamberti.

Nihilominùs filium ex pellice ſcribit heredem.

terpellans importunè pro Carolo filio suo, impetrauit cuncta quæ petierat: Pipinus verò eodem anno moriens, eumdem Carolum suorũ Principatuum reliquit heredem. Sic ibi. Quod pertinet ad res insigniores externas, Theophanes & Cedrenus referunt, pacem cum Saracenis dudum, vti ostendimus, pactam, leui causa magnoq; totius Orientis damno, anno Christi sexcentesimo nonagesimo ab Imperatore Iustiniano iuniore esse ruptam, quòd scilicet pecunia ab illis tributi loco pendi solita, haud ex more cusa esset ipsius Imperatoris imagine; quin neq; oblatum ab ipsis in massa aurum accipere voluit: expertusq; tunc planè est Oriens quod Ecclesiastes habet, Væ terræ, cuius Rex puer est: ipseque Imperator quadriennio pòst omnibus inuisus factus tam ob sæuitiam erga subditos, ac præcipuè ciues Constantinopolitanos, quàm ob contemptum rerum sacrarum Imperio deiectus est. Etenim cùm iussisset quibusdam suis Ducibus, vti noctu multos ex populo trucidarent, & sub idem tempus Leontius, Præfectus olim Orientis, è carcere, in quo per calumniam triennio detentus fuerat, Imperatoris iussu eductus esset, vt Græciæ præficeretur, ille amicorum hortatu seditionem in eumdem Imperatorem Iustinianum mouens, à populo Imperator acclamatus est; ipse verò Iustinianus captus, præcisis naribus Chersonam in exilium relegatus est. Denique anno Christi sexcentesimo nonagesimo sexto Saraceni siue Arabes Mahometistæ Africam inuaserunt. Expulsi sunt quidem primùm à Ioanne Patricio illuc à Leontio misso, sed mox cum maiori classe redeuntes Ioannem inde pepulerunt. Et ex eo tempore Saraceni Africam sæpiùs priùs tentatam deprædatamque deinceps possederunt, cùm ea non solùm hæreticis Manichæis atque Donatistis refertissima esset, sed etiam moribus corruptissima, adeò vt ipsi etiam Episcopi (ait Sexta Synodus c. 12.) vxoribus commiscerentur. Ex quibus quanta essent alia mala, facilè possumus cogitare: quorum causa quemadmodum olim Deus ad eos puniendos immiserat Wandalos, sic modò eosdem tradidit penitus perdendos Saracenis. Acciditque tunc Afris, & paulatim toti Orienti, quod Christus Iudæis fuerat comminatus: Auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Etenim sub id temporis in Occidente ita Euangelij fructus prolati sunt, vt inter cetera Euangelij admiranda, anno Christi septingentesimo quarto Edilredus in Anglia Merciorum Rex, postquam regnasset annos triginta vnum, Beda attestante, Monasticam vitam spontè complexus, Coënredo Regnum reliquerit. Quin & ipse Coënredus, vita licet innocens ac moribus sincerus, tamen pro consequenda (inquit idem Auctor ante annos nongentos) delictorum suorum pleniori indulgentia, anno sui Regni sexto abdicans se, Romam peregrinatus est ad sancta

Externa.
690
Oriens turbatur inep̃tiâ Iustiniani II. Imp.
Eccl. 10.
Idem Imp. præcisis naribus, in exilium relegatur.
696
Scelus reputatur Episcopos vxoribus commisceri.
704
Rex Anglus pro peccatorum indulgentia Romam peregrinatur.

 limina

limina Apostolorum. Porrò huius Coënredi temporibus quoque accidisse ponit Beda, vt nobilis quidam, cùm à Rege sedulò admoneretur, vt confiteretur & emendaret scelera sua, priusquam subito mortis superuentu tempus omne pœnitendi & emendandi perderet; ille verò verba salutis spernens, semper in tempus sequens pœnitentiam remitteret; demum in grauem infirmitatem incidens, rursus à Rege admonitus, vt vel tunc confiteretur, respondit, non se tunc velle id agere, sed cùm ab infirmitate resurgeret, ne fortè exprobrarent sodales, quòd timore mortis faceret ea quæ sospes noluerat. Sed miser paulò pòst, cùm & adhuc à duobus Angelis visitatus, nec sic ad pœnitentiam moueretur; tandem superueniente malignorum spirituum caterua circumdatus, in desperationem incidens, aduenienti denuò Regi rem significauit, moxque desperans decessit è vita. Ex quo discant homines, tam nobiles quàm plebeij, pœnitentiam non procrastinare.

Insigne exemplum nō procrastinandæ pœnitentiæ.

CAROLVS MARTELLVS

FILIVS PRÆCEDENTIS,

V. BRABANTIÆ PRINCEPS.

Præfuit annis viginti septem.

714 *De Principatu crudeliter certatur.*



OST mortem Pipini Herstalli de Principatu crudeliter certatum est. Etenim anno septingentesimo decimo quarto, quo Pipinus, vti ostendimus, obiit, Plictrudis relicta Pipini Carolum priuignum suum (sic loquitur Sigebertus) captum in Colonia vrbe custodiæ mancipat, & cum nepote suo Theodoaldo (de quo suprà ad annum 713.) Maiore domus principatum Regni vsurpat. Et subdit idem Auctor ad annum sequentem: Franci contra Theodoaldum damnoso vtrimque bello confligunt, eoque victo, Raginfredum Maiorem domus, & Chilpericum Regem statuunt. Carolus de custodia nouercæ mirabiliter eripitur, moxque Principatum suum de manu Raginfredi extorquere nititur, primoque Radbodum Ducem Fresonum Raginfredi auxiliarem aggressus, multum exercitus damnum consequitur. Ita Sigebertus. Annales Pithœani ad eumdem annum posteriora paulò distinctiùs narrant hisce verbis: Post mortem Pipini Plectrudis

Caroli Martelli prima infelix pugna.



CAROLVS MARTELLVS V. BRAB. PRINC.

ctrudis eius vidua, incomparabili odio contra Carolum ſuccenſa, cuſto-
dia eum publica obſeruari iubet. Vnde ille liberatus, primo certamine
contra Radbodum Regem Friſonum, qui Coloniam vſque venerat,
menſe Martio pugnans, dum fortiter dimicat, magnum exercitus ſui
716 damnum conſequitur. Exinde verò anno ſeptingenteſimo decimo ſexto
Raginfridus Maior domus & Chilpericus Rex cum exercitu fines Co-
lonienſium & regiones Rheno contiguas vaſtans, acceptis à Plectrude
muneribus reuertuntur. Sed anno ſequenti iidem Raginfridus & Chil-
Hinc Pariſios vſque hoſtes profligat.
pericus Rex in Vinciaco die Dominica ante Paſcha cum Carolo pu-
gnantes terga verterunt, quos Carolus fugientes cædendo perſequitur
vſque Pariſios. Sic Pithœana. Sigebertus narrat hanc pugnam vno an-
no ſeriùs, exprimitque pugnam commiſſam apud Vinciacum in pago
Cameracenſi, & Dominica ante Paſcha, quod erat tertio Kalend. Apri-
718 lis. Porrò anno ſeptingenteſimo decimooctauo Carolus victor rediens,
Coloniam venit, receptiſque à Plectrude theſauris patris ſui, Regem
Item ſecundò eoſdem vincit.
ſibi conſtituit Lotharium. Chilpericus verò & Raginfredus auxilio Eu-
donis Ducis Aquitanorum, inſtaurata rurſus acie, ſuperati fugantur à
Carolo. Ita Annales veteres à Pithœo editi. Et eodem anno (teſte Sige-
berto, ſimulque Actis ſancti Vulfranni Epiſcopi) Radbodus ſeu Rab-
baudus Friſonum Dux prædicatione Vulfranni Epiſcopi ad hoc addu-
ctus, vt baptizari deberet, cùm vnum pedem in lauacrum intuliſſet,
alterum pedem retardans, interrogauit, vbinam plures ſuorum maio-
rum eſſent, in inferno an in Paradiſo? Vbi cùm audiiſſet plures eſſe in
inferno, Chriſto dicente, Qui autem non crediderit, iam condemnatus
Radbodus Friſonum Dux irriſor Baptiſmi malè perit.
eſt, intinctum pedem extrahens, Satius eſt, inquit, vti plures quàm
pauciores ſequar. Et ita ludificatus à dæmone, qui promiſerat, quòd
tertia inde die ei incomparabilia bona daret, ipſa die ſubita morte periit.
Anno verò ſequenti Carolus Dux ad Eudonem mittit, & Chilpericum,
qui ad eum confugerat, per Legatos recipit, quo tempore Rex Lotha-
720 rius mortuus eſt. Anno quoque proximo (qui fuit Chriſti ſeptingenteſi-
mus vigeſimus) mortuo Chilperico Carolus Theodoricum in ſede Re-
Carolus vſque Andegauos victor peruadit.
gni conſtituit. Sic Annales illi veteres à Pithœo editi. Porrò anno 721.
Carolus Raginfredum perſequens, Andegauis vrbe capit; poſteà Saxo-
nes vaſtando, victor redit. Nec tamen neglexit intereà quæ Dei ſunt,
quod teſtatur Diploma apud Hedam his inter cetera verbis: Ego Dei «
nomine illuſter vir Carolus Maior domus, filius Pipini quondam, cogi- «
tans caſum humanæ fragilitatis, qualiter peccata poſſum abluere, & do- «
Donatio eius facta ſanctiſſimo Willibrordo.
nante Deo ad æterna gaudia peruenire: idcircò donamus à die præſen- «
ti per hanc paginam, hoc eſt ad Monaſterium quod eſt infra muros in «
Traiecto caſtro conſtructum, vbi & Apoſtolicus vir D. & in Chriſto «
pater

„pater noster Willibrordus Archiepiscopus sub sanctæ conuersationis
„Cœnobitali ordine custos præesse videtur, omnem rem in Fisci ditioni-
„bus, quidquid in ipso Traiecto castro, tam infra muros quàm à foris,
„cum omnibus adiacentiis vel appēditiis; & similiter villam vel castrum
„nuncupatum Fethna, situm in Insterlaco, cum omni iure & soliditate
„sua, omnes adiacentias vel appenditias tam ad ipsam villam Fethnam
„castrum, vel etiam ad iam dictum Traiectum castrum; quidquid dici
„vel nominari potest, hoc est vnà cum mansis, terris, casis, domibus, man-
„cipiis, pascuis, siluis, aquis, aquarumque decursibus; greges cum pa-
„storibus vtriusque generis, sexus, mobilibus & immobilibus. Et quid-
„quid exinde Patres iam dicti Monasterij vel Rectores pro eorum oppor-
„tunitate facere decreuerunt, liberam & firmissimam in omnibus ha-
„beant potestatem. Actum Herstallio villa publica in ipso die Kalēd. Ia-
„nuarij, anno secundo regnante glorioso domino Theodorico Rege. Si-
„gnum illustris viri Caroli Maioris domus, Signum Carolomanni filij
„eius, Signum Garinonis, Signum Odonis, Signum Baldrici, Abbonis,
„Engilbaldi, &c. Ita ibi apud Hedam sine vllis titulis. Nihilominùs in alio
Diplomate apud eumdem hoc modo subscribitur: Signum Caroli in-
lustris viri, Signum Saleconis Comitis, Signum Folcarij Comitis, & ita
in aliis. Porrò post hæc anno Christi 722. idem Carolus Dux Alaman- *Alamanni & Baioarij à Carolo subacti.*
nos & Baioarios armis subigit, & biennio pòst, transito Ligere, Eudo-
nem Aquitanorum Ducem fugat, vastata & incensa regione eius. Vnde
factum est, vt anno post Christum natum septingentesimo vigesimo 725
quinto Saraceni, qui Hispaniarum magnam tunc partem tenebant, ab
Eudone in auxilium vocati, cum Rege suo Abdirama ad Garomnam,
Burdigalamque venirent, cunctaque loca vastarent, (verba sunt vete-
rum illorum Annalium) & Ecclesias igne cremarent, Basilicam quoque *Saraceni Gallias vastant.*
sancti Hilarij Pictauis incenderent. Sed his anno sequenti Carolus cum
manu valida occurrens, & auxilio Dei fretus, Regem eorum cum infi-
nita multitudine prostrauit, deuictisque hostibus cum triumpho re-
greditur. Ita Annales illi à Pithœo editi. Sigebertus, etsi vno anno se-
riùs quàm oporteat, pleniùs tamen in hunc modum narrat: Eudo, in-
quit, Dux Carolo inferior per omnia, Saracenos contra eum inuitat ex
Hispania, qui cum omnibus familiis suis, quasi in Galliis habitaturi
Garumnam transeunt, omnia deuastant, Ecclesias Dei cremant. Qui-
bus Carolus Dei auxilio fretus bello concurrit, & ex eis trecenta octo- *Cadit Carolus Saracenos ad trecenta & ampliùs millia.*
ginta millia cum Rege suo Abdirama peremit, & mille quingentos tan-
tùm suorum amisit. Eudo quoque Carolo reconciliatus, castra Sarace-
norum irrupit, & reliquias eorum contriuit. Hæc Sigebertus; & adsti-
pulantur Paulus Diaconus, Anastasius Bibliothecarius, & alij; tantùm
 quòd

quòd non nisi trecenta quinquaginta millia cæsa quidam volunt: sed
727 exigua discrepantia est in tanto numero. Exinde verò anno 727. Carolus Burgundiam petens, Lugdunum & ciuitates reliquas suæ ditioni subegit; & anno sequenti Eudo Dux moritur, & Carolus Aquitaniæ prouinciam absque bello recipit. Ita Annales Pithœani. Sed Sigebertus hoc modo: Carolus in Wasconia cum Eudone pugnat, eumque Principatu & vita priuat. Ceterùm anno Christi septingentesimo vigesimo nono, testantibus iisdem Annalibus à Pithœo erutis, Carolus nauali euectione Regnum Frisonum ingreditur, interfectisque quamplurimis, Popponem Ducem eorum interimit, subuersisque lucis & fanis, victor

Lugdunum & vicina loca sibi subijcit.

731 cum præda magna reuertitur. Hinc verò biennio pòst, anno scilicet septingentesimo trigesimo primo, assumptis armis, vrbem Auennionem in extrema Gallia, obsidione vallat, instructisque machinis capiens, magnam Saracenorum stragem edit. Anno quoque proximo Gothorum fines penetrans, Narbonem obsidet, Rege Saracenorum Athirua intus incluso. Quod audientes Saraceni, de Hispania anno sequenti armati superueniunt: contra quos Carolus dimicans, Regem cum populo vsque

Item victoria eius alia plures.

738 ad internecionem deleuit. Inde anno Christi septingentesimo trigesimo octauo regionem Prouinciam ingressus, Maurorum Ducem, qui dudum Saracenos per dolum inuitauerat, fugere compulit. Ita Pithœani Annales. Sigebertus etiam hoc ipso anno sic pleniùs: Arelate vrbe Galliarum capta à Saracenis, & omnibus circumquaque demolitis, Carolus adscito sibi ad auxilium Luitprando Rege Longobardorum, eis occurrit, eosque terrore nominis sui in fugam vertit. Et adstipulatur quoque Regino Chronologus qui ante annos septingentos claruit, eademque totidem pænè verbis commemorat. Demum Dux Carolus anno
741 Christi nati 741. Ducatus sui vigesimo septimo (sic loquuntur veteres Annales) moritur, & apud sanctum Dionysium sepelitur; cuius filij Carlmannus & Pipinus sub obtentu Maior-domatus totius Franciæ Regnum suscipiunt, & inter se diuidunt. Sic ferè Annales & Historici omnes. In Iure Canonico 16. quæst. prima & alibi traditur de Caroli huius æterna damnatione reuelata, & corpore in sepulchro non reperto: sed incertę fidei ista existimo cum Baronio, qui sic de eo concludit: Quin ipse sanctus Bonifacius, qui asseritur inspector fuisse sepulchri, in Epistola ad Elibaldum durum Anglorum Regem, quem nitebatur ad pœnitentiam excitare, non nisi ista habet: Carolus quoque Princeps Francorum multorum Monasteriorum euersor, & Ecclesiasticarum pecuniarum in vsus proprios commutator, longa torsione, & verenda morte consumptus est. Vt sperandum sit, ait Baronius, haud absque pœnitentia & confessione ex hac vita migrasse. Sepultus est inter Reges Franciæ

Moritur Martellus anno Ducatus 27.

An verum sit quod habetur de hoc Carolo in Iure Canonico 16. quæst. 1.

Sperat de eo Baronius meliora.

in

in æde ſancti Dionyſij iuxta Pariſios. Sepulchro additum eſt, inquit Molanus cap. 10. Militiæ ſacræ Ducum Brabantiæ, hoc Epitaphium:

Jſte Brabantinus Dux primus in orbe triumphans,
Malleus in mundo ſpecialis Chriſticolarum,
Dux Dominuſque Ducum, Regum quoque Rex fore ſpernit.
Non vult regnare, ſed Regibus imperat ipſe.

Creditur Leodium ab eo S. Huberto & ſucceſſoribus traditum.

Conſtans traditio eſt, Carolum hunc Legiam (nunc Leodium) donaſſe ſanctiſſimo Huberto & ſucceſſoribus eius Leodiẽſibus Epiſcopis. Interpretor cum Molano noſtro, in expiationem fœdæ necis S. Lamberti: de qua ſuprà ad annum 698. Sed doleo in laborioſis alioqui R. D. Chappiauillij Rerum Leodienſium tribus Tomis, recèns editis, nihil hac de re certius erutum. Huius Principis tempore S. Hubertus in Taxandria & Brachbanto fidem Chriſti mirabiliter ampliauit; de quo ſic in eius Vita à coæuo grauiſſimè conſcripta: Inſtabat iuxta Apoſtoli mandatum prædicans opportunè, importunè, atque adeò tanta eum gratia verbi, virtus Spiritus ſancti donauerat, vt non modò è vicinis, verùm etiam è longinquis locis ad eum populi concurrerent, idolorúmque cultum, nec non profanum eorum obſeruationis ritum cum auctoribus eorum reſpuerent, atque olim ſibi veneranda templa terræ coæquarent, pulueremque eorum veluti immunditiam, deteſtantes per diuerſa diſpergerent.

S Hubertus idololatriam ex Arduenna profligat.

Omnem namque Arduennam hiſce cultibus hactenus mancipatam in breui ſacrilega ſeruitute liberam famulitio Domini ſubiugauit. Et pergit ad noſtram Brabantiam: Si qui autem, faceſſente generali idolorum cultu ſupereſſent, qui more ſacrilego, aut pulueris eorum reuerentiam haberent, vel cetera huiuſmodi obſeruari debere vſu nefando putarent, hos ad ſe deductos triennij pœnitentia plectebat; ſicque præliator Domini ſtrenuè aduerſarias inſequendo ac proterendo virtutes,

Item ex Taxandria & Brachbanto.

imperium Domini in fines eorum longè latèque ampliauit, ita vt Taxandria & Brachbante, eorum detegendo inſidias, eos penitus annullaret, effigieſque idolorum populi Chriſti gratia illuminati confringerent, & penitus abdicarent. Et tandem felicem eius obitum commemorans: Et quidem iuxta quod vir Dei ſuper ſepulturæ ſuæ celebratione ore præſago actitandum fore diſpoſuerat, nos fideliſſimi ac deuotiſſimi eius famuli flebiliter executi ſumus (ſicut ſcilicet & triginta dierum ſpatio euoluto, corpus eius ad eumdem quoque adueximus locum) cùm interim rogatu quorumdam illuſtrium virorum Brachbantum vir ſanctus perrexit, Baſilicam nouo opere conſtructam Domino dedicaturus.

Conſecrat S Hubertus eccleſiam, fortè Hallis; certè in vicinie.

Vbi cùm omnia ritè peregiſſet, iamque ſermonem exhortationis etiam ab hora tertia vſque in horam ſextam protraxiſſet, die ad veſperam vergente nauem aſcendens, ab eodem loco ſecundo milliario ſecedit, ac

deinde

deinde equo conſcenſo, tandem domui propriæ inducitur, noctis transacta non minima parte. Nec multum effluxit temporis; & ecce tactus febre, adſtantibus pueris ſuis, (quos olim pro ſuis ſanctis meritis, dæmonum tartareis vocibus eiulantes, ab eorum incurſibus eripuerat atque ſaluauerat) nobiſque vnà cum eis, inter verba orationis efflauit ſpiritum Angelicis miſcendum cœtibus. Porrò corpus eius è loco obitus, qui vocatur Fura, transfertur Leodium (quæ loca à ſe differunt millibus triginta) per omnem reuerſionem piis ouibus lugubri concurſu certatim paſtorem ſuum celebrantibus. Hæc ibi: quæ prolixiùs recitauimus, tum ob tam inſignia antiquitatis Brabanticæ monumenta, tum quòd Fura caſtrum, quod eſt inter Louanium & Bruxellam, vocetur hîc proprium ſancti Huberti domicilium. Vnde vanum non eſt, ſuſpicari, illud caſtrum ſancto Huberto, antequam eſſet Epiſcopus, ab vxore Floriberta filia Beggæ (ſic eam deſcribunt quidam Annales, certè & in Vita eius iam citata nominatur Floribertus eius filius) in dotem fuiſſe allatum. Quidquid ſit, hîc liquet Furam fuiſſe proprium S. Huberti peculium.

Origo, ni fallor, morbi dicti vulgò, S. Huberti.

Fura castrum, propria S. Huberti domus; & vnde?

Externa insigniora.

717 In externis ſeu peregrinis inſigniora hæc ſunt: Anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo ſeptimo, res Hiſpanicas in deterius eſſe dilapſas. Siquidem duæ præcipuæ ciuitates hactenus integræ conſeruatæ, Legionenſis & Toletana, à Saracenis captæ; illa vi, hæc proditione Iudæorum miſerrimè exciſæ ſunt: reſidui verò Gothi in ardua montium Pyrenæorum, Aſturiorum & Gallæciæ, ſe receperunt; & Saraceni, vniuerſæ iam Hiſpaniæ imperitantes, Cordubam ſibi Regni ſedem elegerunt. Hæc ſummatim ex Tudenſi. Sed biennio pòſt, eodem Tudenſi teſte, Aſtures omnes in vnum collecti ſuper ſe Principem conſtituerunt Pelagium Regis Theodorici Spathatrium; quem in prægrandi ſpelunca, loci natura munita degentem, cùm Saraceni primùm per Oppam Archiepiſcopum Toletanum Witizæ Regis filium blandis verbis, poſteà aperto Marte per validiſſimum militum octoginta millium exercitum appetiiſſent, idem Pelagius viginti millia illorum cum Duce occidit, Oppam cepit, reliquos fugauit, qui ferè omnes in præruptis montium & aquarum inundationibus oppreſſi ſunt, ope & interceſſione ſanctiſſimæ Dei Genitricis: cuius ideò memoriæ ſpelunca illa dicata eſt, dictaque ſancta Maria de Couadouga. Sed ecce non multò pòſt, nempe anno ſeptimo Leo-

Toletum & Legio ciuitates Hiſpaniæ à Saracenis captæ.

Aſtures ſe ſtrenuè Saracenis obiiciunt nixi ſimul ope Deiparæ.

723 nis Iſaurici Imperatoris, teſte Theophane (eſt is annus Chriſti 723.) oritur in Oriente quoque tetra illa peſtis Iconoclaſtarum, his initiis. Erat hoc anno Dux quidam Iudæorum ex Laodicea maritimæ Phœnicis oriundus, nomine Serantapicus, homo præſtigiator ac maleficus. Promiſit is Gizido Saracenorum Principi, effecturum ſe, vt is triginta annos Principatum retineret, ſi omnes ſacras Imagines ab Eccleſiis Chriſtiano-

ſtianorũm, quæ ſub ditionẽ eius eſſent, auferri mandaret. Cui credens
Gizidus, ſpe & deſiderio longioris vitæ, Edictum continuò generale
promulgauit, quo omnes omnino imagines & picturæ, ſiue eæ in tabu-
lis, ſiue in opere muſaico, in parietibus ſiue in vaſis ſacris, aut indumen-
tis & altaribus eſſent, expungi & auferri iuſſit, omneſque inſuper ſta-
tuas, etiam quæ in foribus ornatus gratia collocantur, diſiecit, miſſis He-
bræis & Arabibus, qui eaſdem comburerent, ipſaſq; Eccleſias, alias qui-
dem calce, alias aliis coloribus dealbarent vel incruſtarent. Hæc de ori-
gine Iconoclaſtarum Theophanes, & adſtipulatur Damaſcenus grauiſ-
ſimus Scriptor eius ſęculi: vt conſtet quibus gloriari poſſint anteſignanis
hodierni Iconoclaſtæ. Sed & eadem ratione dementatus Imperator Leo
Iſauricus, quòd Iudæus quidam impoſtor ei Imperium prædixiſſet, non
multò pòſt, nempe anno Chriſti 726. & ipſe Edictum tale contra Imagi-
nes promulgauit, ac deinceps ſupra modum mira tyrãnide Orthodoxos
per multos annos vexauit, aliis dira morte mulctatis, proſcriptis aliis, di-
uerſi generis cruciatibus aliis afflictatis, ludibriiſq; popularibus expoſi-
tis, prętcr multitudinem haud mediocrem illorum, qui voluntario exilio
extorres facti, abdita montium & receſſus ſiluarum petiêre: quæ omnia
ex Auctoribus, qui horum temporum res geſtas conſcripſerunt, manife-
ſta habentur. Quin cùm impius Leo Imperator audiuiſſet ſanctũ Ioan-
nem Damaſcenum inſignes illas tres Orationes pro Imaginũ cultu, quæ
etiamnum extant, edidiſſe, vt in eum vlciſceretur (teſte Ioanne Patriarcha
Ieroſolymitano in Damaſceni Vita, & aliis) ad fraudem ſe conuertens,
per quoſdam ex ſuis egit, vt aliquam epiſtolam manu eiuſdem Ioannis 728
ſcriptam nanciſceretur; eaque Notariis quibuſdam ad imitandos chara-
cteres propoſita, aliam epiſtolam cõfinxit, tamquam ad ſe à Ioanne miſ-
ſam pro ſuſcipienda traditione ſeu proditione Regię Saracenorum ciui-
tatis Damaſcenæ in ipſius impij Leonis manus, eamq; ad Principem Sa-
racenorum Damaſcum, vbi Ioannes morabatur, tranſmiſit. Qua ſibi à
barbaro oſtenſa, Ioannes quidem literarum formas ſuis ſimiles eſſe con-
feſſus eſt, ſed quę in iis continerentur numquam cogitaſſe aſſeuerauit. At
magis credens barbarus Imperatori, dexteram Ioannis amputari iuſſit.
Qui domum ſe recipiens, in Oratorio ſuo ante Imaginem Dei Genitri-
cis prouolutus, magna fide exciſam manum priſtinæ ſuæ commiſſuræ
admouit, ac feruentibus orationibus à beata Virgine eius integram re-
ſtitutionem expetiit, quò poſſet illius miniſterio, Chriſti Domini, eiuſ-
demque ipſius Matris laudes ſcriptis celebrare. Nec mora, cùm obdor-
miuiſſet, viſione potitus S. Dei Genitricis, experrectus manum ſanatam
reperit, linea tantùm velut cicatrice relicta, qua locus amputationis de-
monſtraretur. Hæc Auctor ille fideliſſimus.

Iconomachi primi innoteſcunt Iudæi & Saraceni.

Item Leo Imp. perſuaſus à Iudæo in cultores Imaginum ſæuit.

Idem ementitus literis Ioanni Damaſceno propugnatori Imaginum dextram abſcindi curat.

Damaſceno oranti ante imaginem Deiparæ manus abſciſſa reſtituitur.

PIPI-

PIPINVS REX

FILIVS PRÆCEDENTIS,

VI. BRABANTIÆ PRINCEPS.

Præfuit annis viginti septem.



VOS reliquisse filios Carolum Martellum, Carlomannum & Pipinum, eosque paternos Principatus inter se, defuncto patre, diuisisse, superiùs indicauimus. Verùm qui fuerint limites partitionis, non satis apud Auctores explicatum inuenio. Plures Alemanniam & Austriam Carlomanno cessisse volunt: quod & ego eatenus probo, vt quæcumque respectu Belgarum & Gallorum vltra Mosam & Rhodanum sita sunt, Carlomanni fuerint; quæ verò citra eosdem fluuios, Pipini. nec tamen contendendum reor: nam post paucos, vti docebimus, annos omnia ad Pipinum deuoluta sunt, & bella etiam prima omnia ferè coniunctim gesserunt. Ipsorum ingressum Aimoïnus his verbis describit lib. 4. c.58. Carolus vita decedens tres filios heredes reliquit, Carlomannum scilicet, Pipinum, atque Grifonem. Quorum Grifo, qui ceteris maior natu erat, matrem habuit nomine Suanahildem, neptem Odilonis Baioariorum Ducis. Hæc illum maligno consilio ad spem totius Regni concitauit; in tantum, vt sine dilatione Laudunum ciuitatem occuparet, ac bellum fratribus indiceret. Qui celeriter exercitu collecto, Laudunum obsidentes, fratrem in deditionem accipiunt: atque inde ad Regnum ordinandum, ac prouincias quæ post mortem patris à Francorum societate desciuerant, recuperandas, animos intendunt, & vt in externa profecturi, domi omnia tuta dimitterent, Carlomannus Grifonem sumens fratrem, in nouo castello, quod iuxta Arduennam situm est, custodiri fecit. Hęc ille. Itaque anno septingentesimo quadragesimo secundo (verba sunt Annalium à Pithœo editorum) Carlomannus & Pipinus Hunaldum Aquitaniæ Ducem imperio suo resistentem, bello superatum, ad Wascones fugere compellunt: simul & Alamannos, Duce Theobaldo rebellare tentantes, mira celeritate comprimunt. Ita Annales illi, & consonant Sigebertus & Regino. Et eodem anno (teste Sigeberto) sanctus Bonifacius Germanorum Apostolus & Archiepiscopus Moguntinus insigne illud Cœnobium Fulden-

Limites partitionis inter filios Martelli.

Pipinus & Carlomãnus fratrem Grifonem superant.

742

Iidē Aquitanos & Alamannos rebellantes comprimunt.



PIPINVS III. REX FRANCIÆ, VI. BRAB. PRINC.

Fundatur à Carlomanno Cœnobium Fuldense. Fuldense liberalitate Carlomanni in Buchonia silua fundat. Deinde verò anno 743. Carlomannus Saxoniam petit, castrum Oscoburgh capit, & Theodoricum Saxonem pacis obsidem accipit: & eodem anno Odilo Dux Baioariæ, rapta sorore Pipini, contra eum rebellat; quem Pipinus pugna, quamuis damnosa, superat. Hæc Sigebertus. Regino Pruniensis sic: *Victoria cōtra Baioarios & Saxones.* Carolomannus & Pipinus cōtra Odilonem Ducem Baioariorum duxerunt exercitum, & inierunt pugnam, & victores effecti sunt. Porrò anno 745. Carlomannus & Pipinus simul perfidiam Saxonum, vastata eorum regione, vlciscuntur, & castrum Ohsburgh capiunt. Sic Pithœana. Addit Regino: Et rursus captus est supradictus
747 Theodoricus. Sed ecce anno septingentesimo quadragesimo septimo Carlomannus, relicta quam tenebat potestate, Romam vadit, ibique mutato habitu, religiosè victurus in Cassinum ad sanctum Benedictum secedit, & Monachus efficitur. Sic Annales à Pithœo eruti, & Marianus quoque hoc ipso anno. Sed Regino ad annum præcedentem hoc *Carlomannus relicto Principatu fit Monachus.* modo distinctiùs commemorat: Carolomannus Romam perrexit, ibique se totondit, & in Soracte monte Monasterium ædificauit: ibique aliquod tempus moram faciens, exinde fauorem laudis humanæ timens, vno fido socio assumpto, cum eo noctu omnibus insciis aufugit, & ad Cassinum montem vsque peruenit, diu ibi ignotus latitans. Memorabile est quod de eo narrat Leo Ostiensis in Historia Cassinensi in hæc verba: Accidit, inquit, vt Carolomannus Hebdomadarius ad coquinæ officium deputaretur: cumque in multis ignoranter offenderet, coquus *Carlomanni stupenda mãsuetudo & pietas.* ira exæstuans ter ei alapam dedit. Quod ille placido vultu pertulit. Sed ab indiuiduo comite indignante, dignitas eius prodita est, & deinceps cum magna reuerentia est obseruatus. Addit Volaterranus lib. .eum in Cassino iussum quoque greges loci pauisse. Atqui verò anno septingen-
748 tesimo quadragesimo octauo Grypho frater Carlomanni & Pipini potestatem quamdam affectans, ad Saxones se contulit. Et quidem Pipino per Thúringiam ingresso Saxoniam, super fluuium Obacra, in loco qui dicitur Horoheim, Saxones occurrunt, Gryphonem cum eo pacificare cupiētes. Sed Grypho nec Saxonibus nec Francis secredens in Baioariam fugit. Sic Annales editi à Pithœo. Anno verò sequenti Pipinus in Baioariam pergens, Thassilonem nepotem suū natum ex Hiltrude sorore sua, Ducem ibi constituit, Gryphone & Lanfrido inde eductis, deditque *Pipinus fratrē Gryphonem frustrà placare nititur.* Gryphoni in partibus Neustriæ XII. Comitatus. Sed ille nec ibi securum se esse ratus, ad Waifarium Ducem Aquitaniæ secessit. Hæc Annales illi, ita distinctis annis. Sigebertus & Regino vtraque adscribunt anno præcedenti. Denique anno post Christum natum quinquagesimo
750 supra septingentesimum, secundùm morem Francorum (verba sunt Reginonis)

ginonis) electus est in Regem, & vnctus per manum sanctæ memoriæ
Bonifacij Moguntiacensis vrbis Archiepiscopi, eleuatusque à Francis in
Regno in Suessionis ciuitate. Hildericus verò, qui falsò (nempe nomine,
non re aut merito) Rex vocabatur, attonsus est, & in Monasterium mis-
sus. Sic Regino. Sigebertus exprimit id factum auctoritate Aposto-
lica, & Francorum electione. Itaque paulò pòst anno 753. Stephanus 753
Papa auxilium contra Haistulphum Regem Longobardorum petens,
ad Pipinum in Franciam venit, à quo honorificè exceptus, apud Pari-
sios duos filios eius Carlomannum & Carlum vnxit in Reges. Ita An-
nales Pithœani. Eodem anno signatum habetur, referente Grammaio,
Diploma, quo dictus Pipinus Rex donat Adoni affini suo terram in
Bratuspantij medio, vbi Scalda * Tylam excipit, dictam Francis Massli-
nas. De quo Adone & quanta pietate is sanctum Rumoldum exceperit,
ista leguntur in Actis eiusdem sancti viri: Diuinitatis (ait Auctor) se
committens consilio beatus Rumoldus, compendiosa peregrinatione
Româ reuersus, Galliasque ingressus, in eas Occidentalium partes se de-
ponit, vbi Scaldis fluuius æstum maris in Ruperam vsque remittit. Lo-
cum incolæ Machliniam dicunt, propter maris Malinam & Ledonam,
quæ certis temporibus cum corniculantis lunæ consonantia, nunc ac-
cessum nunc recessum faciunt, nec vltrà quàm ad huius loci fretum vel
damna, vel lucra sua commutant. Nobilium ibi quidam * Odo nomine
Comitatum gerebat, cum æquè moribus & genere nobili coniuge. Qui
solita religione virum mox visum hospitio inducunt, atque ad comma-
nendum postulant & impetrant. Felices ambo tali hospite, ad cuius sci-
licet ingressum diuina iocundati sunt benedictione. Iuxta tempus &
diem à Sancto prędictum, de priùs sterili filius nascitur; exceptus homi-
ni Dei præsentatur: qui susceptum Baptismate abluit, & Libertus no-
men imponit. Hæc & plura ibi, de eodem Liberto à sancto Rumoldo
post submersionem à morte suscitato, & ibidem gregi Dominico præfe-
cto, ac tandem vtroque martyrij laurea coronato. Sed ad superiora re-
deamus. Anno 754. Carlomannus (iam Monachus, vti ostendimus) fra- 754
ter Pipini, cum consilio Haistulfi Regis Longobardorum in Franciam
veniens ad persuadendum fratri, ne exercitum in Italiam duceret, non
post multos dies Luduni vita decessit. Et nihilominùs Pipinus Italiam
ingressus, Haistulfum superatum, & Papiæ inclusum, obsides dare, &
res sancti Petri reddere sacramento constringit. Et Stephanus Papa du-
ce Hieronymo fratre Pipini Romam reuertitur. Sed anno sequenti
Haistulfus sacramenta mentitus, collecto exercitu, Romam impu-
gnando circumdat, omnia extra vrbem ferro & igne vastans: cuius rei
nuntium Pontifex marino itinere missis Legatis Pipino insinuans, de- 755

Eligitur & vngitur Rex Francorum primus sua stirpis.

* Dylam

S. Rumoldus appellit Mechliniã.

* aliàs Ado

Idem & sterili filium impetrat; & submersum ad vitam reuocat.

Pipinus Regem Longobardorum res sancti Petri reddere sacramento constringit.

 precatur

precatur & obtestatur, ne inceptum opus, quod S. Petro promiserat, imperfectum relinquat. Itaque iterùm Pipinus Italiam ingressus Haistulfum Papiæ inclusum obsidet, Rauennam cum Pentapoli reddere compellit, & per Folradum missum suum S. Petro Apostolo & Stephano Papæ tradit. Sic dicti Annales Pithœani. Et eodem anno S. Bonifacius, consecrator Pipini, præscius martyrij sui scribit dicto Fulrado Capellano Pipini in hæc verba plena ædificationis: Bonifacius gratia Christi Episcopus, charissimo consacerdoti Fulrado presbytero. Deprecor vt meo verbo gloriosum & amabilem Regem nostrum Pipinum salutes, & vt illi referas, quid mihi & amicis meis similiter esse videtur, quòd vitam istam temporalem citò debeam finire. Propterea deprecor magnitudinem Regis nostri pro nomine Christi Filij Dei, vt mihi nunc viuenti indicare & mandare dignetur, circa discipulos meos, qualem mercedem nostram de illis facere voluerit. Sunt enim penes omnes peregrini, quidam Presbyteri per multa loca, quidam Monachi per cellulas nostras, & infantes ad legendas literas ordinati: sunt etiam aliqui seniores, qui longo tempore mecum viuentes laborauere, & me adiuuabant. De his omnibus sollicitus sum, vt post obitum meum non disperdantur. Et propterea hoc fieri maximè peto, quia Presbyteri mei prope Marcam Paganorum pauperculam vitam habent; panem acquirere ad manducandum possunt, sed vestimenta ibi inuenire non possunt, nisi aliunde consilium & adiutorium habeant. Et si pietas Christi hoc vobis inspirauerit, per hos missos meos præsentes aut per literas pietatis vestræ hoc mihi mandare non dedignemini, vt eò lætior in mercede vestra vel viuam vel moriar. Extat epistola apud Baroniū, digna quæ legatur. Et non multò pòst sanctus Bonifacius cum sociis aliquot cęsus est à Frisonibus, qui nuper baptizati, & præstituto die ad sacram Confirmationem accipiendam (sic loquitur Auctor antiquus eius Vitę) ab eo expectati, agente dæmone, in lictores conuersi erant. Porrò anno septingentesimo quinquagesimo sexto Thassilo Dux Boioariorum auunculo suo Pipino reconciliatur. Sic Sigebertus. Regino Prumiensis Chronologus paulò plenius: Rex Pipinus palatium suum tenuit in Compendio, ibi Thassilo venit Dux Baioariorum, & per sacramenta multa iurauit Pipino & filiis eius. Et anno sequenti Pipinus in Saxoniam iter fecit, & in munitiones Saxonum per virtutem introiuit, & in loco qui dicitur Sitina multæ strages factæ sunt de populo Saxonum. Et tunc promiserunt se omnem voluntatem Regis facturos, tributum etiam præstandum, equos scilicet trecentos per singulos annos. Ista Regino. Annales Pithœani & Fuldenses huic anno ista adscribunt: Constantinus Imp. Pipino Regi inter cetera munera etiam organum mittit. Et nihil additur præterea. Et totidem

Iterùm cōtra eumdem in Italiam venit.

Epistola aurea sancti Bonifacij ad Capellanum Pipini.

O paupertatem!

S. Bonifacij & sociorum martyrium.

756

Thassilo Dux Baioariorum reconciliatur auunculo suo Pipino.

Saxones annuum tributum trecentorum equorum promittunt.

dem ferè verbis idem commemorat Regino ad annum præcedentem; quę idcircò studiosè hîc insero, vt constet, hoc saltem tempore vsum organorum apud Occidentales innotuisse: nam quòd dicitur Vitalianus Papa ante annos ferè centum priùs eorum vsum induxisse, non satis certum est. At verò anno deinde septingentesimo sexagesimo, eodem Reginone testante, Pipinus Rex cernens Waifarium Aquitaniæ Ducem minimè consentire, vt iustitias faceret Ecclesiis, quæ erant in Francia, de rebus & possessionibus illarum, quæ in suo Ducatu erant; iniit consilium, vt pergeret in Aquitaniam, & peruenit vsque ad locum, qui dicitur Theodad. Quod cùm cognouisset Waifarius, timore perterritus dedit obsides ad Algarium suum propinquum, & mandauit Pipino, se redditurum quidquid supradictus Rex quærebat in causis Ecclesiasticis. Sed ecce (pergit idem Regino ad annum sequentem) cùm Pipinus Rex Synodum teneret in villa quę dicitur Duria, nuntiatum est ei, quòd Waifarius vsque Cabilonem omnia vastasset; & protinus exercitum mouit, & Aquitaniam ingressus multa castella cepit, scilicet Burdellum, Clarum-montem, Cantellam & Auernen, & peruenit vsque ad Leonicas, vastando omnia. Sic Regino. Annales Pithœani hoc modo, licet vno anno tardiùs: Pipinus cum Carlo filio Burbonem, Canitelam, Clarmontem, aliasque ciuitates & castella pugnando cepit, aliisque quàm plurimis eius dominationi subiectis, etiam Bituricam expugnat. Anno verò 763. Thassilo nepos Pipini de exercitu Regis se subducēs, ad Baioarios secessit. Quare anno proximo Rex Pipinus habuit placitum suum in Wormatia (verba sunt Reginonis) & causam diligenter pertractauit inter Waifarium & Thassilonem. Et similiter anno 765. placitum habuit apud Attiniacum, & eodem anno sicut superiori nusquam profectus est. Celebrauit autem Natalem Domini in Aquis-villa, & Pascha similiter. Anno verò septingentesimo sexagesimo sexto perrexit iterùm Rex Pipinus in Aquitaniam, & placitum suum habuit in Aurelianis ciuitate, & restaurauit Argentinium castrum, quod anteà à Waifario fuerat destructum, ibique Francos dimisit ad continendam Aquitaniam; similiter & in Biturigis fecit. Et celebrauit Rex Natalem Domini in Salmoniaco, & Pascha in Gentiliaco. Dehinc verò anno proximo Rex in supradicta villa Synodum magnam habuit inter Romanos & Græcos de sancta Trinitate & Sanctorum imaginibus: de quo argumento posteà pleniùs in Carolo Magno, Pipini huius filio, ad annum septingentesimum nonagesimum quartum. Ceterùm, post hæc Aquitaniam ingressus Pipinus per Narbonam, cepit Tolosam & Ganaldanem, & celebrauit Pascha in ciuitate Vienna. Et eodem anno mense Augusto iterùm Aquitaniam ingressus, vsque Biturigas venit, ibique Synodum

Organum missum Pipino Constantinopoli.

760

Vlturus iniurias Ecclesiarum, Aquitaniam ingreditur.

Inter alias ciuitates etiam Bituricam expugnat.

763

765

Iterùm ingreditur Aquitaniam.

767

Capit Tolosam & alia loca.

 tenuit;

tenuit; & inde profectus vsque ad Garomnam venit, multas rupes & speluncas cepit, nec non castra Scoraliani, Forunam, & Petrociam, & reuersus est Biturigas, vbi nuntiatum est ei de obitu Pauli Papæ. Ibi etiam celebrauit Natalem Domini. Denique anno septingentesimo
768 sexagesimo octauo (pergit idem Regino, quem hîc ceteris exactiorem inuenio) Rex Pipinus iter faciens Rhemistagnum cepit, ad Santonas ciuitatem vsque peruenit, & ibi cepit matrem Waifarij & sororem eius & neptes eius. Atque inde perrexit in locum qui dicitur Montes: ibi Heriduicus venit ad eum, qui habebat aliam sororem Waifarij, & inde reuersus Pascha celebrauit in castro quod dicitur Sles. Post hæc verò assumens secum Bertradam Reginam ad Santones ciuitatem peruenit, ibique Reginam cum famulis dimisit, & Petragoricum perrexit. Et interempto Waifario (à suis interemptum dicit Sigebertus in gratiam Pipini) cum triumpho victoriç ad Santones reuersus est, ibique moram faciens post aliquot dies ægrotare cœpit. Et inde profectus Turones venit; ad Oratorium ad sanctum Martinum perrexit: inde egressus Parisios ad S. Dionysium vix peruenit, ibique diem clausit extremum, 8. Idus Augusti. Hæc Regino, additque de filiis eius Carolo & Carlomanno mox 7. Idus Octobris eleuatis in Regnum. Sed nos de iis mox suo loco. Claruit sub hoc Pipino Rege in Brabantia vir illustris simul & pietate & bellicis rebus, Gummarus, de quo inter cetera hæc leguntur in Actis eius grauiter conscriptis: Diuus Gummarus præclara stirpe ortus apud Emblehem Riensis prouinciæ vicum natus est & enutritus. Qui cùm bonorum operum flores emitteret, ad aulam Regis perductus est à parentibus suis. Pipinus eo tempore Regni habenas moderabatur. Et ab illo quidem Gummarus susceptus est, sed mallet vtique Deo seruire. Nec multum temporis defluxit, & magna præfectura honoratus est. Libet recitare rem magnæ pietatis plenam. Non vlla incitante libidine, sed cogente Rege, vxorem duxerat Guuimariam nomine, longè à suis moribus discrepantem; nam quantum ille humanitate, tantum illa crudelitate redundabat. Cùm ergo iussu Regis ad expeditionem se pararet vir sanctus, domus suæ totiusque familiæ curam ei reliquit, admonens vt erga subiectos multa vteretur mansuetudine; & sic profectus est. Sed illa quadam beluina feritate post eius abscessum cœpit sæuire in suos, falsò illis quasdam affingens culpas. Atque sub hoc prætextu auferebat eis boues eorum, & omnem possessiunculam. Cumque nihilominùs absq; vlla clementia exigeret tantumdem ab illis quantum anteà consueuerat, illi bobus spoliati, instar iumentorum colla iugo supponentes, ipsi trahebant plaustra onusta vsque ad domum illius gementes atque dolentes. Sed vide è contra viri sancti pietatem. Annis* nouem exactis, cùm

Tertia eius expeditio in Waifariũ Aquitanum.

Triumphans de Waifario venit Parisios, & paulò pòst moritur.

Hoc tempore claret apud Brabantos sanctus Gummarus vir illustris.

En quàm dispar coniugium!

*al. septem

cùm dimiſſus à militia rediret exercitus, ſanctus quoque Gummarus remeauit ad ſua. Domum intranti occurrit tota familia; eiulant & clamitant omnes, ſe grauiter cæſos, iniuſtè ſpoliatos, modis omnibus miſerabiliter vexatos. Quod ille videns, animo conturbatus eſt, & verſus ad vxorem, Conturbet te Deus, inquit, ſicut alios perturbaſti. Oportet certè bonum operari ad omnes, maximè ad domeſticos fidei; ſiue enim ſeruus, ſiue liber, omnes in Chriſto vnum ſumus. Eademque hora iuſſit pecus omne è paſtu reduci, & ſingulis quod ſuum erat reſtitui. Hic cùm ad limina Apoſtolorum tenderet, arborem ad vſum tentorij ſucciſam, importunè cum eo expoſtulante arboris domino, ſuis precibus integram reſtituit, ac dehinc diuina admonitione intra Nethæ ambitum iubetur Oratorium conſtruere, vbi vitam in multa ſanctitate finiuit. In meſſe ſiti deficientibus, baculo terram fodit, & erupit fons largiſſimæ aquæ, qui adhuc viſitur in Emblem, aliiſque multis miraculis claruit in vita & poſt mortem. Locus quietis nunc Lira dicitur, olim Niueſdunt & Ledo. Hoc temporum interuallo anno ſexto Conſtantini Copronymi impij Imperatoris Iconomachi (eſt is annus Chriſti 746.) à die quarta Auguſti vſque ad Octobris Kalendas, in Oriente factæ ſunt tenebræ * denſæ, quas ſecuti ſunt terræmotus prodigioſi in Palæſtina ac tota Syria; & peſtis ingens, Bubonis dicta, è Calabria & Sicilia orta; quæ Conſtantinopolim adueniens ita eam per tres annos depaſta eſt, vt pænè deſertam reddiderit: & cùm repleta cadaueribus fuiſſent omnia monumenta, lacus, vineæ, horti; vix ſupererat locus, vbi mortui ſepelirentur: ea verò peſte qui moriebantur, primò in ipſorum veſtimentis cruciculæ inuiſibiliter imprimebantur, moxque lue tacti vitam finiebant; cùm & inſuper quamplurimi multis ſpectris miſerabiliter vexarentur, vt apertè cerneretur, has à Deo clades immiſſas eſſe, vt homines à peccatis reuocarentur, ipſeque inprimis impius Conſtantinus Imperator his admonitus à blaſphemiis ſuis abſtineret. Verùm ille, vt Pharao quondam, iuſtè à Deo deſertus, obduratus permanſit. Hæc omnia Theophanes; quæ eadem confirmantur in Oratione inſigni de S. Platone à ſancto Theodoro Studita, eximiæ ſanctitatis & doctrinæ huius temporis Monacho. Nec de nihilo eſt quod de Conſtantini Copronymi Imperatoris Iconomachi impietate & obduratione dicimus: docebit eam vel vnicum iſtud quod narrabimus exemplum. Anno Imperij ſui 22. (eſt is Chriſti 762.) immenſo odio flagrans in Monachos, quos præ ceteris ſibi in promulganda hæreſi aduerſarios experiebatur, cùm audiſſet in Auxentiano monte in Bithynia non longè à Chalcedone poſito, degere magni nominis Stephanum Monachum, gratia miraculorum illuſtrem, potentemque ſermone ad confirmandos in vera

Certè Pipinum in continuus expeditionibus fuiſſe ſuprà patuit.

Præclara aliquot S. Gummari miracula.

Externa illuſtriora. 746

* caliginoſæ.

Clades triennales Conſtantinopoli penè incredibiles.

Flagellatur Iconomachus Imperator, ſed non emendatur.

762

Stephanum monachum in suas partes frustrà pertrahere nititur.

Religione eos qui vndique ad ipsum confugerent, in hunc mouere bellum sibi necessarium ducens, eumdem primò per Callistum Patricium, virum eximia dicendi facultate præditum, in suas partes allicere tentauit: constantem verò repertum, è cella extrahi, ac militum custodiæ tradi iussit; sed paulò pòst ob tumultus Schyticos, nempe Bulgaricos, in suum Monasterium reduci curauit. Interim Callistus nouis machinis Sanctum oppugnans, calumnias atroces de ipsius in Imperatorem conuitiis & machinationibus, ac cum illustri femina vidua, Anna nomine, quæ ab ipso monasticum habitum acceperat, turpi consuetudine, in eumdem intentauit, opera Sergij eiusdem S. Stephani discipuli, & ancillæ ipsius Annæ, quos multis vanis promissionibus ad eiusmodi proditionem attraxerat. Verùm ancilla hæc dominæ suæ calumniatrix cùm paulò pòst in remunerationem proditionis in matrimonium collocata, gemellos filios peperisset, sub mediam noctem repentè conturbati infantes, arreptis maternis mamillis, horrendumque in modum exesis, eam protinus necauerunt, & vnà cum ea viperini illi fetus extincti sunt. Quare cùm Imperator ea se spe frustratum videret, vt tamen in Stephanum agere posset occasione delicti cum Anna prætensi, rursum ad alias fraudes conuertens animum, charissimo sibi Aulico persuasit, vt simulans fugam abiret ad Stephanum, & inter Monachos cooptari peteret. Qui cùm post importunas preces, fictasque lacrymas, id ab eodem beato Stephano extorsisset, inde arrepta Imperator occasione (quòd scilicet magnis iam anteà pœnis agendum sanxisset aduersus eos, qui in Monachum aliquem reciperent) ipsum Auxentianum Monasterium vnà cum Templo incendi, Monachosque dispergi præcepit; Stephanum verò variè frustrà tentatum, vt pseudosynodo aduersas sacras Imagines celebratæ subscriberet, post multa ludibria in exilium ad insulam Proconnesum relegauit. Sed posteà anno Christi 765. cùm intellexisset ab eo ibi virtute sanctarum Imaginum Christi Domini ac Deiparæ virginis ingentia edi miracula, illum inde Constantinopolim reduci iussit: vbi post longam cum ipso de sacrarum Imaginum cultu disputationem, eumdem in publicum carcerem prætorianum detrusit; quo pariter conclusi tenebantur & alij trecenti quadraginta duo Monachi ex variis locis collecti, omnes aliquo membro ob sacrarum Imaginum cultum mutilati, aut alia insigni infamia notati. Deniq; biennio pòst cùm audisset Imperator impius, Stephanum ex carcere prætoriano Monasterium effecisse, nec cessare totos dies noctesque à cantandis Psalmis & Hymnis diuinis cum aliis ibidem inclusis Monachis, maiori excandescens ira, eumdem necari præcepit, atque ita calcibus, fustibus, saxis, omnibusque eiusmodi suppliciorum ac contumeliarum gene-

Calumnia enormis in eumdē conficta, item frustrà.

Tandem alia calumnia in exilium Stephanus pellitur.

765

Quingliscentibus miraculis, carceri includitur.

767

generibus impetitus cum ſociis ac per vias raptatus, glorioſiſſimum martyrium conſummauit. Hæc ex Actis eiuſdem Sancti: & meminit quoque Theophanes in Hiſtoria, qui & plures alias cædes ſubiungit ab eodem tyranno perpetratas in Monachos, alioſque omnis generis Orthodoxos, quicumque aut Imagines colerent, aut Sanctos inuocarent, itemque de Monaſteriis tam virorum quàm feminarum ab eo euerſis, aut in vſum militum ſuorum conuerſis.

CAROLVS MAGNVS IMP.

FILIVS SVPERIORIS,

VII. BRABANTIÆ PRINCEPS.

Præfuit Rex annis 46. *Imperator tãtùm annis poſtremis* 14.



MORTVO Pipino, primo eius familiæ Francorum Rege, filij eius Carolus & Carlomannus (verba ſunt Reginonis Prumienſis ad annum Chriſti ſeptingenteſimum ſexageſimum octauum) eleuati ſunt in Re- 768
gnum, Carolus in Nouioma ciuitate, Carlomannus in Sueſſione, ſeptimo Idus Octobris. Et celebrauit Carolus Natalem Domini in Aquis, Paſcha in Rodomo ciuitate (eſt id Britanniæ minoris oppidum) & inde mox anno ſequenti idem Carolus cum fratre Carlomanno Hunaldum, in Aquitania rebellare & Imperio ſuo reſiſtere conantem, bello ſuperatum cepit. Porrò anno 770. Carolus habuit Synodum in Wormatia ciuitate, & Bertha Regina perrexit in 770
Baioariam, & inde Italiam ingreſſa eſt. Ita breuiter Regino. Baronius hoc modo pleniùs: Bertruda Regum Francorum mater in Italiam venit, expetens filio ſuo Carolo Deſiderij Longobardorum Regis filiam, inter quos connubium hoc anno contractum, anno ſequenti iterùm reſciſſum eſt, quaſi clinica eſſet, & connubio inhabilis. Sic Baronius. In Actis beati Adelhardi Corbeienſis, per eius coæuum grauiter ſcriptis, iſta leguntur: Recolere cupientes virum, quem admirabilem vniuerſus prædicat orbis, quemque vidimus familiariter, vt ſciat poſteritas, quis iſte fuerit Adelhardus, fuit è regali proſapia, Pipini Magni nepos, Caroli conſobrinus Auguſti. Qui cùm inter palatij tyrocinia omni mundi prudentia eſſet eruditus, neque ferret tamen, quòd Carolus iam dictus Deſi-

Carolus & eius frater vterque Rex ſubiugant Hunaldum Aquitanum.

Ducit Carolus filiam Regis Longobardorũ vxorem, & anno ſequenti repudiat.

Displicet hoc repudium sancto Adalhardo.

Desiderij Regis Italorum filiam repudiaret, depositis omnibus, Cor-
beie, imò Christi ibidem expetiit fontem. Ita ibi. Magna sunt & ingentia
quæ Carolus iste gessit, vnde & cognomentum Magni iure adeptus est:
sed nos quanta poterimus breuitate, seruata annorum serie, omnia sal-
771 tem insigniora recensebimus. Anno post Christum natum 771. Carlo-
manno fratre mortuo, vxoreque illius cum filiis ad Desiderium Longo-
bardorum Regem fugiente, Carolus solus regnat. De quo sic Regino
ad eumdem annum 771. Carolus Rex Synodum habuit ad Valentinia-
nos, & eodem anno Carlomannus Rex defunctus est in villa Salmon-

Moritur Carlomannus frater Caroli.

tiaco 2. Nonas Decembris. Venit autem Carolus ad villam Carbonia-
cum, vbi venit ad eum Volcarius & Folradus Cappellani cum aliis
Episcopis & Sacerdotibus, Werinus & Adalhardus Comites cum aliis
Primatibus, qui fuerant Carlomanni: vxor verò Carlomanni cum per-
paucis Francis, partibus Italiæ perrexit, & celebrauit Rex Natalem Do-
mini in Attiniaco, & Pascha in Heristellio. Sigebertus hoc modo: Car-
lomannus obiit: pars Regni eius partibus Caroli se vnit, vxor eius cum
filiis & Anthario Franco ad Desiderium Regem Italiæ confugit. Inde
772 verò anno septingentesimo septuagesimo secundo Carolus Saxoniam

Prima Caroli expeditio contra Saxones cum Deo inita.

bello aggressus, Eresburgum castrum cepit, & idolum Saxonum, quod
vocabatur Irminsul, destruit. Vbi cùm exercitus præ siccitate siti defice-
ret, subitò in quodam torrente media die diuinitus aquæ effusæ sunt lar-
gissimè. Saxones verò iuxta Visurgum fluuium ad Regem venientes, da-
tis obsidibus XII. cum eo pacificantur. Ita Pithœana, quæ & Fuldensia.
Regino addit: Et reuersus est Rex in Franciam, & celebrauit Natalem
Domini in Heristallio, & Pascha similiter. Quæ libentiùs commemoro,
vt constet eùm etiam per se intendisse hisce auitis suis Cismosanis pro-
773 uinciis. Ceterùm anno 773. Carolus ab Hadriano Pontifice rogatus vt

Eiusdem expeditio contra Longobardos pro iustitia S. Petri.

pro Dei amore & pro iustitia S. Petri super Desiderium & Longobardos
veniret, consultis fidelibus, & omnibus collaudantibus, illas in partes
profectus est (loquitur Regino) Genuamq; (an Geneuam, seu Gebuam?)
ciuitatem veniens Synodum tenuit, & ibi exercitum diuisit in duas par-
tes. Ipse cum vna parte per montem Cynesium perrexit, & misit Ber-
nardum auunculum suum (an patruum?) cum reliqua parte per mõtem
Iouis. Coniunxerunt se vterque exercitus ad Clusas. Quæ cùm Deside-
rius cognouisset, Regi & Francis cum armatis occurrit. tunc Rex Ca-

Et tunc viri fortes erant.

rolus castra posuit ad easdem Clusas, & misit occultè vnam scaram seu
turmam de electis viris per montana. quod sentiens Desiderius statim
Clusas reliquit, & quàm citiùs potuit, Papiam ingressus est. Rex Caro-
lus cum omnibus, auxiliante Domino, & intercedente beato Petro, sine
læsione Italiam ingressus est, & cùm ad Papiam peruenisset, Deside-
rium



CAROLVS MAGNVS FRANC. REX ET IMP. VII. BRAB. PRINC.

rium intrinſecus latitantem obſedit,ibique in ſuis caſtris celebrauit Natalem Domini, & Paſcha in Roma. Intereà Saxones,occaſione accepta, poſtpoſitis ſacramentis, in finibus Francorum impetum fecerant. Quare mox anno 774. Rex Carolus à Roma reuerſus venit Papiam, ipſamque ciuitatem armis cepit, inſuper Deſiderium Regem cum vxore ſua & filia. Adalgiſus autem filius Deſiderij fuga elapſus, mare intrauit, & Conſtantinopolim perrexit. Ita Regino Prumienſis. Annales Pithœani, qui & Fuldenſes, ſic narrant: Longobardi obſidionis pertæſi cum Rege Deſiderio egrediuntur ad Regem. Ille verò altera die vrbem ingrediens,theſauros Regum repertos exercitui diſtribuit,& cunctum Italiæ Regnum adeptus in Franciam regreditur, ducens ſecum Deſiderium cum coniuge eius. Sigebertus etiam pleniùs hoc modo: Obſidionem Papienſem peſtilentia mortalitatis aggrauante, ciuitas Regi Carolo aperitur, & Deſiderius Rex cum vxore & filia capitur, & perpetuo exilio ad Gallias ad* Gilfredum Leodicenſium Epiſcopum dirigitur; ſicque graui eius gentis iugo poſt annos ducentos & ſex excuſſo, Regnum Longobardorum (verba ſunt Onuphrij) factum eſt pars Regni Francorum. Addit Regino ad eumdem hunc annum: Carolus ſubiugata Italia & ordinata, cuſtodiam Francorum in Papia dimittens, cum magno triumpho in Franciam reuerſus eſt. Et cùm veniſſet in Ingelheim, miſit quatuor ſcaras ſeu turmas in Saxoniam; quarum tres cum Saxonibus pugnas inierunt, & Deo auxiliante, victores fuerunt, quarta verò ſcara non habuit pugnam, ſed capta magna præda reuerſi ſunt in Franciam. Atqui nec ſic ceſſarunt Saxones. Quare anno ſequenti, (qui eſt 775.) Rex Carolus Synodum habuit in villa, quæ dicitur Duria, (Pithœanus triennio pòſt vocat Duriam caſtrum Coloniæ ciuitati contiguum) & inde Saxoniam pergens Sigeburgh caſtrum cepit, Hereſburgh reædificauit: ſuper Wiſeram fluuium venit in locum qui dicitur Brunisberg, vbi occurrerunt ei Saxones, volentes ripam ſupradicti fluminis defendere: ſed auxiliante Deo, & Francis decertantibus, fugatis Saxonibus, Franci ambas ripas occupauerunt, & multi Saxones occiſi ſunt. Pergit Regino: Tunc Rex diuidens exercitum,ſumpſit ſecum partem, perrexitque vſque ad Obaccrum fluuium, vbi omnes Orientales Saxones venientes cum Haſſinone Duce eorum dederunt obſides; & ſimul,eo reuertente,venerunt Angrarij in pagum, qui dicitur Bucki, vnà cum Brunone Duce eorum, & fecerunt ſicut Orientales Saxones fecerant. Sed intereà cum Francis,qui ſupra fluuium Wiſeram remanſerant, alij Saxones pugnam commiſerant, & Deo largiente, Franci victoria potiti ſunt. Quod audiens Rex, iterùm ſuper Saxones cum exercitu irruens multam ſtragem fecit, & prædam copioſam cepit ſuper Weſtphalos,

Margin notes: 774 — *Capta Papia, ſeu Ticino, Deſiderium Regem Longobardorum cum vxore & filia captos abducit.* — *Agilfridum — *Secunda Caroli expeditio contra Saxones.* — 775 — *Tertia expeditio contra eoſdem admodum cruenta.*

phalos,& coacti obsides dederunt; quibus receptis, & multa præda capta, Carolus in Franciam reuersus est; vbi nuntiatum est ei, quòd Rotgandus Longobardus rebellare disponeret. Quare statim illas in partes iter arripuit, & celebrauit Natalem Domini in villa quæ dicitur Slechstat, in Elsatio. Ac deinde Rotgando rebelli interfecto, ad Taruisium veniens (hæc Regino ad annum 776.) ibi Pascha celebrauit, & ordinatis rebus reuersus est in Franciam. Intereà Saxones castrum Heresburgh aggrediuntur. Sed apparuit gloria Dei manifestè supra domum Ecclesiæ, duobus scutis supra basilicam conspectis. Quare fugientes Pagani, mutuis se gladiis non pauci confodiunt. Hinc nihilominùs rabidi ad castrum Desuburg feruntur: sed Deo auxiliante, Francisque viriliter repugnantibus, oppidani eos persecuti sunt vsque ad fluuium Lippa, & multos interfecerunt. Itaque Carolus Rex Wormatiam veniens, Synodum Placitumque publicum celebrauit, & mox Saxonum fines penetrauit, & velut ingens tempestas omnia prosternit. Saxones perterriti, ad locum vbi Lippa oritur, venerunt, & spoponderunt se Christianos esse debere. Tunc Rex restaurauit Heresburg castrum, & aliud castrum super Lippam, vbi venientes Saxones, innumerabilis multitudo baptizati sunt. Ac deinde Carolus obsidibus acceptis, & custodiis dispositis, in Franciam reuertitur. Celebrauit Natalem Domini in Heristellio & Pascha in Nouiomago. Hæc Regino: pergeremq; ex eiusdem aliorumque veterum Annalibus res tanti Regis, quò maior esset maiestas & fides, attexere; sed, vt video, nimis prolixus essem: quare vela contraham, ne dum Brabanticos Annales profiteor, vniuersales edam. Bellum hoc Saxonicum triginta tres annos durauit: cœptum anno Christi, vt ostendimus, septingentesimo septuagesimo primo, anno demum quarto post octingentesimum finitum est. Vndecies bello subacti Saxones, toties rursum rebellarunt. Plures ex eis baptizati sunt anno belli quinto & sexto, ac tandem anno belli decimo quarto (est is Christi 785.) ipse etiam Witichindus Dux; sed sæpiùs, vti dictum est, iugum iterùm excutere sunt conati, maximè verò annis 778. & 795. Nec omnino cessarunt, donec Carolus anno quarto post octingentesimum, omnibus qui resistere solebant, in potestatem redactis, decem hominum millia ex iis qui vtrasque Albis fluminis ripas incolebant, cum vxoribus & liberis sublatos transtulit, & huc atque illuc per Galliam & Germaniam distribuit. Sic Eginhartus Caroli Cancellarius in eius Vita. Annales à nobis citari consueti numerum non exprimunt, sed hæc tantùm habet Regino ad dictum annum 804. Imperator Aquis hiemauit, æstate verò in Saxoniam perrexit, omnesq; qui trans Albiam in Wihmodi habitabant Saxones, cum mulieribus & infantibus transtulit in Franciam, & pagos Transalbianos

Dant ei Saxones obsides.

776

Rotgandus Longobardus rebellans mox opprimitur.

Quarta expeditione Saxones multi baptizati.

Vndecies victi Saxones, toties rursum rebellarunt.

778

Tandem decem hominum millibus aliò translatis plenè subiugantur.

Dantur eorum terra Abrotidu. nos Abrotidis dedit. Et totidem ferè verbis eadem nec plura habent Annales Pithœani, qui & Fuldenses, & Sigebertus. Durante autem hoc bello, aliquoties etiam Carolus cùm per se tum per suos in Hispaniam contra Saracenos quàm maximo poterat belli apparatu profectus est, omnibus, quæ adierat, oppidis atque castellis in deditionem acceptis, saluo atque incolumi ferè exercitu reuersus est; præterquam quòd semel in Pirenæi iugo Wascones, positis insidiis vbi opacitas siluarum est, in nouissimum agmen irruunt, & noctis beneficio euadunt: quo in prælio Ruthlantus Britannici littoris Præfectus cum pluribus occubuit. *Expeditiones Caroli in Hispaniam contra Saracenos.*

778 Ista Eginhardus. Regino ad annum septingentesimum septuagesimum octauum his verbis eadem confirmat: Carolus cum exercitu Hispaniam ingressus, venit ad Pampilonam ciuitatem, deinde ad Cæsar-Augustanam vrbem. Obsidione itaque ciuitatis territi Saraceni obsides dederunt, & immensum pondus auri; eiectisque Saracenis de Pampilona, murisque eius dirutis, Wasconibusque subiugatis, in Franciam Rex reuertitur. Ita Regino, & adstipulantur Pithœana & Sigebertus. Intereà nascitur Regi etiam bellum Baioaricum. De quo ista Regino ad annum *Eiicit Saracenos Pampilona, itemq; Wascones subiugat.*

787 septingentesimum octogesimum septimum: Carolus Rex Romam venit, & contra Heregisum Beneuenti Ducem vadit. Sed Heregisus muneribus & obsidibus datis gratiam eius redimit. Thassilonis verò nequitia (quæ ea sit, dicetur anno sequenti) coram Apostolico patefacta, eoque nolente adhortationibus pacis obtemperare, Carolus in Franciam reuersus, Wormatiæ Synodo habita, partibus Bauariæ exercitum admouit.

788 Et anno sequenti Rex Carolus congregauit Synodum in villa Ingelheim, ibique venit Thassilo. Cœperunt autem eum ipsi Bauari accusare, quòd ad Auaros (erant hi Hungari Christianis infesti) transmisisset: & conuictus ab omnibus diiudicatus est ad mortem: sed misericordia Regis, quia eius consanguineus esset, vnà cum filio in Monasterium missus est. Post hæc autem Carolus Ratisbonam venit, ibique marcas & fines Baioariorum disposuit, indeque reuersus in Franciam, celebrauit Natalem Domini in Aquis palatio, & Pascha similiter. Et ad annũ 791. *Eiusdem bellum contra Thassilonem Bauarum, sed citò finitũ.*

791 Rex Carolus propter intolerabilem malitiam Auarorum in populum & Ecclesias Dei, ad littora Danubij exercitum ducit, & præmisso triduano ieiunio & Litaniis, absque læsione Pannoniam introiuit, Auaris latibula quærentibus. Et peruenit Rex vsque ad fluuium Raba, omnia cædibus & incendiis rapinisque deuastans, & reuersus Ratisbonam celebrauit ibi Natalem Domini & Pascha similiter. Ita Regino. Annales Pithœani, qui & Fuldenses, sic distinctiùs: Carolus cum Francis, Alamannis & Baioariis Australi parte Danubij per Chunberg, Saxonibus & Thuringis cum parte Francorum per littus Septemtrionale pergentibus, *Præmisso triduano ieiunio & Litaniis, ducit in Auaros seu Hungaros.*

bus, Frisonibus verò & qui cum ipsis erant nauali euectione per alueum euntibus, Pannoniam ingressi sunt, & omnia vastarunt. Hæc illi Annales. Ceterùm anno Christi septingentesimo nonagesimo quarto Synodus habita est in Franconofurt, in qua hæresis Feliciana damnata est, (ponebat hæc duas in Christo personas,) pseudosynodus quoque Græcorum (sic loquuntur Annales, ipseque etiam Aimoïnus) pro adorandis Imaginibus habita, ab Episcopis damnatur. Ita prorsus ibi legitur. Et mirum quàm hîc exultent nostri temporis Iconoclastæ seu Imaginum destructores. Sed præter ea quæ solidissimè ad hæc responderunt Bellarminus, Baronius, & alij, (& inprimis quòd tres versiones Latinæ illius Septimæ Synodi exstent, quarum illa peruersa, latriam seu cultum diuinum Imaginibus falsò tribuens Francofurtum allata sit) saltem Carolum eiusque Synodi Francofurdiensis Patres damnasse rabiem nostrorum Iconomachorum, qui Imagines destruunt, docent in eiusdem Concilij Actis hæc Caroli verba ad Hadrianum Papam: Vt sciat Dominus Apostolicus, & cuncta simul Romanorum Ecclesia, permittimus Sanctorum imagines, tam in Ecclesia, quamque extra Ecclesiam, propter amorem Dei & Sanctorum eius; adorare verò eas (intellige vt suprà, cultu diuino) nequaquam cogimus qui noluerint; frangere tamen vel destruere eas, si quis voluerit, non permittimus. Hæc Carolus Rex. Quin & Pontifex rescribens, tacitè reprehendit quod Carolus dixerat, se cogere nolle eos qui Imagines adorare nolint, dum inter cetera dicit, docens & inferiorem rationem adorationis esse: quia in vniuerso mundo, vbi Christianitas est, ipsæ sacræ Imagines ab omnibus fidelibus honorantur. Et vt sciatur, quis honor ab Ecclesia Imaginibus tribuatur, subiungit idem Pontifex: *Nam absit, vt ipsas Imagines, sicut quidam garriunt, deificemus.* Adeóque ipsius etiam veræ Septimæ Synodi, (quæ ex causa supradicta in Synodo Francofurtensi, pseudosynodus falsò vocatur,) hæc verba sunt Actione 3. *Imaginis enim gloria ad primitiuum transit.* Sed ad seriem Annalium reuertamur. Anno post Christum natum septingentesimo nonagesimo sexto, Caga & Iugurrho Principibus Hunnorum ciuili bello à suis occisis, campus eorum Hringum primò per Ehericum Ducem Foroiuliensem, deinde per Pipinum filium Regis Caroli captus est, omnésque Hunnorum thesauri sublati, & Carolo in Aquisgrani palatio allati sunt. Tuduin autem Dux Auarorum seu Hunnorum, secundùm pollicitationem suam cum populo suo ad Carolum veniens baptizatus est. Et celebrauit Rex in eodem Aquis palatio Natalem Domini & Pascha similiter. Hæc vno ore sæpè citati Annales. At verò deinde anno 799. Leo Papa à Romanis in Litania Maiore lingua detruncata excæcatus, & per Wiruindum Abbatem, & Winegisum

794

Synodus Francofordiensis celebratur.

An adorandæ Imagines?

Frustrà de ea gloriari nostri temporis Iconoclastas.

Elucidatur, quæ adoratio Imaginibus impendenda, quæ non.

796

Hungaria à Caroli Ducibus domitis. Dux eorum baptizatur.

799

Ducem Spoletanum ereptus, ad Carolum in Saxoniam ad Padabrunnum deductus est. Ita iidem Annales. Sed Otho Frisingensis sic: Leo Pontifex fraudibus Paschalis Primicerij & Campuli presbyteri ex Litania abreptus est, adeoque cæsus, vt oculis & lingua captus putaretur; qui deinde ad Carolum fuga euasit. Quare Rex Romam cogitans anno proximo, peragratis Oceani Gallici littoribus, quòd Piratis infestum erat, dispositisque præsidiis reuertens, Turonis ad sanctum Martinum orationis causa peruenit; vbi Hildegardis coniunx eius defuncta est & humata. Sic Pithœani Annales (Regino vocat Luitgardam, & defunctam ponit pridie Nonas Iunij) inde propter Leonis Papæ causam Romam Rex proficiscitur, ibique hiemauit. Et sequitur in iisdem Annalibus notatus annus octingentesimus primus, moxque hæc subiiciuntur: In die Natalis Domini ante confessionem beati Petri Apostoli, cùm Rex ab oratione surgeret, Leo Papa coronam capiti eius imposuit, & à cuncto Romanorum populo acclamatum est: CARLO AVGVSTO, A DOMINO CORONATO, MAGNO ET PACIFICO, IMPERATORI ROMANORVM, VITA ET VICTORIA. Et post laudes more antiquorum Principum adoratus est. Post paucos autem dies iussit eos, qui Pontificem anno superiori deposuerant, exhiberi, & habita de eis quæstione, secundùm Legem Romanam capitis damnati sunt: pro quibus tamen Papa intercessit; ceterùm pro facinoris magnitudine deportati sunt. Sic illi Annales, itemque Regino, qui ad eumdem annum 801. etiam ista addit: Et celebrauit Imperator Natalem Domini in Aquis palatio; duos Natales Domini vni & eidem anno adscribens; indicans, nî fallor, coronationem quidem illam Imperatoriam factam fuisse, computando secundùm morem Ecclesiæ Gallicanæ anno ipso octingentesimo, (scilicet exeunte demum ad Pascha) sed à se adscriptam anno octingentesimo primo, quòd Romæ facta sit, vbi initium anni erat Natalis Domini. Tradit Eginhartus, qui adfuit, in Caroli Vita, Coronationem hanc, ipso Carolo nihil præsciente, imò & cùm fieret, ægrè ferente, confectam fuisse. Anno verò octingentesimo secundo Herena Imperatrix Græcorum de Constantinopoli misit Legatum nomine Leonem Spatharium de pace confirmanda inter Francos & Græcos: & Imperator Carolus, absoluto illo, vicissim misit Iesse Episcopum Ambianensem & Hemgaudum Comitem Constantinopolim, vt pacem cum ea statuerent. Isaac etiam quidam elephantem & alia munera, quæ Aaron Rex Persarum miserat, Aquisgrani Carolo detulit. Et anno sequenti (pergunt iidem Annales) Missi Imperatoris de Constantinopoli reuersi sunt, & venerunt cũ eis Legati Nicephori Imperatoris tunc Rempublicam regentis. Nam post aduentum Legationis Franciæ Herenam depo-

Leo Pontifex à Romanis fœdè habitus fugit ad Carolum.

800

Moritur vxor Caroli.

801

Acclamatur Carolus Imperator.

Hostes Leonis Papæ relegantur.

Coronatio Caroli, ipso nihil præsciente, facta.

802

Aaron Rex Persarum mittit ei elephantem & alia munera.

deposuerant. Quos Imperator ad se venientes, in loco qui dicitur Salz super fluuium Sala suscepit; & auditos, cum Epistola pactum faciendæ pacis continente, remisit ad propria. Ac deinde anno 804. cùm Imperator Aquis hiemasset, æstate in Saxoniam cum exercitu perrexit (hæc fuit vltima ibi expeditio) omnesque qui trans Albiam in Wihmodi habitabant Saxones (quod & suprà per anticipationem narrauimus) cum mulieribus & infantibus transtulit in Franciam, & pagos trans-Albianos Abrotidis dedit. Et eodem tempore Godefridus Rex Danorum venit cum classe sua, & omni equitatu Regni sui, ad locum qui dicitur Slieswijck in confinio Regni sui & Saxoniæ. Promisit enim se ad colloquium Imperatoris venturum, sed consilio suorum territus, propiùs non accessit, sed quidquid voluit per Legatos mandauit. Imperator verò super Albam fluuium sedebat in loco qui dicitur Holudsteyn, & missa ad Godefridum legatione pro fugitiuis retentis; mediante Septembri Coloniam venit; deinde ad Arduennam ingressus, venationum iocis exercitatus Aquas reuersus est. Medio autem Nouembrio allatum est ei, Leonem Papam Natalem Domini cum eo celebrare velle, vbicumque hoc contingere potuisset; quem statim, misso ad sanctum Mauritium Carolo filio suo, honorificè suscipere iussit. Ipse obuiàm illi ad Remorum ciuitatem profectus est, ibique susceptum primò Carisiacum villam, vbi Natalem Domini celebrauit, deinde Aquasgrani perduxit. Hoc tempore (teste S. Ludgero, qui quæ scripsit ante oculos habuit) à Leone Papa, ipso Carolo Imperatore præsente, in Werda Cæsaris S. Suitbertus, olim coëpiscopus S. Willibrordi, solemni ritu Catalogo Sanctorum adscribitur, quando & submersus quidam, qui quindecim ferè horis in profundo Rheni hæserat, omnibus inspectantibus ante sepulchrum S. Suitberti ad vitam rediit. Qui quidem submersus quia filius fuit Domicelli de Grimbergen Brabanti, & narratio antiquissimi Scriptoris non parum Brabantica nostra illustrabit, lubet ipsa antiquitatis verba ponere. Igitur (inquit S. Ludgerus Scriptor eius æui, capite decimo de miraculis S. Suitberti) cùm rumor aduentus sancti Leonis Papę & Caroli Imperatoris, ceterorumque Prælatorum & Principum in Werdam ad canonizandum sanctum Suitbertum vbique per vicinam prouinciam peruolasset, confluebant multi populi vtriusque sexus cum filiis & filiabus suis Werdam. Inter quos erat nobilis domina Irmgardis, germana venerabilis Hildebaldi Coloniensis Archiepiscopi, vxor strenui Bartoldi, Domicelli de Grimbergen, habitans & residens illo tempore in Troia siue Xantis. Quæ Domicella cum duabus solummodò pedissequis & primogenito suo Gocellino, semiocto annorum puero, & cum multis aliis honestis personis ex Xantis Werdam nauigans, eidem celebritati

Paciscitur Carolus cum Imperatore Græcorum.

804

Promiserat ad eum venire Rex Danorum, sed territus non venit.

Rursum venit ad Carolum Leo Papa.

Insigne monumentum Antiquitatis Brabãticæ.

804

Etiam tum noti Grimbergij

britati consensu mariti sui interesse voluit. Et appropinquantes Werdæ, cùm nauta propter multas alias naues ibidem congregatas subitò aplustre mutaret, vt conuenientiùs littori nauim applicaret, Gocellinus stans prope matrem in prora nauis, ex collisione nauium cespitans pedibus, corruit extra nauem in Rhenum, & ecce submersus est. Quod mater eius videns, scisso velamine capitis sui, inconsolabiliter flens magno eiulatu repleuit littora Rheni. Erat autem hora ferè quinta vespertina; Archiepiscopus verò frater eius illa audiens, multùm tristabatur, eamque consolabatur: sed ipsa quiescere nullatenus valens, noctem illam totam insomnem ducens, implorauit assiduè deuoto & contribulato corde sanctum Suitbertum, vouens, si ipsum suis suffragantibus meritis viuum recipere posset, perpetuis temporibus ipsum suo ministerio assignaret. Itaque altera die cùm aurora illucesceret, quidam honesti viri amore Dei & petitione Archiepiscopi, amotis nauibus, cœperunt submersum Domicellum Gocellinum quærere sagenis & vncis & aliis opportunis instrumentis. Tandem hora ferè octaua ante Missarum solemnia, quidam dictus Lambertus Dosel de Embrica vnco sentiens & tangens ipsum veste, vocatis aliis sociis, sagaciter ex profundo Rheni per vestem sursum trahens, defunctum matri præsentauit. Quæ ipsum defunctum videns, exanguis effecta est. Sed ad se reuersa, puerum vlnis amplectens, sequentibus eam multis honestis vtriusque sexus personis, flentibus & ei condolentibus, deposuit illum ante sepulchrum sancti Suitberti; factaque ab omnibus deuotè oratione (ô mirabilis Deus in Sanctis suis!) ecce spiritus in illum rediit, oculos aperuit, & reuixit; surgensque stetit supra pedes suos, admiransque multitudinem populorum ipsum intuentium, loquebatur matri suæ dulciter. Statimque exuentes eum madidis vestibus, propter compressionem hominum, de consilio quorumdam posuerunt in eminentiori loco, vt ab omnibus posset videri. Quo viso, factus est clamor omnium, Deum in sancto Suitberto collaudantium de tanta tamque manifesta gratia. Eadem verò hora venit festinanter equester pater eius Bartoldus cum decem tantùm (nota) vernaculis, multùm nimirum tristis & gemens de perditione dilecti filij sui. Erat enim præfectus Imperatoris Caroli in illis oris. Intrans verò Ecclesiam, cùm audisset & vidisset eum à morte resuscitatum, glorificauit Deum in sancto suo Suitberto. Archiepiscopus verò, consensu parentum, deposita argentea torque quam circa collum gessit idem Gocellinus resuscitatus, ipsum Clericum ordinauit, mutansque nomen eius ipsum Suitbertum nominauit: qui intra annum Monasterium S. Suitberti intrans, eidem Sancto semper humiliter seruiuit; assignauitque Domicellus Bartoldus eidem Monasterio, amore sancti Suitberti & filij sui,

Gocellinus filius Domicelli de Grimbergē submergitur.

Vouet eum mater sancto Suitberto, si eum viuum recipiat.

804

Reuiuiscit dictus puer submersus.

Offerunt eum & certa prædia sancti Suitberti Monasterio eius parentes.

ſui, certa prędia perpetuis temporibus poſſidenda. Hęc ibi. Deinde verò anno 805. Carolus iunior in Boëmanos Sclauos cũ exercitu à patre miſſus, depopulata prouincia, Regem eorum nomine Lechonem occidit. Idem quoque Carolus Iunior (teſtantibus iiſdem Annalibus Pithœanis ſeu Fuldenſibus) anno ſequenti in Sorabos ſuper Albim fluuium habitantes, à patre cum exercitu miſſus, depopulata Sclauorum terra, Ducem eorum Miliduoch ſimiliter interfecit. Addit Regino: Duoque caſtella ab exercitu conſtructa ſunt, vnum ſuper ripam fluminis Sale, alterum ſuper Albiam. Sclauiſque compreſſis, ex hac parte Boëmos aggreditur. In Corſicam quoque claſſis à Pipino alio filio Imperatoris Caroli contra Mauros miſſa eſt, cuius aduentum Mauri non expectantes diſceſſerant. Anno proximo (qui fuit Chriſti nati ſeptimus ſupra octingenteſimum) Aaron Rex Perſarum, papilionem & tentoria atrij vario colore facta, miræ pulchritudinis, Imperatori Carolo miſit; erant enim byſſina omnia; pallia quoque ſerica multa & pretioſa, & odores atque vnguenta, & balſamum; nec non & Horologium ex aurichalco, arte mechanica mirificè compoſitum, in quo XII. horarum curſus ad clepſidram vertebatur (verba ſunt veterum illorum Annalium) cum totidem ęreis pilulis, quę ad completionem horarum decidebant, & caſu ſuo ſubiectum ſibi cymbalum tinnire faciebant, additis in eodem eiuſdem numeri equitibus, qui per XII. feneſtras, completis horis, exibant, & impulſu egreſſionis ſuæ totidem feneſtras, quæ priùs erant apertæ claudebant. Ita Annales illi; eademque totidem verbis deſcribit Regino, & addit: Celebrauit Imperator Natalem Domini in Aquis, & Paſcha ſimiliter. Inde anno 808. Godefridus Rex Danorum Abroditos bello aggreſſus eſt: quos etſi multis affeciſſet malis, cum magno tamen copiarum ſuarum detrimento rediit, Reginoldo filio fratris ſui, & optimis militum ſuorum amiſſis. Carolus verò filius Imperatoris Albiam ponte iunxit, & cum exercitu in Liuones & Smeldingos, qui & ipſi ad Godefridum defecerant, tranſpoſuit, populatiſque circumquaque eorum agris, & tranſito iterùm flumine, cum incolumi exercitu ſe in Saxoniam recepit. Anno verò octingenteſimo nono, Dertoſa ciuitas Hiſpaniæ à Ludouico filio Imperatoris obſeſſa eſt, licet non expugnata. Sed eodem anno Pipinus alius eius filius, Rex Italiæ, Venetiam bello ſubegit, & non multò pòſt Mediolani obiit. Sed Imperator Carolus Venetiam iterùm Nicephoro Græcorum Imperatori anno ſequenti reddidit, qui fuit Chriſti octingenteſimus decimus. Quo anno ei nuntiatum eſt Aquis palatio, claſſem ducentarum nauium de Nortmannia in Friſiam applicuiſſe, ternaque prælia cum Friſonibus commiſiſſe, Danoſque victores tributum victis impoſuiſſe; etiam centum libras argenti à Fri-

805

Carolus filius Imperatoris ducit in Boëmanos & Sclauos.

Item Pipinus alter filius in Corſicam contra Mauros.

807

Horologium pro ea ætate certè inſigne.

808

Carolus Iunior Danis ſe fortiter opponit.

809

Pipinus filius Imperatoris moritur Mediolani.

810

sionibus esse solutas, Regemque Godefridum hæc omnia agere. Qui

Dani ingentes prædas agunt de Frisonibus.

nuntius adeò Imperatorem concitauit, vt missis in omnibus circumquaque regionibus ad congregandum exercitum Legatis, ipse sine mora Palatio exiens, illas in partes tendere cœpit. Transito itaque Rheno flumine, in loco qui Lippa dicitur, copias, quę nondum conuenerant, statuit opperiri. Vbi cùm aliquot dies moraretur, elephas ille, quem ei Aaron Rex Saracenorum transmiserat, subita morte periit. Congregatis autem copiis, Imperator ad Alarum fluuium contendit, castrisque iuxta confluentem eius, quo Wisuræ flumini coniungitur, positis, minarum Godefridi Regis præstolatur euentum. Nam Rex ille acie se cum Imperatore congredi velle iactabat. Sed cùm Imperator memorato loco statiua haberet,

Prodeunte contra eos Imperatore Rex Danorum à suo satellite interficitur

diuersarum rerum nuntia ad eum adferuntur. Nam & classem, quę Frisiam vastarat, domum regressam, & Godefridum Regem à quodam suo satellite interfectum nuntiabatur. Quibus ille acceptis, dispositа pro temporis conditione Saxonia, domum reuertitur. Godefrido Danorum Rege mortuo, Hemmingus filius fratris eius in Regnum successit, &

Dani, Græci, Hispani pacem Imperatoris omnes expetunt.

pacem cum Imperatore fecit. Imperator Aquasgrani veniens mense Octobri Legationes audiuit, pacemque cum Nicephoro Imperatore, & cum Abulaz Rege Hispaniæ fecit, & Nicephoro Venetiam reddidit. Ita Annales Pithœani & Fuldenses, itemque Regino. Et anno proximo,

811 qui est Christi octingentesimus vndecimus, his verbis pax cum Danis confirmata describitur: Redeunte veris tempore, viis apertis, aduenientibus ex vtraque parte Francorum & Danorum XII. Primoribus super fluuium Agidoram, datis vicissim sacramentis pax confirmatur. Proceres autem de parte Francorum hi fuêre: Walach, Burchardus, Bernardus, Egbertus, Theodoricus, Ano, Osdach, Wichman, omnes Comites; de parte verò Danorum inprimis fratres Hemmingi, deinde ceteri honorabiles. Imperator verò, pace cum Hemmingo firmata, & Placito generali secundùm consuetudinem Aquis habito, in tres partes Regni sui

Imperator tres exercitus in tres sui Regni partes mittit.

totidem exercitus misit: vnum trans Albiam in Liuones, qui & ipsos vastauit, & castrum Homborch superiori anno à Wilzis destructum restaurauit: alterum in Pannoniam ad controuersias Hunnorum ac Sclauorum finiendas direxit: tertium super Britones ad eorum perfidiam misit: qui omnes, rebus prosperè gestis, domum reuersi sunt. Ipse autem Imperator ad classem videndam, quam præcedenti anno fieri & fabricari iusserat, ad Bononiam venit, Pharumque ibi ad nauigantium cursus dirigendos antiquitus constitutum restaurauit, & in eiusdem

Classem ad Scaldim in loco qui dicitur Gant, instruit.

summitate nocte ignem accendit. Inde ad Scaldim fluuium veniens, in loco qui dicitur Gant, naues ad eamdem classem ædificatas adspexit, & circa medium Nouembris Aquas venit, vbi obuiauerunt ei Legati Hem-

Hemmingi Regis Aoum & Hephi munera Regis & verba pacifica deferentes. Intereà Carolus filius Imperatoris, qui maior natu erat, obiit 2. Nonas Decembris. Sic Regino, & adstipulantur alij. Porrò anno octingentesimo duodecimo Hemmingus quoque Danorum Rex moritur: cui cùm Sigefridus nepos Godefridi, & Anilo nepos Herioldi succedere voluissent, neque inter eos de diuisione Regni conueniret, commisso prælio, ambo moriuntur (verba sunt Reginonis:) pars tamen Anilonis adepta victoriam fratres eius Herioldum & Regnifridum Reges sibi constituit: qui missa ad Imperatorem Legatione pacem petunt. & eodem anno classis Danorum Hiberniam aggressa, à Scotis prælio superata est. Anno verò sequenti Imperator Carolus Ludouicum filium suum coronauit, & sibi consortem Imperij fecit. Bernardum quoque nepotem suum filium Pipini filij sui Italiæ præfecit, & Regem appellari iussit. Concilia quoque super statu Ecclesiarum corrigendo ab Episcopis celebrari iussit; quorum vnum Moguntiaci, alterum Rhemis, tertium Turonis, quartum Cabilone, quintum Arelati congregatum est. Hoc anno pons apud Moguntiacum incendio conflagrauit. Hæc Annales Pithœani. Regino ad annum illum decimumtertium ista habet: Filij Godefridi Regis, & nonnulli ex Primoribus Danorum, qui iamdudum, relicta patria apud Suiones exulabant, attractis vndique copiis bellum intulerunt, & commisso cum eis prælio, eos Regno paterno expulerunt. Et eodem anno Carolus Imperator obiit, & Aquis in Basilica S. Saluatoris, & S. Dei Genitricis Mariæ honorificè sepultus est, quam Basilicam ipse mirifico opere à fundamento ædificari fecit. Sic ille more Gallicano (de quo aliquoties diximus) annum finiens demum ad Pascha. Quare alij more Romano à Natali Domini vel Kalendis Ianuarij annum auspicantes, constanter affirmant eum obiisse anno octingentesimo decimoquarto scilicet ineunte. Inter quos & Auctor Annalium à Pithœo editorum sic annum illum decimumquartum incipit: Carolus Imperator dum Aquisgrani hiemaret, anno ætatis suæ circiter LXXI. Regni autem XLVI. subactæque Italiæ XLIII. ex quo verò Imperator & Augustus appellatus est anno XIIII. quinto Kalend. Februarij rebus humanis excessit. Eginhartus, qui ei à secretis fuit, his verbis eius laudes domesticas complectitur: In solemnitatibus, inquit, veste auro texta: diademate quoque ex auro & gemmis ornatus incedebat, aliis autem diebus habitus eius parum à communi ac plebeio abhorrebat. In potu & cibo temperans, sed in potu temperantior: quippe qui ebrietatem in qualicumque homine, nedum in se ac suis, plurimùm abominabatur. Inter cœnandum aliquod elegans dictum aut Lectorem audiebat. Legebantur ei historiæ, & antiquorum res gestæ. Delectabatur

Obiit Carolus Iunior.

812

Classis Danorum Hiberniam aggressa, à Scotis profligatur.

813

Concilia varia Imperator celebrari curat super statu Ecclesiarum corrigendo.

Migrat ad meliorem vitam.

814

Eximiæ eius virtutes, quas vtinam viri Principes intueantur.

&

& libris S. Augustini, præcipuè iis quos de Ciuitate Dei inscripsit. Vini & omnis potus adeò parcus in bibendo erat, vt sub cœna raro plus ter biberet. Erat eloquentia copiosus & exuberans. Nec patrio tantùm sermone contentus, sed & Latinam linguam ita didicit, vt æquè illa ac patria lingua perorare sit solitus; Græcam verò meliùs intelligere quàm pronuntiare poterat. In discenda Grammatica Petrum Pisanum audiuit: in ceteris disciplinis Albinum cognomento Alcuinum de Britannia, virum vndecumque doctissimum, prȩceptorem habuit; cuius etiam operâ Parisiense Gymnasium instituit. Liberos suos ita censuit educandos, vt tam filij quàm nepotes primò liberalibus studiis, quibus & ipse operam dabat, erudirentur; tum filios, quamprimùm ætas patiebatur, more Francorum equitare, armis ac venationibus exerceri fecit: filias verò lanificio assuescere, coloque ac fuso, ne per otium torperent, operam impendere, atque ad omnem honestatem erudiri iussit. Ecclesiam manè & vesperi, nocturnis item horis, & Sacrificij inprimis tempore, quando valetudo permitteret, impigrè frequentabat. Legendi atque psallendi disciplinam diligentissimè per suos emendauit, erat enim vtriusque admodum eruditus; quamquam ipse nec publicè legeret, nec nisi submissim, & in commune cantaret. Præferebat mansuetudinem in puniendo, æquitatem tamen in iudicando, moderationem in gubernando; liberalitatem verò insignem erga pauperes & peregrinos, etiam eos qui Ierosolymis, & in locis vicinis sub infidelibus Regibus viuebant oppressi. Tandem fide ampliata, statu Ecclesiæ religiosè ordinato, Regno etiam suo dilatato & pacato, anno Christi octingentesimo decimoquarto, Regni sui quadragesimo sexto, subactæ verò Italiæ XLII. Imperij XIII. in Palatio Aquisgranis, vbi ipse Ecclesiam miri operis in honorem S. Mariæ Virginis construxerat, ætatis suæ anno septuagesimo secundo, diem obiit quinto Kalend. Februarij, ac in eadem Ecclesia est humatus. Sic ille. Sub hoc Carolo contigerunt quæ in Vita sanctissimæ Virginis Brabanticæ Gudilæ ante aliquot sæcula scripta leguntur. Cùm (inquit Auctor) ex signis ad tumbam B. Gudilæ quotidie crebrescentibus, odorem virtutum eius fama adspiraret, omnibus ex consilio & dispositione Altissimi placuit fidelibus, de loco sepulchri eam leuare. Et quidem ad Niuialense transferre Cœnobium erat propositum; verùm dum feretrum receptui membrorum paratum moueri tentatur, tanto fit pondere fixum, ac si catenis insolubilibus teneretur adstrictum. Venit proinde in mentem quibusdam Religiosis consanguinitas beatȩ Gudilæ cum beata Aldegunde atque Waldetrude. Erant loca Reliquiarum beatæ Aldegundis Malbodium, sanctæque Waldedrudis Castrilocus. Destinabant ergo animo, nunc huc nunc illuc transferre; similiterque

Filios & filias quomodo educandos curarit.

Liberalitas eius in pauperes & peregrinos.

Translatio D. Gudilæ, quam Carolus egregiis donis honorauit, vt mox patebit.

Stupendum miraculū.

terque in mouendo vires perdidêre. Intererat reuerendæ huic eleuationi quidam prouectæ, imò decrepitæ ætatis, solus à diebus sanctæ Gudilæ superstes. Huius spiritum diuina inspiratio excitauit, & in hæc verba prorumpens, Videtur, inquit, mihi eam quietis suæ sedem in oratorio S. Saluatoris elegisse, in quo eam, quoad vixit, assiduis suspiriis spiritum suum constat Deo vouisse. Et ecce accedentes feretro, tanta mox facilitate vsi sunt in ferendo, quanta priùs difficultate frustrà laborauerant in mouendo. Deportatum est ergo ad præscriptum locum Mortzelle illud venerabile corpus, populis promiscui sexus cum laude & tripudio comitantibus, miraculisq; ex glorificatione diuina prosequentibus. Nam inter eundum surdus, qui feretro se iunxerat, auditum recepit; & arbor quę in vico Ham cœperat crescere ad vestigia sanctæ Virginis, depositionis eiusdem die, custos fidissima sanctarum Reliquiarum; etiam non defecit à suo obsequio in translatione earum. Nam altera die eiusdem translationis in villam Mortzelle eadem arbor sacræ Virginis membra fuerat subsecuta, ac in eodem loco tam mirificè radicata & conuenienter transplantata coram prædicti oratorij foribus, quasi ibidem à primordio germinare cœpisset ac crescere, cùm vtraque villa à se inuicem decem milliariis distaret. Huius rei rumor circumquaque decurrit, & per cunctorum ora volitans ad palatium vsque peruenit. In tempore illo sceptrum Monarchiæ tenebat Carolus, qui ex trophæis frequentibus cognominatus est Magnus. Is tam mirificis auditis miraculis, illuc deuotus aduenit, vbi ex miraculo prædictæ arboris nouum spectaculum sibi iniecit, & ex spectaculo compunctionis granum adiecit. Qui vt Ecclesiarum Dei amator semper extitit, defensorque strenuus in cunctis deuotissimus, eamdem villam Mortzellensem sacræ Virgini testamentis condonauit legalibus, & prædictum prædiolum quoq; Ham, vnde arbor aduenerat, sub pluribus ac idoneis tradidit testibus; vt ibi tota villa deinceps subiecta maneret, vbi primùm arbor præcesserat diuinitus. Adiecit insuper præfatus Rex eo in loco Sanctimonialium aggregare cateruam, decretisq; Regalibus facultatem illis famulandi Deo adscripsit satis opportunam. Quæ singula testamento mandauit: quæ scilicet traditio vsque ad Wenemarum rata permansit; cuius vsurpatione iniusta, ad posteros suos eadem villa non sine offensa diuina pertransiit. Et vt scias, Lector, quàm familiariter idem Imperator Carolus in Brabantia nostra fuerit versatus, subiungit idem Auctor: Post hæc autem memoratus Rex Carolus exercitio venationis pro more deditus, per circumadiacentem forestem turbabat rabidas feras à suis saltibus; inter quas miræ magnitudinis vrsum insequitur; qui iam multo spatio victus, cùm nullum esset effugium, ac mortem imminentem iam iamq; capien-

Item alia.

Imp. iis excitus ad locum venit, & villas duas diuæ Gudilæ transscribit.

Adiungit quoque cateruam Sanctimonialium.

Venatur Carolus in agro Brabantico familiariter.

capiendus crebris differret flexibus, properè recto cursu tendit ad Mortzellam, & in S. Saluatoris irrumpit Ecclesiam. Tunc res contigit, quam faciliùs erat stupuisse, quàm dixisse. Nam Deus bestialem quodammodò vrsi sensum permutauit, rationemque quamdam intelligendi in eo formauit. Erat namque cernere, prope Lipsana sacræ Virginis se admisisse, & sub tanta protectrice à strepitu insequentium iam securum procubuisse. Ibi subitò oblitus feritatis suæ, deflexa ceruice, submissoque humiliter capite, Sanctimonialium aduenientium cœpit vestigia lambere, ac more lasciuientium catulorum omnibus aggaudere. Quòd vbi nuntiatum est Regi cum suis, rem, quæ in bestia diuinitus agebatur, intellexit, Deique magnalia in Virgine amplectens recessit, sine eiusdem vrsi quidem læsione, sed non sine rei, quam viderat in vrso, admiratione. Idem verò vrsus desistens esse siluestris, cœpit esse domesticus; & in reliquum apud eiusdem loci Sanctimoniales non aliter vixit, quàm sententia omnium ibi manentium sibi indixit. Hæc ibi. Assignat posteriùs illud Baronius, nixus Annalibus à Pithœo editis anno Christi nati octingentesimo quinto. Sed & memoria dignum est, quod Theophanes huius Caroli temporibus accidisse scribit: Anno, inquit, Constantini Copronymi trigesimo (est is Christi 770.) Ephesi præfectus omnes Monachos & Virgines Deo dicatas in campum educens, edixit, vt illicò ipsi inter se matrimonio iungerentur; renuentes (quorum maximus fuit numerus) priuatos luminibus in exilium relegauit. Quin anno proximo, recrudescente ipsius aduersus Monachos persecutione, per Præfectum Thraciæ cuncta eiusdem prouincię Monasteria, tam virorum quàm feminarum, omnia denique ipsorum bona vendidit, cunctaque scripta quibus vitæ Monachorum continerentur, combussit; sed & venerandas Reliquias vel igni tradidit, vel abscondit; ipsos denique Monachos partim interfecit, partim excæcatos, aut facie crematos (gaudebat enim maximè huiusmodi tormento, vt Monachis qui prolixam barbam gestarent, eam pice, ceráve, aut oleo perungeret, ignemque admoueret) in exilium expulit. Quem & alij Præsides in aliis Prouinciis imitati sunt. Hæc Theophanes. Sed eodem attestante & aliis, anno deinde septingentesimo septuagesimo quinto, impius Copronymus Iconoclasta in expeditione aduersus Bulgaros constitutus, diuinitus est in cruribus plaga percussus, & nauigio delatus in castellum Strongylum, ibi animæ & corporis (inquit Cedrenus) mortem obiit, vociferans se adhuc viuentem inextinguibili igni traditum propter Mariam, quam tum serò & frustrà proclamabat sanctam ac verè Deiparam. Ita illi.

Vrsus diuinitus mansuescit, obstupescente Imper. & sociis.

Externa quædam.

770

Constantinus Copronymus variè persequitur Monachos & Monachas.

775

Tandem diuinitus percutitur, seriùs tunc proclamans Mariam sanctam & verè Deiparam.

LVDO-

LVDOVICVS PIVS IMP.

FILIVS PRÆCEDENTIS, VIII. BRABANTIÆ PRINCEPS.

Præfuit annis viginti sex.



POST obitum gloriosissimi Imperatoris Caroli (sunt verba Thegani eius æui Scriptoris) perrexit Ludouicus (filius eius) de partibus Aquitaniæ, & venit Aquisgrani Palatium, qui est annus Incarnationis Domini octingentesimus decimus quartus, qui est primus annus Regni eius, deditque sororibus suis partem earum legalem, & quidquid remanserat, dedit pro anima patris. Hoc facto, Legati venerunt ad eum ex omnibus Regnis & Prouinciis, inter quos venerunt & Legati Græcorum. Aimoïnus lib. 5. cap. 10. hæc addit: Defuncto Imperatore Carolo missus est Rampo ad filium Ludouicum ab eis qui sepulturam eius curarunt, liberis scilicet & proceribus Palatinis, vt & mortem eius maturè cognosceret, aduentumque suum nullo modo comperendinaret. Qui cùm Aurelianam deuenisset ad vrbem, alium atque alium huiusce rei tristes suscipiens nuntios post quintum diem ab eodem loco pedem mouit, & cum tanto, quantum passa est angustia temporis, populo iter arripuit. Timebatur enim quam maximè Wala, summo apud Carolum Imperatorem habitus loco, ne fortè aliquid sinistri contra Imperatorem moliretur. Qui tamen citissimè ad eum venit, & humillima subiectione se eius nutui, secundùm consuetudinem Francorum commendans, subdidit. Et nonnullis interiectis: Eodem anno generalem Conuentum Imperator Aquisgrani habuit, & per vniuersas Regni sui partes, fideles ac creditarios à latere suo misit, qui æqui iuris tenaces existentes peruersa corrigerent, omnibusque congruum ius æquo libramine penderent. Hæc ibi. Deinde verò anno 816. mortuo Leone Papa, creatus est in locum ipsius Stephanus patria Romanus. Qui (vt auctor est Theganus) mox vt creatus est, populum Romanum sacramento Ludouici Imperatoris adegit. Ac paulò pòst in Gallias tendens, pro stabilienda, vt Anastasius ait, Ecclesiæ pace, honorificentissimè ab ipso Imperatore obuiàm ei facto, & in ipso accessu ter ante pedes ipsius prostrato exceptus est Rhemis, omniaque obtinuit quæ petiit.

814 — *Ludouicus, assignata sororibus parte legali, reliqua dat pro anima patris.*

Per vniuersum Regnum curat diligenter iustitiam administrari.

816

Venit ad eum Papa pro stabilienda Ecclesia pace.

817 Quo similiter anno proximo moriente, Paschalis successit vir doctus & eloquens, magnanimus, simul & misericors, quem & eò sanctitatis esse euectum vt miracula ediderit, ex eodem Anastasio constat. Idem verò mox in Gallias missa legatione, confirmationem pacti & amicitiæ more prædecessorum suorum ab eodem Imperatore expetiit. Atque hoc item anno idem Ludouicus generalem habuit Aquisgrani Conuentum

Conuentus Aquersis, in quo 80. Capitula sancita de recta Regularium vita.

Episcoporum atque Abbatum. In quo inter alia fuère constituta octoginta Capitula de recta vitæ Regularium institutione, ac victus quantitate in cunctis ditionis suæ Monasteriis: de quibus asserit Leo Ostiensis, eadem illa apud Cassinenses Monachos, perinde ferè ac Regulam S. Benedicti, obseruata esse. Additque insuper, in eodem Aquisgranensi Conuentu Ludouicum confirmasse quæcumque à Pipino auo, & Carolo patre donata vel restituta essent Ecclesiæ Romanæ: quæ quidem constitutio tunc à Ludouico conscripta ex parte recitatur à Gratiano (dist. 63. c. Ego Ludouicus) integra autem habetur in codicibus Vatica-

Item alia.

nis. In hoc quoque Conuentu à Ludouico filium primogenitum Lotharium coronatum esse Imperatorem, Pipino verò Aquitaniam datam, & Ludouico Baioariam, tradit Auctor anonymus Vitæ Ludouici. Post quæ cùm sub finem huius anni Bernhardus filius Pipini fratris ipsius

Bernhardus Italiæ Rex in Imperatorem conspirat.

Ludouici Imperatoris, Italiæ Rex, consilio prauorum quorumdam in eumdem Imperatorem rebellans, coniurasset, moxque idem Imperator maximum aduersus eum collegisset exercitum, Bernhardus se viribus imparem cernens, ad Imperatorem accessit, ac pedibus eius prouolutus veniam petiit. Cuius ac complicum atrocis coniurationis exactiori habita disquisitione, eosdem iudicio Magnatum Francorum capitali punitione dignos, Imperator luminibus tantùm priuari permisit; Epi-

Complices coniurationis alij oculis priuantur, alij recluduntur.

scopos autem eiusdem coniurationis reos à Synodo Episcoporum depositos, Monasteriis mancipauit. Hæc veteres Annales, qui etiam detonsos, detrusosque in Monasterium narrant filios Caroli Magni naturales in eiusdem criminis suspicionem adductos, Drogonem, Theodoricum, & Hugonem. Sed & Adelhardus Corbeiæ Abbas, eiusdem Caroli Magni cõsobrinus, vir sanctitate conspicuus, calumniis impetitus, tunc iussus est exulare. Porrò anno Christi octingentesimo decimo nono idem
819 Imperator iterùm Conuentum habuit Aquisgrani, in quo, iisdem qui suprà attestantibus, multa de statu Ecclesiarum atque Monasteriorum

Item alia decreta de statu Ecclesiarum & Monasteriorum.

decreta sunt, additaque Capitula quædam antiquis Constitutionibus. Nec tamen hęc ita accipienda sunt quasi ipse eiúsve pater Carolus quidquam in his contra auctoritatem Romani Pontificis aut Episcoporum præsumpserit: nam contrarium pluribus locis docet is qui easdem Leges Capitulares collegit Benedictus Leuita, sed quòd hæc omnia per Episcopos,



LVDOVICVS PIVS IMP. VIII. BRAB. PRINC.

ſcopos, approbante ſimul Romano Pontifice, ſancienda curarit. Hoc eodem anno idem Ludouicus Imperator duxit vxorem Iudith filiam Huelfi Comitis, quam creauit Auguſtam, cùm iam anno ſuperiori mortua eſſet Irmingardis Imperatrix. De ea ſic Annales à Pithœo editi: Imperator inſpectis pleriſque nobilium filiabus, Iudith filiam Huelphi Comitis duxit vxorem. Theganus geſta huius & præcedentis anni coniungens, Tertio, inquit, die poſt amiſſionem luminum Bernardus (de quo ſuprà) obiit. Quod audiens Imperator, eum fleuit multo tempore, propter hoc quia non prohibuit Conſiliarios hanc crudelitatem agere. Et Irmingardis Regina 5. Nonas Octobris deceſſit. Sequenti verò anno accepit Imperator filiam Welfi Ducis, qui erat de nobiliſſima ſtirpe Bauarorum, & nomen virginis Iudith, quæ erat ex parte matris nobiliſſimi generis Saxonici, eamque Reginam conſtituit. Erat enim pulchra valdè. Hæc ille. ex quo matrimonio quanta mala emerſerint, videbitur infrà.

Mortua Irmingarde, ducit Imp. vxorem Iuditham.

821 Poſteà anno 821. Imperator Nouiomagi diuiſionem Regni fecit inter filios ſuos, deinde in villa Theodonis omnes qui ſuo tempore in exilium miſſi fuerant, reuocauit. Et Ludharius filius eius vxorem duxit, & apud Wormatiam hiemauit. Sic Annales Pithœani. & addit anno ſequenti: Ludouicus Imperator Sacerdotum vſus conſilio, de omnibus quæ publicè perperàm geſſit, publicam pœnitentiam egit. Quæ paulò latiùs explicantur in Vita eiuſdem Imp. per Anonymum apud eumdem Pithœum in hunc modum: Adelhardum etiam Abbatem quondam Corbeiæ Monaſterij, ſed tunc in Philiberti Monaſterio conſiſtentem, magiſterio priori reddidit. Et nonnullis interpoſitis: Poſt hæc autem palàm ſe erraſſe confeſſus, & imitatus Theodoſij Imperatoris exemplum, pœnitentiam ſpontaneam ſuſcepit. Sic ibi. Sed & qui volet legat de his res geſtas ſancti Frederici Epiſcopi Vltraiectenſis. Baronius quidem eas non probat, ſed non video cur eas improbem. Hoc eodem anno Lotharius in Italiam, Pipinus verò frater eius, & ipſe vxore ducta, in Aquitaniam miſſus eſt. Anno verò deinde 824. ipſe Imperator

Agit publicam pœnitentiam: (vtinam pleniùs ſciatur, quare.)

Lotharius in Italiam, Pipinus in Aquitaniam à patre mittuntur.

824 cum exercitu Britanniam petit, diuiſiſque in tres partes copiis, totam ferro & igni deuaſtat, acceptiſque à perfido Britonum populo obſidibus, reuerſus eſt. Et hoc anno Legati Michaëlis Imperatoris Græcorum inter cetera munera detulerunt Ludouico Imperatori etiam libros Dionyſij Areopagitæ. Ita Sigebertus. Qua de re in hæc verba Hilduinus Abbas ſcribit in epiſtola ad Ludouicum Imperatorem præfixa iiſdem libris: Authenticos ſanè eoſdem libros Græca lingua conſcriptos, quando Oeconomus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ & ceteri Miſſi Michaëlis legatione publica ad veſtram gloriam Compendio functi ſunt, in ipſa Vigilia ſolemnitatis S. Dionyſij pro magno munere ſuſcepimus, & in eadem

Libri Dionyſij Areopagitæ ex Græcia allati, multiſque miraculis comprobati.

eadem nocte decem & nouem nominatissimæ virtutes in ægrotorum sanatione factæ sunt. Sic ibi. Hoc quoque eodem anno Rex Bulgarorum Omortag pacis faciendæ gratia ad Imperatorem Legatos & literas misit; quos Rex auditos remisit, & cum eis Maghelmum de Baioaria ad memoratum Regem direxit. Anno quoque sequenti cum filiis Godefridi Dani, pacem quam ipsi petebant, cum eis in marca eorum confirmare iussit. Vnde anno proximo (qui est Christi 826.) Herialdus cum vxore & magna Danorum multitudine apud Moguntiam baptizatus est. Sic Annales à Pithœo editi. Addit Theganus: Tunc Dominus Imperator magnam partem Frisonum dedit ei, & cum Legatis suis dimisit eum ire in pace. Hoc anno, iisdem Annalibus affirmantibus, Georius quidam Presbyter de Venetia cum Baldrico Comite Foroiuliensi veniens, organum hydraulicum Aquisgrani fecit. Anno verò vigesimo septimo supra octingentesimum exercitus à Rege Saracenorum Abdiramam Gerundam Hispaniæ venit; cui Pipinus filius Imperatoris cum exercitu missus resistere debebat, nisi desidia Ducum tardiùs ad marcam venisset exercitus. Bulgari quoque Sclauos in Pannonia sedentes, misso per Drauum nauali exercitu, ferro & igni vastauêre, & expulsis eorum Ducibus, Bulgaricos super eos rectores constituerunt. Anno quidem sequenti Hludharius cum exercitu ad marcam Hispanicam missus est, similiter & Ludhauuicus iuuenis contra Bulgaros, sed nihil dignũ actum est. Quare anno proximo (qui est Christi 829.) Aquisgrani Conuentus publicus habitus est, vbi tum maximè feruebat (verba sunt Aimoïni l.5. c.11.) res in marca Hispania nuper ignominiosè peracta. Qua enucleatissimè inuestigata, reperti sunt huius culpæ auctores Duces. Hos ergo, solummodò adeptis honoribus, luere iussit culpam huius ignauiæ. Et posteà: Imperator Wormatiam ad celebrandũ populi generalem Conuentum mense Augusto properare statuit, in quo Conuentu comperiens clandestinas circa se eorum quos vitæ reseruauerat machinationes, Berhardum eatenus Hispaniæ partium & limitum ignauum Comitem Cameræ suæ præfecit; quæ res non solùm non seminarium discordiæ extinxit, sed potiùs augmentum creauit. Sic ibi, itemque in Vita per Anonymum. Annales à Pithœo editi ista habent ad annum sequentem: Commotio contra Imperatorem à primoribus Francorum in Compendio exorta, propter Bernhardum, quem in palatio esse noluerunt: quo inde depulso atque fugato, in gratiam cum eo redierunt, sed ad breue temporis spatium. Ita Annales illi, & hoc solùm. Theganus, designans, vt videtur, primò annum præcedentem, deinde istum, hoc modo narrat: Alio anno venit Imperator Wormatiam, vbi & Carolo filio suo, qui erat ex Iudith Augusta natus, terram Alemannicam & Rhæticam,

Rex Bulgarorum amicitiam Imperatoris ambit.

826 *Herialdus Rex Danorum cum suis Moguntiæ baptizatur.*

827 *Negligentiùs hic contra Saracenos, ibi contra Bulgaros res gestæ.*

829 *Mitiùs castigata ignauia dedit etiam maiores turbas.*

830 *Pax in palatio, sed ad breue tempus.*

& partem aliquam Burgundiæ coram filiis suis Lothario & æquiuoco suo Ludouico tradidit. Et inde illi indignati sunt vnà cum Pipino germano eorum. Alio verò anno perrexit dominus Imperator de Aquisgrani Palatio, & peruenit ad Compendium: ibique venit ei obuiàm Pipinus filius eius cum Magnatibus primis patris sui, Hilduino Archicappellano, & Iesse Ambianensi Episcopo, Hugone & Mathfrido, & multis aliis perfidis, & voluerunt dominum Imperatorem de Regno expellere; quod prohibuit dilectus æquiuocus filius eius. Supradicti impij obiicientes ei multa contraria, dixerunt Iudith Reginam violatam esse à quodam duce Bernhardo, qui erat de stirpe regali, & domini Imperatoris ex sacro Fonte Baptismatis filius, mentientes omnia, suscipientes Reginam Iudith, eamque vi velantes, & in Monasterium mittentes, & fratres eius Conradum & Rudolfum tondentes, & in Monasterium mittentes. Et ipso anno peruenit dominus Imperator ad Nouiomagum castrum, quod est super fluuium Walum. Ista Theganus, volens talia in Iuditham conficta. Sed quis spondeat? certè non Auctor Vitæ sancti Frederici, de qua suprà. Ad annum sequentem quoque (qui est Chri-

Filij Imperatoris ex priori coniuge in patrem insurgunt.

Nouercam in Monasterium retrudunt.

831 sti 831.) sic pergit Auctor Annalium à Pithœo editorum: Conuentu apud Nouiomagum habito, Imperator, omnes qui sibi contrarij fuerant, velut iustè exauctorauit, (nota: non dicit, iustè) quosdam publicis, quosdam priuatis rebus exspolians, quosdam in exilium mittens; multumque contra se & Iudith vxorem suam, non solùm populi, sed etiam filiorum suorum animos concitauit. Sic Annales illi, itemque Sigebertus. Theganus & qui eum secuti sunt, acerbè inuehuntur in eos qui contrarij erant in hac causa Imperatori. Sed nobis magis placet quod hîc

Vlciscitur se Imperator de aduersariis.

832 moderatè dicitur (velut iustè.) Anno itaque 832. Imperator mense Maio contra Hludouicum filium ad Augustam Vindelicum cum exercitu venit. Inde reuersus in Aquitaniam Pipinum filium Regno priuauit. Sed inde postquam vxorem abdicauit, cum magna difficultate ad Aquense Palatium regressus est. Sol deficit 5. Nonas Maij, & Luna 13. Kalend. Iulij. Sic Annales illi. Et pergunt narrare anno proximo: Imperator initio Quadragesimæ Wormatiam venit, & ibi vxore reuocata, atque exercitu congregato, contra filios suos ad se venire volentes in Alisatiam profectus, atque ibi à suis desertus ac proditus, & in filiorum potestatem redactus est. Erat ibi cum filiis Gregorius Papa Romanus. Hæc, nec plura eo anno dicti Annales. Certè Papam adfuisse nonnisi vt dissidium componeret, Vita solemnis Ludouici per Anonymum satis indicat, tum etiam Theganus ipse nihil acerbum aut durum in eum sicut in alios proferens. Nithardus Scriptor eiusdem æui sic: Pater capitur, vxor in Longobardiam exilio mittitur, ac Carolus vnà cum patre sub magna

Pipinum filium Aquitaniæ Regem Regno priuat.

A suis desertus in potestatem filiorum venit.

magna cuſtodia ſeruatur. Gregorius Papa itineris pœnitudine correptus,
tardiùs quàm vellet Romam reuertitur. Itaque poſt hæc (verba ſunt An-
nalium Pithœanorum ad annum 834.) Imperator iudicio Epiſcoporum 834
arma depoſuit, & ad agendam pœnitentiam incluſus eſt; vxor in Italiam
ducta. Sed proxima æſtate ipſe relaxatus arma reſumpſit, vxorem rece-
pit, Hludharium ad Italiam cum his qui eum ſequi volebant, redire
coëgit. Pugnatum eſt eodem anno cum Malfrido & Lamberto: in quo
prælio perierunt Vodo Comes Aurelianenſium, & Theodo Abbas ſan-
cti Martini Turonenſis, & alij multi. Ita Annales illi. Nithardus hoc
modo: Et Lotharius quidem iterùm eo tenore Imperium adeptus, quod
iniuſtè obtinuit, faciliùs iuſto iteratò amiſit. Nam Pipinus & Ludhoui-
cus videntes quòd Lotharius vniuerſum Imperium ſibi vendicare, illoſ-
que deteriores efficere vellet, grauiter ferebant. Ita ibi. Reliqua poſteà
exequemur: intereà enim & alia triſtia occurrunt. Etenim anno Chri-
ſti octingenteſimo trigeſimo quinto, Nortmanni, iuxta ſæpè citatos An- 835
nales, Doreſtadum vaſtauerunt, Anduuerpiam ciuitatem incenderunt,
ſimiliter & Witlham emporium iuxta oſtium Moſæ fluminis (credo le-
gendum Wilitham, nunc Geer-Vlitham) & à Friſonibus tributum ac-
ceperunt. Ita Annales illi, itemque Sigebertus, licet biennio ſeriùs. Et
rurſum anno ſequenti: Nortmanni tributum exactantes in Walehram
inſulam venerunt, ibique Eggihardum eiuſdem loci Comitem, &
Hemmingum Halp Dani filium cum multis aliis 15. Kalend. Iulij occi-
derunt, & Doreſtadum vaſtauerunt, acceptoque à Friſonibus tributo
reuerſi ſunt. Imperator itaque, omiſſo itinere Italico, Aquiſgrani hie-
mauit. De hac Nortmannica vaſtitate iſta leguntur in rebus geſtis ſan-
cti Gummari: Accidit quandoq; vt propter multas hominum iniquitá-
tes, Nortmannorum gens ferociſſima in eam regionem adueniret, om-
nia circumquaque depopularetur, Antuerpiam inflammaret, & vbique
luctu compleret omnia. Porrò per fluuium Schildam ad* villam Turni-
num peruenerunt barbari illi, vbi erat Monaſterium S. Fredegandi Con-
feſſoris: ſed Deus propter iniquitatem habitantium exoſus locum, re-
liquias eius iuſſit aliò transferri, vt nullum eſſet obſtaculum aduerſus
imminentem deſolationem. Iis ſublatis, tamquam muro & propugna-
culis vrbis euerſis, irruit barbara gens, & ædificia omnia, atque ipſum
Monaſterium incendit, homines partim trucidauit, partim captiuos
abduxit, nihil præter humum relinquens. Inde progreſſi illi apud
Mechliniam S. Rumoldi Eccleſiam exuſſerunt, villam & incolas gla-
dio & igni perdiderunt. Vbi verò ad S. Gommari Eccleſiam ventum
eſt, vires ſuas eius meritis eneruari ſenſerunt. Cùm enim in Monaſterij
tectum ignem inieciſſent, repulſus & extinctus eſt diuinitus. Sed ea re

Imperator relaxatus arma reſumit, & vxorem reuocat.

Schiſma etiam inter ipſos filios Imperatoris.

Nortmanni incendunt Antuerpiam, aliaq́ꝫ multa loca vaſtant.

* nunc Doorne

Inter cætera & Turninũ (nunc Doorne) iuxta Antuerpiam.

Item Mechliniam.

Lyra Fredegerum ad aram obtruncāt. magis inflammatus est furor hostilis. Itaque in templum irruunt, Fredegerum Presbyterum sacrificium offerentem ad sacram aram crudeliter perimunt. Sed non dormitat vltio præpotentis Dei. Cùm enim prædam omnem ad nauim apportarent, duo Duces eorum Reolfus & Reginarius diuinitus percussi sunt; Reolfus ventrem purgans, viscera omnia effudit; Reginarius & oculis captus, & dira morte extinctus est. Ita ibi.
837 Hinc ergo anno proximo, qui est Christi 837. naues contra Nortmannos ædificabantur, ait Auctor sæpè citatorum Annalium. Interim optima pars Regni Francorum Carolo iuueni data est. Quare Hludharius & Hludouuicus in valle Tridentina colloquiũ habuerunt ante mediam Quadragesimam. Imperator verò mense Iunio Nouiomagi Conuentu generali habito, consiliis quorumdam, pacti conscriptione Hludouuico filio suo Regnum Orientalium Francorum, quod priùs cum fauore eius tenuit, interdixit. Qui intelligens ex inuidia consiliantium talem prodiisse sententiam, Edicto priùs habito, 3. Kalend. Decembris (cùm eodem mense Nouembri Pipinus filius Imperatoris Rex Aquitanorum moritur) ad Franconfurt venit. Contra quem Imperator quasi sibi aduersantem cum exercitu veniens, Mogontiaci Natalem Domini celebrauit.

Optima pars Regni Francorum datur Carolo filio Iuditha.

Hinc iterùm noua turba.

838 Deinde anno sequenti post peractam festiuitatem Natalis Domini & Theophaniæ 7. Idus Ianuarij cum exercitu nauigio Rhenum transiit. Quo cognito Hludouuicus, nefas esse sciens filium patri repugnare, cedendumque tempori iudicans, in Baioariam se recepit. Imperator autem in Franconofurt veniens, ibique manens, Ieiunium Quadragesimale inchoauit. Post Pascha verò mense Maio Wormatiam veniens, Hludhario filio suo de Italia in fidem eius venienti reconciliatur, Regnumq; Francorum inter eum & Carlum filium suum minimum diuidit, Hludouuico filio, pro eo quòd eum offenderat, Baioariorum prouincia tantùm concessa. Ita Annales à Pithœo editi, itemque Auctor Vitæ Ludouici anonymus apud eumdem, qui annum proximum, à Christo nato 839. his verbis adornat: Ludouicus (inquit) audiens patris erga fratres suos voluntatem, & Regni inter eos diuisionem, non tulit. Ideoque quidquid Regni trans Rhenum fuit, sibi adscribendum putauit. Quod cùm Imperatori delatum esset, in transactam festiuitatem Paschalem differendum iudicauit; qua peracta, cum multis viribus Rhenum quidem apud Moguntiacum transiit, & Triburas venit, ibique aliquamdiu ad colligendum exercitum consedit. Quo coacto, vsque *Bedomniam perrexit: ibique filius, quamquam inuitus, supplex venit, & increpatus ab eo, malè se egisse confessus, emendaturumque se perperàm gesta professus est. At Imperator in redeundo Rhenum, in loco qui Confluens dicitur, transmeauit, in Arduenna venationem solitam peracturus. In qua cùm

Præcipuè irascitur pater Ludouico filio.

839

*Hodomiam

Ludouicus filius ad tempus patri reconciliatur.

cùm exerceretur, nuntij ad eum certissimi venerunt, affirmantes, aliquos Aquitanorum suam sententiam expectare, qualiter res Aquitanici Regni ordinaretur; alios autem indignè ferre Carolo à patre idem Regnum traditum, eosdemque assumpsisse filium quondam Pipini Regis, Pipinum itidem nomine. Quare Imperator porrò suis fidelibus mandauit, vt sibi autumni tempore aliqui eorum in Cabillone occurrerent. Ibi enim generalem indixit Conuentum. Itaque, vti condixerat, tempore autumnali Cabillonensem vrbem petiit, & non multò pòst cum Regina & filio suo Carolo, & valida manu, Ligeri amne transmisso, Aruernorum vrbem petiit; fideles suos sibi occurrentes suscepit, & suo filio Carolo cum solitis sacramentis commendari fecit; alios qui occursum fidelitatemque denegarunt, comprehensos legali quæstioni subdere iussit. Et hæc eo agente, Natalis Domini festiuitas rediit, eamdemque solemnitatem Pictauis celebrauit. Ibi nuntius illi aduenit, Ludouicum filium suum assumptis quibusdam Saxonibus atque Thoringis, Alamanniam inuasisse. Hæc ibi. Quæ confirmant Annales sæpè citati anno proximo (qui est Christi 840.) his verbis: Hludouuicus filius Imperatoris partem Regni trans Rhenum, quasi iure sibi debitam affectans, per Alamanniam facto itinere, venit ad Franconofurt, multorum ad se Orientalium Francorum animis prudenti consilio conuersis. Quo comperto, Imperator de Aquitania infecto negotio redire compulsus, Druogonem Archicappellanum & Adelbertum Comitem cum aliis multis præmisit ad tuendum littus Orientale Rheni fluminis. Ipse verò secutus in Aquisgrani Pascha celebrauit. Post Pascha autem, collecto exercitu, filium per Thuringiam vsque ad terminos Barbarorum persequitur, exclusumque à finibus Regni per Sclauorum terram cum magno labore Baioariam redire compellit: rebus denique in partibus illis ordinatis, ad Saltz villam Regiam reuersus, dies Litaniarum & Ascensionis Domini solemnia celebrauit. In ipsa interim Vigilia Ascensionis Domini, hoc est 4. Idus Maij, eclipsis Solis circa septimam & octauam horam diei facta est tam valida, vt etiam stellæ propter obscuritatem Solis visę sint; & ecce Imperator illis diebus morbo correptus ægrotare cœpit, & per Mœnum fluuium nauigio ad Franconofurt, & inde post dies paucos in insulam quamdam Rheni fluminis prope Ingilenheim delatus, morbo inualescente 12. Kalend. Iulij diem vltimum clausit, corpusque eius Metis ciuitatem perlatum est. Hæc Annales à Pithœo editi. Scriptor domesticus rerum ipsius hæc habet de eius morte: Vi morbi crescente, secedens in insulam quamdam ciuitati Moguntinæ contiguam, peccata sua confessus, laudans iustitiam Dei ac dicens, Iustus es Domine; posteà distributis thesauris suis, Ecclesiis, pauperibus, filiis-

Adferuntur ei tristia ex Aquitania.

840

Aquitanicis nondum constitutu in Alamaniam contra filium Ludouicũ redire cogitur.

Pulso filio in morbum incidit, & post paucos dies moritur.

filiisque, sed & venia delictorum Ludouico filio absenti concessa, signo S. Crucis pectus suum muniens, in ipso mortis articulo apparentes sibi dæmones fugauit, atque elatis ad cælum oculis lætus ad Deum migrauit 12. Kalend. Iulij, anno ætatis sexagesimo quarto, Imperij vigesimo septimo; cuius corpus à fratre ipsius Drogone Metensi Episcopo, & sacri Palatij Archicappellano, Caroli Magni filio naturali, maxima pompa & totius Cleri ac Procerum comitatu in eamdem ciuitatem Metensem translatum est, atque in Ecclesia Monasterij sancti Arnulphi sepultum.

Signo Crucis fugat apparentes sibi dæmones.

840

Sepelitur Metis.

Huius Imperatoris tempore claruit in Orschot Brabantiæ municipio, (non in Arschot oppido, quod nonnemo nuper tradidit) Bodgis nobilis Francus, cuius filius S. Odulphus, supradicti Frederici Episcopi Vltraiectensis strenuus cooperator: itemque anno Christi 821. à Paschali Romano Pontifice repertum est corpus S. Cæciliæ Virginis & Martyris ipsa eadem reuelante, aureis velatum indumentis sanguine adhuc infusis: quod inuentum simul cum corporibus SS. Martyrum Valeriani eius sponsi, Tiburtij, Maximi, nec non Vrbani atque Lucij Romanorum Pontificum, transtulit idem Pontifex intra Vrbem in Ecclesiam eiusdem S. Cæciliæ nomine nuncupatam, quam & plurimis donis auxit. Quomodo autem ista se habuerint, Anastasius descripsit ex ipsius Paschalis ea de re editis literis Apostolicis. Quin eadem sacra pignora diuturnitate temporis ferè in tenebris iacentia, nostro tempore sub Clementis Octaui Pontificatu, anno Redemptoris 1599. à Paulo Sfondrato eiusdem tituli S. Cæciliæ Presbytero Cardinale, ita inuenta sunt in reædificatione eiusdem Basilicæ, vt fuerant à Paschale recondita; scilicet item cum madidis sanguine velis, & veste auro texta; (ô admiranda Dei opera!) quæ rursum ab eodem Clemente Papa solemni ritu reposita fuêre. Quæ si quis hagiomachis, id est, Sanctorum hostibus, & tunc & nunc refellendis confundendisque, à Deo ita disposita dixerit, certè non malè iudicarit.

Correctus error cuiusdam de patre S. Odulphi Brabanti.

Stupenda de reliquiis S. Cæciliæ.



LOTHARIVS IMPERATOR FILIVS PRÆCEDENTIS, IX. BRABANTIÆ PRINCEPS.

Præfuit annos quindecim.



MORTVO Ludouico, dicto Pio, quàm cruentè filij de Regno concertarint, his verbis sæpè citati Annales à Pithœo editi, produnt: Anno octingentesimo quadragesimoprimo (ait Auctor) cùm conuenissent tres fratres 841
in regione Alcedorensi iuxta villam Fontinatam, & de partitione Regni concordare non possent, renuente Hluthario, qui sibi Monarchiam vendicabat, ferro decernendum, & Dei iudicio causam examinandam decreuerunt. Factumq; est inter eos 7. Kal. Iulij prælium ingens, & tanta cædes ex vtraque parte, vt numquam ætas præsens tantam stragem in gente Francorum anteà factam meminerit. Et Hlutharius quidem ad Aquēse Palatium reuertitur, Hludouicus verò & Carlus castris potiti, Carlo in Occidentalibus remanente, Hludouicus quasi mediante mense Augusto venit ad villam regiam, quæ vocatur Saltz. Hlutharius quoque, celebratis filię suæ nuptiis, rursus contra Carlum in Gallias pergit; vbi toto hiberno tempore inani labore consumpto, Aquisgrani reuertitur. Anno quoque proximo (qui est Christi 842.) Hludouicus ciuitates in Occidentali Rheni littore positas, 842
quæ partibus Hluthariј fauebant, in deditionem accipit, occurritque ei Carlus apud Argentoratum, quæ nunc Strazburg vocatur. Vnde pari intentione pergentes, Hlutharium in villa Sentiaca morantem, & à suis desertum fugere compellunt, 17. Kalend. Aprilis. At Hlutharius, collecto fido satis exercitu, apud Matasconam Galliæ vrbem consedit. Quem consecuti fratres sui, cùm iam vidissent proniorem ad pacem, fœdus inire maluerunt, quàm diutiùs contentionibus deseruire. Hludouicus verò circa autumnum apud Wormatiam Carolo fratri occurrit, Hluthario in villa Thiotonis morante. Vbi cùm Missi eorum in Confluente castello de partitione Regni concordare non possent, dilato in aliud tempus Placito, singuli ad sua reuertuntur. Ita quidem hoc anno proximo, vt iidem Annales testantur, descripto Regno à Primoribus, 843
& in tres partes diuiso, apud Virdunum Galliæ ciuitatem, tres Reges

Prælium cruentum inter Lotharium eiúsque fratres.

Ludouicus & Carolus coniunctis viribus Lotharium fugant.

De fœdere inter fratres tentatur, sed primùm frustrà.

mense

mense Augusto conuenientes, Regnum inter se dispertiunt; & Hludo-
Tandem inter se partiuntur Regnum. uicus quidem Orientalem partem accepit, Carlus verò Occidentalem tenuit, Hlutharius, qui maior natu erat, mediam inter eos sortitus est portionem; factaque inter se pace, & iuramento confirmata, singuli ad disponendas tuendasque Regni sui partes reuertuntur. Ita sæpè citati Annales. Neque distinctiùs aut ipsi, aut alij veteres Annales partitionem hanc exprimunt: tantùm mediam portionem Hlutharij, vtcumque habemus suis limitibus distinctam, quam postea alia occasione ad annum Christi octingentesimum septuagesimum proferemus. Porrò fuit hic annus lugubris Italiæ ex ingenti clade à Saracenis illata vniuersæ
Saraceni in Italia Beneuentum occupant, Capuam incendunt, aliaq; mala inferũt. Campaniæ atque Samnitibus, qua illi Beneuentum occuparunt, Capuam incenderunt, atque alia mala innumera perpetrarunt: quæ isto anno cœpta (vt Nithardus & veteres nostri Annales Pithœani fidem faciunt) ad annos fermè triginta in posterum propagata esse Leo Ostiensis tradit, cùm, vt ait, Ducibus Beneuentanis inter se bellis ciuilibus decertantibus, alterutrim Saraceni ex Sicilia atque Hispania in auxilium vocati sunt. Hoc item anno Carolus Lotharij Imperatoris frater Aquitaniam quasi ad partem Regni sui iure pertinentem affectans (verba sunt
Item Gallia variè turbatur. eorumdem Annalium) Pipino nepoti suo molestus efficitur, eumque crebris incursionibus infestans, grande detrimentum sæpè proprij pertulit exercitus. Idem quoque Carolus anno sequenti, qui est post Chri-
844 stum natum 844. Bernhardum Barcenonensem Ducem, incautum & nihil ab eo mali suspicantem occidit. Pipini quoque Duces Caroli exercitum iterùm superant 7. Idus Iunij. Sed feliciùs eius frater Hludouicus Adobodritos defectionem molientes bello perdomuit, occiso Rege eorum Gozzomuil, terramque illorum & populum sibi diuinitus subiugatum per Duces ordinauit. Sic Annales illi. Hoc anno post Gregorium Quartum creatus est Romanę Sedis Pontifex Sergius eius nominis Secundus, natione Romanus, illustri familia ex patre Sergio natus, pietate, eruditione, & moribus insignis, eiecto Ioanne, qui Sedem violenter occupare tentarat. Quę quomodo se habuerint, pluribus narrat Anastasius: qui addit, Lotharium Imperatorem certiorem factum de consecra-
Lotharius mittit filium Romam, vt nomen Imperatoris sortiatur. tione Sergij, Romam misisse Ludouicum filium suum, vnà cum patruo suo Drogone Metensi Episcopo, aliisque plurimis Præsulibus ac Comitibus. Cur autem missus fuerit, Ado Viennensis huius pariter sæculi Scriptor, ait fuisse, vt qui iam à patre Rex Italiæ factus fuerat, Imperatoris nomen à Summo Pontifice sortiretur. quod & factum fuisse affirmat. Sed quòd etiam Romanos idem Rex sibi sacramento vellet adigere, prohibuit eos Pontifex, nisi in verba Lotharij tantùm Imperatoris iurare. Hæc Anastasius. Intereà anno Christi octingentesimo quadra-
gesimo



LOTHARIVS IMP. IX. BRABANT. PRINCEPS.

Nortmanni tum Galliam tum Frisiam variè populantur.

845 gesimo quinto Nortmanni Regnum Carli vastantes per Sequanam vsque Parisios nauigiis venerunt; sed tam ab ipso quàm incolis terræ accepta pecunia copiosa, (verba sunt Annalium à Pithœo editorum) cum pace discesserunt. In Frisia quoque tribus præliis conflixerunt, in primo quidem victi, in secundis verò duobus superiores effecti, magnam hominum multitudinem prostrauerunt. Castellum etiam in Saxonia, quod vocatur Hammaburg, populati, nec inulti reuersi sunt. Carlus similiter Rex cum Britonibus conflixit, & cum grandi damno exercitus sui ipse cum paucis vix euasit. At contrà Hludouicus alter Lotharij Imperatoris frater XIV. ex Ducibus Boëmanorum cum hominibus suis Christianam Religionem desiderantes suscepit, & in Octauis Theophaniæ baptizari fecit. Tempore verò autumni in Saxonia apud Padobrunno generale Placitum habuit, vbi fratrum suorum, & Nortmannorum, Sclauorum quoque & Bulgarorum Legationes suscepit, & absoluit. Hlutharius verò Imperator Solcratum Ducem Arelatensem, & reliquos Comites illarum partium rebellare molientes, in deditionem accepit, & prout

XIV Duces Boëmanorum cum suis baptizantur.

Filia Lotharij rapta à vassallo Caroli eius fratris, hinc inimicitiæ.

846 voluit, prouinciam ordinauit. Hæc ibi. Anno verò sequenti, Gisalbertus quidam vassallus Carli filiam Hlutharij Imperatoris rapuit, & in Aquitaniam profectus in coniugem accepit. Et quidem Hludouicus vtriusque frater, cùm iuxta lacum Briganticum 2. Nonas Aprilis Pascha celebrasset, posteà cum Hluthario locutus, voluit eum cum Carlo pacificare: sed cùm res non haberet effectum, ipse Hludouicus circa medium mensem Augustum cum exercitu ad Sclauos Marcenses defectionem molientes profectus, compositis rebus, Ducem eis constituit Rasticem nepotem Moimari. Atque his temporibus Mauri Romam cum exercitu venientes, cùm non possent Vrbem irrumpere, Ecclesiam sancti Petri vastauerunt. Sic iidem Annales. Sed Leo Ostiensis de irruptione ista Maurorum tractans, præter expilationem Ecclesiæ S. Petri, quæ tunc extra Vrbem erat, ponit insuper alias eorumdem Saracenorum deprædationes per Italiam tunc factas, nec non Cassinensis cœnobij ab eorum manibus diuinitus factam liberationem, ac denique horribile naufragium nauium, prædæ, hominum, quod iidem in Africam redeuntes passi sunt, sanctis Petro & Benedicto ipsis in mari terribiliter apparentibus. De quo etiam naufragio meminit Anastasius. Hoc item anno Kalendis Martij Francorum Episcopi, qui anno superiori Meldis conuenerant, & complura statuerant tum Regi, tum vniuerso populo profutura, cùm variis superuenientibus casibus haud fuissent ea promulgata, vel executioni mandata, rursum iidem Parisiis Synodum habuêre. Verùm tantum abest, vt his correcti fuerint Regni Proceres, qui Abbatias & alias res Ecclesiasticas à Rege Carolo in beneficium accepissent, vt contrà

Saraceni Ecclesiam S. Petri & alia loca Italiæ vastant.

Inuasores Abbatiarum causa multorum malorum in Galliis.

contrà iidem apud ipſum Regem egerint, vt reiectis aliis, vndeviginti tantummodò Canones Concilij Meldenſis obſeruandos promulgauerit. Quare accidit, quod pronuntiauerunt Patres, vt ira, indignatio ac tribulatio ſuper Regem & Principes effunderentur, vt nouis (vt videbitur) Nortmannorum incurſionibus Regnum Deus affligi permiſerit, ipſeque Rex iniquiſſimas ab eis ſubire leges coactus eſt, qui ab Epiſcopis ſanctè pieque iuxta Canonum traditionem ſtatutas recuſauit accipere. Sed hæc poſteà anno octingenteſimo quinquageſimo. Annus octin- 847
genteſimus quadrageſimus ſeptimus, ait Auctor Annalium à Pithœo editorum, à bellis quieuit, quem Hlutharius Imperator & Hludouicus eius frater mutua familiaritate tranſegerunt. Hludouicus tamen Hlutharium & Carlum ita, vt voluit, pacificare non potuit, renuente Hluthario propter iniuriam ſibi à Gisberto Vaſallo Carli in raptu filiæ ſuæ factam. Eo anno Otgarius Moguntiacenſis Epiſcopus XI. Kalend. Maij obiit, in cuius locum Hrabanus ordinatus eſt V. Kalend. Iulij: qui eodem anno, iubente Hludouico Rege, apud Moguntiacum Synodum habuit circa Kalend. Octobris. Porrò occaſio huius congregandi Concilij eadem quæ Meldenſis fuiſſe cognoſcitur. Hoc enim colligitur cùm ex multiplicibus in eodem Concilio de ea re Canonibus conſtitutis, tum ex Synodali epiſtola ad eumdem Ludouicum Regem præfixa.

Fruſtrà Ludouicus reconciliare inuicem fratres Lotharium & Carolum nititur.

Qua & illud notatione dignum continetur, quòd teſtantur Patres ſe decreuiſſe, vt pro ſalute Regis, eiuſque coniugis ac filiorum, per ſingulas Diœceſes ab Epiſcopis & Clericis, ab Abbatibus & Monachis Miſſę tria millia & quingentæ celebrarentur, & Pſalteria mille ſeptingenta recitarentur. Pertinet item ad hoc Cōcilium, quod in iiſdem antiquis Annalibus habetur de pſeudoprophetiſſa, quę inter alia deliria, certum conſummationis ſæculi diem, ipſumque eodem anno futurum, tamquam ex diuina reuelatione prædicabat. Vnde permulti plebeij, nonnullique etiam Clerici timore perculſi, munera ei deferentes, ſe illius orationibus commendabant, ac magiſtram ſequebātur. Diligenti verò examine in Synodo de ea habito, profeſſa eſt eadem ſe lucri cauſa, auctore quodam Presbytero, ſparſiſſe; quę Synodali iudicio publicis cęſa flagellis, ſic cum dedecore ſuis vaticiniis finem impoſuit. - t verò anno ſequēti (qui eſt Chri- 848
ſti 848.) Hlutharius Imperator & Hludouicus Rex menſe Februario colloquium habuerunt in Confluente caſtello, vbi pars Hlutharij illud quidem, ſicut fama vulgabat, (loquūtur ſępè citati Annales) maximè moliebatur, vt Hludouicus, poſthabita Carli amicitia, ſibi ſociaretur: ſed Hludouicus memor pacti quod cū Carlo dudum inierat, ſuaſoria machinamenta ingenioſè declinans, finito colloquio ad ſuos reuerſus eſt. Eodem anno Goteſcalcus quidam Presbyter de prædeſtinatione Dei prauè ſentiens,

Miſſarum tria millia, & alia pro ſalute Regis decreta.

Pſeudoprophetiſſa publicè flagellis cęſa.

tiens, & tam bonos ad vitam, quàm malos ad mortem perpetuam ineuitabiliter à Deo prædestinatos esse affirmans, in Conuentu Episcoporum apud Moguntiacum rationabiliter conuictus, & ad proprium Episcopum Ingumarum Remis transmissus est. Ita Annales illi; item Sigebertus, licet vno anno tardiùs, & alij. Et nota, quod maximè damnatur, quòd dixit, INEVITABILITER. nam omnino per causas liberas seu prædestinatio seu reprobatio effectus suos sortiuntur, atque ita nullo modo, quod Gotescalcus ille volebat, ineuitabiliter.

Gotescalci error de prædestinatione reprobatus, & quis ille.

Anno proximo,
849 qui fuit à Christo nato 849. Boëmani more solito fidem mentientes, contra Francos rebellare moliuntur. Ad quorum perfidos motus comprimendos, Hernustus Dux partium illarum, & inter amicos Regis primus, Comitesque non pauci cum exercitu copioso mittuntur. Sed horum nonnulli, dum inconsultis ceteris, bellum hostibus paci studentibus intulerunt, statim experti sunt, quid sine timore Dei propria discordantium possit audacia: hostes enim effecti superiores, cædendo persecuti sunt eos vsque ad castra, occisorumque spolia in conspectu eorum securi detrahebant: vnde & coacti obsides Franci dabant eis, à quibus suscipere dedignati sunt, vt via publica in patriam reuerti potuissent. Ita Annales à Pithœo editi.

Franci infeliciter contra Boëmanos pugnant.

Hoc anno cùm Romæ innotuisset, Saracenos ex Africa, ingenti comparata classe, iterùm in Italiam ad vrbis Romæ excidium properare; Leo Papa, quæcumque posset, ad eius defensionem conferens, muros dirutos refecit, multa corpora Sanctorum, quibus securiùs ciuitas custodiretur, è cœmeteriis eruta intra illam inuexit; sicque Deo placato, & Sanctis conciliatis, factum est mirabiliter, vt appropinquantibus Saracenis ad Romanum portum, Neapolitani, aliique ipsis vicini populi sponte accurrerint cum classe optimè instructa, ad subueniendum Ecclesiæ Romanæ; & maiori adhuc miraculo, vt naues Saracenorum cum illis pugnantes, vehementissimis obortis ventis omnino dissipatæ & confractæ fuerint, ipsique Barbari naufragio, ferro, fame, suppliciis consumpti sint. Hæc Anastasius.

Saraceni iterùm Italiam inuadentes insignem cladem accipiunt.

Ceterùm anno octingentesimo quinquagesimo
850 immensus similiter Nortmannorum turbo Gallias inuasit, de quo ista Auctor Annalium à Pithœo editorum: Roruc, inquit, natione Nortmannus, qui temporibus Hludouici (Pij) Imperatoris cum fratre Harialdo vicum Dorestadum iure beneficij tenuit, post obitum Imperatoris, defuncto fratre, apud Lotharium proditionis crimine falsò, vt fama est, insimulatus, tentus & in custodiam missus est. Vnde fuga lapsus, in fidem Hludouici Regis veniens, cùm per aliquot annos inter Saxones, qui confines Nortmannis sunt, mansitaret, collecta Danigenarum non modica manu cœpit piraticam exercere, & loca Regni Lutharij Septemtrionalis Oceani littoribus contigua vastare; venitque

nitq́ue per oſtia Rheni fluminis Doreſtadum, & occupauit eam atque
poſſedit. Vbi cùm à Lothario ſine periculo ſuorum non poſſet expelli,
cum conſilio Senatus, Legatis mediantibus in fidem receptus eſt, ea con-
ditione, vt tributis ceteriſq́ue negotiis ad Regis ærarium pertinentibus
inſeruiret, & piraticis Danorum incurſionibus obuiando reſiſteret. Et

Roruc Nortmanno Doreſtadum à Lothario conceditur.

eodem anno quoque Nortmanni, Godefrido Duce, per Sequanam
aſcendentes, Regnum Carli prædantur; ad quorum repulſionem Hlu-
tharius Imperator in auxilium vocatus, cùm ſibi pugnandum eſſe cum
hoſte putaret, Carlus, clàm mutato conſilio, Godefridum cum ſuis in
ſocietatem Regni ſuſcepit, & terram eis ad inhabitandum delegauit,
Lotharius verò ad propria reuerſus eſt. Hæc Annales illi. Porrò an-

Item Godefrido Nortmanno pars Galliæ à Carolo.

no ſequenti, qui eſt Chriſti 851. Sorabi etiam Francorum fines crebris 851
incurſionibus atque incendiis infeſtant. Vnde Rex Hludouicus com-
motus cum exercitu per Thuringiam iter faciens, terram eorum ingreſ-
ſus, perditis frugibus, & omni ſpe adempta, magis eos fame quàm fer-
ro perdomuit. Intereà Pipinus Aquitaniæ Rex comprehenſus à ſuis
Carlo Regi cum Regno traditur, effectuſq́ue Clericus Sueſſioni in Mo-
naſterio S. Medardi retruditur, & Carolus frater eius iunior in Mona-
ſterio Corbeienſi. Sic iidem Annales. Et eodem anno Ludouicus Im-

Pipinus Aquitaniæ Rex a ſuis Carolo Regi traditur.

perator Lotharij Imperatoris filius (ſic loquuntur Ado Viennenſis &
Leo Oſtienſis, in ſuis Chronicis) rogatus Beneuentum venire, prouin-
ciam illam Italiæ à iugo Saracenorum liberauit, eos omnes internecioni
ſubdens. Anno verò proximo Genaldus Nortmannus, qui ſuperioribus 852
annis iram domini ſui Horuc Danorum Regis fugiens, ad Regem Hlu-
douicum ſe cōtulit, ab eo benignè ſuſceptus, baptizatus eſt: qui cùm per
plures annos honorificè inter Francos haberetur, tandem Principibus
Borealium partium & cuſtodibus Danici limitis, quaſi lubricæ fidei de
molimine proditionis cœpit eſſe ſuſpectus; vnde & ab eis occiſus eſt.
Hæc Annales ſæpè citati. Et eodem anno Leo Pontifex, abſoluta quam
cœperat noua ciuitate, qua incluſit Baſilicam S. Petri, cum adiacenti-

Nortmannus quidā dudum inter Francos honorificè habitus, demum ab eis occiditur.

bus diuerſarum gentium Romam peregrinantium ibi erectis hoſpitali-
bus habitaculis, eamdem aqua benedicta, multiſq́ue orationibus ſan-
ctificatam, ſolemni ritu Deo dicauit die 27. menſis Iunij, quæ ab eius
nomine Leonina dicta eſt. Hæc Anaſtaſius qui aderat. Anno verò ſe-
quenti (eſt is Chriſti 853.) Nortmanni per Ligerim fluuium venientes

Pars Romæ vbi Eccleſia S. Petri, hoc tempore primùm muris ſepta.

Turonum Galliæ ciuitatem prædantur, & inter alias ædes, Eccleſiam 853
quoque ſancti Martini ſuccendunt. Sic breuiter Annales à Pithœo editi.
Regino paulò pleniùs: Nortmanni, Britanni, cùm mare nauigio gyran-
tes, oſtia Ligeris fluminis occupauerunt, repentina irruptione ciuitatem
Namnetis inuadunt; omnemq́ue circumquaque regionem deuaſtantes,

Nortmanni vaſtant Namnetes.

 primùm

Andegauum, Turones. primùm Andegauenſem, deinde Turonicam occupant vrbem, ac velut immanis tempeſtas cuncta conſumunt. Templum etiam præcellentiſſimi Pontificis Martini incendio cremauerunt, euerſoque maiore Monaſterio, centum illic & ſexdecim Monachos peremerunt. Tradunt hæc Regino, Sigebertus, Otho Friſingenſis, & alij. Dei verò prouidentia factum erat, vt antequam ciuitas à Barbaris inuaderetur, S. Martini corpus inde ſublatum, ab eiuſdem Eccleſiæ Clericis primò Aurelianum, deinde Antiſidorum transferretur, de quo Odo Cluniacenſis in libello de Tranſlatione S. Martini pluribus. Intereà Aquitanorum Legati Ludouicum Germanorum Regem crebris ſupplicationibus ſollicitabant, vt aut ipſe ſuper eos Regnum ſuſciperet, aut filium ſuum mitteret, qui eos à Carli Regis tyrannide liberaret, ne fortè ab extraneis & inimicis fidei quærere cogerentur auxilia. Quare anno octingenteſimo *Aquitani inuitant Ludouicum Germanicum contra tyrannidem Caroli.*

854 quinquageſimo quarto, Hludouuicus filius Hludouuici Regis ad Aquitaniam pergit. Vbi cùm non eſſet ſuſceptus, niſi ab ea tantùm ſola cognatione, quam Carlus maximè offendit propter interfectionem Gozberti eorum propinqui, ceteris diſſimulantibus, cum ſuis ſe circa tempus autumni in Franciam recepit. Nortmanni quoque qui continuis viginti annis (verba ſunt Annalium à Pithœo editorum) Regni Francorum fines per loca nauibus acceſſibilia crudeliter vaſtabant, in patriam ſuam reuerſi ſunt; ibique inter Horuc Regem Danorum & Guduym filium fratris eius orta contentione, ita ſe mutua cæde mactauerunt, vt vulgus quidem promiſcuum innumerabile caderet, de ſtirpe verò Regia niſi vnus puer, nullus remaneret, Domino ſanctorum virorum ſuorum *Nortmanni mutuis gladiis concidunt.*

855 iniurias vlciſcente. Sic ibi. At verò anno Chriſti octingenteſimo quinquageſimo quinto, cùm apud Ludouicum Imperatorem Lutharij Imperatoris filium Daniel quidam Magiſter militum Romæ (ſic loquitur Anaſtaſius) inuidia aduerſus Gratianum alium item Magiſtrum militum ductus, ipſum calumnioſè accuſaſſet, quòd vellet, excuſſo Francorum iugo, Græcos Romam euocare, his Ludouicus commotus, Romam ſe concito gradu contulit. Vbi in Conuentu Romanorum ſimul & Francorum, præſente quoque Leone Papa, habita exactiſſima de eadem cauſa quæſtione, Gratianus innocens repertus eſt criminis intentati, & Daniel propria confeſſione impoſtor detectus, Gratiano ex libito puniendus eſt traditus, & ab eodem mox Imperatori petenti conceſſus. Hæc Anaſtaſius qui interfuit. Et quidem tum ex his, tum ex aliis quæ narrauimus ad annum 851. liquet, Ludouicum Lotharij filium, etiam viuente patre Imperatorem in Italia ſe geſſiſſe: tamen quòd pater primas partes tenuerit Imperij (vide ſuprà ad annũ 844.) hinc eſt quòd Regino & alij hoc demum anno eum filiis Imperium diuiſiſſe, & ſæculo valedixiſſe *Turba Romæ à Ludouico Lotharij filio compoſita.*

dixisse scribant. Reginonis hæc sunt verba: Lotharius Imperium filiis suis diuisit. Ludouico Italiam tradidit, eumque Imperatorem appellari fecit; Lothario Regnum, quod ex suo nomine vocatur, concessit; Carolo Prouinciæ Regnum largitus est: dispositisque Regni negotiis mundum reliquit, atque in Prumiam veniens, in Religionis professione diem clausit extremum 3. Kalendas Octobris. Et eadem ferè sunt in Annalibus à Pithœo editis. Sigebertus sic: Lotharius Imperator, partito inter filios Regno, & in Prumia habitu Monachi suscepto, non multò pòst dormiuit in Domino. Quod ad Brabantica huius temporis speciatim attinet, ista habet Molanus noster ad trigesimam Martij Natalium Sanctorum Belgij: Lembecæ in confinio Brabantiæ & Hannoniæ, transitus sancti Veroni Confessoris, fratris sanctæ Veronæ. Hic asseritur filius fuisse Ludouici Regis Teutoniæ & Alamanniæ fratris Caroli Calui. Sed Olbertus Abbas, qui ad Raginerium Comitem eius inuentionem & miracula scripsit, fatetur quidem eum temporibus Nortmannorum vixisse, sed addit genealogiam & vitam occasionem quamlibet inuidendo sustulisse, ideoque Deum eam miraculis specialibus nobis commendasse. Anno itaque quarto vltra millesimum Humberto Presbytero se & Natalem suum reuelare dignatus est. Cumque diuersa miracula subsequerentur, & Brachbantenses partes intolerabiles tolerarent seditionum oppressiones, Raginerius Comes corpus sanctum ex villa Lembeca, quæ nullas habebat munitiones, transtulit Castrilocum ad Monasterium sanctæ Waldetrudis. Hæc inter alia ibi. Huius Lotharij Imperatoris extremis temporibus inseritur inter Leonem Quartum & Benedictum Tertium Ioannes Papa femina, inueniturque id figmentum primus litteris consignasse Marianus Scotus, qui vixit demum circa annum millesimum septuagesimum. Is sic habet: Leoni successit Ioanna mulier annis duobus: quamuis, vt volunt, in autographo scriptum tantùm sit; Ioannes, qui, vt asseritur, fuit mulier. Quidquid sit, iamdudum fabulam illam firmissimis argumentis exploserunt, Onuphrius in Platinam, Bellarminus, Baronius, & alij. Illud pro instituti nostri ratione sufficit, Anastasium, Adonem Viennensem, Reginonem, nec vllum Scriptorem huius æui, monstrum illud nouisse, imò omnes Leoni Benedictum immediatè subiungentes illud satis refellunt. Anastasij verba hæc sunt: Hic Benedictus ob sanctitatem vitæ, mortuo Leone, vnus dignus successor habitus est. Quin etiam eadem verba sunt apud Platinam neotericum Scriptorem, fabulæ eius cum ceteris fautorem; quò minùs ignoscendum est illi, quòd sui tam immemor, nihilominùs fabulosam Ioannam suo Catalogo attexuerit. Sic & Ado Episcopus Viennensis Gallus eiusdem temporis Scriptor grauissimus in Chronico suo

Lotharius diuiso Imperio inter filios fit Monachus.

S. Veronus & eius soror S. Verona illustrant Brabantiam.

Differitur de Ioanna Papissa, quæ hoc tempore fingitur.

Ostenditur eam confictam, contra auctoritatem omnium Scriptorum huius æui.

in Lothario ait: Et Pontifex Gregorius moritur, atque eius loco Sergius ordinatur. Illo defuncto Leo succedit. Quo obeunte Benedictus in Sede Apostolica substituitur. Et similiter loquuntur Regino, Otho Frisingensis, Lambertus, Conradus, & quis non ante Marianum? Et hoc fuit spatium ducentorum annorum, quo præter iam dictos etiam claruerunt Aimoïnus Frodoardusque Gallici insignes Scriptores, quorum nulli innotuit hoc monstrum.

LOTHARIVS II. REX

FILIVS PRÆCEDENTIS, X. BRABANTIÆ PRINCEPS.

Præfuit annis tredecim.



FILIVS hic Lotharij Imperatoris, & ex diuisione paterna, vt vidimus, Lotharingiæ Rex (in qua sine dubio Brabantia, vt sæpiùs docuimus) anno Christi o-
856 ctingentesimo quinquagesimo sexto, teste Reginone, Thietbergam Reginam sibi in matrimonium iunxit. Et anno proximo Ruoruc Nortmannus, qui præerat Dorestado cum consensu domini sui Lotharij Regis, classem duxit in fines Danorum, & consentiente Horico Danorum Rege (verba sunt Annalium à Pithœo editorum) partem Regni, quæ est inter mare & Egi-
858 doram, cum sociis suis possedit. At verò post hæc anno 858. ad Ludouicum Germanicum Lotharij huius patruum Legati ab Occidente venerunt, Edadhartus Abbas & Otto Comes, & tyrannidem Carli alterius patrui, dicti Calui, se diutiùs ferre non posse testati sunt. Quibus auditis Rex Ludouuicus grauiter conturbatus est; tandem consilio sapientum, mediante mense Augusto, collecto comitatu venit in Galliam, vbi occurrerunt ei ferè omnes Primores partium illarum, exceptis iis, quos tunc Carolus secum habuit contra Nortmannos super Ligerim fluuium. Qui vt audiuit, Ludouuicum esse intra terminos Regni sui, dimissa obsidione, cum exercitu occurrit in loco qui vocatur Briacus. Sed visa multitudine Orientalium, ipse quidem cum paucis latenter abscessit, exercitus verò ad Ludouuicum transiuit. Vbi cùm Ludouuicus nimis securè ageret, quosdam etiam clàm studere Carolo præsentisceret, simul

Lotharius ducit vxorem Thietbergam.

Ludouicus Germ. in Galliam venit euocatus contra tyrannidem Calui.

Sara-



LOTHARIVS II. LOTHARINGIÆ REX, X. BRAB. PRINC.

Germanicus iterùm in Regnum suum regreditur.

Saraborum nuntiata rebellione, in Regnum suum quantocyùs regressus est. Ita Annales illi. Sed præludia tantùm hæc fuerunt malorum, vt in sequentibus videbitur. Hoc autem eodem anno Carolus Lotharij Imperatoris filius, & Lotharij huius frater, moritur, qui Prouinciam regebat; & ex Regno quod tenuerat, facta est non modica controuersia inter Lotharium Regem & patruum eius Carolum. Ita Regino ad hunc annum. Controuersia tamen illa non adeò exarsit, nisi priùs post biennium, vtcumque sopita contentione altera inter Ludouicum Germanicum & Carolum Caluum Lotharij patruos, de qua dicere cœpimus. Etenim Carolus, reuerso Ludouico in Germaniam, rebus suis consulturus, Legatos misit in Italiam ad Ludouicum nepotem Imperatorem, & ad Nicolaum Romanum Pontificem, expostulans de Ludouico fratre, qui non læsus, Regnum suum aggressus esset: qui ambo litteris Ludouicum Regem monuerunt, ne quid in alienum Regnum præsumeret. Sed ipse iis receptis, legauit pariter ad eosdem in Italiam Othonem Fuldensem Abbatem, qui suam rectam in omnibus intentionem insinuaret.

Moritur Carolus Rex Prouinciæ.

Ventilatur controuersia Germanici & Calui apud Papã & Imp. Ludouicum.

859 Quare anno sequenti, qui est Christi nati 859. Ludouuicus Rex, cùm frequentibus Legatorum suorum discursibus fratris ac nepotis sui animos sibi reconciliare studeret (loquitur Auctor Annalium à Pithœo editorum) eorumque responsa per internuntios reciproca relatione susciperet, tandem, condicto tempore, singuli cum æquo numero Principum suorum iuxta* Aternacum castellum in quadam insula Rheni fluminis nauigio vecti conuenerunt, reliquo singulorum comitatu super littus ex vtraque parte fluminis consistente. Vbi cùm diu varia & anceps actarum simul & agendarum rerum agitata esset disputatio, condicto Placito Autumni tempore iuxta Basalam communiter habendo, singuli cum suis ad propria reuersi sunt. Ludouicus tamẽ iis, qui priori anno à Carlo deficientes sui effecti sunt, honores quos priùs habuerant, impetrare non potuit; res enim dilata est in futuro Placito definienda. Ita Auctor ille. Ceterùm istiusmodi Placitum dilatum est vsque in sequentem annum

**Alternacum*

Frustrà inter eos pax tentatur.

860 octingentesimum sexagesimum, quando tandem concordia inter ipsos sancita est, de qua ista habet idẽ Auctor: Ludouicus & Rex Carlus frater eius, nepósque eorum Lotharius, cum Primatibus suis in Confluente castello conuenientes, pacem inter se & fidelitatem mutuam singuli iuramento confirmauerunt. Sic ibi. Verùm Carolum non stetisse pactis conuentis, sed cogitasse paulò pòst de inuasione alienorum, querelæ docent Ludouici fratris eius & Lotharij nepotis ad Nicolaum Pontificem epistola à Baronio edita, qua præclarum exemplum exhibent subiectionis & reuerentiæ erga Sedem Apostolicam & ipsum Nicolaum, inuitantes interim eum in Gallias, vt quos nulla pacis fœdera (verba sunt

Tandem paciscuntur, itemq; Lotharius noster.

Turbata pace, iterùm recursum ad Sedem Apostolicam.

ſunt epiſtolæ) nulla mouent fraternæ charitatis viſcera, nulla nectunt conſanguinitatis lineamenta, Apoſtolica inuectio ad cenſuram Eccleſiaſticam venire compellat. Hæc illi. Anno proximo, qui eſt Chriſti 861. Ludouicus Germaniæ Rex Conuentum habuit in Reganesburg 861
tertia ſeptimana poſt Paſcha, in quo Ernuſtum ſummatem primarium inter omnes Optimates ſuos, quaſi infidelitatis reum, publicis honoribus priuauit. Interim Carlmannus filiorum Regis maximus res nouas moliri viſus eſt. Expulit enim Duces, quibus cuſtodia commiſſa erat Pannonici limitis & Cartani, & per ſuos Marcam ordinauit. Sed anno 862
ſequẽti per ſacramenta pacis & ſecuritatis ſuę Reganesburgum venit, & reddita ratione conuicit aduerſarios, patrique ſuo reconciliatus eſt. Hoc quoque anno Rex ducto in Obodrictos exercitu, Ducem eorum Tabamuzilem rebellantem obedire, & filium ſuum cum aliis obſidibus dare coëgit. Iſta Annales à Pithœo editi. Eodem anno miræ tragœdiæ paratum eſt argumentum à Lothario noſtro Lotharingiæ Rege, dum iuuenili ardore concupiſcentię fręna laxauit in amorem Waldradę, quam ab ipſa infantia conſuetudine puerili amans, vxorem accipere decreuit. Quòd verò iam legitimo Theutbergæ Reginæ matrimonio iunctus eſſet, egit cum Epiſcopis Regni ſui, vt conuocata Aquiſgrani Synodo, octo ex ipſis, Theutbergæ cauſa cognita (quæ falsò accuſata inceſtus cum proprio fratre, referebatur etiam id ſcelus confeſſa) matrimonium illud diſſoluerint, ipſique Lothario ſe incontinentem profitenti permiſerint aliam vxorem. Sed & ad corroborandam eiuſdem Regis cauſam, nouum eſt excogitatum commentum ab Aduentio Metenſium Epiſcopo, quo probare conatus eſt Waldradam iam à tenera ætate Lothario coniunctam fuiſſe matrimonio ab eiuſdem Regis patre Lothario Imperatore, ſed poſt mortem Imperatoris Theutpergam ipſi Regi inuito adhuc adoleſcentulo coniunctam fuiſſe à Theutpergæ fratre Huberto magnæ auctoritatis; ac proinde non ipſam, ſed Waldradam legitimam eſſe dicendam eiuſdem Regis coniugem. Sed ecce, inter hæc cùm idem Lotharius in ſuo Regno quoque foueret Engeltrudem Matfridi Comitis primarij filiam, ſed moribus ignominioſiſſimam, quę relicto Bosdue marito, huc illuc diuagans per ſeptem annos alienis viris inhæſerat, & ad proprium maritum redire recuſans, à Nicolao Papa excommunicata fuerat; nec non Balduinum nobilem virum, itidem ab Epiſcopis Galliæ excommunicatum, quòd Caroli Calui, cuius vaſallus erat, filiam Iudith nomine, viduam Regis Anglorum rapuiſſet vt vxorem haberet; cùm inquam de his omnibus perlatæ eſſent ad Nicolaum Papam querelæ, idem Pontifex ad eumdem Carolum Lotharij patruum literas dedit commonitorias, vt nepotem ad ſaniorem mentem reduceret. Qua-

Germanicus vincit Obodrictos.

Heu! quid poteſt cæca adulatio, timore Dei excluſo?

Verum illud: Qui ſordeſcit, ſordeſcat adhuc.

Nicolaus Papa Lotharium ad ſanam mentem reuocare nititur.

Quapropter Carolus paratus in eum vlcisci, retentus est tamen à Rege Ludouico fratre, & habito magno Conuentu Antistitum ac Comitum in villa Sablonarias tertio Nonas Nouembris, promisit Lotharius, iuxta diuinas leges ex Caroli sententia cuncta se esse impleturum. Sed mox, vt eluderet Carolum, Romanum Pontificem appellans, rogauit eumdem, vt Synodum Metis celebrandam indiceret. Hinc ergo anno sequenti, qui est Christi octingentesimus sexagesimus tertius, habita est

863 mense Iunio Metensis Synodus: in qua corruptis pecunia Sedis Apostolicæ Legatis, teste Anastasio & aliis, confirmata est expulsio Theutbergæ Reginæ legitimæ vxoris Lotharij, & Waldradæ pellicis subintroductio; hæc omnia præcipuè agentibus Gunthario Coloniensi & Theitgaudo Treuirensi Archiepiscopis. Sed iidem ad Sedem Apostolicam missi, vt ea Nicolao Papæ probanda persuaderent, tantum abest vt quod vellent obtinuerint, vt etiam ab eodem Pontifice in Synodo ea de re in Laterano collecta ipsi depositi fuerint, ac communione priuati; Actaque Synodi Metensis penitus rescissa. Hoc anno scripsit Carolus Rex ad Nicolaum Papam literas, quibus inter alia indigno se animo tulisse significauit, quòd Balduinum, filiæ suæ Iudith raptorem, profugum Romæ recepisset, ac præterea pro illo preces ad ipsum Carolum adhibuisset. Sed rescripsit Nicolaus, se quidem facinus Balduini detestatum esse, postulantem verò subsidium Apostolorum, abiicere non licuisse. Sunt hæc Nicolai ad Reginam Iudithæ matrem verba: Obnixiùs deprecamur, vt prædictus Balduinus, qui vestram per Apostolorum intercessiones desiderat beneficentiam, obtinere pro Dei amore valeat. Ad quæ Hincmarus Rhemensis Episcopus ita Nicolao rescribit: Similiter Rex noster filius vester, vt vobis pollicitus fuerat, hos inter se matrimonium contrahere permisit, & Balduinum maximis honoribus affecit. Sic ibi. Hic est Balduinus cognomento Ferreus, primus Flandriæ Comes, cui pro dote attulisse Iuditham quidquid Somona & Scaldi fluuiis & Oceano concluditur, constanter Annales tradunt. Volunt plures eodem hoc tempore quoque cœpisse Comitatum Hollandicum. Sed vide de eo infrà ad annum nongentesimum decimum tertium. Por-

864 rò anno proximo, qui est Christi 864. Hludouicus Germaniæ Rex Lotharij alter patruus, mense Augusto vltra Danubium cum manu valida profectus, Rasticen in ciuitate Dowina obsidet. At ille, cùm Regiis copiis congredi non auderet, obsides quales & quantos Rex præcepit coactus dedit. Et eodem anno Hludouicus & Carolus Reges & fratres apud Dusicam villam mense Septembri conuenientes, fœdus ineunt, & quidquid inter eos leuitate humana vel suggestione militum perperàm gestum fuerat, sibi mutuò dimittunt. Hæc Annales à Pithœo editi. Ceterùm

Lotharius, corruptis Apostolicis Legatis, inhæret adulteræ.

Acta Legatorum Romæ rescinduntur.

Papa intercessor pro Balduino primo Flandriæ Comite.

Germanicus & Caluus inuicem reconciliantur.

Ceterùm anno deinde octingentesimo sexagesimo quinto, testante 865
Auctore eorumdem Annalium, Arsenius Episcopus, Nicolai Romani Pontificis Legatus, ob pacem & concordiam inter Hludouuicum Regem & nepotes eius, Hludouuicum videlicet Italiæ Imperatorem, & Hlutharium fratrem eius, missus est in Franciam: qui mense Iunio veniens apud Franconofurt, ab Ludouuico Rege honorificè susceptus est. A quo absolutus, in Galliam perrexit, & Theutbergam Reginam à Luthario dudum dimissam, sicut ei ab Apostolico iniunctum fuerat, eidem restituens, Waldradam concubinam eius in Italiam duci præcepit. Deinde in Regnum Caroli profectus, multisque ibi, quorum gratia illuc venerat, benè dispositis, Romam reuersus est. Sic ille. Extant de his Nicolai Papæ Epistolæ ad Ludouicum & Carolum communes, & ad Episcopos vtriusque Regni 25. & 26. atque in hac, ista sunt verba inter cetera: Permittatur ergo præclaro Imperatori (Ludouico) quietam ducere vitam, patruis suis nullam præsumptionem monstrantibus; liceat, inquam, ei per hereditaria Regna sibi iure deriuata piè ac iustissimè gubernare. Hæc ibi. Prouinciæ Regnum, credo, intelligit, quod fuerat Caroli eius fratris, de quo suprà ad annum 858. Anno proximo, qui est Christi 866. idem Ludouicus Imperator aduersus Saracenos Campaniam & Samnium infestantes, ingenti comparato exercitu, eos variis cladibus affecit, vt testantur Regino & Leo Ostiensis: & eodem anno cùm Waldrada Lotharij Regis concubina visa esset elusisse Apostolicam Sedem, vtpote quæ pollicita Romam se conferre expiationis delicti causa, ingressa Italiam retrò in Gallias remeasset, rursumque coacta Italiam repetere, nulla signa pœnitentiæ ostendisset; Nicolaus Papa, conuocata Ecclesia, eamdem Waldradam publicè excommunicauit quarto Nonas Februarij, eaque de re certiores reddidit omnes Episcopos per literas scriptas Idibus Iunij istius anni. Quæ vt Lotharius accepit, ad placandum Pontificem curauit, vt Aduentius Metensis Episcopus, in excusationem ipsius & Episcoporum eius Regni de his quæ in eos obiiciebantur à Nicolao, ad eum literas scriberet prolixas; quibus asseruit eumdem Lotharium renuntiasse penitus amori Waldradæ, ac Theutpergam Reginam magna dilectione & honore prosequi. Sed hæc omnia ad eludendum Pontificem: siquidem adhuc reperitur anno sequenti idem Nicolaus varias scripsisse ad Reges & Episcopos literas aduersus conatus Lotharij Theutpergam pessimè habentis, & omnibus modis Waldradam subintroducere pertentantis. At verò intereà anno 867
Christi octingentesimo sexagesimo septimo Nortmanni oram Ligeris fluminis occupantes, Nannetensem, Andegauensem, Pictauiensem atq; Turonicam prouinciam iteratò crudeliter depopulari cœperunt, contra

Legatus Apostolicus vxorem restituens, concubinam abduci præcipit.

866

Idem ne patruis Prouinciæ Regnum nepoti debitum inuadant, monet.

Waldrada pellex Lotharij publicè excommunicatur.

Variè quærunt Pontificem illudere Lotharius & complices Episcopi.

Intereà iteratò Nortmanni Galliam vastant.

quos Rubertus & Ranulfus, dum ipsi præliantes perimuntur, ceteri vt oues à lupis sternuntur. Ita Regino. Annalium à Pithœo editorum Auctor, simul ostendens quo tempore vixerit, his verbis eamdem stragem breuiter perstringit: Ruodbertus Caroli Regis Comes apud Ligerim fluuium contra Nortmannos fortiter dimicans occiditur, alter quodammodò nostris temporibus Machabæus. Sic ille. Sed ad Lotharium
868 nostrum redeamus. Is anno 868. ineunte Romam profectus summo studio nisus est Waldradam cum consensu Nicolai Pontificis sibi matrimonio coniungere; sed eum iam defunctum reperiens (obiit Idibus Nouembris anni præcedentis) in Beneuentum ad fratrem suum Hludouuicum perrexit, & huius copulæ fautorem illum fore postulauit apud Adrianum, qui Nicolao successit; sed petitionis effectum minimè consecutus est. Ita Annales à Pithœo editi, itemque Regino, qui & ista subiungit: Lotharius cùm Romam peruenisset, ab Hadriano Pontifice honorificè susceptus est. Qui ab eodem Pontifice sciscitatus, si monita pij patris Domini Nicolai conseruata haberet, & præstitum iuramentum inuiolato fœdere custodiret; ille deceptus ab eo qui in veritate non stetit, respondit, se ita omnia obseruasse, ac si diuinitus sibi essent imparata. (Et mentiebatur; nam & Auctor à Pithœo editus clarè habet ad annum 866. eum Waldradæ ab Italia reuocatæ iterùm se clanculò sociasse.) Cumque Proceres & Optimates qui cum eo venerant eadem testificarentur, vniuersalis Papa talia prosequitur: Si vestræ testificationis verbis veritas suffragatur, ad confessionem S. Petri accedas; ibi Deo propitio Hostiam salutarem pro tua non tam corporis quàm animæ incolumitate immolabimus, ex qua nobiscum te participare oportet; vt per hanc participationem, membris Christi vnde abscissus esse videbaris, merearis incorporari. Finitis igitur Missarum solemnibus, inuitat Summus Pontifex eumdem Regem ad mensam Christi; acceptoque in manibus Corpore & Sanguine Domini, ita eum alloquitur: Si innocuum te recognoscis à prohibito, & hoc fixa mente statutum habes, vt numquam Waldradę miscearis nefando concubitu, fiducialiter accede; sin autem tua conscientia te accusat, nequaquam sumere præsumas. Qui mente captus & obcæcatus communionem Corporis & Sanguinis Domini de manu Pontificis sumpsit, non expauescens illam sententiam quæ dicit: Horribile est incidere in manus Dei viuentis. Deinde conuersus idem Præsul ad sequaces, vnicuique Communionem obtulit in hæc verba: Si Domino & Regi tuo Lothario in obiecto adulterij crimine fauorem non præstitisti, Corpus & Sanguis Domini nostri Iesu Christi prosit tibi in vitam æternam. Igitur quisquis se læsum sciens, ausu temerario Communionem sub tali contestatione porre-

Pergit Lotharius in Italiam ad fratrem Ludouicum Imp.

Mentitur Pontifici quoad pellicem.

Grauiter eum obtestatur Pōtifex inter Missarum solemnia.

Item omnes eius sequaces.

porrectam ſumere præſumpſit, diuino iudicio percuſſus ab hac luce ſubtractus eſt, antequam ſubſequentis anni rediret principium: perpauci, qui ſe à Communione ſubtraxerunt, vix mortis periculum euaſerunt. Porrò Lotharius Româ egreſſus morbo corripitur, & Placentiam ciuitatem perueniens diem clauſit extremum, ſexto Idus Auguſti. Hactenus Regino. Aimoïnus hæc habet: Lotharius Româ lætus promouens, vſque Lucam ciuitatem venit, vbi febre corripitur, graſſante clade in ſuos, quos ſub oculis ſuis coaceruatim mori conſpiciebat; ſed iudicium Dei intelligere nolens, vſque Placentiam octauo Idus Auguſti peruenit; ibique Dominica die ſuperdiurnans, circa horam nonam inopinatò exanimis pęnè effectus eſt, & obmuteſcens in craſtinum, hora diei ſecunda moritur, & à paucis ſuorum, qui à clade remanſerant, in quodam Monaſteriolo ſecus ipſam ciuitatem terræ mandatur. Hæc ille. Deceſſit nulla prole legitima, ſed tantùm Hugone filio ex Waldrada relicto: de quo aliquoties poſteà.

Lotharius, graſſante in ſuos diuina vltione, & ipſe moritur.

CAROLVS CALVVS REX

PATRVVS SVPERIORIS,

XI. BRABANTIÆ PRINCEPS.

Præfuit annos nouem.



OTHARIO Rege ſine prole legitima defuncto, etſi ſupereſſet frater eius Ludouicus Italiæ Rex & Imperator, nihilominùs eius patruus Carolus, dictus Caluus, Regnum eius occupauit. Quare, expoſtulante Ludouico Imperatore, ab Hadriano Pontifice decreta eſt ad eumdem Carolum Legatio duorum Epiſcoporum, qua tum ipſum Regem tum Regni eius Epiſcopos atque Proceres, ſub excommunicationis comminatione admonuit, vt abſtinerent à Lotharij Regno, quod pertineret ad Ludouicum Lotharij fratrem & legitimum ſucceſſorem. Scribit hæc Aimoïnus, extantque adhuc quædam Hadriani epiſtolæ ad eos miſſæ. Sed antequam hi Legati perueniſſent ad Carolum, collecto Metis Concilio pridie Idus Septembris, decernentibus Epiſcopis Regni Lotharij, & ad id ceteros impellente Hincmaro Rhemenſi, idem Rex Carolus ibi præſens, coronam eiuſdem Regni acce-

868

Caluus Lotharingiam occupat, fruſtrà nitente Pontifice pro fratre Lotharij:

Nempe decernentibus Epiſcopis Lotharingis, Metis coronatur.

accepit, vt patet ex ipſis Synodi Actis. Regino ſtatim poſt mortem Lotharij iſta adiicit (licet vno anno ſeriùs quàm debeat, errore mortis Nicolai Papæ:) Carolus Regnum Lotharij inuadit, Coloniæ Epiſcopum Hilduinum conſtituit; Ludouicus verò Germaniæ Rex tunc ægrotans, miſſo Legato, rogat, ne ſolus hereditatem vſurpet, & alium quemdam, Wilibertum nomine, creari Coloniæ Epiſcopum curat. Ita ille, item-
869 que Annales à Pithœo editi. Intereà anno ſequenti, qui eſt Chriſti 869. idem Rex Carolus, vt Aimoïnus auctor eſt, ad placandum Romanum Pontificem Legatos in Vrbem direxit, cum oblationibus ad Baſilicam S. Petri, inter quas erant duæ coronæ aureæ gemmis ornatæ, pro duobus quæ poſſidebat Regnis. Verùm has oblationes credibile eſt ab Hadriano non eſſe ſuſceptas, cùm de his in literis poſteà ad Carolum ab ipſo datis nulla ſit mentio, quæ aliàs præteriri minimè conſueuiſſet.

Studet Caluus placare Pontificem.

870 Quin anno ſequenti, qui eſt Chriſti 870. Hludouicus Germaniæ Rex à Carolo ad colloquium inuitatus, menſe Iunio ad Occidentem profectus eſt; & diuiſo inter ſe Hlutharij Regno, Aquiſgranum reuerſus eſt, ibique per plures dies iacuit ægrotus. Ita Annales à Pithœo editi. Regino ſic ad eumdem annum: Ad Marſanam iuxta Moſam venientes, Regnum æquis partibus diuiſerunt, & Carolus ad Heriſtellium perrexit, quia ei Palatium in parte acciderat:(en cauſam præter alias mox ſuggerendas, cur Carolus potiùs in ſerie Principum Brabantiæ ponatur quàm Ludouicus Germanicus) Ludouicus verò ad Aquas palatium rediit, vbi duobus ferè menſibus lecto decubuit. Ita Regino. Limites vtriuſque portionis in initio huius Operis integros poſuimus ex Aimoïno lib.5.cap.25. Et ſunt hi præcipui: Et hæc eſt,inquit,diuiſio,quam ſibi Ludouicus accepit,Coloniam, Treueros, Vtrech, Straburgh, Baſileam. Et poſt multa: Ephternacum, Abbatiam de Aquis, Comitatum Teſterbant, Bauiam, &c. De Friſia duas partes de Regno, quod Lotharius habuit. Et ſuperaddimus ciuitatem Metenſem. Et hæc eſt diuiſio quam Carolus de eodem Regno ſibi accepit, Lugdunum, Veſuntium, Viennam, Tungros, Tullum, Viridunum, Cameracum. Et inter alia quoque, ſancti Seruatij, Malinas, Ledi, Altum Montem, Comitatum Texandrum. In Brachanto Comitatus III. In Asbanio Comitatus IV. De Friſia tertiam partem. Et poſtridie, ſcilicet quarto Idus eiuſdem menſis Iunij, ſimul iterùm conuenerunt, & valefacientes ſe mutuò, diſceſſerunt. Sic ille. Quid inter hæc egerit Hadrianus Papa, pro iure Ludouici Imperatoris, defuncti Lotharij fratris germani, ac proinde legitimi heredis, colligitur, ex eiuſdem Pontificis variis epiſtolis. Certè cùm ita Regnum Lotharij à patruis vſurpatum (ſed, vt vidimus, conſentientibus Epiſcopis & Proceribus) Pontifex intellexiſſet, nouam

Partitur Caluus Lotharingiam cum fratre ſuo Germanico.

Limites vtriuſque; vbi patet, Caluo Brabantiam obtigiſſe.

Hadrianus Papa iterùm inſtat pro iure Imp.



CAROLVS CALVVS LOTHAR. REX, XI. BRAB. PRINC.

nouam in Gallias misit Legationem (qua functi sunt tres Episcopi, & vnus S. R. E. Cardinalis Presbyter) cum diuersis literis, ad vtrumque Regem, eorumque Episcopos atque Proceres, scriptis quinto Kalendas Iulij pro restitutione Regni Lotharij Ludouico Imperatori ipsius fratri. Sed & præter illas alias rursus dedisse reperitur ad Episcopos in Regno Caroli constitutos; quibus eos graui comminatione vrgens, illud maximè inculcauit, vt si Carolus Sedi Apostolicæ obtemperare in re tam iusta recusaret, ipsi se ab eius communione seiungerent, si vellent cum Apostolica Sede communicare; alioqui fore vt indignos respuendos. Sed parum profecerunt Papa vel Imperator, potentiam virtutemque bellicam duorum istorum Regum formidantes, nisi quòd biennio pòst, vt dicetur, Germanicus ipse sua sponte quædam concesserit. Intereà

Imò comminatur excommunicatione sed paruo cum fructu.

871 anno proximo, qui est Christi 871. Hludouuicus & Carolus Ludouici Regis Germaniæ filij, durè accipientes, quòd quamdam partem Regni, quam Rex illis post obitum habendam delegauerat, Carlmanno fratri tradi, fama volitante audierunt, Spirensem pagum occupant, contra Regem patrem rebellare disponentes; sed posteà pax firmata est. Rex verò cùm mense Octobri cum suis colloquium habuisset in Franconofurt, inde in Baioariam profectus, contra Behemos irruptionem in Regnum suum molientes, partium suarum tutores misit. Et eodem anno Zuentibald nepos Rastizi superiori anno ob infidelitatem oculis priuati, & ipse infidelitatis insimulatus, in custodiam missus est. Verùm, nullo probante, dimissus in Regnum à Carlmanno Ludouici Regis filio, Sclauisco more nihilominùs fidem mentitus est, & Baioarios nihil mali suspicantes in castris aggressus, multos ex eis viuos comprehendit, ceteris pænè omnibus occisis. Ita Auctor Annalium à Pithœo editorum,

Germanicus strenuè agit contra Bohemos.

872 qui & in hæc verba adscribit anno sequenti 872. Mense Ianuario circa Epiphaniam Domini, Imperatoris Græcorum Basilij Legati ad Ludouicum Regem Radasbonam venerunt, atque ei inter cetera xenia crystallum miræ magnitudinis auro gemmisque ornatum cum parte non modica salutiferæ Crucis obtulerunt. Inde verò Rex in Baioariam reuersus Pascha celebrauit, & mense Maio misit Thuringos & Saxones contra Sclauos Marahenses. Sic ibi. Fuit Legationis eius, vt videtur, is finis, vt Basilius Imperator Ludouicum Regem in Ludouicum Imperatorem commouere posset. Hoc enim quoque anno, idem Basilius offensus Ludouici Augusti literis superiori anno ad eum missis, Andelgisum Ducem Beneuentanum ad defectionem sollicitasse reperitur; cuius turpissima proditione ipse Ludouicus Imperator Beneuenti in Palatio suo captiuus factus, detrusus est in carcerem, nec inde valuit eximi, donec fortissimis iuramentis pollicitus sit seruare, quæ ipsa pacta seruanda prodi-

Pars salutifera Crucu missa Germanico ab Imperatore Græcorum.

Ludouicus Imperator Italiæ proditione suorum capitur.

proditores obtulerunt. Hæc Regino. Nec tamen horum particeps fuit Ludouicus Germaniæ Rex, quin potiùs, quòd in se fuit, sub idem tempus partem Regni Lotharij à se hactenus vsurpatam Ludouico nepoti Imperatori cessit, de quo ista Aimoïnus lib. 5. cap. 28. Ludouicus Germaniæ Rex apud * Trientum cum Engilberga (vxore nepotis Ludouici) loquens, partem Regni Lotharij, quam contra Carolum accepit, neglectis sacramentis inter eos pactis, sine consensu ac conscientia hominum quondam Lotharij, qui se illi commendauerant, clàm reddidit. Vnde vtrimque sacramenta, prioribus sacramentis quæ cum fratre suo pepigerat diuersa & aduersa, inter eos sunt facta. Quibus patratis, Engilberga nuntium suum ad Carolum misit; mandans ei, sicut & priùs, vt ad S. Mauritium illi occurreret. Carolus verò compertis iis quæ inter eam & fratrem suum acta fuerant, noluit illuc ire; sed nuntios suos ad eam direxit, qui nihil certi ab ea ei renuntiauerunt. Hæc Aimoïnus. Ceterùm anno à Christo nato octingentesimo septuagesimo tertio, mense Iunio, Ruodulfus quidam Nortmannus de regio genere, qui Regnum Carli prædis & incendiis sæpenumerò vastauerat, (verba sunt Annalium à Pithœo editorum) classem direxit in Regnum Ludouuici Regis, in Comitatum videlicet * Abdagi Regis; missisque nuntiis præcepit habitatoribus loci illius, tributa sibi soluere, statimque bellum aduersus eos instaurauit. Illi autem Dominum inuocantes, qui eos sæpiùs liberauit, hosti armati occurrerunt, consertoque prælio ipse Ruodulfus cecidit primus, & cum eo octingenti viri. Ceteri verò cùm ad naues effugere non potuissent, in quodam ædificio se tutati sunt, quod Frisones obsidentes, conferebant inter se, quid de eis facere debuissent. Cumque diuersi diuersa dixissent, vnus Nortmannus, qui Christianus effectus longo tempore cum eisdem Frisonibus conuersatus est, & eiusdem certaminis Dux erat, ceteros hoc modo affatus est: O boni commilitones, sufficit vobis hucusque pugnasse: quia quòd pauci contra plurimos præualuimus, deputandum est gratiæ Dei. Scitis etiam quòd plurimi nostrûm vulnerati, isti autem in desperatione positi sunt. Consultius ergo videtur, vt obsides accipiamus, donec mittant vniuersam pecuniam, quam in nauibus retinent, priùs etiam præstito sacramento, ne vltrà in Regnum Hludouici Regis redeant. Huius itaque consilio ceteri assenserunt. Illi autem miserunt pecuniam valdè multam, ac deinde cum magna confusione à finibus illis discesserunt. Hæc Annales illi. Aimoïnus lib. 5. cap. 28. sic: Intereà Rodulfus Nortmannorum Dux, qui multa mala in Regno Carli exercuerat, in Regno Ludouici cum quingentis & eo ampliùs complicibus suis occisus Carolo residente secus Andegauensem ciuitatem nuntiatur. Carolus ergo viriliter ac strenuè obsidionem Nortmanno-

*Tridentum

Reddit ei clàm Germanicus suam partem Lotharingiæ.

873

*fortè Abdagisi

Irruunt Nortmanni in Regnum Germanici, sed strenuè illis resistitur.

Cadunt octingenti Nortmanni cum suo Duce.

Reliqui multa pecunia se redimunt.

Caluus etiam satis prosperè agit contra Nortmannos.

mannorum in gyro Andegauensis ciuitatis exequens, adeò Nortmannos perdomuit, vt Primores illorum ad illum venerint, & obsides quot & quantos quæsiuit, illi dederint, petentes vt eis in quadam insula Ligeris fluuij vsque in mensem Februarium residere, & mercatum habere liceret. Porrò eiectis ab Andegauorum ciuitate Nortmannis, Carolus mense Octobrio per Cenomanos, Ambianos, Kalend. Nouembris peruenit, indeque ad Monasterium S. Vedasti, ibique Natiuitatem Domini celebrauit. Ita Aimoïnus. At verò anno sequenti, qui numeratur Chri-
874 sti 874. Carolus in Purificatione S. Mariæ cum suis Consiliariis Placitum in Monasterio sancti Quintini tenuit, generale quoque Placitum Idibus Iunij in villa Dusiaco tenuit; vbi & annua sua dona accepit. Indeque per Attiniacum & consuetos Mansionarios Compendium adiit. Hæc Aimoïnus dicto lib. 5. cap. 31. Ludouicus interim Germaniæ Rex in hebdomada Paschali Fuldense Monasterium petiit causa orationis, & inde reuersus generalem habuit Conuentum in villa Tribure. Inde in Italiam per Alpes Noricas transiens, cum Hludouico nepote suo & Ioanne Romano Pontifice haud procul ab vrbe Verona colloquium habuit; indeque rediens in villa Foraheim Legatos Zuentibaldi pacem petentis suscepit. Ita Annales à Pithœo editi; vbi & visio narratur tunc facta diuinitus eidem Ludouico Germaniæ Regi patris ipsius Ludouici Pij Imperatoris petentis vt se à tormentis Purgatorij, quibus adhuc detinebatur, eriperet: qua de causa Rex (inquit Auctor ille) per vniuersa Regni sui Monasteria preces pro patre fieri mandauit. Anno sequenti, qui

Germanicus cum Ludouico nepote & Ioanne Papa colloquiũ habet.

875 est Christi 875. ait idem Auctor, Hludouicus Italiæ Imperator moritur, circa Kalend. Augusti; cuius corpus translatum Mediolani in Basilica sancti Ambrosij sepultum est. Quod cùm Carolus (dictus Caluus, eius patruus) comperisset, illicò Regnum Italiæ inuasit. vnde Hludouuicus Germaniæ Rex iratus Carlmannum filium cum exercitu per Baioariam destinauit in Italiam, ipse verò Regnum Caroli ingressus est, vt eum de Italia exire compelleret. Sed delusit Carlus Carlmannum muneribus & falsis promissis; & sic Romam profectum Carolum Ioannes Papa Imperatorem & Augustum appellari pręcepit. Ita Annales Pithœani, itemque Aimoïnus, qui addit Hemmam Reginam vxorem Ludouici Germaniæ Regis eo anno post Natiuitatem Christi defunctã. At verò anno
876 proximo, qui fuit Christi 876. Hludouuicus Rex, ait Auctor dictorum Annalium, misericordia motus, ne Galliæ regionem propter Caroli stultitiam perderet, in Regnum suum mense Ianuario rediit. Carolus verò Rex de Italia in Galliam rediens, insolitos habitus assumpsisse perhibetur. Sic ille. Aimoïnus lib. 5. cap. 32. hoc modo: Ludouicus cum suo exercitu Regnum Caroli pessumdedit; sicque Natiuitatem Domini in Atti-

Mortuo Ludouico Italiæ Imp. Caluus & Germanicus de ea contendũt.

Creatur Caluus Imperator.

Attiniaco agens, per Placitamentum Primorum Regni Caroli, qui ad eum se contulerant, rediit, & per Treuirorum ciuitatem transiens, ad Palatium Franconofurt peruenit; ibidemque dies Quadragesimæ & Pascha Domini celebrauit: vbi & certo nuntio Emmam vxorem suam apud Reginsburg Palatium obiisse nuper post Natiuitatem Domini comperit. Hæc Aimoïnus. Intereà Frisones, qui vocantur Occidentales, cum Nortmannis dimicantes, victores extiterunt, omnesque thesauros, quos Nortmanni plurima loca spoliando congregauerant, abstulerunt, atque inter se diuiserunt. Ita Annales à Pithœo editi. Hoc eodem anno Ludouuicus Germaniæ Rex apud Franconofurt Palatium diem clausit extremum 5. Kalend. Septembris, sepultus in Lorasheim. Quo audito, Carolus eius frater (hic Caluus) nimia, vt aiunt, exultatione perfusus est. Exercitum ergo quanta potuit celeritate adunauit, & cum omnibus viribus Regnum ingressus, ad Aquas Palatium venit; vbi paucis diebus moratus, Coloniam profectus est. Ludouicus verò Ludouici filius fortiter occurrit, Rhenum cum exercitu transmittit, Carolum fugat, cæsis plurimis, non longè ab Andernaco 8. Idus Octobris. Et post hæc conuenerunt tres fratres filij Ludouici (Germaniæ Regis) in loco, qui dicitur Saulifelt, & diuiserunt paternum Regnum. Carolomannus sortitus est Baioariam, Pannoniam, & Carnutum, nec non & Regna Sclauorum, Beheimensium, & Marahensium. Ludouuicus Orientalem Franciam, Thuringiam, Saxoniam, Frisiam, & partem Regni Lotharij. Porrò Carolus (qui post Balbum imperauit, dictus Crassus) Alemanniam, & aliquas ciuitates ex Regno Lotharij. Hæc Regino, & adstipulantur Annales à Pithœo editi. Ceterùm anno sequenti, qui numeratur Christi octingentesimus septuagesimus septimus, Carolus senior (hic Caluus dictus) Romam secundò profectus est. Vbi audiens Carolomannum cum exercitu in Italiam tendere, Ticinum Padumque transiens, in Gallias festinat. Sed priusquam præeminentia Alpium iuga attingeret, ægritudine pulsatur, quam protinùs mors est subsecuta pridie Nonas Octobris. Sic Regino. Addit Sigebertus de potione venenata illi à Sedechia Iudæo porrecta. Sed Regino dicit: Fama est. Apud Aimoïnum paulò pleniùs eadem narrantur in hunc modum: Cùm exspectatum à Carolo auxilium contra Saracenos non adesset, ad eumdem rursum literas scripsit Ioannes Pontifex, quibus enixiùs subueniri quantò citiùs rogauit. Cuius quidem susceptis Legatis Compendij, Carolus generalem Conuentum habuit Kalendis Iunij, in quo dispòsuit de Regni administratione per filium Ludouicum cum Procerum consilio gerenda, vsque dum ipse Româ rediret: proficiscensque post hæc in Italiam, Ioannem Papam obuium habuit apud Vercellas, & recepto eo cum

Germanicus in suum Regnum reuertitur.

Germanicus moritur, & mox eius Regnū Caluus inuadit.

Filij tres Germanici partiuntur paternum Regnum.

877

Frustrà expectant Itali auxilium Calui contra Saracenos.

Carolomannus filius Germanici infesto agmine venit contra Caluum.

cum honore maximo Papiam simul perrexerunt. Vbi cùm accepissent Carolomannum filium Ludouici Regis Germaniæ infesto agmine aduersus eos venire, Tordonam petentes, Carolus proditoriè à suis destitutus, inde aufugit; Ioannes verò Romam se recepit; cùm etiam Carolomannus, accepto falso nuntio Imperatorem ac Pontificem cum ingenti exercitu appropinquare, metu diuinitus (sic ille) perterritus, & ipse fugam confestim in Regnum suum arripuit. Sed inter hæc inexspectatum accidit, vt paulò pòst, pridie Nonas Octobris idem Carolus Imperator veneno potatus à Sedechia medico Hebræo, anno Imperij secundo, Regni verò post mortem patris trigesimo octauo, mortuus fuerit in loco Barios dicto, sepultusque Vercellis in Ecclesia S. Eusebij; vnde post septennium translatus Parisios conditus est apud S. Dionysium. Hæc Aimoïnus. Sigebertus istis coloribus Carolum hunc depingit: Iste, inquit, post adeptum Imperium vltra se elatus, consuetudines Francorum vilipendens, Græcas glorias, & insolitos habitus adfectabat, & talari dalmatica indutus, & desuper balteo accinctus, pendente vsque ad pedes; capite verò inuoluto velamine serico, & diademate superimposito procedebat. Et cùm esset lepore timidior, & hostes fugere quàm fugare paratior, fratrem suum Ludouicum lacessebat, minatus tantas copias se conducturum, vt ab equis, flumine exhausto, ipse per aridum alueum Germaniæ Regnum intraret. Ista Sigebertus. Sanè & Aimoïnus ipse dicto lib. 5. c. 33. etsi Gallus, hæc habet: Carolus Caluus Imp. auri & argenti vi, philautia quoque ac luxuria delectatus, corona diademateque immodicè & superbè vsus est, in omne genus luxus paratior quàm in rebus agendis. Sic ille. Fuit nihilominùs patronus hominum doctorum, vt patet ex multis ei dedicatis libris, in quorum vno præfando sic eum alloquitur Ericus Monachus in Vita S. Germani Antisiodorensis: Quid Hiberniam memorem? contempto pelagi discrimine pænè totam cum grege Philosophorum ad littora nostra migrantem; quorum quo quisque peritior est, vltrò sibi indicit exilium, vt Salomoni sapientissimo famuletur ad votum. Et paulò pòst: Hinc est, inquit, quòd cùm sit perantiqua sententia, Silent leges inter arma; hoc tamen tam belli quàm pacis tempore apud te plurimum semper obtineat dignitatis, ita vt meritò vocitetur SCHOLA PALATIVM, cuius apex non minùs scholaribus quàm militaribus consuescit quotidie disciplinis: quidquid igitur literæ possunt, quidquid assequuntur ingenia, tibi debent. Hæc Auctor ille.

Moritur Caluus rediens ex Italia.

Depingitur Caluus à Sigeberto.

Item iisdē ferè coloribus ab Aimoïno, etsi Gallo, & Calui ferè coæuo.

Nihilominùs fouit homines doctos.

LVDO-

LVDOVICVS BALBVS IMP.

FILIVS SVPERIORIS, XII. BRABANTIÆ PRINCEPS.

Præfuit annis tantùm duobus.



ATRI Carolo successit filius Ludouicus cognomento Balbus, quòd, teste Reginone & aliis, impeditioris & tardioris esset eloquij. Molanus noster vocat virum mitem, Iustitiæ ac Religionis amatorem. Sed sanè duabus vxoribus fuit implicitus: quarum tamen alteram, ex qua Ludouicus & Carolomannus sunt geniti, repudiauit, siue iussu patris (quod indicat Regino agens de eius morte,) siue (quod constat) post mortem patris, vrgentibus cum Episcopis antequam Rex consecraretur. De quo ista Frodoardus huius sæculi Scriptor insignis, in Historia Rhemensi lib. 3. c. 19. agens de Hincmaro Rhemensi Archiepiscopo: Item post obitum eiusdem Caroli Imp. scripsit ad Ludouicum eius filium de ordinandis Regni principiis, proponens 877 ei exempla prædecessorum suorum, & instruens eum per capitula de iusto Regni regimine. Et post nonnulla: In eius autem consecratione cùm conuenissent Episcopi, eumdem Regem duabus vxoribus implicitum dirimerunt, & ad meliorem frugem restituerunt. Hæc ibi. Vnctus est Rex 6. Idus Decembris anni Christi nati 877. Sed & eodem tempore acta est in Neustria Synodus, vbi inter alia, eiusdem Ludouici Legati querelas quoq; exposuerunt aduersus Hugonem Regis Lotharij pridem defuncti filium nothum: qui audita morte Caroli, collecta factiosorum manu, Regnum Ludouici magnopere infestabat. Quare mandato Synodi Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis eius Synodi Præses commonitorias literas ad Hugonem scripsit, quæ extant apud eumdem Frodoardum, quibus post multa egregia monita, excommunicationem comminatus est nisi resipisceret. At verò inter hæc Ioannes Romanus Pontifex, vbi morte Caroli destitutum se videt eius auxilio, in quo tantopere sperauerat, reliquos verò Principes primarios pateretur infensos, ob id quod tantopere Carolo studuisset, vt se liberaret à Saracenis iamiam vrbem Romam inuasuris, nullam aliam viam inuenit, nisi vt summo dedecore annui viginti quinque millium mancusorum argenti

Quare Balbus dictus.

Balbum implicitum duabus vxoribus Episcopi dirimerunt.

Hugo filius nothus Lotharij Lotharingiam infestat.

Cogitur pacisci Pontifex cum Saracenis annuè de viginti quinque millibus mancusorũ argenti

genti (erat genus numiſmatis huius temporis) penſitatione tributi eos quieſcere faceret. Id enim teſtatur ipſe Ioannes in epiſtola ad Carolomannum Ludouici Germanici filium, qui Imperium ambiebat, dum queritur à Chriſtianis etiam non Saracenis ſolis ſe premi, Lambertum & Adelbertum, de quibus mox agemus, intelligens: Sed heu, proh dolor, inquit, feſſo mihi Paganorum gladio, atque exactione cenſus viginti quinque millium in argento mancuſorum annualiter, prædictæ matri veſtræ additus ciuilis mucro anguſtiæ eſt. Hæc Ioannes iis literis ſcriptis hoc anno menſe Nouembri. Atque adeò anni proximi (qui fuit
878 Chriſti 878.) initio Lambertus Comes Spoletanus & Adelbertus Marchio Tuſciæ Romam cum valida manu fatigantes, tandem proditoriè ingreſſi ſunt, vbi cùm, Epiſcopis ac Clericis peſſimè habitis, Romanos proceres in verba Carolomanni iurare coëgiſſent, omnibus rebus in Vrbe confuſis, Pontifex conſilium in Gallias proficiſcendi iniit. Ea de re iſta leguntur apud Auctorem Annalium ſæpè ſæpiùs citatorum: Lambertus Witonis ſeu Widonis filius & Albertus Bonifacij filius Romam manu valida ingreſſi ſunt, & Ioanne Pontifice ſub cuſtodia retento, Optimates Romanorum fidelitatem Carolomanno ſacramento firmare coëgerunt. Quibus inde diſcedentibus, idem Pontifex domum S. Petri ingreſſus, omnes theſauros, quos ibi reperit, ad Lateranas tranſtulit, & altare S. Petri cilicio cooperuit, & cuncta oſtia eiuſdem Eccleſiæ clauſit, nullumque ibi officium ad Dei cultum pertinens per plures dies celebratum eſt; &, quod nefas eſt, omnibus vndique illuc cauſa orationis venientibus negabatur introitus, erantque ibi omnia concluſa: memoratus autem Pontifex conſcenſis nauibus per mare Tyrrhenum Regnum Caroli intrauit, ibique per totum ferè moratus eſt annum. Hæc ille, & adſtipulantur plures epiſtolæ Ioannis Pontificis, vna ad Archiepiſcopum Rauennatem data 4. Kal. Maij, itemque aliæ, ad Angelberam viduam Ludouici Imperatoris, Lotharij filij, Deo dicatam, ad Ludouicum ipſum Balbum & alios. Porrò recedentem ab Vrbe Ioannem Papam pretioſiſſimas Reliquias ſecum tuliſſe teſtatur Aimoïnus, & cum Formoſo Epiſcopo Portuenſi captiuo nauim conſcendiſſe, Arelatemque perueniſſe die Pentecoſtes tradit. Imò paulò antè eò venit. Nam die Aſcenſionis ſe Arelate Miſſam celebraſſe teſtatur ipſe Ioannes in Epiſtola ad Branimirum Principem. Ibi etiam inuento Boſone Comite Arelatenſi genero Angelbergæ Auguſtæ Deo ſacratæ, vnà cum eius filia Hemengarda eiuſdem Boſonis vxore, cum eo de ſubleuanda Romana Eccleſia conſilium iniit. Quo pariter tempore, dum eſſet in via, literas dedit ad Epiſcopos Galliæ & Germaniæ, quibus ad Generalem Synodum Trecis celebrandam omnes iuberentur adeſſe. Conuenerunt igitur

Item patitur à Ducibus partium Carolomanni.

Miſeranda tunc facies vrbis Romæ.

Fugit Pontifex per mare in Galliam.

Conſultat cum Boſone Comite Arelatenſi de ſubleuanda Roma.



LVDOVICVS BALBVS IMP. XII. BRAB. PRINC.

igitur Trecis Episcopi constituta die mensis Augusti. Verùm Ludouicus ipse Rex Francorum non potuit tunc accedere, ob infirmitatem corporis, qua grauiter vexatus fuit; sed, vt Aimoïnus lib. 5. cap. 37. affirmat, ad Kalend. Septembris adfuit. Intereà (ait idem Auctor) Ioannes Papa Generalem Synodum cum Episcopis Galliarum & Belgicarum prouinciarum agēs, qualiter Lambertum & Adalbertum, Formosum quoq; & Gregorium Nomenclatorem, & complices illorum Romæ excommunicauerit, relegi in Synodo fecit, & consensum Episcoporum in eadem excommunicatione quæsiuit, quem Episcopi scripto dederunt; petentes (sic compellant Papæ auctoritatem) Capitulum vestræ auctoritatis, qualiter nos erga Ecclesiarum nostrarum peruasores agere debemus, vt Censura Apostolicæ Sedis muniti, robustiores ac promptiores, Domino opem ferente, contra peruersos Ecclesiasticarum rerum ac facultatum raptores ac vastatores, nos successoresque nostri persistere concordi sententia valeamus. Sic Aimoïnus. Inter Ioannis Epistolas post 114. hæc ex eadem Synodo petita leguntur, qualiter idem Papa his verbis Synodum est allocutus: Vos confratres & Coëpiscopos meos volo vnanimiter in defensione sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quam constat caput esse omnium Ecclesiarum, conuenire, donec Deo auxiliante, in Sedem B. Petri Apostolorum Principis reuertamur, cum omnium hominum vestrorum armata bellico apparatu manu, & hoc non differendo, sed sub omni celeritate & certitudine sponsionis. Hîc mihi, quæso, absque vlla dilatione continuò date responsum. Et sequitur post hæc eiusdem Pontificis allocutio ad Ludouicum Regem præsentem in hunc modum: Vos, charissime fili Ludouice, gloriose Rex, precor in defensionem, liberationem atque exaltationem S. R. E. sicut prædecessores vestri fecerunt, & vobis sub obtestatione facere mandauerunt, sine procrastinatione, & vlla dilatione succurrite, quia ministri Dei estis, vindices in ira in his qui malè agunt, & non sine causa gladium portatis; ne fortè, quod absit, illa vos & Regnum vestrum culpa contingat, quæ quosdam veteres Reges inimicis & infidelibus Dei parcentes damnabiliter quondam strinxit. Vel si aliud placet, præsentialiter in isto loco date (per Deum & per beatum Petrum vos coniuro) sine mora responsum. Hæc ibi. Quid ad hæc Episcopi, quid Ludouicus Rex responderit, non inuenitur; satis certum tamen videtur, annuisse votis Pontificis. Nam cùm ipse Ludouicus ob corporis imbecillitatem ex recenti morbo contractam ducere in Vrbem ipsum Pontificem non valeret, Bosonem Comitem cum ipso voluit proficisci, cùm priùs septimo Idus Septembris idem Ludouicus in eadem Synodo Trecensi à Papa Ioanne solemni ritu Romanorum Imperator esset coronatus: de quo sic Aimoïnus

Celebrat Trecis Synodum; vbi quænam tractata sint aperitur.

Allocutio Papæ ad Episcopos.

Itē ad Regem Balbum ibi præsentem.

Balbus coronatur Imperator.

nus lib. 5. cap. 37. Et post hæc coronatus Ludouicus à Papa Ioanne septimo Idus Septembris, inuitauit eumdem Papam in domum suam, & opiparè pascens, honorauit eum multis donis ipse & vxor sua, & remisit ad Trecas ciuitatem. Et posteà per Oratores suos orauit eumdem Papam, vt vxorem illius in Reginam coronaret, sed obtinere non potuit. Et post nonnulla: Ludouicus autem Rex inuitatus à Bosone, ad domum illius perrexit cum quibusdam primoribus Consiliariis suis, & pactus ac honoratus ab illo, sed & ab vxore illius, desponsauit filiam Bosonis Carlomanno filio suo. Papa verò Ioannes Trecis mouens Cabillonum petiit: indeque per Moriennam iter agens, per claustra montis Cinisij, Italiam, à Bosone & vxore illius deductus, introiuit.

Reuertitur Papa in Italiam.

Et capite proximo: Ludouicus autem Rex à Trecis Compendium reuersus, audita renuntiatione Legatorum suorum, quos ad consobrinum suum Ludouicum (Germanici filium) pro pace inter se obtinenda direxerat, cum quibusdam Consiliariis suis venit vsque ad Heristallium, & Kalend. Nouembris simul conuenientes apud Marsinam, vtrimque pax firmata est inter eos, & condixerunt Placitum in Purificatione S. Mariæ, vt simul iterùm conuenirent.

Pax firmatur inter Balbum & Ludouicum filium Germanici.

Et capite sequenti: Sicque Ludouicus Ludouici filius ad sua reuersus est, & Ludouicus Caroli filius (hic Balbus) per Ardennam veniens octingentesimo septuagesimo nono anno Incarnationis Dominicæ in Longlaro Natiuitatem Domini celebrauit, aliquamdiu in Ardenna demorans, indeque iter agens, circa Purificationem sanctæ Mariæ ad Pontigonem venit; & volens ire Augustodunum, ad comprimendam rebellionem Bernardi Marchionis, vsq; ad Trecas perrexit.

879

Sed quia ingrauescente infirmitate sua (dicebatur enim veneno infectus) longiùs ire non potuit, filium cognominem sibi Ludouicum * baiulationi Bernardi Comitis Aruernici specialiter committens, Hugonem Abbatem & Bosonem, & præfatum Bernardum cum filio suo, sed & Theodoricum cum sociis suis Augustodunum misit; quatenus ipsum Comitatum ad opus Theodorici, cui anteà illud dederat, euindicarent.

Tactus infirmitate Balbus disponit de Regno.

*tutelæ

Ipse autem cum magna difficultate per * Adiodrum Monasterium Compendium venit: & sentiens se ab infirmitate liberari non posse, per Odonem Bellouacensem Episcopum & Albinum Comitem, coronam, & spatham, ac reliquum Regium apparatum filio suo Ludouico misit; mandans illis, qui cum eo erant, vt eum in Regem sacrari ac coronari facerent. Ipse autem 4. Idus Aprilis, in die Parasceue vesperi obiit, & in crastina, scilicet Vigilia Paschæ, in Ecclesia sanctæ Mariæ sepultus fuit. Hæc Aimoïnus.

* *an* Iotrũ?

Missis insignibus regiis ad filium, moritur.

Regnante hoc Ludouico Balbo in Galliis, itemque Lotharingia nostra Cismosana, seu Brabantia, quod Heristallium iamiam commemoratum satis docet, præter alia

Externa insigniora. argumenta in Præfatione allata. Adelfonsus cognomento Magnus, in Gallæcia Hispaniæ regnans, ad euitandos improuisos Nortmannorum incursus, Oueti munitionem construxit: vbi in Ecclesia S. Saluatoris, translatas Toleto & ex aliis Hispaniarum Ecclesiis venerandas Sanctorum reliquias, loco tutissimo asseruari voluit, auream que Crucem gemmis ornatam miræ magnitudinis & pulchritudinis obtulit, anno (vt in eadem Cruce notandum curauit) Regni ipsius Adelfonsi decimo septimo, Æra nongentesima decima sexta, qui est annus Domini octingentesimus septuagesimus octauus. Quo pariter anno Gitro Rex Danorum, qui Angliam ferè vniuersam sibi subiecerat, superatus ab Aelfredo Rege, qui profugus latuerat in insula quadam, & diuina fretus visione bellum renouauerat, (vt Westmonasteriensis tradit) ab eodem coactus est Christianam fidem amplecti, qui deinde mutato nomine Æthelstanus est dictus.

Clarus tunc Adelfonsus Magnus Gallæcia in Hispania Rex.

Item Aelfredus Rex Angliæ.

LVDOVICVS
ET
CARLOMANNVS
REGES, FILII PRÆCEDENTIS,
XIII. BRABANTIÆ PRINCIPES.

Præfuerunt annis quinque.



ALIQVI hos velut ex pellice, aut certè repudiata matre natos (de quo suprà ad annum 877. diximus) omitterent; sed quòd Aimoïnus, vt vidimus, morientem Balbum, Ludouico huic coronam ceteraq; Regni insignia misisse, mandasseque vt in Regem coronaretur, grauiter asseueret, eos Catalogo nostro inserimus. Nam & idem Auctor, eodem cap. 39. lib. 5. postquam Ludouicum Germanici filium in Regnum Lotharingiæ à quibusdam inuitatum narrauit, solemni ritu Ludouicum hunc Balbi filium cum Carolomanno fratre Reges
879 consecratos esse testatur his verbis: Angustiati, inquit, Gossinus & Conradus



LVDOVICVS ET CAROLOMANNVS LOTHAR. REGES
XIII. BRABANTIÆ PRINCIPES.

Filius Germanici inhiat Lotharingiæ.

radus (ſtudebant hi Germanici filio) ad ipſam Reginam fecerunt confugium. Et acceptis nuntijs, ad ſocios ſuos reuerſi ſunt, renuntiantes Ludouicum (Germanici filium) quamprimùm cum exercitu magno venturum; quoniam ad præſens venire non poterat; quia nuntiatum eſt ei non incerta relatione, fratrem ſuum Carlomannum paralyſi percuſſum, & iam morti vicinum, cùm abiret, deceſſiſſe, ſuumque filium ex concubina nomine Arnulfum partem Regni illius occupaſſe: & ideò in illas partes feſtinus debebat pergere, ſicut & fecit. Quod audientes Hugo Abbas & ceteri Primores, qui cum filijs quondam ſenioris ſui agebant

Nihilominus filij Balbi coronantur Reges.

(Ludouico & Carolomanno filiis Balbi) quoſdam Epiſcopos miſerunt ad Ferrarias Monaſterium; & ibi eos conſecrari ac coronari in Reges fecerunt. Et pergit idem Auctor: Intereà Boſo (perſuadente vxore ſua, quæ nolle ſe viuere dicebat, ſi filia Imperatoris Italiæ, ſcilicet Ludouici filij Lotharij primi, & deſponſata Imperatori Græciæ, maritum ſuum Regem non faceret) partim comminatione conſtrictis, partim cupiditate illectis, pro Abbatiis & villis eis promiſſis & poſteà datis, Epiſcopis illarum partium perſuaſit, vt ſe in Regem vngerent, & coronarent. Hugo

Item obiiciunt ſe eis hoſtes alij.

etiam filius iunioris Lotharij ex Waldrada, collecta prædonum multitudine, Regnum patris ſui molitus eſt inuadere. Ita Aimoïnus. Regino ad hunc eumdem annum 879. ſic narrat: Boſo, audita morte Ludouici, à Prouincia egreditur, totamque Burgundiam occupare nititur, pro nihilo ducens adoleſcentes filios Ludouici, & velut degeneres deſpiciens, eò quòd iuſſu Caroli (Calui) eorum genitrix repudiata fuerit. Quæ res attulit illi magis continuum clàm odium: ſiquidem iam dicti adoleſcentes Ludouicus & Carolomannus, induſtria Hugonis Abbatis & aliorum Procerum in Regnum ſublimati, & eumdem Boſonem diebus vitæ ſuæ omni inſtantia ſunt perſecuti. Per id tempus Ludouicus, qui Auſtraſiis

Filius Germanici tranſmittit Moſam; ſed tandem pax roboratur.

(quorum caput Metis) imperabat, cognita morte æquiuoci ſui, Regnum illius inuadere diſpoſuit, & tranſuadato Moſa, Imperij fines occupauit: cui occurrerunt duo memorati fratres cum valida manu, ſed intercurrentibus legationibus pax roboratur. Sic Regino. Sigebertus (licet vno anno tardiùs) in hunc modum narrat: Rex Francorum Ludouicus Balbus moritur, vxorem ſuam ex ſe grauidam relinquens. De Regno eius Francis variè ſentientibus, alijs illud filijs Ludouici Balbi ex concubina deberi iudicantibus, aliis Boſoni Prouinciæ Regulo ad illud iniuſtè inuadendum adſentientibus, alijs verò illud Regno Germaniæ reſociare

Naſcitur Balbi poſthumus Carolus Simplex.

volentibus, naſcitur interim ex legitima vxore Ludouici Balbi filius, qui ex nomine aui Carolus nominatus eſt. (eſt is Carolus Simplex dictus, de quo poſteà.) Filij tamen Ludouici Balbi ex concubina, Ludouicus & Carlomannus, interim Regnum Francorum inter ſe diuidentes regnant

annis

annis quatuor, & Bosonem semper persecuti sunt. In silua Franciæ Carbonaria, plusquam nouem millia Nortmannorum à Francis cæduntur. Hæc Sigebertus. Intereà (vt Aimoïnus refert lib. 5. cap. 40.) Carolus Ludouici quondam Regis Germaniæ filius in Langobardiam perrexit, & ipsum Regnũ obtinuit. Cum quo apud Vrbam, antequam montem Iouis transiret, Ludouicus & Carlomannus loqui perrexerunt. Et illo eunte in Langobardiam, ipsisque reuersis ab eodem itinere, nuntiatum est eis, quòd Nortmanni, qui erant in Ligeri, terreno itinere terras illas deprædabantur. Et statim moti in illas partes, in die festiuitatis S. Andreæ eos inuenientes, multos ex Nortmannis occiderunt, & plures in Vigienna fluuio absorpserunt; & exercitus illorum, Deo volente, cum

Carolus dictus Crassus, obtinet Regnum Longobardiæ.

victoria incolumis remeauit. Prosequitur idem Auctor: At verò octin- 880
gentesimo octuagesimo Incarnationis Dominicæ anno, Ludouicus Rex Germaniæ cum vxore sua ab Aquisgrano in has partes iter arripuit, & vsque ad Cluziacum venit: vbi Gozlinus & Conradus illi obuiàm venerunt, quamplurimis iam de illorum complicibus ab illorum societate retractis. Indeque Ludouicus & vxor sua ad Attiniacum, indeque ad Hercuriacum, & sic vsque ad Ribodi montem peruenerunt. Et videntes quòd Gozlinus & Conradus, quod ei polliciti fuerant, præstare nequiuerunt, & ipse ac vxor sua, quæ sperauerunt, obtinere non possent, pactis amicitiis cum filiis Ludouici Regis Francorum, & condicto Placito futuro mense Iunio ad Gundulfi villam, reuersi sunt in patriam suam. Et in itinere inueniens Ludouicus Nortmannos, Domino opem ferente, magnam partem eorum cum exercitu suo occidit; sed in Saxonia magnum damnum in fidelibus suis per Nortmannos sustinuit. Sic ille.

Adhuc feruet factio de tradenda Lotharingia filio Germanici.

Vide hæc eadem mox distinctiùs.

Auctor Annalium à Pithœo editorum paulò aliter, & propèsus in Germanum ita narrat: Rex Ludouicus (Germanus) Natale Domini celebrauit in Franconofurt, postea in Galliam profectus, filios Ludouuici (Balbi) ad se venientes suscepit, totumq; Regnum Hlutharij suæ ditioni* subiugauit. Inde ad expugnandos Nortmannos, qui in Scalta fluuio longo tempore resederunt, conuertit exercitum, initoque certamine plusquam quinque millia ex eis prostrauit. Sed in Saxonia cum Nortmannis infeliciter dimicatum est. nam Nortmanni superiores existentes, duos Episcopos, Thiorith & Marcuuart, & duodecim Comites cũ omnibus qui eos sequebantur, occiderunt. Præterea XVIII. satellites regios cum suis hominibus prostrauerunt, exceptis innumerabilibus, quos in captiuitatem duxerunt. Inter plurima autem loca & Monasteria quæ depopulati sunt, etiam Baiorzuna, vbi pars maxima Frisonum habitabat, incendio concremarunt, & inde reuertentes, Nouiomagum vallo firmissimo & muris circumdantes, hiemandi sibi locum in palatio Regis parauerunt.

* imò tantùm in locarium accepit, vt Carolomanno restitueret, teste Aimoïno infrà ad annum 882.

Nortmanni maximas inferunt clades.

Quibus Rex Ludouuicus cum manu valida occurrit, sed propter hiemis asperitatem, & loci firmitatem, rebus parum prosperè gestis, reuersus est. Sic Annales illi. Ceterùm Cōuentum indictum in mensem Iunium, de quo suprà, sic describit Aimoïnus eodē c. 40. lib. 5. Ludouicus & Carlomannus ad Placitum cōdictum mediante Iunio, apud Gundulfi villam obuiàm suis consobrinis venerunt. Quò Ludouicus (Germanici filius) infirmitate detentus venire non potuit, sed pro se Legatos suos direxit. Carolus autem (Crassus dictus) à Langobardia rediens illuc venit. In quo Placito communi consensu inuentum est, vt ipsi Reges Ludouici (Balbi) quondam filij ad Attiniacum redirent cum scara Ludouici Germaniæ Regis filij, & Hugonem Lotharij iunioris filium impeterent. Quò venientes, quia Hugonem non inuenerunt, sororium illius Theobaldum bello aggressi sunt; & multis interfectis, eum in fugam verterunt. Indeque cum exercitu ex Regnis suis, vnà cum scara Ludouici Regis Germaniæ, prædicti Reges, ordinatis qui Regnum suum contra Nortmannos in Ganto residentes custodirent, in Burgundiam versus Bosonem per mensem Iulium à Trecarum ciuitate perrexerunt, Carolo Rege illuc cum exercitu suo in Bosonem venturo. Et nonnullis interiectis: Porrò anno incarnationis Dominicæ 881. remanente Carlomanno cum suis contra Bosonis seditionem, Ludouicus frater eius reuersus est in partem Regni sui contra Nortmannos; qui vastantes omnia, in suo itinere Corbeium Monasterium & Ambianensem vrbem, aliaque sancta loca occupauerunt: de quibus non modicam partem occisis (Pithœanus habet nouem millia equitum) ceterisque fugatis, & ipse Ludouicus vnà cum suis retrorsum, nemine hostium persequente, fugam arripuit, diuino manifestante iudicio, quia quod in Normannos fuerat actum, non humana, sed diuina virtute patratum extiterit. Sic Aimoïnus. Regino ista huic anno adscribit: Carolus de Alemannia egressus, & Romam veniens, Imperator creatus est. Per id tempus Nortmannorum classis Walam fluuium ingressa, Neumago Palatio regio applicuit, ibique castra posuit. Quod factum cùm ad notitiam Ludouici (Germanici) perlatum esset, absque dilatione munitionem obsidione clausit. Sed conserto nonnullis diebus certamine non adeò præualuit. Postremò Rex, accepta pollicitatione, quòd, si ab obsidione cessaret, Nortmanni continuò è Regno illius decederent, cum omnibus copiis recessit. Illo autem recedente, Pagani Palatium vnà cum munitione flammis exurentes, nauibus ascensis, ostia Rheni repetunt. Et eodem anno mense Nouembri, duo Reges Nortmannorum, Godefridus & Sigefridus, cum inæstimabili multitudine peditum & equitum consederunt in loco qui dicitur Hallou iuxta Mosam (Pithœanus dicit Aschola secus littus Mosæ, 14. milliaribus de Rheno.)

Pactum filiorũ Balbi cum filiis Germanici.

Nortmanni in Ganto.

881

Victoria Christianorum contra Nortmannos.

Carolus Crassus creatus Imperator.

Vastitates per Nortmannos omnium maxima.

Rheno.) Et primo quidem impetu finitima loca depopulantes, Leodium ciuitatem, Traiectum castrum, Tungrensem vrbem incendio cremant. (Annales à Pithœo editi etiã Cameracum annumerant, Sigebertus item Atrebates, finesque Morinorum, Menapiorum, Brachatensium, omnemque circa Scaldim terram.) Secunda verò incursione Ribuariorum finibus effusi, cædibus, rapinis ac incendijs omnia deuastant; Coloniam Agrippinam, Bonnam, ciuitates, cum adiacentibus castellis, scilicet Tulpiacum, Vilipiacum, & Nuis igne comburunt; Aquas Palatium, item Amalimundarias & Stabilaus Monasterium in fauillam redigunt.

Vastata Colonia, Leodium, Cameracum deniq; omnia inter Rhenum & Scaldim.

Quin anno proximo, qui est Christi 882. Arduennam percurrentes, Prumiam Monasterium ingrediuntur, ipso die Epiphaniæ Domini, vbi triduo commorantes, omnem in circuitu regionem depopulati sunt. 882

Dum hæc autem aguntur, Ludouicus Rex Germaniæ morbo grauatus apud Francfurt moritur 13. Kal. Martij. Ita Regino. Auctor Annalium à Pithœo editorum hoc modo narrat: Stella Cometes 15. Kalend. Februarij prima hora noctis apparuit, rem infaustam quæ citò secuta est, præmonstrans. Nam Hludouicus (Germanicus) inualescente morbo 13. Kalend. .... diem vltimum clausit. Quod audiens exercitus, qui contra Nortmannos fuerat missus, ab expugnatione hostium desistens rediit. Nortmanni verò de sua munitione egressi, Treuirensem vrbem inuaserunt, & habitatoribus vrbis partim expulsis, partim occisis, totam in Nonis Aprilis incenderunt. Carolus autem cùm audisset obitum fratris sui maioris, de Italia per Baioariam iter in Franciã direxit, Placitum ad Wormatiam tenuit, receptis Primoribus & Regno fratris sui mense Maio. Ita Auctor ille. Regino sic: Nortmanni, audita morte Regis, nimio exultabant tripudio. Igitur Treuirorum nobilissimam ciuitatem Galliarum Nonis Aprilis, die sacratissimæ Cœnæ Domini occupant, in qua vsque sanctum diem Paschæ fessa corpora recreantes, Mediomatricum dirigunt aciem. Ea tempestate Carolus Imperator in Italia morabatur. Qui nihil tardatus, cum omnibus copiis in Franciam venit, & cum Longobardis, Baioariis, Alemannis, Thuringis, Saxonibus, Frisonibus, & omnibus Regnis suæ ditioni subiectis, Nortmannos in supradicto loco obsidere exorsus est; sed conatus eius parum effectum tenuit, indignatione cælesti desæuiente. Nouissimè Godefridus Rex Nortmannorum ea conditione Christianum se fieri pollicetur, si ei munere Regis Frisia prouincia concederetur, & Gisla filia Lotharij in vxorem daretur. Qui, vt optauit, adeptus, baptizatus est, & ex sacro Fonte ab Imperatore susceptus; Sigfrido autem & reliquis Nortmannis immensum pondus auri & argenti expositum est, & tali fœnore fines Regni excedunt. Ista Regino. Aimoïnus in hunc modum narrat lib. 5. cap. 41. Ludouicus Rex (Balbi

Moritur Ludouicus filius Germanici.

Nortmanni vastant & incendunt etiam Treuerim.

Godefrido Nortmanno Frisia conceditur; alij auro pacantur.

(Balbi filius) anno octingentesimo octogesimo secundo apud Compendium Natiuitatem Domini, sed & sanctum Pascha celebrauit; vbi nuntiatum est ei quòd cōsobrinus suus Ludouicus, Ludouici Regis Germaniæ filius, inutiliter sibi & Ecclesiæ ac Regno viuens, morti subcubuit. Venientes autē Primores partis illius Regni, quatenus quæ pater & auus illorum habuerunt, eis concederet, voluerunt se illi commendare: sed consilio Primorum suorum, propter sacramenta quæ inter eum & Carolum facta fuerant, non eos in commendationem recepit; sed & scaram hostilem, cui præfecit Theodoricum Comitem, quasi in adiutorium illorum contra Nortmannos disposuit; & ipse vltra Sequanam, perinde ac si recepturus Britonum Principes & bellatores, contra Nortmannos vsque Turonos perrexit. Et vir plenus omnibus immunditiis & vanitatibus infirmatus est corpore, & lectica deportatus vsque ad Monasterium S. Dionysij, mense Augusto, ibi mortuus est, & sepultus. Primores autem Regni expeditum nuntium miserunt ad Carlomannum, mandantes, vt relictis qui Viennam obsiderent, & seditioni Bosonis resisterent, ipse quàm ocyssimè ad eos venire festinaret; quoniam ipsi hostiliter præparati erant in occursum Nortmannorum. Ipsi autem parati erant illum recipere & se illi commendare, sicut & fecerunt. Dum autem in eodem procinctu degeret, mense Septembrio nuntiatum est illi certo nuntio, quia capta Vienna, vxorem Bosonis & filiam eius Richardus, frater ipsius Bosonis, ad Comitatum suum Augustodunensem adductas, habebat. Et interiectis ijs quæ suprà de transactione Caroli Crassi cum Nortmannis ex Reginone narrauimus; Et sic, inquit, reuersus Carolus Warmatiam, Placitum suum Kalendis Nouembris habiturus, à Nortmannis recessit. Ad quod Placitum Hugo Abbas, quibusdam sociis secum assumptis, profectus Carolum adijt, pro petitione partis Regni quam frater suus Ludouicus in * locarium acceperat, vt sicut ipse Carolus promiserat, Carlomanno restitueret. Vnde nil certi obtinuit: sed absentia illius in Regno magnum detrimentū fecit, quia Carlomannus non habuit (quibusdam Regni Primoribus ab ipsius auxilio se retrahentibus) vnde Nortmannis posset resistere. Quapropter vsque Laudunum castellū venerunt, disponentes Rhemos venire. Scara autem Nortmannorum plenum exercitum præcurrens vsq; Rhemensem portam peruenit. Quæ, ijs quæ extra ciuitatem inuenit deprædatis, villulas quasdam incendit, sed ciuitatem (quam nec murus nec humana manus defendit) Dei potentia & Sanctorum merita, ne illam ingrederentur, defenderunt. Carlomannus autem aduentum Nortmannorum audiens, cum quibus potuit copiis aggressus, magnam partem de ijs qui prædam ducebant occidit; sed & partim in Axona necati sunt: maximè autem ex illis, qui Rhemos

Filius Balbi recusat inuadere fines filij Germanici.

Moritur Ludouicus filius Balbi.

Carolomānus succedit fratri Ludouico.

** Nota; Germanicus tantùm locariò habuit partem filiorum Balbi.*

Rhemensis ciuitas diuina ope cōtra Nortmannos defensa.

Rhemos adierant, volentibus ad socios suos redire, prædam excussit. Hactenus Aimoïnus ad supradictũ annum; nec videtur vlteriùs historiam prosecutus. Certè caput proximum 42. vbi mentio est mortis Carolomanni sine anno vel mense, ab alio assutum esse, paulò pòst in Carolo Simplici docebimus. Ad annum sequentem (Christi 883.) Anna- 883
les à Pithœo editi similiter finiuntur his verbis: Cæsar in Alemannia Domini Natalem celebrauit; inde iter ad Baioariam dirigens, Pascha Radesbonæ mansit. Hactenus (inquit Collector) vetus exemplar M. S. ita tantùm reliqui sunt à nobis citari consueti Regino & Sigebertus, nisi quòd posteà in Carolo Simplici Frodoardus succedet. Regino mortem Ludouici filij Balbi, quam cum Aimoïno anno præcedenti adscripsimus, his verbis cum aliis quibusdam commemorat: Ludouicus frater Carlomanni moritur apud sanctum Dionysium, & Carlomannus frater Regnum illius obtinuit. Circa hæc tempora autem Hugo filius Lotharij in spem recuperandi paterni Regni ab aliquibus introducitur, omnesque qui iustitiam & pacem execrabantur ad eum confluxerunt. Ita Regino. Sigebertus ad eumdem annum 883. similiter ea quæ iam priùs posita sunt tantùm ponit his verbis: Nortmanni vrbem Treuerim incendunt, & Metim vsque pertendunt, ibique conserto prælio Christianos vincunt. In hoc prælio Walo Metensium Episcopus cæ-
sus est. At verò anno octingentesimo octogesimo quarto, Reginone re- 884
ferente, Nortmanni qui ab Haslou recesserant, Sonum fluuium intrant, ibique consederunt: quorum creberrimas incursiones cùm Carlomannus sustinere non posset, pecuniam pollicetur, & XII. millia pondera argenti exigunt, totidemque annis pacem promittunt. Accepta autem tam ingenti pecunia, funes à littore soluunt, naues conscendunt, & marina littora repetunt. Intereà Carlomannus venatum perrexit, vbi & ab apro grauiter vulneratus, post modicum vitam cum Regno amisit. Nortmanni verò, cognita morte Regis, protinus in Regnum reuertuntur; respondent se cum Carlomanno Rege, non cum alio aliquo fœdus pepigisse. Vnde territi Optimates ad Carolum Imperatorem missos dirigunt, eumque in Regnum inuitant. Et eodem anno Nortmanni, qui in Chiuheim ex Denemarca venerant, adsentiente Godefrido, Rhenum nauigio ascendunt, & Diusburgh oppido occupato, munitionem in eodem loco more solito construunt, & in ea tota hieme resident; contra quos Henricus Dux castra posuit, & nullatenus prædas agere permisit. Redeunte verò vernali tempore, castris exustis, ad maritima loca se recipiunt. His etiam diebus Nortmanni à Sono exeunt, & rursum in Regnum Lotharij reuertentes, in loco qui dicitur Louen castrametati sunt in confinio eiusdem Regni; & continuis eiusdem Regni infestationibus

Finit historia Aimoïni, & Annales à Pithœo editi.

Hugo filius nothus Lotharij iterùm Lotharingiam infestat.

Carolomãnus redimit pacem à Nortmannis, & moritur.

Carolus Crassus Imp in Franciam vocatur.

Nortmanni se muniunt in Louen, vtraque Regna inde infestantes.

vtraque

vtraque Regna fatigant. Ad quorum malitiam compeſcendam Imperator ſemel & iterùm exercitum miſit, ſed nihil dignum memoria aduerſus tantam violentorum rapacitatem actum eſt. Hæc Regino: quæ Sigebertus vno anno tardiùs commemorat. Ita difficile eſt hîc exactum per omnia annorum calculum conſtituere. Quo menſe Carolomannus obierit, incertum eſt. Sed cùm Fulco Epiſcopus Rhemenſis, teſte Frodoardo, ſcripſerit pro eo literas ad Hadrianum Papam, ſatis apparet, non ante menſem Auguſtum obiiſſe. Ad hæc tempora ſine dubio pertinent quæ in Vita ſanctiſſimi Rumoldi Mechlinienſium Patroni ante aliquot ſæcula grauiter conſcripta in hunc modum narrantur: Carolo (inquit Auctor) Romæ à Ioanne Papa in Imperatorem conſecrato, irâ Dei, reſpondentis peccatis populi ſui, Nortmanni, adiunctis ſibi Danis, Franciam & Lotharingiam peruagantur; fines præcipuè Morinorum, Menapiorum & Brachbatenſium, omnemque circa Scaldum flumen terram ferro & igni deuaſtant. Ac deinde recenſitis breuiter ijs quæ ſuprà commemorauimus, Hoc tali, inquit, bellorum incendio per decem & octo annos totus orbis dum arderet, Eccleſia tamen huius Martyris noſtri (Rumoldi) illæſa permanſit, nec quidquam tale effera gens aduerſus eam aut potuit, aut præſumpſit. Ad quam gratiâ prædæ quidam ex eis cùm acceſſiſſet, & ſuperpoſitum campanarij, quod vulgus Gallum propter ſimilitudinem formæ, nos aurarium propter obſeruantiam auræ vocare poſſumus, rapere præſumeret, lapſum fecit, dignaſque rapacitatis pœnas debita morte luit. Et quia iuxta Salomonem, peſtilente flagellato, ſapiens ſapientior erit, hoc vnius infortunium cæteris omnibus diſciplinæ fuit commonitorium. Hæc ibi. Et ſimiliter huc referenda ſunt quæ in rebus geſtis D. Gudilæ in hæc verba leguntur: Aſcendente ad Dominum clamore nequitiæ Chriſtianorum, vt ſimilem inuenirent pœnam, fines Lotharingiæ gens inuadit Danorum. Sanctuaria vertebantur in deriſum, in prædam ſubſtantiæ incolarum. Ita pace turbata, res Cœnobij Mortzellenſis paulatim diripit aduerſariorum inſatiabilis cupiditas. Qua tempeſtate, metu Paganorum agente, ſacratiſſimæ virginis Gudilæ corpus à ſupradicto Cœnobio in locum, qui dicitur Capræmons, deportatur. Intereà Pagani impietatis ſuæ funiculos latiùs protendentes, atque rapinæ vaſtationiſque fomitem magis ac magis ſitientes, quæcumque poterant, conſumptionis fine perdidêre, nec etiam à Cœnobio Mortzellenſi manum abſtinuêre. Nam igni ab eis eſt crematum, & irremediabili malo eſt inuaſum; ita vt nullum noſtro nunc tempori reliquerint indicium. Nam ſicut nobis Dominica vox teſtatur, Omne Regnum in ſe diuiſum deſolabitur: Ludouicus Rex Auſtraſiorum fines Francorum iniuſtè inuaſit contra fratres ſuos (conſobrinos intellige:) & facta

Ex Vita S. Rumoldi ante plures annos ſcripta.

Inter decem & octo annorum vaſtitates, S. Rumoldi Eccleſia tamen ſemper illæſa.

Ex Vita S. Gudilæ.

Corpus S. Gudilæ propter Normannos transfertur ad Capræmontem.

facta pactione inter eos, datiſque ſacramentis, cùm reuerteretur, Nortmannis,qui erant progreſſi vſq; Carbonariam,in loco qui dicitur Thimnim, obuiauit ſupradictus Rex, qui Auſtraſiis imperauerat: cum quibus abſque mora conflixit,& Deo propitiante, ex eis maximam partem gladio ſtrauit;reliqui in fugam dilapſi in fiſco regio ſe cõmuniunt; deinde noctu diffugiunt,& ad claſſem greſſum dirigunt. Poſteà Walam fluuium ingreſſi, in Niumago ad regium Palatium applicuerunt, ibiq; caſtra poſuerunt. Et poſt multa: Igitur poſt tanta & talia Regni flagitia, recedentibus paganis, beatæ Gudilæ corpus ad præſcriptum Cœnobium, ab Danis iam in nihilum redactum, rediit. Quod quamquam hoſtium irruptione, ſuique deſtructione vileſceret, beatæ tamen Virginis corpus ibidem ſeruabatur, eaque reuerentia, qua loci eiuſdem valuit paupertas, venerabatur. Sic ibi.

Nota; etiã huic Auctori Germanicus iniuſtè inuaſit fines filiorum Balbi.

S Gudilæ corpus refertur in ſuum locũ etſi deſolatum.

CAROLVS SIMPLEX REX

FRATER PRÆCEDENTIVM,

XIV. BRABANTIÆ PRINCEPS.

Præfuit annis quadraginta quinque.



CAPVT quadrageſimum ſecundum libri quinti apud Aimoïnum facit Carolum hunc nepotem præcedentis Carlomanni ex filio Ludouico quodam,cui prænomen fuerit Nil faciens. Sed cùm Auctor illius capitis addit (ſicut à maioribus accepimus) oſtendit ſe longè poſteriorem Aimoïno fuiſſe,quem certum eſt his ipſis temporibus, & priùs etiam vixiſſe. Et prorſus fabuloſum eſt quod ille vult: nam extat Diploma inſigne huius Caroli, quod ſuo loco recenſebimus, inſcriptum anno Chriſti 894. qui ſit annus Caroli ſecundus. Quod quidem Diploma, conſonans ſimul cum eo quod Sigebertus teſtatur eum creatum Regem duodennem anno 892. planè conuincit eum natum fuiſſe anno 880. poſtumum Ludouici Balbi, quod ex eodem Sigeberto ſuprà quoque annotauimus; vt demirer,vnde hæc fabula nata, & tam grauis Scriptoris libris (Aimoïni dico)irrepſerit. Certè(vt hæc prorſus diſiiciam) etiam ab ipſius Caroli Calui natiuitate progredien-

Refellitur fabula attexta hiſtoria Aimoini:

Primùm ex certo Diplomate & Sigeberto.

do, quæ fuit non ante annum Christi 820. necesse foret vt Caluus Balbum, & hic Carlomannum, & Carlomannus Ludouicum fictum, & Ludouicus Carolum Simplicem singuli ætatis suæ anno decimo quinto, vel citiùs procreassent. Quod quidem etsi quis vel fingere vellet, prætereà obstat, quod certum est ex Aimoïno suprà à nobis annotatum, Carlomanno primùm anno Christi octingentesimo septuagesimo octauo filiam Bosonis fuisse desponsam; ex quo matrimonio natus fictus ille Ludouicus, mox post biennium, aut vix biennis Carolum procreasset. Vide quò trahant fabulæ. Carolus itaque cognominatus Simplex (credo ob id quòd nomine magis quàm re, & dudum etiam vix nomine, imperarit) mortuo fratre Carolomanno, anno, vt ostendimus, octingentesimo octogesimo quarto, annos Regni sui numerare incipit, primùm sub tutore Carolo Crasso Imperatore consobrino; nempe eum mortuo Carolomanno, Franci propter continuas Nortmannorum incursiones in Regnum, vti Reginonis verbis retulimus, inuitarũt. De Carolo hoc Crasso, ista habet idem Regino ad annum sequentem, qui est Christi nati 885. Hugo (Lotharij filius ex pellice, de quo aliquoties suprà) rebellare disponens contra Imperatorem, Legatos ad Godefridum in Frisiam occultè dirigit, quatenus Regnum paternum euindicare armis posset; & si id eius industria effectum obtineret, medietatem Regni pollicetur. Godefridus Gerolfum & Galdolfum Comites Frisonum Legatos ad Cæsarem dirigit, mandatque Confluentem, Andernachum, Surícham sibi largiatur, eò quòd terra quam perceperat, minimè vini ferax esset. Quorum callida machinamenta cùm persensisset Imperator, responso suspensos absoluit, asserens per suos Missos ea responsa redditurum, quæ sibi & eidem Godefrido essent conuenientia. Posthæc autem Henricum (Ducem) mittit Imperator, & vt fraus occultaretur, cum eo Willibertum Episcopum Coloniæ, qui cum præfato Episcopo mox in Batuam proficiscitur. Godefridus verò, audito eorum aduentu, illis obuiàm procedit, ad locum qui dicitur Herispich, in quo Rheni fluenta & Wali ex vno se alueo resoluunt, & ab inuicē longiùs recedentes Batuam prouinciam suo gurgite cingunt. Hanc insulam ingredientes Episcopus & Comes (ab alijs dictus Dux) multa à Godefrido audiunt, multa ex parte Imperatoris respondent. Dies ad occasum vergit; soluto colloquio insulâ excedunt, hospitia repetunt in crastinum reuersuri. Henricus Episcopum hortatur, vt die subsequenti Gislam vxorem Godefridi extra insulam euocaret, eamque ad pacis studium reuocare satageret; interim ipse cum Godefrido causam Eberhardi Comitis agitaret. Persuadet eidem Eberhardo, vt de iniustitia quam patiebatur, in medio adsurgens, se proclamaret; & cùm à ferocis & barbaræ gentis homine contumeliosius

Deinde alijs quoque firmissimis argumentis.

Primus tutor Caroli Simplicis Carolus Crassus Imp.

885

Hugo Lotharingiæ inhians, Godefridum Nortmannum in partes suas trahit.

Mittuntur ad Godefridum Legati ab Imperatore.

Multa arte contra Barbarum vtuntur.



CAROLVS SIMPLEX LOTH. REX, XIV. BRAB. PRINC.

ſius verbum ſibi eſſet prolatum, abſque mora, euaginato gladio eum
Tandem Godefridus cum omnibus Nortmannis in Batua trucidantur.
ſummo anniſu in capite percutit. Quid plura? Ab Ebarherdo primò
percuſſus, & à ſatellitibus Henrici confoſſus Godofridus moritur, omneſque
Nortmanni, qui in Batua reperti ſunt, trucidantur. Ita Regino.
Sigebertus, licet vno anno ſeriùs quàm oporteat, in hunc modum: Hug
filius Lotharij ex Waldrada pellice, paternum Lotharingiæ Regnum
rebellando aſſequi ſperans, Godefrido Nortmannorum, cui ſoror ſua
Giſla nupſerat, medietate affectati Regni promiſſa perſuadet: (planeque,
vt apud Reginonem, niſi quod breuiùs.) Et concludit: Godefridus cum
Hugo auctor mali excæcatus in Monaſterium retruditur.
ſuis perimitur, nec multò pòſt etiam Hug ab Henrico excæcatur, &
nouiſſimè in Monachum Prumiæ attondetur. Hæc Sigebertus. Porrò
anno ſequenti, qui fuit Chriſti 886. Nortmanni à Sanno fluuio exeunt,
886 & rurſus in Regno Lotharij reuertentes, in loco qui dicitur Louen caſtra
Rurſum Nortmanni iuxta Louen caſtrametantur.
ſedeſque ſtatuunt, ſcilicet in confinio vtriuſque Regni, & continuis eiuſdē
Regni infeſtationibus vtraque Regna fatigant. Ita prorſus Regino. Et
videri poſſent hæc oſcitanter poſita, quòd eadem verba etiam legantur
ſuperiùs ad annum 884. Sed mirum videri non debet, prædones facilè
caſtra mutaſſe, ſubinde etiam eadem repetiiſſe. Certè Regino, qui hæc
ſcripſit, quaſi oculis eadem ſpectauit, vt paulò pòſt ad annum 892. liquebit.
Et Sigebertus ſimiliter idem iſtud bis commemorat, biennio
itidem diſtinctum. Qui quidem Nortmanni, anno proximo qui eſt
887 Chriſti 887. à Louen recedentes (verba ſunt eiuſdem Reginonis) Sequanam
ingrediuntur, Pariſijſque applicantes caſtra ponunt, & ciuitatem
obſidione claudunt. Quare Imperator perluſtrans Galliarum populos
cum immenſo exercitu venit, ibique aduerſus hoſtes caſtra poſuit, ſed nil
Craſſus in Galliis nil dignum contra Nortmannos egit; quin etiam regiones vltra Sequanam eis conceſſit.
dignum Imperatoria maieſtate geſſit. In eodem verò loco, ad extremum,
conceſſis terris & regionibus quæ vltra Sequanam erant, Nortmannis
ad deprædandum, eò quòd incolæ illarum ſibi obtemperare
nollent, in Alemanniam receſſit. Et primò quidem Luiduardum Epiſcopum
Vercellenſem, vnicum conſiliarium, obiecto adulterij crimine
cum dedecore repulit. Deinde coniugem ſuam Richardem pro eadem
re in concionem vocat; & quamuis multa innocentiæ eius eſſent prolata
argumenta, quæ Regino prolixè commemorat, tamen à ſe eam repulit.
Ea, acto diſſidio, in Monaſterium, quod in proprietate ſua conſtruxerat,
Deo famulatura receſſit. Quibus ita geſtis, Imperator (Carolus dictus
Idem corpore & animo deficiens, Imperio priuatur, ſubrogato Arnulpho.
Craſſus) corpore & animo cœpit ægrotare. Menſe itaque Nouembri
Triburias venit, ibique Conuentum generalem conuocat. Vbi cernentes
Optimates, non modò vires corporis, verùm etiã animi ſenſus ab eo
diffugere, Arnolphum filium Carolomanni (fratris eius) vltrò in Regnum
attrahunt: & ſubitò, facta conſpiratione, ab Imperatore deficientes, ad
prædi-

prædictum virum certatim transeunt, ita vt in triduo vix aliquis re-
maneret, qui ei saltem officia humanitatis impenderet; cibus tamen *Heu quàm incerta sors humana!*
& potus ex Luidperti Episcopi sumptibus administrabatur. Erat res
æstimatione sortis humanæ rerum varietate miranda. Concessit au-
tem Arnolphus Rex nonnullos fiscos in Alemannia, vnde ei alimo-
nia præberetur; ipse verò, compositis in Francia feliciter rebus, in Ba-
ioariam reuertitur. Hæc Regino; & pergit ad annum sequentem: Ca- 888
rolus Imperator, tertius huius nominis, obiit pridie Idus Ianuarij, se-
pultusque est in Augea. Intereà Galliarum populi cum consensu Ar- *A Francis sublimatur Rex Oddo seu Otto.*
nulphi * Oddonem Ducem filium Ruperti, Regem super se creant,
qui Rempublicam viriliter rexit, & contra assiduas deprędationes Nort- * Ottonem
mannorum indefessus propugnator extitit. Sic Regino. Sigebertus ad
annum sequentem hoc modo: Franci, neglecto Carolo Ludouici
Balbi puero, Regem sibi præficiunt Odonem filium * Roberti Ducis, **Nēpe eius Rutberti seu Roberti, de quo supra ad annū 867. in Lothario Secundo.*
qui à Nortmannis occisus fuerat. Ita ille. Sed quid? an hoc verum,
quòd dicit neglectum Carolum puerum? Caput illud 42. lib. 5. Ai-
moïno (vt suprà docuimus) adiectum, dicit Odonem hunc, licet Sa-
xonici generis, paruulo semper extitisse fidelem; quod pro parte credo.
Sed dum etiam ipse eum vnctum dicit Regem à Galterio Episcopo,
certè eatenus paruulum satis neglexisse quoque indicat. Intereà anno
proximo, qui est Christi 889. Nortmanni à Senonica vrbe recedentes, 889
denuò Parisios repetunt, & inde repulsi per Matronem fluuium Tre- *Nortmanni iterum Gallias incursant, & varie populantur.*
cas Vrbem incendunt, & vsque Viridunum & Tullum vrbes cuncta
depopulantur. Eodem quoque anno gens Hungarorum ferocissima à
Scythicis Regnis, & à paludibus quas Tanais sua refusione in immen-
sum porrigit, egressa est. Sub idem tempus Arnolphus Rex concessit
Zuendebolch (Duci * Maharensium) Ducatum quoque Boëmensium, * Morauiæ
eò quòd illi, antequam in Regni fastigio subleuaretur, familiaritatis
gratia fuerit connexus: denique filium eius (Arnulphi intellige) quem
ex pellice susceperat, à sacro Fonte leuauit, eumque ex nomine suo Zuen- *Ex re parua magnum posteà malum.*
debolch appellari fecit. Verùm (vt idem Regino pergit narrare ad an-
num sequentem, & Sigebertus confirmat, licet biennio tardiùs quàm
oporteat) Arnolphus hoc modo Zuendebaldo Ducatum Boëmorum 890
addens, & Boëmanos sibi infestos fecit, & Zuendebaldo per adiectio-
nem potentiæ materiam contra se rebellandi dedit. Ad quem debel-
landum, cùm ipse non sufficeret, gentem Hungarorum Deo inimicam
Regno immisit, eorumque auxilio Zuendebaldum tributarium fecit.
Verba sunt Sigeberti biennio pòst; sed ad hunc annum ex auctorita-
te Reginonis & aliorum reuocanda. Dissidet scilicet hîc iam per ali-
quot annorum decursum Sigebertus à Reginone, atque adeò aliquoties

Diffident in annis Sigebertus & Regino, sed magis Reginoni fidendum. etiam triennio & ampliùs, ita vt victoriam illam insignem Arnulphi contra Nortmannos iuxta Louanium, quam cum Reginone ponemus anno nonagesimo primo supra octingentesimum, Sigebertus demum ponat nonagesimo quinto. Sed cùm Regino, secundo ab hinc anno ostendat se hæc oculis spectasse, & Sigebertus ducentis annis tardiùs scripserit, non putamus hîc à Reginonis calculo recedendum. *Exclamat Luitprandus contra Arnulphū Imp.* Exclamat contra prædictum Arnulphi facinus Luitprandus huius sæculi Scriptor: O cæcam Arnulphi regnandi cupiditatem! ô infelicem amarumque diem! vnius homuncionis deiectio, nempe Zuentbaldi, quem aduersarium patiebatur, fit totius Europæ contritio. Hæc ille. Intereà anno sequenti (qui numeratur Christi octingentesimus nonagesimus primus)
891
Nortmanni duobus continuis pręliis in Britannia grauiter attriti, in Regnum Lotharij classem transferunt (Regino loquitur) & castra metati prædas exercent. *Arnulphus cōtra Nortmannos ducit.* Contra quos Arnolphus Rex exercitum dirigit; iubetque super Mosam tentoria figere. Sed antequam exercitus in vnum colligeretur, Nortmanni superiora tenentes circa Leodium Mosam transierunt, & in siluis & paludibus Aquis palatio contiguis disperguntur. Sed ingrauato pręlio, Christianorum exercitus, peccatis facientibus, heu, proh dolor! terga vertit. *Primo conflictu Nortmanni vincunt.* Nortmanni, pàtrata victoria, castra diuitijs omnibus referta inuadunt, & trucidatis quos in bello ceperant, onerati præda ad classem reuertuntur. Fuit hæc cædes facta 6. Kalend. Iulij. Dum hæc aguntur, Arnolphus Rex in Baioariorum extremitatibus morabatur, insolentiam Sclauorum reprimens. Cui cùm nuntiata esset suorum strages, congregato exercitu, mox Rheno transmisso, circa littora Mosæ castra statuit. Interiectis diebus Nortmanni ex superiori pugna elati, cum omni virtute ad deprædandum proficiscuntur; contra quos Rex cum expeditis ad pugnam procedit. Illi cernentes acies propinquare, super fluuium qui Thilia dicitur, (Dilia est Louanium interfluens, quod mox clariùs patebit) ligno & terræ congerie more solito se communiunt, & cachinnis & exprobrationibus agmina lacessunt. *Vincunt demum Christiani iuxta Louanium, vt ex hostibus vix vnus superesset.* Rex felle commotus exercitum iubet descendere, & pedestri congressione cum aduersariis decertare. Qui dicto citiùs ab equis desilientes, clamore exhortationis dato, præsidium inimicorum irrumpunt, & Deo vires cælitus ministrante, eos vsque ad internecionem ferro cædunt, ita vt ex innumerabili multitudine vix residuus esset, qui ad classem aduersum nuntium reportaret. Rebus feliciter gestis Arnulphus in Baioariam reuertitur. Ita Regino. In Annalibus Fuldensibus locus etiam pressiùs exprimitur hunc in modum: *Testimonia varia dictæ victoriæ.* Nortmanni deuastata ex maxima parte Regni Lotharici regione, prope fluuium Clyla, loco qui dicitur Louonnium (Dylam & Louanium intellige) sepibus more eorum munitione septa, securi consederunt.

runt. Sic ibi; vbi deinde & reliqua attexuntur, quæ iam narrauimus. Exclamat in hanc victoriam Helmoldus ante annos quadringentos: Bellum cælitus administratum est; siquidem centum millibus Paganorum prostratis, vix vnus de Christianis cecidisse repertus est. Auentinus tantùm habet nonaginta millia; additq́;, ob eam victoriam eodem in loco Kalendis Septembris Arnulphum cum exercitu supplicatum iuisse. Atque hæc prima occasio solemnis illius Supplicationis Louaniensis semper prima Dominica Septembris, Molano etiam ex Archiuis Louaniensium attestante. Ceterùm anno proximo, qui est Christi 892. mense Februario, Nortmanni qui ad naues remanserant, (verba sunt Reginonis) Mosam transeuntes, Ribuariorum pagum ingressi, peruenerunt vsque Bonnam: atque inde digressi, occupauerunt villam Landolfes-dorp; vbi occurrit eis exercitus Christianorum, sed nihil dignum egit. Nocte enim superueniente, recesserunt Nortmanni à iam dicta villa, & formidantes hostilem impetum, siluas semper tenentes, exercitum verò à læua post tergum relinquentes, ad Prumiam Monasterium dirigebant; ipsisque iam irruentibus Abbas & congregatio Fratrum vix fuga dilapsi sunt. At Nortmanni omnia depopulati sunt. Inde verò exeuntes, Arduennam intrant, vbi quoddam castrum in quodam præeminenti monte nouiter constructum absque mora expugnant; interfectis omnibus cum ingenti præda ad classem redeunt, oneratisque nauibus cum omnibus copiis transmarinas repetunt regiones. Per id tempus Farabertus Abbas Prumiensis curam pastoralem sua sponte per concessum Regis deposuit; & ego (nota ætatem Scriptoris) quamuis indignus, per electionem Fratrum in regimine successi; in quo tamen non diutiùs immoratus, æmulis agentibus, Richarium fratrem Gerhardi & Matfridi, inuidiosum negotij mei successorem sustinui. Atque hæc de retroactis causis, transcursisque temporibus, nam de modernis tacere disposuimus: sed ne hæc tamen per omnia intacta præteriisse culpemur, res tantùm gestas ex parte summatim annotare curabimus. Igitur anno suprà memorato mense Iulio Walgharius Comes, nepos * Oddonis Regis aduersus eumdem Regem rebellionis arma leuauit. Quare Otto, omnibus primoribus adiudicantibus, eumdem Walgharium decollari iussit, eò quòd in conuentu publico contra Regem & dominum suum gladium euaginasset. Et post hæc Otto in Aquitaniam proficiscitur contra Ramnolphum, & fratrem eius Gozbertum, Ebulonem Abbatem de S. Dionysio, & alios nonnullos qui eius imperiis obtemperare renuebant. Item eodem anno mense Septembri Megingandus Comes, nepos supradicti Ottonis Regis, dolo interfectus est ab Alberico & socijs eius in Monasterio S. Xysti, quod vocatur Sotila; cuius corpus Treuerim deportatum apud S. Maximinum

Cæsa (vt minimum) nonaginta Nortmannorum millia.

892

Nortmanni, qui ad naues remanserant, nihilominùs alia populantur.

En quare multum Reginonis Chronico fidamus.

*Ottonis

Oddo Rex se de hostibus vlciscitur.

Megingandus Comes nepos Oddonis dolo interfectus.

num est sepultum. Tunc Arnolphus (Germaniæ Rex) Zundibolcho filio honores Megingandi Comitis ex parte largitur. Porrò Ottone Rege in Aquitania commorante, Francorum Principes ex permaxima parte ab eo deficiunt, & agentibus Fulcone Archiepiscopo, Heriberto & Pipino Comitibus, in Rhemorũ ciuitate Carolus Ludouici Balbi ex Adelheide Regina natus, in Regnum eleuatur. Hæc Regino. Sigebertus pro iure Caroli posteriora illa sic pleniùs effert: Oddone Rege per consilium Francorum in Aquitania demorante, Franci puerum Carolum duodennem Ludouici Balbi filium in Regnum paternum reuocant, & Rhemis à Fulcone Archiepiscopo in Regem benedici faciunt, & oritur longa cõcertatio inter eum & Oddonem. Ita Sigebertus biennio pòst. Sed cùm etiam is ipse Carolum tantùm faciat duodennem, meritò ea huic anno adscribimus. At verò anno sequenti, qui est Christi 893. Arnolphus Rex Baioariam egressus, Francfurt venit (verba sunt Reginonis) & Rhenum trãsiens, ciuitates quę in Regno Lotharij sunt, ex maxima parte circumiuit: in quo itinere ingentia dona illi ab Episcopis oblata sunt. Interim Otto, compositis rebus in Aquitania, in Franciam reuertitur, & cum Rodeberto fratre Carolum fugat, defectoresque persequitur. Quare Carolus vires Ottonis ferre non valens, patrocinia Arnolphi exposcit. Æstiuo siquidem tempore iam dictus Rex Conuentum publicum Wormatiæ celebrauit; vbi Carolus venit, & Arnolphum magnis muneribus sibi conciliat, Regnumque quod vsurpauerat (ita Auctor, sed an rectè, dicemus mox) ex eius manu percepit. Iussum est etiam, vt Episcopi & Comites qui circa Mosam residebant, illi auxilium ferrent. Sed neutrum horum illi quidquam profuit. Denique Otto Rex audiens, cum exercitu super ripam Axani fluminis sedit, & copias Arnolphi intrare in Regnum nullatenus permisit. Sic Duces Arnolphi ad propria reuersi sunt, Carolus autem in Burgundiam secessit, & Ottone Parisios reuertente, rursus Regni fines occupat, & Ottonis fideles insectatur: sicque alternatim ex vtraque parte multi pereunt; ingens malitia, innumerabiles rapinæ & assiduæ prædæ fiunt. Hæc nec plura eo anno Regino: qui quàm imprudenter dicat Regnum à Carolo vsurpatum, patet; tum quòd ipse etiam anno præcedenti eum ponat legitimum Ludouici Balbi heredem, eoque titulo à Francis solemni ritu in Regnum eleuatum (quod & clariùs expressit Sigebertus, dicens eum in paternum Regnum reuocatum) tum quòd exstet insigne Diploma anno proximo, qui est Christi 894. Ecclesiæ Leodiensi ab hoc Carolo tamquam Lotharingiæ inferioris (in qua & Brabantia) Principe concessum, & est vt sequitur: Carolus misericordia " Dei Rex. Si iustitiam verè diligimus, & aures nostræ pietatis iustis ac- " commodare petitionibus certamus, morem, vt decet, Regium frequen- " tamus,

Reiecto Oddone, Franci Carolum Simplicem duodennem Regem consecrant.

893

Otto, fugato Carolo, desertores persequitur.

Frustrà Carolus auxilium ab Imp. Arnulpho exspectat.

Nihilominùs strenuè Oddoni resistit.

894

Diploma Simplicis datum Ecclesiæ Leodiensi.

,, tamus, & ex hoc, in futuro remunerari omnino credimus. Quapropter
,, notum esse volumus omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, tam præ-
,, sentibus quàm & futuris, quoniam nostræ genua serenitatis adiens Do-
,, minus Franco venerabilis Episcopus, reclamauit se de quibusdam rebus
,, de fisco, scilicet Arceias in pago Portunensi sito, quas etiam ab Eua
,, Chunradi quondam muliere, per precariam acceperat, quòd vi atque
,, violentia sibi ac Ecclesiæ suæ fuissent ablatæ. Quod ergo vt verum com- *Obserua phrasim priscæ pietatis.*
,, perimus, ob Dei amorem & S. Lamberti, remediumque animæ nostræ,
,, perque deprecationem charissimæ & venerabilis genitricis Adeleydis &
,, Domini Fulconis Rhemorum Archiepiscopi, præceptum nostræ aucto-
,, ritatis & hoc fieri, & ei dari iussimus; per quod iubemus atque præcipi-
,, mus, vt nemini mortalium liceat quoquo modo ab eo, vel ab Ecclesia
,, sua, successoribusque suis, prędictas res cum omni integritate, veluti con-
,, tinetur in præfata precaria; quæ ab hodierna die & deinceps habeant, te-
,, neant, possideant, vel quidquid exinde facere voluerint, liberam ac fir-
,, missimam de omnibus, sicut de alijs suę Ecclesię rebus, habeant potesta-
,, tem faciendi. Et vt hæc nostræ auctoritatis largitio per successura anno-
,, rum curricula, rata & inconuulsa permaneat, manu propria eam subter- *Sigillum Caroli gloriosissimi Regis*
,, firmauimus, & annuli nostri impressione insigniri iussimus.
,, Raubertus Notarius advicem Ausberici Cancellarij recognouit.
,, Datum anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo nonagesimo
,, quarto: anno quoque regnante Carolo secundo, Indictione duodecima,
,, sexto Kal. Octobris. Actum Attini cæco. Sic Diploma, Tomo 1. Rerum Leodiensium fol. 161. dignum (vt liquet) quod à nobis integrum describeretur. Ad hunc annũ Regino nulla Francica vel Lotharingica adscribit, sed prolixè tantùm narrat alias Arnolphi expeditiones: quarum præcipuam his verbis breuiter complectitur Sigebertus, licet tardiùs quàm oporteat: Arnulphus, inquit, Rex à Berengario Italico interpellatus ad auxilium sui contra Widonem (erat is alius Italiæ Rex) Zuendebaldum filium suum cum exercitu in Italiam misit. Sed Wido viriliter agens, & primores exercitus donis corrumpens, eos inefficaces redire fecit. Sed posteà ipse Arnulphus Longobardiam ingressus * Pergamum vrbem armis capit: cuius Comitem Ambrosium ante portam vrbis suspendens, ceteris vrbibus terrore incusso, ad obsequium suum omnes adduxit. Hæc Sigebertus. Porrò anno octingentesimo nonagesimo quinto Synodus magna celebrata est apud Triburias contra plerosque sæculares, qui auctoritatem Episcopalem imminuere tentabant. Ita Regino, & 895
prolixè de his differit; ac deinde: Post hæc, inquit, Arnolphus (Rex) Wormatiã venit, ibique Optimatibus ex omnibus Regnis suæ ditioni subiectis sibi occurrentibus, Conuentum publicum celebrauit; in quo, assentienti-

Arnulphus Imperator mittit filium Zuendiboldum in Italiam. Item ipse illuc proficiscitur.

*Parmam

Præficit filium Zuendibolch Regno Lotharij. tientibus atque collaudantibus omnibus Zuendibolch filiũ Regno Lotharij præfecit. Ita ille: sed an iure, contempto Carolo filio Balbi, aliquoties à nobis est disputatum; imò ostensum, iniuria id factum. Et in eodem Placito (verba sunt eiusdem Reginonis) * Otto Rex cum magnis muneribus ad Arnolphum venit, à quo honorificè susceptus est, omnibusque impetratis pro quibus venerat, reuersus est. Et eodem anno Zuendibolch collecto immenso exercitu, quasi Carolo aduersus Ottonem auxilium laturus, Lugdunum deprædatur. Hæc Regino. Sigebertus, licet seriùs suo more, hoc modo breuiter narrat: Arnulphus Rex Zuendebaldum filium suum ex concubina facit Regem Lotharienſium. Sic ille. Anno 896. Arnolphus secundò Italiam ingressus Romam venit, & vrbem Romanam cum consensu summi Pontificis armis cepit. Arnolphus autem ciuitatem ingressus, à Formoso Apostolicæ Sedis Præsule magno honore susceptus, ante Confessionem S. Petri coronatus, Imperator creatus est. Sic Regino. Luitprandus eiusdem sæculi Scriptor hoc modo narrat: Hoc in tempore Formosus Papa religiosus à Romanis vehementer afflictabatur, cuius & hortatu Rex Arnulfus Romam aduenerat. In cuius ingressu, vlciscendo Papæ iniurias, multos Romanorum Principes decollari præcepit. Hæc ille. At verò inde reuertens Arnolphus, paralysi morbo grauatur, ex qua infirmitate diu languescit. Eodem anno Lampertus filius Guidonis, de quo superiùs, vita decedit, & Ludouicus filius Bosonis à Longobardis inuitatus à Prouincia egressus, Italiam intrat. Ista Regino hoc anno, nec vlla speciatim Francica. Annus sequens apud Reginonem non habet nisi minuta quædam & peculiaria tractus Prumiensis; quare ex Baronio quædam ei adscribemus, ne vacet. Anno, inquit, 897. post Formosum Bonifacius inuadens Sedem, tenuit dies quindecim, non numerandus inter Pontifices, vtpote qui damnatus fuit in Romana Synodo sub Ioanne Nono, homo nefarius, iam anteà bis gradu depositus. Aduersus quem Stephanus, nihilo melior, insurgens, eo pulso Sedem occupauit. Quæ omnia per vim & metum extorta, maximam irrogarunt ignominiam S. R. Ecclesiæ. Sed quòd intrusorum Pontificum aliqui vt Pontifices posteà recepti inueniantur, alij verò penitus abrogati, id inde euenit, quòd illi quamuis tyrannicè Sedem adepti, tamen posteà etiam legitimè sint electi legitimis cærimoniis; accedente scilicet consensu Cleri, satius esse existimantis, eos qualescumque tolerandos, quàm Ecclesiam schismate conscindendam, maximè quòd etsi deforme, non tamen omnino insanũ caput ab ijs Ecclesiæ sit appositum, sed quod fide Catholica semper sibi constiterit. Hæc Baronius. Certè constat de hoc Stephano ex Frodoardo, grauissimo huius æui Scriptore, l. 4. Hist. Rhemens. c. 4. & 6. magnam intercurrisse literarũ consuetudinem inter ipsum Stepha-

Margin notes: * Oddo (beside "Otto"); *Zuendibolch deprædatur Lugdunũ.*; 896 (beside "no 896."); *Imp. Romam ingressus, vlciscitur Papæ iniurias.*; 897 (beside "Regino hoc anno"); *Sedes Romana varios patitur inuasores.*; *Ex iis tamen nonnulli posteà vt legitimi sunt recepti, & quare.*

Stephanum & Fulconē maximi nominis Rhemensiū Archiepiscopum. Atque adeò cùm Fulco ad eum scripsisset de sua erga Sedem Romanam deuotione, inuitat eum Stephanus ad Synodum Rauennæ celebrãdam. Cui respondens Fulco, significat quoq; Odonem & Carolum Reges in pacis tandem concordia, se studente, connexos; aitque, si ab Odone Rege licentiam impetrare valuerit, se Romam aditurum. Sed obtinuit posteà idem Fulco ab eodem Stephano, vt quoniam vocatus ad Synodum ob bellorum fragores præsens adesse minimè posset, id per Legatos expleret. Hæc omnia ex Frodoardo. Vide etiam plura, totamque de Formoso Papa historiam infrà in Sergio ad annum 906. Sed ecce pax inter Odonem & Carolum facta mox iterùm rupta est, siue fine anni præsentis, siue initio proximi 898. Qua occasione, diffisus suis viribus Carolus, voluit cum Nortmannis fœdus inire; de quo eum grauissima epistola, teste eodem Frodoardo, castigat dictus Fulco Archiepiscopus, vbi hæc inter cetera: Quis enim, inquit, qui vobis sicut oportet fidelis est, non expaueſcat vos inimicorum Dei amicitiam velle? Nihil enim distat vtrùm quis se Paganis societ, an abnegato Deo, idola adoret. Nam si, vt ait Apostolus, bonos mores colloquia mala corrumpunt, quãtò magis corrumpitur castitas animæ Christianæ, inimicorum ex consilijs & societate? Vnde & meritò Prophetica illa vox ad vos dirigitur, quę quondam ad Regem Israël similia facientem directa est, Quia impio præbes auxilium, & his qui oderunt Deum amicitia iungeris. Et post multa concludens: Sciatis enim quia si hoc feceritis, numquam me fidelem habebitis, sed & quos vtcumque potuero à vestra fidelitate reuocabo, & cum omnibus Coëpiscopis meis vos & omnes vestros excommunicans, æterno anathemate condemnabo. Pro fidelitate, quam vobis seruo, hæc gemebundus scribo. Hæc ille: cuius monitis cùm Carolus acquieuisset, protinus auxilium illi præstitit Deus, Ottone aduersario sublato, de cuius morte ista Regino hoc eodem anno; & quomodo tunc ab omnibus pariter Carolus fuerit receptus: * Oddo, inquit, Rex ægritudine pulsatur, & mensis Ianuarij die tertio diem clausit extremum, & apud sanctum Dionysium cum debito honore sepulturæ mandatur. Principes autem in vnum congregati, pari consilio & voluntate Carolum super se constituunt. Sic Regino. Addit Sigebertus Odonem morientem etiam obtestatum Primores vt Carolum in Regno reciperent: idemque prosequitur Meierus prolixè. Hoc anno quoque Zuendibolch Reginarium Ducem sibi fidissimum, ait dictus Regino, nescio cuius instinctu, à se repulit. Qui adiuncto sibi Odocro Comite, & quibusdam alijs, in locum qui dicitur Durfos intrauit, ibique se communiuit. Quod cùm Zuendibolch cognouisset, adunato exercitu castrum expugnare conatus est; sed

Pax inter Odonem & Carolum, sed mox iterùm rupta.

898

Grauissimè dissuadet Fulco Episcopus fœdus cum Nortmannis.

1 Paral. 19

Imò liberrimè ob hoc minatur Regi.

* Otto.

Moritur Rex Oddo aduersarius Simplicis per annos decem.

ſed minimè valuit propter paludes & multiplices refuſiones, quas in prædicto loco Moſa fluuius facit. Ipſo ab obſidione recedente, præfati Comites Carolum adeunt, & eum cum exercitu in Regnum introducunt. Tunc Zundibolch, quãuis ſerò, intelligens ſe circumuentum, cum paucis fuga dilabitur. Carolus recto itinere Aquas venit, deinde Neumagum perrexit. Sed Zuendibolch ad Franconem (Leodienſium) Epiſcopum venit; intercurrentibuſque Legatis pax firmatur, Carolus in ſuum Regnum regreditur: (intellige vt ſuprà ad annum 893. explicuimus.) Per id tempus Eberhardus Dux filius Meginhardi à Watgario Friſone filio Gerolfi, cùm venatum pergeret, dolo trucidatur. Hęc Regino.

Lotharingi etiam deſerto Zuendibolch, Carlum ad ſe euocant.

899 Porrò anno proximo, qui eſt Chriſti 899. Zuendibolch, teſte eodem, colloquium habuit cum Optimatibus Arnolphi & Caroli & ſuis apud ſanctum Goarem; & non multò pòſt denuò cum exercitu ad Durfos venit, & * multitudinem totis viribus expugnare molitur. Sed cùm minimè conatus eius proficeret, Epiſcopis iubet, vt Reginarium & Odacrum & ſocios eorum anathematizarent. Quod cùm illi recuſarent, multis exprobrationibus & contumeliis vtitur, & ſic ad propria rediit. Hoc anno Richarius Abbas Monaſterij Prumienſis conſtituitur. Qualiter autem erga me (Regino loquitur, de quo & ad annum 892.) actum ſit, idcircò hoc in loco notare diſtuli, ne fortè perſecutionis meæ cauſas exaggerare videar. Circa confinia autem huius anni Arnulphus Imperator migrauit à ſæculo 3. Kalend. Decembris, ſepultuſque eſt honorificè in Odingis, vbi & pater eius tumulatus iacet. Ita Regino. Sigebertus addit, corroſum à vermibus. Certè & Cuſpinianus ſic habet: Periit potione medica, machinatione vxoris hoſtis ſui Spoletani Reguli ipſi porrecta, virtute toxici, à vermibus, quos pediculos vocant, corroſus 3. Kalend. Decembris.

Zuendibolch fruſtrà armis rem agit.

** munitionem*

Moritur Arnulphus Imp. vi toxici à vermibus corroſus.

900 & adſtipulatur quoque Luitprandus multis verbis: Quo mortuo, anno deinde Incarnationis Dominicę nongenteſimo, inter Zuendipoldum & Primores Regni inexpiabilis oritur diſſenſio, propter aſſiduas rapinas, quæ in Regno fiebant (Regino loquitur) & quòd cum mulieribus & ignobilioribus Regni negotia diſponens, nobiliores quoſque deiiciebat. Certatim igitur ad Ludouicum (filium Arnulphi legitimum) tranſeunt, * eumque in Regnum introducunt, & in Theodonis villa, manibus datis, eius dominationi ſe ſubiiciunt. Sed Ludouico trans Rhenum eunte, Zuendipol incendiis ac rapinis cuncta deuaſtat. Quare Ludouicus in Regnum rurſus accerſitur, & non multò pòſt à Comitibus Stephano, Gerhardo & Matfrido circa Moſam idem Zuendipol in prælio interficitur Idibus Auguſti. Hæc Regino. Sigebertus huic anno etiam iſta adſcribit: Fulco, inquit, Rhemorum Archiepiſcopus perimitur à Winemaro ſatellite Balduini Flandrenſium Comitis, pro eo quòd Abbatiam S.Ve-

** nempe pars vna Lotharingorum: nam altera, vt vidimus, Simplicem recepit; de quo & vide Diploma ad annum 894.*

Zuendipol in prælio occiditur.

S. Vedasti Atrebatis à Carolo in beneficium acceperat, quam Balduinus iam per aliquot annos, quamuis nullo concedente, inuaserat. Ita ille; fateturque idem Meierus, quantumuis factum excusare conetur. Anno sequenti, qui est Christi 901. gens Hungarorum Longobar- 901
dorum fines ingressa, crudeliter cuncta deuastat. Sic breuiter Regino. Sigebertus, quamuis biennio seriùs quàm oporteat, in hunc modum paulò pleniùs: Vngarorum gens barbara, quæ quibusdam clusis remota, nec ad Meridianam, nec ad Occidentalem plagam exeundi anteà habuerat facultatem, per Arnulphum ruptis clusis emissa, quæ Arnulpho viuente, aliquantulum temperauerat rabiei suæ, modò, eo mortuo, per totam Galliam, Germaniam, Italiamque vt fera tempestas diffunditur. Hæc ille, nec plura ad hunc annum. Ad annum quoque proximum, non nisi quod superiorem Germaniam spectat, Regino commemorat vel Sigebertus, interseruntque simul annis aliquot sequentibus pauca Italica. Credere par est, Carolum nostrum Simplicem intereà vtcumque quietè vixisse. Ea quæ ipsi commemorant (ne omnino anni vacent) hæc sunt: Anno Christi 902. inquit Regino, Adalbertus cum fratribus Adalhardo & Heinrico, collecta valida manu, aduersus Eberhardum, Gebelhardum & Rudolfum fratres, ex castro quod Babenberg dicitur prosiliens, ad pugnam processit; cuius impetum viriliter illi excipientes, ferro aciem irrumpunt. Heinricus interfectus, & Adalhardus captus, & postmodum decollatus est. Eberhardus etiam vulneribus confossus, paucis interiectis diebus & ipse moritur. Et anno sequenti: Adalbertus Rudolphum Episcopum de 903
Wirtzburgensi Ecclesia fugat, res & possessiones præfatæ Ecclesiæ crudelissimè depopulatur, filios etiam Eberhardi simul cum matre vltra Sperthesh art secedere cogit. Et ad annum 904. Ludouicus filius Bosonis Berengarium de Italia expulit. Absoluto exercitu, cum perpaucis Veronam ingressus est. Sed Berengarius improuidum Ludouicum cepit, & captum luminibus priuauit. In mense Augusto hæc facta. Sic Regino: qui deinde prolixa narratione, Conradum patrem Conradi, qui post Ludouicum regnauit, anno sequenti dicit ab Adalberto, de 905
quo suprà, in bello 3. Kalendas Martij cæsum: atque hinc celebrato apud Triburias Conuentu circa Iulium mensem, Adalbertum à Ludouico Imperatore Germaniæ vocatum, nec obedientem, primò esse obsessum, deinde captum, ac denique omnibus adiudicantibus capitalem suscepisse sententiam 5. Idus Septembris. Atque hìc finit Regino suum Chronicon. Sigebertus duobus distinctis annis sic: Conradus Comes pater Conradi, qui post Ludouicum regnauit, perimitur in bello à Comite Alberto. Et anno sequenti: Durat rebellio Alberti vnius ex

Hungari, vt fera tẽpestas, per totam Europam diffunduntur.

Etiã Principes Christiani variè inter se digladiantur in Germania.

Item in Italia.

Conradus pater Conradi, posteà Imperatoris, in bello perimitur.

Primoribus Austrasiorum contra Ludouicum Regem. Hæc Sigebertus. Sunt hæc tempora, inquit Baronius, inopia Scriptorum obscura, & tyrannide Sedem Apostolicam perturbantium tetra. Certè, vt Sigebertus inter alios annotat ad annum 902. & deinceps (sed de annis multæ tenebræ sunt) Papa Stephanus omnes ordinationes Formosi prædecessoris irritas decernit, & anno sequenti Theodorus, ac deinde Ioannes IX. (& rectiùs) easdem probat. Paulò pòst iterùm Sergius eas reiicit; quin, heu scelus! (testante præter Sigebertum etiam Luitprando eius æui Scriptore lib. 1. cap. 8.) Formosum è sepulchro extractum digitis truncat, & in Tiberim abiicit. Sed quàm impiè patrarit hæc Sergius (seu Stephanus potiùs, quod vult Baronius) docet idem Luitprandus his verbis: Formosum, inquit, dum à piscatoribus inuentus, & ad beati Petri Basilicam in loculo delatus est, Sanctorum quoque imagines eum venerabiliter salutarunt; hoc namque à religiosissimis Romanæ vrbis viris persæpè audiui. Sic ille. Sergium tamen hunc, quantumuis improbum, vel potiùs Deum per eum, curam adhuc adhibuisse integræ fidei conseruandæ, Gallicanos etiam Episcopos in eo Sedem Petri fuisse veneratos, patebit mox ad annum 909. Sed iam ad seriem redeamus. Anno Christi nongentesimo septimo Bauari cum Hungaris congressi multa cæde prostrati sunt: in qua congressione

Contentio turpis Romæ de ordinatis à Formoso Papa.

Nihilominùs Episcopi Galli fidē ibi integram venerantur.

907 Luitbaldus Dux occisus est, cui filius suus Arnolphus in Ducatu successit. Sic incipit Continuator Reginonis, vt nunc habetur. Nam Sigebertus demum ad annum nongentesimum vult Chronicon Reginonis finiri; atque adeò eadem illa de Alberto occiso, quæ iam ad annum nongentesimum quintum & vltimum habentur, & à nobis relata sunt, ipse non nisi ad annum decimum narrat: vt mirum non sit, dissidentibus olim & nunc toto quinquennio exemplaribus, multas hinc obscuritates esse natas. Sed collatis omnibus, meritò cedit Sigebertus in his calculo Reginonis qui nunc habetur. Ad annũ proximum hoc tantùm habet idem Continuator: Hungari iterùm terminos transgressi, Saxoniam & Thuringiam vastauerunt. Et ad annum insequentem 909.

Hungari Saxoniam & Thuringiam vastant.

909 Hungari Alemanniam ingressi sunt. Sic ille, nec plura. Hoc anno, teste Baronio ex Cod. Concil. celebratum est ab Herueo Rhemorum Archiepiscopo Concilium in Gallia Suessione, de correctione morum, & Ecclesiastica disciplina restituenda, 15. capitibus statutis. Inter alia in fine 14. capitis, quam accepissent ab Apostolica Sede admonitionem de peruersa Orientalium doctrina, auctore Photio, negante Spiritum sanctum à Filio procedere, significant. Quo inprimis declaratur perseuerasse eos, qui quomodocumque præsidebant Romanæ Ecclesiæ, in Photij detestatione & anathemate. Sed & commendatur ex eadem

Monentur Galli Episcopi Romā de Photio negante Spiritum sanctum à Filio procedere.

re

re modestia Gallicanorum Episcoporum erga Rom. Ecclesiam, dum
minimè merita ista scribentis Sergij attendentes, ea tantùm quæ ab eo
dicerentur considerantes, ipsius obediunt iussionibus, secundùm quod
fuerunt olim admoniti à Christo discipuli de sedentibus super cathe- *Matth. 23.*
dram Moysi Scribis & Pharisæis, vt facerent quæ illi dicerent, & non
quæ facerent. At verò anno proximo, qui fuit Christi 910. Franci in 910
confinio Bauariæ & Franciæ Hungaris congressi, miserabiliter aut victi
aut fugati sunt. in quo prælio Gebelhardus Comes interiit, relictis duo-
bus filiis suis adhuc pueris Vdone & Herimanno, qui posteà clari &
nobiles in Francia extiterunt. Hæc Cõtinuator Reginonis. & ad annum
sequentem: Ludouicus Rex filius Arnolphi obiit. Cui Cunradus filius *Ludouicus*
Cunradi ab Adalberto occisi, regali iam stirpe deficiente, in Regno suc- *Imp. mori-tur, succe-*
cessit. Ita ille. Sic & Onuphrius in Commentario: Ludouicus Rex fi- *duq; Con-radus.*
lius Arnolphi Imperatoris obiit Ratisbonæ mense Decembri, & in eo
Caroli Magni stirps in Germaniæ Regno defecit. Porrò anno Chri-
sti 912. Hungari iterùm, nullo resistente, Franciam & Thuringam va- 912
stauerunt. Et eodem anno Otto Dux Saxonum obiit, itemque Hatto *Iterùm Hungari*
Archiepiscopus vir strenuus & prudens, cui Heringerus successit. Hæc *Saxoniam*
tantùm Continuator Reginonis. (Fuit hic Hatto Archiepiscopus Mo- *& Thu-ringiam*
guntinus, qui Conradum Regem Aquisgrani consecrauit.) Et similiter *vastant.*
hæc pauca tantùm habet idem Auctor ad annum proximum: Hiems 913
magna nimis. Hungari partes Alemanniæ vastauerunt, & iuxta In flu-
uium à Bauaris & Alemannis occisi sunt. Et eodem anno Euerhardus
Episcopus Spirensis ab Erenhardo & Cunrado Comitibus cæcatus est;
Otbertus quoque Strasburgensis Episcopus occiditur. Sic ille. Hoc anno
Christi nongentesimo decimo tertio, Indictione prima, nona die men-
sis Maij habetur consignatum Diploma Raginerij Ducis Lotharingici
pœnitentis. (Ducis scilicet militaris, eius credo cuius suprà ad annũ 899.
meminimus.) Hic scilicet cùm priùs Ecclesiastica bona sæpiùs depræda- *En verum*
tus esset, tandem donatione amplissimi latifundij satisfaciens in fauo- *pœniten-tem.*
rem Monasterij S. Matthiæ Treuirensis, hoc Diploma confecit, quo
seipsum persecutorem ac prædonem aliquoties nominans, verè pœni-
tentis posteris reliquit exemplum. Ad hunc quoque annum pertinent
» quæ habet Dousa lib. 5. Annalium Hollandiæ, pag. 199. Itaque (inquit.)
» me eius sententiæ esse nondum pœnitet, vt indubitatè existimem, an-
» norum numerum (de initio Comitatus Hollandici sermo est) ad hoc
» exemplum in omnibus exemplaribus refingi, atque hoc modo tempo-
» rum rationem constitui, ac redintegrari deberi DCCCCXIII. pro
» altero illo, quod hodie omnia omnium popularium nostrorum Chro-
» nica occupauit DCCCLXIII. Hæc ille, nongentesimum decimum

tertium, pro octingentesimo sexagesimo tertio reponens. Antagonista eius Bockenbergius in Libello cui titulus, Ad Dousiana Ludibria, pag. 33. (referens se ad Historiam suam, nondum, quod sciam, editam, sed à me tamen apud eum visam) ad prædicta respondens; Toto cælo (inquit, de se in tertia persona loquens) errare Dousam, ostendit Bockenbergius ad annum 863. vbi declarat, non à Carolo Simplice (quod voluit Dousa) sed à Caluo datam Theodorico Primo Hollandiæ Comiti Egmondam. Hæc & plura ibi Bockenbergius. Dicam liberè, & pro instituto breuiter (fortè aliàs prolixiùs:) Sicuti Dousa iustissimas habuit causas, vt ab inueterato illo errore resiliret, (cõfer etiam nostra superiùs ad annum 873. vbi tumultuarius adhuc Frisonum Dux; rursum 881. vbi, nullo repugnante, ostia Rheni in Walam fluuium ingrediuntur & egrediuntur Nortmanni; imò anno 884. ipsum etiam Kinheim non longè ab Egmonda) sicut, inquam, ex his tunc nullum adhuc Theodoricum Comitem Egmondæ præfuisse certò euincit Dousa, ita tamen quòd annum Christi 913. faciat eius Principatus seu Comitatus initium, non æquè probo. Nam præter alia, quæ paucis explicari non possunt, Hagano ille Comes, cuius in Diplomate Egmondano mentio est, & cuius occasione Dousa rectè ad tempora Simplicis non Calui illud pertinere docet, non ante annum vigesimum post nongentesimum aliquo loco apud Simplicem extitisse videtur. Legantur omnia apud Auctores ab hoc anno vsque ad dictum annum vigesimum, si quis fortè existimet non omnia huc facientia à nobis esse producta. Ego interim non nisi anno vigesimo tertio huius sæculi, initium huiusce Comitatus constituendum existimarem, (neminem tamen cogo) motus etiam quòd secundùm religiosam Bockenbergij allegationem (& confirmabitur quoque mox simili Diplomate ad annũ 916.) Diploma Egmondanum datum ipse dicat Indictione vndecima, 7. Kalendas Iulias, anno trigesimo regnante Domno Carolo Rege * redintegrante vigesimo quinto. (Notetur phrasis.) Torquet quidem se Bockenbergius, vt annum illum faciat Incarnationis Dominicæ octingentesimum sexagesimum tertium, sicque Caluo suo accommodet. Sed frustrà laborat, vt intelliget facilè Lector, si eius coniecturas ad hos Annales nostros per singulos annos expenderit; & annus noster vigesimus tertius exactè est trigesimus regnantis Caroli Simplicis, & vigesimus quintus tantùm redintegrantis (scilicet post mortem Oddonis Regis, de quo suprà ad annum 898.) imò & Indictionis vndecimæ. Sed ad seriem reuertamur.
914 Ad annum Christi 914. Continuator Reginonis hoc tantùm ponit: Salomon Episcopus captus est. Ac deinceps per annos quinque nihil. Sed commodè Sigebertus hoc ipso anno sic: Contra Conradum Regem

Antagonistæ de initio Comitatus Hollandici, Dousa & Bockenbergius.

Dousa quadam parte satisfacit, quadam non.

Quin etiã decennio adhuc serius, videtur institutus Comitatus ille.

** nempe, ex quo integras Regni habenas acceperit.*

Regem potentiores Regni Principes rebellionem meditati, ſcilicet Arnoldus de Baioaria, Burchardus de Sueuia, Euerardus de Francia, Giſilbertus de Lotharingia, & horum omnium præcellentior Heinricus Dux de Saxonia & Thuringia, tam ſapiētia quàm fortitudine Regis ad gratiam eius reducuntur. Solus Arnoldus ad Vngaros cum vxore & filiis fugiens, vſque ad mortem Regis ibi manſit. Ita Sigebertus. Succedit annus 915. ad quem iſta Sigebertus: Ludouicus (Boſonis filius) Veronæ captus à Berengario in vrbem admiſſo, à cuſtodibus vrbis auro corruptis, oculis priuatur. Vngari quoque Berengario confœderati Alemanniam vaſtant, ſed à Baioariis & Alemannis grauiter cæduntur. Hoc anno tranſlatum fuit corpus beati Eugenij ad Monaſterium Bronienſe in diœceſi Leodienſi per ſanctum Gerardum dicti Monaſterij fundatorem & Abbatem, à Monaſterio S. Dionyſij in Francia. Iſta Sigebertus. Et anno ſequenti, qui eſt Chriſti 916. Carolus Rex Francorum Regnum Lotharingiæ recepit. Ita Sigebertus. ſed intellige Regnum illud integrum, Raginario illo, de quo ad annum 913. & fortè etiam pluribus perturbatoribus ad meliorem mentem adductis. Nam dudum cum apud Leodienſes ſe pro Principe eius tractus geſſiſſe, adſtruit tum Diploma ſuprà ad annum 894. à nobis poſitum, tum etiam alterum hoc ab eo anno ſuperiori Stephano Epiſcopo Leodienſi conceſſum.

Principes multi contra Conradum rebellantes eius prudentia pacantur.

915

Hungari Alemanniam vaſtant, ſed mox grauiter cæduntur.

916

Rurſum Diploma, docens Simplicem præfuiſſe noſtræ Lotharingiæ.

» Carolus diuina propitiante clementia Rex Francorum. Si Deum præ
» * omnibus habendo, in augmentandis ſuis Eccleſiis honoramus, no-
» ſtroſque fideles in ſuis rectis petitionibus libenter excipimus, diuina
» humanaque nobis ſimul conciliamus: quocircà omnium noſtrorum
» Fidelium comperiat ſolertia, quòd Dudo Virdunenſium Epiſcopus,
» Auginerus Marchio ſtrenuus, pariter etiam Robertus noſtræ Serenita-
» tis Exequutor fideliſſimus, noſtram adierunt excellentiam, poſcentes
» prorſus, vti interuentu Stephani venerabilis Tungrorum Epiſcopi, no-
» ſtræ conſanguinitati affinis dilectiſſimi, partibus ſanctæ Dei Genitri-
» cis Mariæ, almique martyris Lamberti in proprium traderemus Fo-
» reſtem, quæ olim pertinuerat ad Tectis villam, quam conſtat in pago
» Luuienſi atque in Comitatu Sichardi ſitam; atque iſtis finibus circum-
» quaque concluſam, à Wlfingi fago vſque in fluuium Ambleuam, inde
» ad Monaſterium Stabulaus, ſicque vadit ad, &c. & ſic reuertitur ad Wl-
» fingi fagum. Horum itaque petitioni gratanter aſſenſum præbentes,
» egimus iuxta quod fuerant obnixè poſcentes, &c. Sigillum Caroli Re-
» gis glorioſiſſimi. (vt ſuprà 894.) Gonſuinus Notarius ad vicem Heri-
» uei Archiepiſcopi ſummique Cancellarij recognouit. Datum octauo
» Kalend. Septembris, Indictione tertia, anno vigeſimo tertio, regnante
» Carolo Rege glorioſiſſimo, redintegrante decimo octauo . . . . .

** an oculis?*

Stephanus Epiſcopus Leodienſis ex Regia ſtirpe.

Actum Monasterio S. Arnulphi in Dei nomine feliciter. Amen. Sic " tomus I. Rerum Leodiensium pag. 169. Vbi miror non explicari illud *Phrasis rara explicata.* *redintegrante*. Nos illud iam interpretati sumus ad annum 913. scilicet post mortem Oddonis Regis ipsius riualis, qui obiit anno 898. à quo iste 915. vel 916. prorsus est decimus octauus, & Indictio simul respondet. Ad seriem redeo. Sigebertus annos aliquot sequentes sic breuiter
917 consignat: Anno 917. Vngari Alemanniam totam deuastantes vsque Fuldam perueniunt. Et anno proximo: Vngari per Alemanniam in Alsatiam, & vsque ad Lotharingiam perueniunt. Sic ille, nec plura habet quæ ad institutum nostrum faciant Continuator Reginonis, vel
919 quisquis alius quem vidimus. Annum 919. ornant iidem morte Cunradi Germanorum Regis: in hunc modum quidem Continuator Regi-*Moritur Conradus Rex Germanorum designato successore Henrico Saxone.* nonis: Conradus Rex obiit, vir per omnia mansuetus. Sed & Henricum Saxonum Ducem vt eligerent, iussit. Ita ille. Et Sigebertus totidem ferè verbis: Conradus Rex moriens coram Principibus regni, Regem designat Henricum filium Othonis Saxonum Ducis. Sic ille. Est hic Otho, de quo suprà ad annum 912. Eius filius (Henricus hic Germaniæ Rex) cognominatus est Auceps, nempe quòd in aucupio deprehensus, salutatus sit Rex. Hoc anno auspicatur Frodoardus presbyter Rhemensis, insignis huius sæculi Chronologus, suum Chronicon his verbis: Nortmanni omnem Britanniam in cornu Galliæ, in ora scilicet maritima sitam depopulantur, proterunt, atque delent, abductis, venditis, ceterisque cunctis eiectis Britonibus. Hæc ille. Et anno se-
920 quenti, qui est Christi 920. Principes Francorum rebellantes à Ca-*En Haganonem, cuius mentio in primo Diplomate Hollãdico.* rolo Rege, quòd Haganonem Comitem de mediocribus conaretur præ ceteris extollere, Herueus Archiepiscopus Rhemensis non sine magno labore vtcumque Carolo reconciliat. Ista Frodoardus. Vocatur is Hagano à nonnullis Comes Laudunensis. Sigebertus huic anno ista adscribit: Henricus Rex contra Arnoldum ab Hungaris regressum cum exercitu in Baioariam profectus, eum virtute & sapientia ad gra-*Robertus frater Odonis Regis clàm contra Simplicem molitur.* tiam suam inflexit. Ac deinde confirmans dicta Frodoardi: Hoc etiam anno Robertus Dux frater Odonis Regis appetens Regnũ Francorum, contra Carolum inquietabat Franciam, eiusque instinctu omnes pænè Primores Franciæ aduersabantur Carolo. Sic ille. At verò anno Chri-
921 sti 921. Carolus Rex (verba sunt Frodoardi) in Regnum Lotharij abiit, receptisque per vim quibusdam Ricuini infidelis sui præsidiis, & facta pactione vsque ad Missam sancti Martini cum Heinrico Principe Transrhenensi, reuersus est in montem Lauduni. Intereà Robertus Comes Nortmannos, qui Ligerim fluuium occupauerant, per quinque menses obsedit, acceptisque ab eis obsidibus, Britanniam quam vastauerant,

uerant, cùm Nannetico pago iis concessit, qui & Fidem Christi inceperunt suscipere. Carolus verò iterùm pacem cum Heinrico firmat. Hæc Frodoardus. Sigebertus ista habet: Stephano Leodicensium Episcopo defuncto, Richarius vir Catholicus à Carolo per auctoritatẽ Papæ Rom. ordinatur Episcopus, repudiato Hilduino, qui pecunia data Duci Gisleberto, ambiebat ab eo sibi dari Episcopatum. Hoc tempore clarebat inter nobiles Lotharingiæ (sine dubio vbi nunc Brabantia Gallicana) sanctus Pater noster Guicbertus (Sigebertus loquitur) qui nostrum, Gemmelacense scilicet, cœnobium fundauit. Sic ille. Anno verò proximo, qui est Christi 922. (Frodoardo testante) Robertus apud Calmiciacum, & Carolus circa Rhemis, heu! castra metati sunt; vbi nonnullis occisis ex Lothariensibus, vulneratisque plurimis, nox prælium diremit. Audito denique quòd hi qui cum Rotberto erãt, Laudunum captum haberent, copiis Rotberti quotidie crescentibus, & Caroli decrescentibus, clàm tandem secedens, cum Haganone trans Mosam proficiscitur. Tunc Franci Rotbertum eligunt, ipsique se committunt, & Rotbertus Rex Rhemis apud sanctum Remigium ab Episcopis & Primatibus constituitur; & Heriueus Rhemorum Archiepiscopus obiit tertia die post consecrationem Rotberti Regis, scilicet sexto Nonas Iulij. Hæc Frodoardus. Memoria dignum est quod Sigebertus hoc anno commemorat his verbis: Hungaris, inquit, Franciam, Alsatiam, Alemanniam depopulantibus, Henricus Rex iuxta vrbem Mersburg congressus, vouens Deo pro adipiscenda victoria, se hæresim Simoniacam de Regno suo eradicaturum, inæstimabili cæde eos vsque ad internecionem pænè deleuit. Hæc Sigebertus; & adstipulatur Wilichindus, & alij. Porrò anno proximo, qui est Christi 923. Rotbertus in Regnum Lothariense proficiscitur (verba sunt Frodoardi) locuturus cum Heinrico, qui ei obuiàm venit in pagum Ribuariorum, super fluuium Ruram; vbi & se inuicem pauerunt, & pacta amicitia discesserunt. Intereà Nortmanni Aquitaniam Aruerniamque deprædabantur; contra quos Willelmus Dux Aquitaniorum & Ragemundus pugnauerunt; & ceciderunt ibi ex Nortmannis duodecim millia. Carolus autem cum suis Lothariensibus Mosam transiens, ad Atiniacum venit; & antequam Rotbertus suos fideles adunare potuisset, Axonem transiit, commissoque prælio, multis ex vtraque parte cadentibus, Rotbertus quoque Rex lanceis perfossus cecidit. Hi tamen qui erant ex parte Rotberti, Hugo scilicet filius ipsius, & Heribertus campum obtinuerunt; sed ob mortem Regis sui Carolum persequi destiterunt, relicto intra Regnum Franciæ Carolo. Carolus ergo dehinc Heribertum Comitem, ceterosque Primates, vt ad se reuertantur, exorat. Quod illi renuentes,

Carolus Simplex cum Henrico Germaniæ Rege pacem firmat.

922

Præualente Rotberto, Simplex trans Mosam cum Haganone proficiscitur.

Henricus Rex voto facto Hungaros egregiè vincit.

923

Cæsi Nortmanni ad duodecim millia.

Cæsus & Rotbertus Rex æmulus Simplicis.

pro Rodulfo in Burgundiam transmiserunt; qui ocyùs cum multa suorum manu illis occurrit. Tuncque Carolo trans Mosam refugiente, Rodulfus filius Richardi Rex apud vrbem Suessionensem constituitur; (erat is gener Rotberti, vt habet idem Auctor anno præcedenti) cùm intereà Heribertus, missis Legatis Carolum subdolè inuitat, & venientem cum paucis apud S. Quintinum suscipit, & in castello Theodorici super Maternam fluuium in custodiam coniicit. Atqui dum hæc geruntur, Heinricus (est is Rex Germaniæ dictus Auceps) inuitantibus se Gisleberto Comite, & Rotgario Treuirorum Præsule, depopulatus est quidquid inter Rhenum & Mosellam interiacet. Qui, audito, quòd Rodulfus, exercitus non modò è Francia, quin ex omni cogeret Burgundia, in suo se Regno recepit. Hæc Frodoardus. Sigebertus ista habet ad eumdem annum 923. Reges Heinricus & Carolus apud Bunnam confœderantur, & Carolus reddit Heinrico Regi Regnum Lotharingiæ, Episcopis & Comitibus vtrimque iureiurando rem confirmantibus. Sic ille. Sed hæc aut non gesta, aut non nisi per Legatos gesta fuerũt. Nam Carolus primùm è custodia dimissus est, vt sequetur, anno 927. Neque etiam fuit traditio hæc valida, nempe maxima parte Regni Francici, vt videmus, à Carolo tunc aliena, ne quis existimet Germanos Imperatores hinc ius in Lotharingiam acquisiuisse; tenuerunt tamen eam multis deinceps annis armis, vt liquebit. Suc-

Nouus hostis Simplicus Rodulfus Burgundus.

Interim Simplex subdolè capitur.

Fœdus eius cum Henrico Rege Germaniæ.

924 cedit nunc annus 924. quo Sigebertus hæc breuiter; Rex Heinricus pacem cum Hungaris in nouem annos firmat. Atque hinc secutum, credo, quod Frodoardus his verbis commemorat hoc eodem anno: Hungari ductu Regis Berengarij, quem Langobardi pepulerant, Italiam depopulantur; Papiam quoque vrbem succendunt. Inde per abrupta transeuntes Alpium iuga veniunt in Galliam. Quos Rodulfus Cisalpinæ Rex Galliæ & Hugo Viennensis inter angustias collium Alpinorum claudunt. Vnde inopinato loco per deuia montis euadentes, Gothiam impetunt; quos insequentes prædicti Duces, sternunt ex eis quos reperire poterant; & intereà Berengarius Italiæ Rex à suis interimitur. Ista

Multi Hũgari in Gallia sternuntur.

925 Frodoardus. Et anno sequenti; Nortmanni de Rodomo fœdus, quod olim pepigerant, irrumpentes, pagum Beluacensem atque Ambianensem depopulantur, & vsque ad Nouiomagum (scilicet Nouiomum Galliæ) prædatum veniunt. Heinricus verò Rhenum transiens oppidum Tulpiacum, quod Gisleberti fideles tutabantur, vi cepit; nec diu demoratus infra Regnum Lotharij, ad sua regreditur, obsidibus à Gisleberto acceptis. Et rursum nonnullis interiectis: Heinrico cuncti se Lotharienses committunt. Hæc Frodoardus. Memorabile est quod Sigebertus ad hunc annum narrat; Rex Heinricus, inquit, Vrbem Sclauorum

uorum Brennaburch capit, & victis Sclauis tributum imponit. Idem Rex agrarios milites recensens, edixit, vt octo eorum in agris, nonus verò in vrbe moraretur; vt octo & sibi & nono in agris laborarent, nonus verò in vrbe tertiam partem omnium frugum illorum reseruaret, in ædibus à se ad hoc extructis, vt in bello nihil alicui eorum deesset, vrbesque rebus & viris plenæ essent. Sic ille. Et mox ad annum proximum, qui est Christi 926. subiicit mortem Caroli: sed in hoc errat: nam prorsus repugnat sequens Frodoardi huius sæculi Scriptoris narratio per annos adhuc tres: Anno, inquit, 926. Ebrardus Trans-Rhenensis in Regnum Lotharij mittitur ab Heinrico iustitiam faciendi causa, & Lotharienses inter se pace consociat. Et eodem anno Hugo filius Rotberti filiam Eduardi Regis Anglorum sororem coniugis Caroli duxit vxorem. Et ad annum sequentem: Inter Rodulfum Regem (verba sunt eiusdem Frodoardi) & Heribertum Comitem pro Laudunensi Comitatu simultas oritur. Heribertus Legatos trans Rhenum dirigit ad Heinricũ: quibus reuersis, euocatur ipse ad colloquium Heinrici pro eodem: ad quod properans cum Hugone Rotberti filio, pace firmata, muneribus Heinricum honorat, & honoratur ab eo; & Carolum de custodia eiicit, secumque ad S. Quintinum deducit. Et anno 928. proximè sequenti: Heribertus Rhemis cum Carolo venit, indeque literas mittit Ioanni Papæ, significans de restitutione Caroli se pro viribus decertare, vt ille sub excommunicationis interminatione mandauerat. Verba sunt Frodoardi. Sed Punica fuit Heriberti fides. Nam eodem adhuc anno, eodem attestante, Hugo & Heribertus ad Heinricum colloquij causa proficiscuntur; indeq; reuertentes obuiàm pergunt Regi Rodulfo; rursusque Heribertus se illi committit, iterùm reducto sub custodia Carolo. Sed Rodulfus Rhemis veniens, pacẽ facit cum Carolo, reddens ei Attiniacum, muneribusque illum honorans. Ista Frodoardus. Et subdit anno sequenti: Heribertus & Hugo Comites contra Bosonem Rodulfi Regis fratrem proficiscuntur, propter quosdam Rothildis alodes nuper defunctæ, quos à Bosone peruasos repetebat Hugo gener Rothildis. Post hæc verò inducias dant Bosoni vsque ad finem Maij: Boso ad Heinricum profectus, pacem publicè iurare compellitur. Carolus apud Peronam obiit. Simultas inter Hugonem & Heribertum Comites exoritur, recepto Herluino ab Hugone, & Hilduino, qui erat Hugonis, ab Heriberto. Hæc ille. Huius Caroli Simplicis temporibus apud exteros hæc insigniora occurrunt: Anno Christi 912. adhuc superest Adefonsus Magnus, Gallæciæ in Hispania Rex, cùm regnasset annis quadraginta sex, vltra annos illos quatuor quibus cessit Regnum Garsiæ filio. Qui quidem Adefonsus paulò

Rex Henricus Vrbem Brennaburch capit.

Et quid si hoc initium feudorum, saltem in Germania.

926

927

Simplex nunc captiuus, nunc liber.

928

Idem rursum secundò nunc captiuus, nũc honoratus.

929

Moritur Carolus Simplex apud Peronam.

Mauri seu Saraceni victi in Hispania. paulò ante obitum, non vt Rex, sed vt Dux exercituum militans sub Rege filio, ingensque animi submissionis specimen edens, præclara de Mauris victoria potitus est, atque dignus à Deo habitus qui triumphare credatur in cælo. Sed nec diu post patris obitum vixit Garsias filius, à Deo vltore post triennium ex hac vita subtractus, qui non expectata morte patris Regnum inuaserat. Ista Ambrosius Morales. Anno item 915. mēse Augusto Saraceni, qui apud Garilianum in Campania per quadraginta fermè annos sedem tenuerant maximo Christianorum damno, tandem à Græcis simul & Latinis in ijsdem castris pugnantibus, sed & accedentibus copiis Ioannis Papæ, diuino auxilio Petri & Pauli apparentium, *Item in Italia.* debellati sunt penitus, ita vt nullus remanserit, qui non trucidatus aut captus fuerit. Rem gestam pluribus narrāt Luitprandus & Leo Ostensis.

LVDOVICVS IV. REX

DICTVS TRANSMARINVS, FILIVS SIMPLICIS, XV. BRABANTIÆ PRINCEPS.

Præfuit annis vigintiquinque.



ANNO insequenti mortem Caroli Simplicis ista commemorat Sigebertus: Post mortem Caroli Regis, nolentibus Lotharingis Heinrico Regi subesse, quidam Lotharingus nomine Christianus, simulata infirmitate, Gislebertum Ducem ad se dolo euocatum cepit, Regique misit, vt per eum Lotharingiam sibi subiiceret. At Rex inspecta industria & potentia Gisleberti, filiam suam Gerbergam ei despondet, & eum iterùm Lotharingiæ præficit. *Ludouicus quare Transmarinus dictus?* Ludouicus verò filius Caroli Regis insidiantes sibi fugiens, per mare transit in Angliam. Mater enim eius fuerat filia Regis Anglorum. Hæc Sigebertus triennio citiùs quàm oporteat, vti ad annum 926. ostendimus. Et eodem
930 anno proximo post mortem Caroli, nempe anno Christi nongentesimo trigesimo (loquitur Frodoardus) diuersi motus agitantur bellorum per Franciam inter Hugonem & Heribertum. (causæ à nobis expressæ sunt ad annum 929. in Carolo Simplice.) Quare Rodulphus Rex in Franciam veniens, pacem inter eos atq; Bosonem multo labore per multa Placita com-



LVDOVICVS IV. FRANC. REX, XV. BRAB. PRINC.

componit. Sed Rodulpho Rege in Burgundiam regresso, Lotharienses
in Franciam cum Gisleberto obuiàm veniunt Hugoni, & oppidum
** nempe Arnulphus tertius Flandriæ Comes.* Duagium, quod * Arnoldus tenebat, adactum obsidione capiunt. Inter-
eà homines Bosonis Victoriacum proditione recipiunt, & Mosomum
fraude peruadunt. At Heribertus à quibusdam Mosomensibus euoca-
tus, intrans oppidum, vasallos Bosonis omnes capit. Ista Frodoardus hoc
931 anno. Ac deinde anno sequenti: Rodulfus Rex in Franciam reuertitur,
Vndique flagrat Gallia intestinis bellis. & Heriberto ab illo deficiente, Rex, iuncto sibi Hugone, castellum He-
riberti Douineum capit, ac diruit, deinde Atrebatam obsidet. Heriber-
tus autem adiunctis sibi per Gislebertum Ducem Lotharienfibus, con-
tra Regem vadit, pactisque induciis vsque Kalend. Octobris vtrimque
discedit. Posteà Heribertus Comes ad Heinricum proficiscitur, eique
Pars Rodulfum Burgundum, alij Germanũ sequuntur. sese committit; & exercitus Regis atque Hugonis Laudunensem & Rhe-
mensem pagum deprædantur. Rodulfus verò Rex pergens ad Attinia-
cum, Hugonem ad Heinricum mittit, à quo Heinricus, acceptis obsidi-
bus, & pacta securitate trans Rhenum recedit. Ista Frodoardus. Et anno
932 proximo, qui est Christi 932. Rex Rodulfus in Burgundiam reuersus,
quædam castella Gisleberti & Richardi, qui à se desciuerant, receptat; &
Gisleberto recepto, à Burgundia reuertitur in Franciam, ibique Abbatiâ
S. Medardi, quam Heribertus tenebat, potitus, regreditur in Burgun-
Obsidetur Ambianum. diam. Hugo verò Ambianensem obsidens ciuitatem, quam tenebant fi-
deles Heriberti, crebroque quatiens bello, sumptis tandem relinquit ob-
sidibus. Gislebertus quoque cum Lotharienfibus, inuitante se Hugone,
Item Perona. Peronam obsidet; vbi congressione frequenti plures occiduntur Lotha-
rienses; reliqui munitionem capere non valentes recedunt, locuto priùs
Gisleberto Duce cum Rege Rodulfo, mediante Hugone. Heribertus
verò trans Rhenum ad Heinricum proficiscitur. Et pergit idem Frodoar-
dus ad annum sequentem: Hungari se in tres partes diuidunt, quarum
933 pars vna Italiam petit, alia terram Heinrici trans Rhenum inuadit: con-
Hungari cæsi ab Hẽrico Germaniæ Rege ad triginta sex millia. tra quos profectus Heinricus cum Baioariis & Saxonibus ceterisque,
omnes vsque ad internecionem sternit; quorum triginta sex millia cæsa
referuntur, præter eos quos absorbuit fluuius, & qui viui capti sunt. In-
tereà Rodulfus Rex munitionem Heriberti, quæ dicitur castellum
Theodorici, obsidet hebdomadas sex. Posteà Walo, qui custodiebat il-
lud, Reginæ Emmæ se committit. (ecce Reginam viduam Caroli Sim-
plicis, & matrem Ludouici.) Heribertus autem castrum Theodorici su-
per Maternam fluuium positum, tradentibus illud sibi quibusdam,
quos ibi ad custodiam Walo reliquerat, recipit, dispositisque recedit cu-
stodibus. Eodem anno Hugo Rex Italiæ Romam obsidet, & Saraceni
meatus Alpium occupant, atque vicina loca deprædantur. Ista Frodoar-
dus.

dus. Succedit annus Christi 934. quo, teste eodem, Heinricus Gislebertum & Eubrardum cum Episcopis Regni Lothariensis ad Rodulfum Regem pro Heriberto dirigit; redditoque Regi castello Theodorici, Hammus atque Perona Heriberto conceduntur vsque Kalend. Octobris. Arnulfus verò de Flandris filiam Heriberti sumit vxorem. Intereà Gislebertus cum Lothariensibus in Franciam Heriberto venit auxilio, velut oppidum sancti Quintini obsessurus. Sed Missi Hugonis ei venientes obuiàm, pacem vsque ad Maium mensem pepigerunt. Et Emma Regina defungitur. Ita Frodoardus. Hoc anno secundùm Sigebertum Otto filius Regis Heinrici vxorem duxit filiam Eadmundi Regis Anglorum. At verò anno Christi 935. Rudolfus Rex Placitum cum Regni Primatibus Suessionis habuit. Deinde locutus cum Missis Heinrici, ad eius properat colloquium: vbi etiam Rodulfus Rex Iurensis interfuit, pactaque inter ipsos amicitia, etiam Heribertum cum Hugone pacarunt, redditis quibusdam eidem Heriberto possessionibus. Sed & Heinricus, Bosone recepto, terram quam priùs habuerat, ei ex magna parte restituit. Intereà Boso frater Rudolphi Regis moritur, & ad S. Remigium sepelitur. Rodulfus quoque Rex graui per totum Autumnum decubuit ægritudine. Sic Frodoardus, & prosequitur anno sequenti: Rex Rodulfus defungitur, sepeliturque Senonis ad sanctam Columbam. Hugo verò Comes trans mare mittit pro accersiendo ad apicem Regni Ludouico Caroli filio, quem Rex Alstanus auunculus ipsius in Franciam cum Fidelibus suis dirigit: cui Hugo & ceteri Francorum Proceres obuiàm profecti, in ipsis littoreis arenis apud Bononiam sese committunt, vt erat vtrimque depactum; indeque ab ipsis Laudunum deductus, ac Regali benedictione ditatus, vngitur atque coronatur à Domno Artaldo Archiepiscopo, præsentibus Regni Principibus cum Episcopis xx. & ampliùs. Ita Frodoardus. Et addit: Heinrico Rege sub iisdem diebus obeunte, contentio de Regno inter filios ipsius agitatur: rerum tandem summa natu maiori Ottoni obuenit. Sic ille. Continuator Reginonis hoc eodem anno hoc modo: Heinricus Rex 6. Nonas Iulij diem clausit extremum, cui filius suus Otto ex Mathilde filia Theodorici ex stirpe magni Witikindi Saxonis, consensu Primorum Regni, successor eligitur. Sic ille. Quin Mathildam eiusdem Theodorici Saxonis filiam esse testatur ante eum Witichindus quoque huius sæculi Scriptor grauissimus. Superaddit Frodoardus & hoc: Hugo filius Roberti cum Hugone filio Richardi, dispertita inter se Burgundia, pacem faciunt. Et anno proximo, qui est Christi 937. Ludouicus, inquit, Rex ab Hugonis Principis se procuratione separans, matrem suam Lauduni recipit. Hugo cum Heriberto pacatur: Heribertus castellum quod dicitur Theodorici,

934 — *Arnulfus de Flandris ducit filiã Heriberti vxorem.* — *Item Otto posteà Imp. ducit vxorem.* — *935* — *Pax aliquanta.* — *936* — *Moriente Rudolfo, tandem Ludouicus in Regnum accersitur.* — *Moritur quoque Henricus Germanus; succedit Otto filius.* — *937* — *Rursum mox Gallia variè discissa.*

ci, Walone sibi aperiente recipiens, ipsum Walonem, cùm iam suus esset,
938 in vincula coniicit. Porrò quid secutum sit, narrat idem Auctor anno sequenti his verbis: Rex Ludouicus Heribertum per deprecationem Hugonis ad pacem recipit. Hugo Princeps filius Rotberti sororem Ottonis Regis Transrhenensis filiam Heinrici ducit vxorem. Ludouicus Rex maritima loca petens, castrum supra mare, quod dicunt * Guisum, restaurare nisus est; dumque cum Arnulfo (Flandrensi) moratur, homines Heriberti castrum Rhemensis Ecclesiæ Cansostem recipiunt. Quare Ludouicus Rex euocatus ab Artaldo Archiepiscopo regreditur, ingressusque Laudunum, arcem nouam nuper ab Heriberto inibi ædificatam obsidet, multisque machinis suffosso euersoque muro, cum magno tandem cepit labore. Gislebertus cum Lothariensibus Hugoni & Heriberto venit in adiutorium contra Regem Ludouicum, castrumque Petræpontem vi capiunt. Arnulfus Comes & Heribertus inter Regem Ludouicum & Hugonem dilationem accipiunt, pacem sacramento paciscentes vsque ad finem Ianuarij mensis. Hæc Frodoardus. Et pergit anno
939 proximo, à Christo nato 939. Lotharienses Ottonem Regem deserunt, & ad Ludouicum Regem veniunt; qui eos recipere distulit, ob amicitiam quę inter eos, Legatis ipsius Ottonis & Arnulfo Comite mediante, depacta erat. Gislebertus Dux Lothariensium trans Rhenum profectus prædatum, Saxonibus se, dum reuertitur, insequentibus, in Rhenum fertur desiliuisse cum equo, ibiq; vi enecatus vndarum, posteà reperiri non potuit, vt fertur. quidam tamen ferunt, quòd à piscatoribus sit repertus, atque propter spoliorum ornamenta celatus. Sic Frodoardus, parum scilicet in re quæ recenter acciderat, adhuc certus. Et subdit: Ludouicus Rex in Regnum Lothariense regressus, relictam Gisleberti Gerbergam ducit vxorem, Ottonis scilicet Regis sororem. Ita ille. Sed Continuator Reginonis eodem hoc anno ista sic pleniùs: Eberhardus & Gisalbertus cum Heinrico fratre Regis aduersus Regem (Ottonem) coniurant. Sed iuxta Andernacum castellum cum suis Rhenum transituri, ab Vdone & Chunrado Comitibus præuenti sunt. Eberhardus occiditur, & Gisalbertus in Rheno submersus necatur: (atque inde idē quod Frodoardus) Ludouicus Rex Gerbergam viduã Gisalberti duxit vxorem. Hæc Continuator Reginonis. Sigebertus hoc etiam anno ponit rebellionis istius initium, quodque rebelles hi prætenderint, Heinrico magis Regnum competere quàm Ottoni, quòd Heinricus patre iam Rege natus esset, Otto verò ante Regnum. At ponens eos demum occisos quadriennio pòst, nimiùm exorbitat. Ceterùm (vt Frodoardus narrat, qui hæc ante
940 oculos habuit, ad annum insequentem 940.) Rex Ludouicus tunc abiit obuiàm Wilhelmo Principi Nortmannorum, qui venit ad eum in pago Ambia-

** an potiùs Ghines?*

Lotharienses quoque rebellant Ludouico.

Iterùm se ei tradere parati sunt, sed ob pacta differunt.

Ludouicus Rex ducit vxorem sororem Ottonis Imperatoris.

Ambianenſi & ſe illi commiſit. At ille dedit ei terram, quam pater eius Carolus Nortmannis conceſſerat; indeque contra Hugonem perrexit. Hugo verò & Heribertus, relicta obſidione Lauduni, Ottoni Regi obuiàm proficiſcuntur; cui coniuncti, ad Attiniacum eum perducunt, ibique cum Rotgario Comite ipſi Ottoni ſeſe committunt. Otto verò Rex Heinrico fratri Regnum Lotharienſe committit, tumque poſt Ludouicum in Burgundiam proficiſcitur, caſtraque metatus ſuper Sequanam, obſides accepit ab Hugone Nigro, ne eſſet nocumento Hugoni vel Heriberto, qui ſe ſubdiderant eidem Ottoni; quo facto, reuertitur Otto ad ſua, Ludouicus autem Rex Laudunum redit. Ego denique (nota ætatem Frodoardi) diſponens orationis gratia ſepulchrum ſancti Martini viſere, retentus ſum ab Heriberto Comite, clàm me quibuſdam accuſantibus apud eum, fecitque me ſub cuſtodia detineri, ablatis à me rebus, quas de Epiſcopatu tenebam, cum Eccleſia quam regebam in Culmiſiaco, ſicque plenis quinque menſibus ſum detentus. Hæc Frodoardus de ſeipſo. Ac deinde pergit: Rex verò Ludouicus in Regnum Lotharienſe cum Artaldo Epiſcopo & alijs fidelibus ſuis profectus eſt. Otto quoque Rex, Rheno tranſito, aduerſus eum venit, ſed ab eorum fidelibus inter eos induciæ determinatæ ſunt. Intereà anno ſequenti qui

Otto Imp. fratri ſuo Heinrico Regnum Lotharienſe committit.

Rex Ludouicus armatus Lotharingiā repetit.

eſt 941. Rotgarius Comes, datis obſidibus, dimittitur à Rege Ludouico, 941
Duagium caſtellum reddens * Arnoldo. Hugo & Heribertus Laudunum obſident. Sumptis autem ſecum Rex, quos vndecumque colligere potuit, in pagum Porcenſem venit. Quo audito, Hugo & Heribertus, inſperatum Regis inuadentes exercitum, nonnullos ſternunt, reliquos in fugam vertunt. Rex ipſe cum paucis eductus à ſuis, vix euaſit. Eodem hoc anno Ludouico Regi filius naſcitur; & Ludouicus Rex à Carolo Conſtantino in Vienna recipitur, & Aquitani ad eum veniunt, illumque ſuſcipiunt. Hugo verò & Heribertus, Wilhelmus & Arnulphus ſimul loquuntur, & Heribertus inde ad Ottonem Regem trans Rhenum proficiſcitur. Iſta hoc anno Frodoardus; ac deinde anno proximo: Lega-
tus, inquit, Stephani Papæ, nomine Damaſus, in Franciam venit, afferens literas Apoſtolicæ Sedis ad Principes Regni, cunctoſque Franciæ vel Burgundiæ habitatores, vt recipiant Regem ſuum Ludouicum. Quod ſi vſque ad Natiuitatem Domini facere non procurauerint, excommunicandos tunc fore ſe nouerint. Intereà Rotgarius Comes apud Wilhelmum Nortmannorum Principem functus legatione pro Ludouico Rege, ibidem defunctus eſt. Wilhelmus verò Regem Ludouicum regaliter in Rodomo ſuſcepit. Item Wilhelmus Pictauenſis & Britones cum ſuis Principibus ad Regem venerunt. Cum his ergo Rex ſuper Iſaram venit. Hugo verò & Heribertus cum Ottone Duce Lotharienſium ex altera

** Arnulfo ſcilicet Flandrenſi*

Patitur Hugonem & Heribertum Principes ſibi aduerſos.

942

Iubet Pontifex, omnes Ludouicum Regem recipiant.

parte fluminis conſederunt, & agitata inter eos per internuntios controuerſia, tandem dantur induciæ à medio Septembri vſque ad medium Nouembris. Ludouicus quoque Rex Ottoni Regi obuiàm proficiſcitur, & amicabiliter ſe mutuò ſuſcipientes, amicitiam ſuam mutuis firmant conditionibus; multumque de pace inter Regem Ludouicum & Hugonem Otto laborans, Hugonem tandem ad eumdem Regem conuertit. Heribertus etiam pariter cum æquiuoco filio ſuo, ipſius Regis Ludouici efficitur. Hæc Frodoardus. Et anno ſequenti 943. Arnulfus Comes Wilhelmum Nortmannorum Principem ad colloquium euocatum, dolo perimi fecit. Rex Ludouicus filio ipſius Wilhelmi, nato de concubina Britanna, terram Nortmannorum dedit; & quidam Principes ipſius, ſe Regi committunt, quidam verò Hugoni Duci. Intereà Heribertus Comes obiit; quem ſepelierunt apud ſanctum Quintinum filij ſui. Et audientes, Rodulfum filium Rodulfi de Gaugiaco quaſi ad inuadendam terram patris eorum aduenifſe, aggreſſi eumdem interemerunt. Quo audito, Rex Ludouicus valdè triſtis efficitur, filij tamen Heriberti Comitis recipiuntur à Rege. Inde Rex Rodomo profectus, Ebroicas ab Hugone Duce recepit, & apud Pariſium depreſſus infirmitate, pænè tota decubuit ægrotus æſtate. Hugo verò Dux filiam Regis ex Lauacro ſancto ſuſcepit, & Rex ei Ducatum Franciæ delegauit, omnemque Burgundiam ipſius ditioni ſubiecit. Idem verò Hugo Arnulfum cum Rege pacificauit, cui Rex infenſus erat ob necem Wilhelmi. Poſt hæc autem Otho Rex quoſdam fideles Ludouici, qui ſibi inſidiabantur, comprehendit, & in cuſtodia miſit. Vnde inter ipſos Reges exoritur ſcandalum.

Pax inter Ludouicũ & Principes, agente Ottone Imperatore.

943

Moritur Heribertus Comes.

Hugo à Rege Dux Franciæ & Burgundiæ delegatur.

944 Sic Frodoardus. Et anno ſequenti, qui eſt Chriſti 944. Ludouicus Rex Rodomum perueniens à Nortmannis in vrbe ſuſcipitur, quibuſdam mare petentibus, qui eum nolebant recipere, ceteris omnibus ſibi ſubiugatis. Hugo verò Dux cum ſuis, & quibuſdam Burgundiæ Proceribus trans Sequanam faciens iter, Baiocas vſque peruenit, & ciuitatem obſedit, quam Rex ei dederat, ſi eum ad ſubiiciendam Nortmannorum gentem adiuuaret. Receptus autem Rex à Nortmannis mandat Duci, vt à præfatæ ciuitatis obſidione diſcedat; quo diſcedente, Rex in eam ingreditur. Vnde & diſcordiæ fomes inter Regem concitatur & Ducem; ſed & pro eo, quòd Rex obſides ab Ebroicenſibus, qui Hugoni ſubditi erant, accepit, quos eidem Duci reddere noluit. Intereà anno proximo Chri-

Diſcordia iterùm inter Regem Ludouicum & Hugonem.

945 ſti 945. Ludouico Rege adhuc apud Rodomum agente, Gerberga Regina filium Lauduni peperit, qui Carolus ad catechizandum vocatus eſt. Circa Miſſam verò ſancti Ioannis Hugo Dux Placitum cum Rege per ſequeſtres habuit, in quo nihil certum de pace inter ipſos componenda geſtum, niſi tantùm quòd inducias ad inuicem ſibi dederunt vſque ad medium

medium mensem Augustum. Eo tempore, dum Rex Ludouicus moraretur Rodomi, Haigroldus Nortmannus, qui Baiocis præerat, mandat ei quòd ad eum venturus esset, condicto tempore vel loco, si Rex ad illum locum accederet. Veniente denique Rege cum paucis ad locum denominatum, Haigroldus cum multitudine Nortmannorum armatus aduenit, inuadensque socios Regis pænè cunctos interimit. Rex solus fugam iniit, prosequente se Nortmanno quodam sibi fideli, cum quo Rodomum veniens, comprehensus est ab alijs Nortmannis, quos sibi fideles esse putabat. Posteà Hugone Duce de Regis ereptione laborante, Nortmanni filios ipsius Regis dari sibi obsides quærunt, nec aliter Regem se dimissuros asserunt. Mittitur igitur ad Reginam pro pueris: illa minorem mittens, maiorem fatetur se non esse missuram. Datur igitur minor, & vt Rex dimittatur, Vindo Suessorum Episcopus sese obsidem tradit. Dimissus itaque à Nortmannis Rex, ab Hugone Principe suscipitur; qui committens eum Tetbaldo cuidam suorum, proficiscitur Othoni Regi obuiàm. Qui Rex nolens loqui cum eo, mittit ad eum Conradum Ducem Lotharienfium; cum quo locutus Hugo, infensus Othoni Regi reuertitur. Intereà Edmundus Anglorum Rex (verba sunt Frodoardi ad annum 946.) Legatos ad Hugonem Principem pro restitutione Ludouici Regis dirigit; & idem Princeps proinde Conuentus publicos cum nepotibus suis, alijsque Regni Primatibus, agit. Demum Hugo Dux Francorum, ascito secum Hugone Nigro filij Richardi, ceterisque Regni Primatibus, Ludouicũ Regem, qui ferè per annum sub custodia detinebatur apud Tetbaldum Comitem, in Regnum restituit, recepto Lauduno castro, quod Regina Gerberga tenebat, & eidem Tetbaldo commisso. Qui Dux Hugo renouans Regi Ludouico regium honorem vel nomen, ei sese cum ceteris Regni committit Primoribus. Eo tempore Edmundus Rex transmarinus defungitur; vxor quoque Regis Othonis, soror ipsius Edmundi, decessit. Regina autem Gerberga nuper ad Ottonem Regem fratrem suum legationem direxerat, auxilium deposcens ab eo. Qui maximum colligens ex omnibus Regnis suis exercitum, venit in Franciam, Conradum quoque secum habens Cisalpinæ Galliæ Regem; quibus Rex Ludouicus obuiàm profectus, honorificè ab eis suscipitur. Sicque pariter Laudunum venientes, consideratáque castri firmitate, diuerterunt ab eo, Rhemensem aggredientes vrbem: quam cingentes obsidione, tertia die per deditionem capiunt, restituto Artaldo Præsule. Deinde relinquentes Gerbergam Reginam Rhemis, terram Hugonis aggrediuntur, & vrbem Siluanectensem obsidentes, vt viderunt munitissimam, trans Sequanam contendentes, præter ciuitates loca plura deuastant; indeque remeantes regrediuntur in sua. Ista Frodoardus;

Fraude Nortmannorum Rex circumuenitur.

Ab Hugone custodiæ mancipatur.

946

In Regnum Rex restituitur.

Acceptis ex Germania auxilijs, de hostibus Rex vlcisci se parat.

doardus; habentque eadem breuiter Continuator Reginonis & Sigebertus. Anno sequenti, qui est Christi 947. Ludouicus Rex Aquis Pascha cum Othone Rege celebrat, & regiis honoratur ab eo muneribus. Hugo autem Princeps à quibusdam persuasus, Rhemensem cum Hugone Præsule (fuit is Heriberti filius) quasi mox capturus aggreditur vrbem; sed resistentibus fidelibus Regis & Artaldi Archiepiscopi, octauo postquam aduenerant die, illusi redeunt. Intereà Ludouicus Rex, expetente Arnulfo Comite, Atrebatam proficiscitur cum Artaldo Episcopo, indeque cum Arnulfo ad obsidendum Monasteriolum Castrum Rotgarij filij Herluini progrediuntur; postque laborem inefficacem, pluriumque mortes suorum, spe priuati regrediuntur ad propria. Eodem anno Conuentus Placiti Regum Ludouici & Ottonis super Charam fluuium, intrante mense Augusto celebratur (Hugone Principe circa Mosomum & Duodeciacum castra metato) vbi res litis inter Artaldum & Hugonem Rhemensis Ecclesiæ Præsules ab Episcopis auditur. Induciæ belli inter Regem Ludouicum & Hugonem Principem vsque ad Synodi tempus, Ottone Rege mediante, disponuntur; indicitur verò Synodus habenda Idus Ianuarij anni Christi nongentesimi quadragesimi octaui. Quæ Synodus (pergit idem Frodoardus) celebratur in Ecclesia S. Petri ante prospectum Castri Mosomi, à Domno Rotberto, ceterisque Treuirensis diœcesis Episcopis, & aliquibus Rhemensis. Iudicatum est autem, vt Artaldo Præsule parochiam Rhemensem retinente, Hugo (qui quinquennis diu fuerat Episcopus designatus, & ad duas iam Synodos venire contempserat) abstineret, donec ad vniuersalem Synodum, quæ indicebatur Kalend. Augusti sese purgaturus occurreret, ipsumque Capitulum Hugoni miserunt. Qui post alteram diem eamdem chartam Rotberto Præsuli remisit, hoc verbis remandans, quòd ipsorum iudicio nequaquam obediturus esset. Sic proclamationis literæ à Domno Artaldo diriguntur ad Sedem Romanam. Nec mora. Domnus Agapitus Papa Vicarium suum Marinum Episcopum mittit ad Ottonem, propter euocandam generalem Synodum, quæ congregata est in * Eglehem palatio regali in Ecclesia S. Remigij septimo Idus Iunij; vbi cum Marino Sedis Apostolicæ Vicario adfuerunt Episcopi triginta Germaniæ & Galliæ, inter quos & Baldricus Traiectensis Episcopus. Ingressi sunt & gloriosi Reges Otto & Ludouicus. Denique Artoldo Episcopium Rhemense retinendum decernunt Patres, laudant, atque corroborant; Hugonem verò excommunicant, donec ad pœnitentiam & dignam satisfactionem venire procuraret. Et nonnullis interiectis: Non multò pòst excommunicatur & Hugo Comes inimicus Ludouici Regis, pro suprà memoratis malis ab ipso perpetratis, donec resipiscat, & ad satisfactionem coram Marino Vicario,

Marginalia: 947 — *Hugo obsidet Rhemos, sed frustrà.* — *Induciæ pactæ inter Regem & Hugonem.* — 948 — *Sententia de Episcopatu Rhemensi per Synodum contra intrusum Hugonis.* — * Engelheim — *Synodus item alia ob eamdem causam iussu Papæ indicta.* — *Excommunicatur Hugo Comes, itemq; eius intrusus Hugo Episcopus.*

rio, vel Episcopis quibus iniuriam fecit, deueniat. Nascitur Regi Ludouico filius patri cognominis. Ita Frodoardus. Et anno proximo, qui est Christi 949. imminente Paschali solemnitate Gerberga Regina proficiscitur ad fratrem suum Othonem Regem, & Aquisgrani palatio Pascha cum ipso celebrat. Ibi tunc diuersarum gentium adfuêre Legationes, Græcorum scilicet, Italicorum, Anglorum, & aliorum quorumdam populorum; & Regina Rhemos regressa est, cum fraterni auxilij pollicitatione. Rex igitur Ludouicus obuiàm pergit Conrado Lothariensium Duci, & ipse Dux cum Rege locutus, inducias belli disponit inter ipsum & Hugonem vsque ad mensem Augustum, dum Rex idem locuturus pergat ad Regem Othonem. Eodem anno Agapitus Papa Synodum habuit apud S. Petrum, in qua damnationem Hugonis Episcopi apud Ingulenheim factam confirmauit, excommunicans etiam Hugonem Principem, donec Ludouico Regi satisfaciat. Anno sequenti, Christi 950. Rex Ludouicus & Hugo Princeps super Maternam fluuium pacem facturi cum suis deueniunt. Et residentes isti ex hac parte fluuij, illi ex altera, Legatos sibi inuicem mittunt, & mediantibus atque sequestris Conrado Duce, Hugone Nigro, Adelberone quoque ac Fulberto Episcopis, Hugo ad Regem venit, & suus efficitur, pacaturque cum Arnulpho Comite & Ragenoldo Episcopo, reddens Regi turrim Lauduni. Nec longùm pòst, Hugo cum exercitu Ambianensem petit vrbem, ibique in turri quam Ragenbaldus Episcopus tenebat, recipitur; alteram verò turrim, quam Arnulfi Comitis homines custodiebant, obsidet, Rege Lauduni ægritudine decubante. Ipso hoc anno Otho Rex quamdam Wenedorum magnam obsederat vrbem, nomine Praidem, Regem ipsorum in subiectionem recipit; sed & Hungaros sibi subditos facit. (Pragam, & Ducem Boëmorum Bolislaum ex Sigeberto intelligo.) At verò anno proximo, qui est 951. Fredericus Adelberonis Episcopi frater, qui filiam Hugonis Principis sibi desponderat, in hoc Regnum veniens, munitionem in loco* Banis, inconsulto Rege vel Regina construere cœpit; pro qua re Rex Ludouicus dirigit ad Othonem: (verba sunt eiusdem Frodoardi:) Legati verò regressi nuntiant, nolle, imò prohibere Othonem Regem, ne Fredericus vel aliquis suorum vllam munitionem in hoc Regno habeat, nisi consensu Regis Ludouici. Hoc anno Hungari ab Italia transcensis Alpibus egressi, Aquitaniam ingressi sunt; ibique tota pænè demorati æstate, multis hanc regionem rapinis & internecionibus attriuerunt, sicque per Italiam reuersi sunt in terram suam. Otho quoque Rex Italiam adiit; ad cuius aduentum Berengario Longobardorum Rege ab vrbe Papiæ fugiente, ipse Otho eamdem ingreditur vrbem: vxorem quoq;* Lotharij Regis

Margin: 949 — *Diuersarum gentium Legati veniunt ad Othonem Imp.* — *Iterùm Hugo Princeps excommunicatur.* — 950 — *Reconciliatur Hugo Regi.* — *Victoria Imp. Ottonis.* — 951 — *Fanis, — *Otto Italiam ingreditur, & Berengarium fugat.* — * al. Ludouici

Regis defuncti, filij Hugonis, sororem Chonradi Regis Iurensis sibi
952 coniugem ducit. Hæc Frodoardus. Et pergit anno sequenti 952. Otho Rex legationem pro susceptione sui Romam dirigit: qua non obtenta (obsistente Alberico Principe) cum vxore in sua regreditur, dimissis ad custodiam Papiæ quibusdam ex suis. Ludouicus verò cum Gerberga Regina Laudunum recepit. Intereà Berengarius Rex ad Conradum Ducem, qui Papiæ remanserat, venit; à quo in fide susceptus, ad Othonem perducitur: quem ille benignè suscipiens, concessis eidem rebus quibusdam, in Italiam redire permisit. Ipse quoque Otho post celebrationem Paschæ Papiam regreditur. Hoc item anno Hugo Comes & Dux Conradus cum quibusdam Lotharienfibus obsident pariter munitionem apud Maroillum, tandemque non sine suorum damno capiunt atque succendunt. Nec mora, Rex Ludouicus & Artaldus Archiepiscopus munitionem quam præfati Principes succenderant, restruunt, custodesque ibi plures instituunt. Inde Rex proficiscitur in partes Victuriaci castri, aliamque munitionem contra Victuriacum instruit. Attamen anno pro-

Permittit iterùm Otto quædam in Italia Berengario.

953 ximè insequenti obtinuit Hugo à Rege, vt munitio, quæ contra Victuriacum castrum constructa fuerat, solueretur; Placitumque concordiæ ac pacis Rex & Hugo mediante Quadragesima inière Suessionis. Exoritur intereà inter Othonem Regem & Liudulfum filium eius, Conradum quoque Ducem & quosdam Regni ipsius Primates, discordia. Nato siquidem Regi filio ex moderna coniuge, ferebatur eidem puero Rex Regnum suum promittere, quod olim Liudulfo delegauerat. Rex igitur Conradum à Ducatu Lotharienfium remouet, & Conradus quærebat vt Regem caperet; & in vrbem Maguntiam ingreditur. Intereà Gerberga Regina Lauduni geminos est enixa, quorum vnus Carolus, alter vocatus est Heinricus. Sed Heinricus mox post Baptismum defunctus est. Otto verò Rex vrbem Maguntiam, vbi Conradus se receperat, obsidet: tandemque post duos ferè menses, cum egresso ad se Conrado locutus, & obsidibus ab eo acceptis, trans Rhenum regreditur. Nec mora, Conradus, dimisso Maguntiæ militum suorum præsidio, Metensem appetit vrbem. Otto autem Rex vocatus à fratre Heinrico Baioariam petit; quam filius eius Liudulfus, captis quibusdam vrbibus, deuastabat. Conradus Metensem quoque vrbem, post non modicam ipsius deprædationem, reliquit. Hoc anno Wicfredus Coloniensis Antistes defungitur, & Bruno frater Regis Othonis inibi Pontifex ordinatur; cui etiam Rex Otho Regnum Lothariense committit. Sic Frodoardus, & adstipulatur

Simultas oritur inter Imp. & eius filium.

Liudulfus filius Imp. vastat Baioariam.

954 Sigebertus & alij. Deinde verò anno Christi 954. præmemoratus Conradus (testante eodem Frodoardo) pacto cum Hungaris inito, eos per Regnum Lothariense deducit, vsque in terram Ragenarij, scilicet æmuli sui,

Ecce quid agat cæca ambitio & ira.

ſui, atque Brunonis Epiſcopi; nimiaque peracta deprædatione, cum præda magna, captiuorumque multitudine, Regnum Ludouici ingrediuntur, ſicque per pagos Viromandenſem, Laudunenſem, atque Rhemenſem, Catalaunenſem quoque tranſeuntes, Burgundiam intrant: quorum non parua manus tam præliis quàm morbis interiit, ceteri per Italiam reuertuntur in ſua. Hæc ille. De vaſtatione hac Hungarorum in Lotharingia, & quòd nomine Lotharingiæ Brabantia noſtra contineatur, his verbis oſtendit Sigebertus in rebus geſtis S. Guiberti: Quin etiam, ait, fuit vir Domini Guibertus, dignus Apoſtolicæ prædicationis miniſterio. Siquidem cùm gens Hungarorum, tempore ſupradicti Primi Othonis aggreſſa Lotharingiam, deducta eſt à Duce Conrado vſque ad ſiluam Carbonariam, & virtute Dei apud Lobienſe Cœnobium oſtenſa, prohibita eſt vltrà prodire. Hungaris tranſeuntibus eundo & redeundo per vicum Gemmelacenſem, occurrit vir Dei Guibertus, gladio verbi Dei accinctus, paratus etiam bibere calicem paſſionis. Nec deſtitit ſanè illis idololatriæ ſpurcitia ſordentibus pandere fidei dogmata, & regni æterni myſteria, donec aliquos eorum à regno diaboli abſtraxit. Sic ibi. Et de eodem Gemmelacenſi Cœnobio mox plura. Et eodem hoc anno (pergit Frodoardus) Ludouicus filius Regis Ludouici Lauduni defungitur. Ipſe quoque Ludouicus Rex, egreſſus Lauduno, Rhemenſem veluti moraturus repetiit vrbem. Sed antequam ad Axonem fluuium perueniret, apparuit ei quaſi lupus præcedens: quem admiſſo inſecutus equo, prolabitur, grauiterque attritus Rhemos defertur, & protracto languore decubans, elephantiaſis peſte perfunditur; quo morbo confectus diem clauſit extremum, ſepultuſque eſt apud S. Remigium. Ita Frodoardus hoc anno nongenteſimo quinquageſimo quarto. Huius Ludouici tempore fundatum eſt in Lotharingia inferiore (nunc Brabantia) inſigne Cœnobium Gemblacenſe: de quo ſic Sigebertus ſæpè à nobis citatus, eiuſdem loci Monachus, ad annum 948. Immunitas noſtræ Gemmelacenſis Eccleſiæ hoc anno Imperiali confirmatur edicto, & annuli impreſſione roboratur; & Erluinus primus eius loci Abbas à ſancto Patre noſtro Guiberto electus, in ſanctitate & religionis feruore claret. Hæc in Chronicis. in Actis S. Guiberti per eumdem pleniùs in hunc modum: Inclytus Confeſſor Guibertus, militiæ ſæcularis cingulo depoſito, caſtrum ſuum Gemmelaus ſiue Gemblacum cum omnibus appendentibus, aliiſque multis, obtulit Deo & Apoſtolorum Principi beato Petro, ſanctoque Exuperio Martyri, ad conſtruendum in eorum honorem Monaſterium. Vnde mox accuſatus eſt apud Othonem Imperatorem, quòd regalem Fiſcum in ſortem Eccleſiaſtici iuris transfudiſſet. Sed beati Guiberti donationem pius Rex ratam voluit, abſoluens Monaſterium ab

Hungari vaſtant noſtram Lotharingiã.

S. Guibertus Gemblacenſis conuertit quoſdam Hungaros ad Chriſtum.

Moritur Ludouicus Rex.

Priuilegia varia Cœnobio Gemblacensi ab Imperatore concessa.

ab omni telonio & tributo in omnibus Imperij locis, permittens etiam mercatum, percussuram monetæ, & machæriam. Concessit etiam potestatem faciendi castellum seu oppidum, vt Sanctorum pignora & Deo famulantes à falsis Christianis & Paganis protegerentur. Hæc & plura ibi de eodem sancto viro Guiberto. Quæ auctorizatio (inquit ibidem Sigebertus) facta est solemniter Leodij 12. Kalend. Octobris, anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo quadragesimo sexto, Regni Domini Ottonis Primi anno vndecimo.

LOTHARIVS III. REX

FILIVS SVPERIORIS, XVI. BRABANTIÆ PRINCEPS.

Præfuit annis viginti tribus.



954 VDOVICO Rege anno nongentesimo quinquagesimo quarto, vti diximus, defuncto, Lotharius puer, filius Ludouici (verba sunt Frodoardi) apud S. Remigium Rex consecratur ab Artaldo Archiepiscopo, fauente Hugone Principe, ac Brunone Archiepiscopo, ceterisque Præsulibus, ac Proceribus Franciæ, Burgundiæ atque Aquitaniæ. Burgundia quoque & Aquitania Hugoni dantur ab ipso. Ita Frodoardus. Fuit tunc Lotharius natus annos tredecim, vt ex præcedentibus colligitur. Sigebertus vno anno tardiùs sic: Ludouico Rege Francorum mortuo, Lotharius filius eius ex Gerberga

Lotharius tredecim annorum puer Rex consecratur.

955 sorore Imperatoris regnauit. Porrò anno sequenti 955. Rex Otho Hungaris de locis suis prædatum progredientibus obuiàm profectus, pugnauit cum eis, nec eos ingredi Regna sua permisit. Hæc Frodoardus; & rursum eodem anno, nonnullis interiectis: Hungari, inquit, cum immensis copiis Baioariam ingrediuntur, volentes venire in Franciam. Contra quos Otho Rex cum* Burislao Sarmatarum Principe, & Conrado iam sibi pacificato pugnauit, & eosdem Hungaros interimens, cunctos pęnè deleuit. Conradus autem, qui Regem præcipuè de victoria confortauerat, ibidē peremptus est. Ita ille. Continuator Reginonis pugnam factam dicit apud Lichum fluuium. Sigebertus his verbis eam describit, etsi tardiùs: Vngaris iterùm Regnum Othonis Imp. ductu Conra-

*Boislao Boëmo scilicet

Insignis victoria Imperatoris Ottonis contra Hungaros.



LOTHARIVS III. FRANC. REX, XVI. BRAB. PRINC.

Conradi Ducis depopulantibus, Imperator eos bello excepit, Conrado ab Vngaris ad eum pœnitendo refugiente, & orante Deum, vt pro pœna perfidiæ suæ in ipso bello ab Vngaris perimeretur. Quo bello in tantum Vngari sunt contriti, vt nullus aut rarus eorum euaderet; Conradus tamen secundùm votum suum ibi occubuit. Ista Sigebertus. Hoc etiam anno, testante Frodoardo, Hugo Princeps Gerbergam Reginam cum filio suo Lothario Rege Parisiis honorificè ad Pascha suscipiens,
956 decenter secũ per plures detinuit dies. Anno verò proximo, qui est 956. Rex Otho Placitum apud Engulenheim cum Lotharienſibus tenuit; à quibus & obsides accepit de cunctis pænè ipsorum oppidis. Item aliud Placitum ab eo post Pascha Coloniæ habitum est, vbi non paucos à Lotharienſibus thesauros accepit. Lotharius verò Rex munitionem quamdam super Carum fluuium pugnando recepit, & infantes Ragenarij, ac milites quosdam ibi inuentos secum abduxit, ipsumque castrum direptum incendit. Hugo Princeps obiit. Gerberga verò Regina colloquium habuit cum Brunone fratre suo, in quo prædicto Regenario sibi milites & infantes redduntur, Reginæ verò possessiones, quas illi quondam Gislebertus Dux dotis nomine dederat, restituuntur. Hæc Frodoardus. Sigebertus istud addit: Frederico Moguntiæ Archiepiscopo mortuo, Guilielmus filius Ottonis Regis substituitur. Sic ille.

Moritur Hugo Princeps; scilicet pater Hugonis Capeti.

957 Porrò anno sequenti, qui est Christi 957. (ait Frodoardus) bellorum tumultus agitantur inter Brunonem ex Præsule Ducem, & Ragenarium Comitem, ceterosque Lotharienses: item in Francia inter Balduinum filium Arnulfi, & Rotgarium quondam Erluini, ob castrum Ambianense. Tunc Rotbertus filius Heriberti se Lothario Regi committit. Qui Lotharius Rex cum matre sua, & amita sua, relicta Hugonis (imò est matertera, vt patet suprà ad annum 938) obuiàm pergit in pagum Cameracensem auunculo suo Brunoni. Vbi videns Ragenarius non posse se venienti multitudini resistere, ad Brunonem venit. At quia quæsitos dare noluit obsides, eum Bruno comprehendens, sub custodia secum deduxit; nec multò pòst trans Rhenum in exilium misit. Hoc anno Liudulfus Othonis filius, qui pænè totam obtinuerat Italiam, obiit, sepeliturque Maguntiæ apud S. Albanum. Ita Frodoardus. Sigebertus, etsi biennio tardiùs, hoc modo: Bruno Archiepiscopus & Archidux Lotharingiæ secundas partes in Regno fratris sui potenter & industriè administrans, Raginerum Montensem Comitem, qui Longicollus cognominabatur, apud Valentinianas euocatum capit, & irreuocabili exilio damnauit, pro eo quòd Regnum bellis inquietabat; vel, quod verius fuisse dicitur, pro eo quòd mortuo Gisleberto Duce, consanguineo suo, ea quæ Gislebertus vxori suæ Gerbergæ sorori Imperatoris

Varij iterũ tumultus in Gallia.

Liudulfus filius Imp. Ottonis moritur in Italia.

Raginerius Montensis à Brunone fratre Imp. captus & relegatus.

toris in dotem contulerat, violenter ei auferre præsumebat. Bonis Ragineri ad Fiscum publicatis, filij eius Raginerus & Lambertus ad Lotharium Francorum Regem confugerunt. Ita Sigebertus. Succedit annus nongentesimus quinquagesimus octauus, ad quem ista Frodoardus: Homines Tetbaldi munitionem quamdam, quæ vocatur Fara, traden- 958
tibus eam sibi quibusdam proditoribus capiunt. Ad quam obsidendam Rorico Præsul Laudunensis cum amicis aduenit. Rege tandem Lothario aduentante, mediantibus Heriberto ac Rotberto fratribus, castrum iussione Tetbaldi redditur. Otho Rex aduersus Sarmatas abiit. Bruno Coloniensis Archiepiscopus cum exercitu Lothariensium per Franciam proficiscitur in Burgundiam, locuturus cum sororibus ac nepotibus suis. Et anno proximo: Bruno etiam in Franciam venit, & apud 959
Compendium cum Regina sorore, ac nepotibus suis discordantibus pro quibusdam castris, quæ Rex Lotharius ex Burgundia ceperat, colloquium habuit; obsidibusque datis, pacem inter ipsos vsque in futurum tempus Placiti pepigit. Inde Lotharienses à Brunone Duce desciscunt, suadente quodam Immone, qui eius pridem Consiliarius, ab eo nuper recesserat, propter oppida quædam ipsorum nouitia, quæ idem Dux euerti præcipiebat, aliaque onera ipsis insueta, quæ illis imponere velle ferebatur. Quibus postmodum reuocatis, Fredericum quemdam Comitem eis vice sua præfecit. Hoc anno Arnulfus Comes Rhemis venit, & Ecclesiam S. Mariæ non modico argenti pondere munerauit; vnde arcæ S. Calixti, sanctique Nicasij ac S. Eutropiæ, ceterorumque Sanctorum ornatæ sunt. Ista Frodoardus; & pergit ad annum nongentesimum sexagesimum: Richardus, inquit, filius Willelmi Nortman- 960
norum Princeps filiam Hugonis trans Sequanam quondam Principis duxit vxorem. Diuionem autem quamdam munitionem, quam Regis Lotharij fideles tenebant, Rotbertus frater Heriberti fidelem Regis se fallens, dolo ingressus inuadit, regiis expulsis custodibus. Ad quam recipiendam Rex cum matre Regina profectus, ipsum obsidet castrum. Et Bruno Præsul cum Lothariensibus & aliis sibi subditis illuc adueniens, obsides à Rotberto accepit, quos Regi tradidit. Otho quoque & Hugo filij Hugonis, mediante auunculo ipsorum Brunone, ad Regem veniunt, ac sui efficiuntur; quorum Hugonem Rex Ducem constituit, addito illi pago Pictauensi ad terram quam pater ipsius tenuerat, concessa Othoni Burgundia. Audiens autem Bruno, quosdam aduersum se Lothariensium insurgere, illò cum festinatione regreditur. Ista Frodoardus. Sigebertus ad hunc annum sic: Hoc tempore per industriam Othonis meliorato Imperij & Ecclesiæ statu, multa Monasteria & Cœnobia ad laudem Dei & Sanctorum aut restaurantur, aut

Lotharienses à Brunone desciscunt.

Rotbertus Diuionem dolo occupat, sed mox relinquere cogitur.

Filij Hugonis Regi Lothario se tradunt, & magnas Præfecturas accipiunt.

ampliantur, aut ædificantur. Inter quæ & Euraclus, post Baldricum Episcopus Leodicensium factus, duo in vrbe Monasteria construxit, ad titulum S. Pauli Apostoli, & ad titulum S. Martini Episcopi. Hæc ille.

961 At verò anno sequenti, qui est Christi 961. Otho filius Hugonis quondam Principis ad Regem Lotharium in ipsis Festi Paschalis diebus Laudunum venit; sed & nonnulli tam Franciæ quàm Burgundiæ Proceres. Atque exinde Placitum Regale, diuersorumq; Conuentus Principum Suessionis habetur; ad quod impediendum, si fieri posset, Richardus filius Willelmi Nortmanni accedens, à fidelibus Regis quibusdam peruasus, &, interemptis suorum nonnullis, in fugam versus est. Hoc anno Artaldus Rhemensis Archiepiscopus decessit pridie Kal.

Noua iterum tragœdia argumentum.

962 Octobris. Ista Frodoardus. Et deinde anno proximo: Otho Rex Romam pacificè adiit, & amabiliter exceptus atque honore illic Imperiali sublimatus est. Quod Berengarius indignè ferens, regiones, quas regere debebat, incendere atque vastare cœpit. Intereà Gerberga Regina colloquium fratris Brunonis petiit, eique hic frater eius, ne Hugoni Rhemense redderetur Episcopium, suggessit. Rex verò Lotharius locutus cum Hugone consobrino suo, petitus est ab eo, vt præfato Hugoni Rhemensem restituat Episcopatum: indeque inducias pacificuntur vsque ad medium mensis Aprilis. Intereà Rex Lotharius cum Arnulfo Principe locutus, pacem fecit inter ipsum & nepotem ipsius, homonymum eius, quem infensum hic Comes habebat, ob necem fratris eiusdem (scilicet homonymi Arnulfi) quem de * infirmitate deprehensum idem Comes interimi fecerat. Tunc ipse Princeps omnem terram suam in manu Regis dedit, ita tamen, vt ipse in vita sua inde honoratus existeret. Legatio quoque veniens ab Ioanne Papa intimat, præfatum Hugonem quondam Episcopum tam ab ipso Papa quàm ab omni Romana Synodo excommunicatum, sed & ab alia Synodo apud Papiam celebrata. Cuius Legationis redditi certiores per Brunonem Archiepiscopum, elegimus (Frodoardus loquitur) ad Episcopum Rhemensem Odalricum illustrem Clericum, fauente Lothario Rege cum Regina matre. Et anno insequenti, qui est Christi 963. Odalricus

Otho receptus etiam Italiæ Imperator.

Examinent hæc, si placet, diligentiùs Flandri, itemq; quæ sequūtur triennio pòst.

* infidelitate

Ecce iam tum eligitur Episcopus fauente Rege.

963 Rhemensis Archiepiscopus Proceres Franciæ, qui possessiones quasdam Rhemensis occupauerant Ecclesiæ, vocari fecit. Ego verò (obserua ætatem Scriptoris) fractus ætate, ministerio me abdicaui Prælaturæ coram eodem Præsule; qui me absoluens hoc iugo, imposuit illud per electionem fratrum meorum nepoti meo Frodoardo, septuagesimo ætatis meæ anno. Atque hoc eodem anno Catalaunensem vrbem, Præsule Gibuino egresso, Heribertus & Rotbertus fratres obsident, explicitisque tandem nundinis, igne succendunt; milites turre quadam loci conscen-

Catalaunensis vrbs ab Heriberto & Rotberto fratribus vastatur.

sa

ſa liberantur. Sic ille. Et anno proximo: Domnus Præſul Odelricus Tetbaldum quemdam Procerem excommunicat propter caſtrum Codiciacum, & quædam prædia ſancti Remigij. Heribertus verò Comes villam Sparnacum ei reddidit, & amicitiam præfati Præſulis impetrauit. Ceteras quoque villas Rhemenſis Eccleſiæ, quas occupauerat, eidem Pontifici repetenti non ambigit reddere. Iſta Frodoardus. Hoc eodem anno Ioannes Duodecimus Papa obiit pridie Idus Maij, ſecundùm Continuatorem Reginonis, quem & ſequuntur Onuphrius & Baronius. Sed dubito num meliùs ponetur anno ſequenti; ipſe Lector poterit iudicare ex iis quæ ſæpè citatus Frodoardus, Auctor, vt vidimus, grauiſſimus huius ſæculi, ad annum proximum qui eſt Chriſti 965. ponit. Sunt iſta: Otho, inquit, Imperator Romæ Octauiano Papa, (eſt hic Ioannes XII.) à quo fuerat ad Imperij regenda gubernacula benedictus, ab Vrbe digreſſo, & ſæpè illum reuocante Imperatore, quia de irreligioſitate ſua corripiebatur, reuerti nolente; congregata Synodo, Ioannem illuſtrem quemdam eiuſdem Eccleſiæ Clericum per electionem Romanorum, Papam ordinari fecit. Sed eo Papiam ingrediente, Octauianus à Romanis recipitur; nec multò pòſt vita diſceſſit. Ioanne verò cum Imperatore demorante Papiæ, Romani quemdam Benedictum ipſius Eccleſiæ Scriniarium eligunt, atque Pontificem ſibi ordinari faciunt, qui in Ioannis electione conſenſerat, & eidem ſubditus extiterat. Quare Imperator Otho Romam reuerſus, conuocata magna Synodo, Ioanne in Sede ſua reſtituto, Benedictum totius Synodi iudicio depoſitum ſecum abduxit, & in Saxoniam direxit. Ita Frodoardus. Tamen Baronius ex aliis antiquis Scriptoribus, Adamo & Ditmaro, ſed paulò poſterioribus Frodoardo, habet Benedictum hunc legitimum Pontificem fuiſſe & virum ſanctum. Porrò hoc eodem anno Otho filius Hugonis, qui Burgundiæ præerat, obiit, & rectores eiuſdem terræ ad Hugonem & Odonem Clericum fratres ipſius ſeſe conuertunt. Arnulfo quoque Principe decedente, terram illius Rex Lotharius ingreditur, & Proceres ipſius prouinciæ, mediante Præſule Laudunenſi, eidem ſubiiciuntur Regi. Ita Frodoardus. Sigebertus hoc anno iſtud habet: Bruno Dux & Archiepiſcopus in Franciam pergens, ad pacificandos nepotes ſuos, Lotharium Regem & filios Hugonis, vbi Compendium venit, febre correptus Rhemis rediit. Vbi quidquid habuit iure mancipi, per teſtamentum Eccleſiis Sanctorum delegato, mortuus eſt. Corpus eius à Deoderico Metenſi Epiſcopo Coloniam refertur. Hoc ille. At verò anno proximo, Chriſti 966. Lotharius Rex vxorem accepit Emmam filiam Regis quondam Italici. Et eodem anno Odelricus Archiepiſcopus Ragenoldum Comitem excommunicat pro villis Ec-

964

Dubium contra Onuphrium & Baronium.

965

Altercatio magna de Sede Romana.

Arnulfo Flandro decedente, Rex Lotharius eius terram ingreditur.

966

Lotharius Rex accipit vxorem.

clesiæ Rhemensis, quas pertinaciter detinebat; & ipse Comes loca quædam eiusdem Episcopij cum suis peruadens, rapinis incendiisque deuastat. Hucusque Chronica Frodoardi Presbyteri. Et adiectum legitur: Ipso anno vir vitæ venerabilis & Rhemensis Ecclesiæ Presbyter nomine Frodoardus, honore sanctitatis venerandus, castitatis splendore Angelicus, præcedentis libelli, aliorumq; librorum dictator egregius, obiit 5. Kalend. Aprilis. Sic ibi. Addita est quidem adhuc rhapsodia duorum

Otho Imp. iterùm in Italiam proficiscitur, eamdem pacaturus.

annorum, sed parui momenti. Hoc eodem anno Otho Imperator per autumnum redit in Italiam ad eiiciendum Adelbertum, adhuc regium nomen gerentem, & omnia perturbantem, & ad vlciscendum Ioannem Pontificem à Romanis eiectum, & sub custodiam traditum. Romani Imperatorem timentes, vt est apud Reginonem, Ioannem Papam in Sedem suam restituunt. Berengarius quoque Italiæ quondam Rex exul moritur, & in Bamberge regio more sepelitur: vxor Willa velum Sanctimonialium assumpsit. Baronius ex antiquis Scriptoribus. At verò an-
967 no sequenti, qui est Christi 967. Imperator (Otho) Romæ Natalem Domini celebrauit, & excepto Præfecto Vrbis, qui aufugerat, XIII. ex Ma-

XIII. Romani Proceres ab Othone suspensi.

ioribus Romanorum, qui expulsionis Domini Ioannis Papæ videbantur causæ, suspendio interire iussit. Et intrante Septembri mense Otho Rex (Iunior) Romam iturus, decenti comitatu egressus, memoriã S. Michaëlis in Augusta ciuitate celebrauit. Hæc Continuator Reginonis; & hæc sunt vltima illius verba. Sigebertus ista huic anno adscribit: Guilielmus Archiepiscopus filius Imperatoris Moguntiæ moritur. Hoc tempore Danis, qui Christum & idola simul colebant, cum Poppone Clerico in conuiuio altercantibus, super cultura Dei & deorum, ingentis

Dani insigni miraculo tandem penitus idololatriam respuunt.

ponderis ferrum valdè ignitum Clericus cùm vsq; ad placitũ omnium tulisset absque vlla læsione, Rex penitus se suosque ad colendum solum verum Deum conuertit, Clericus verò ad Episcopatũ promotus est. Hęc ille vno anno citiùs. Et deinceps per aliquot annos inopia Scriptorũ la-
968 boramus. Ad annũ 968. hęc idẽ Sigebertus: Otho minor à patre euocatus

Otho II. filius Imp. etiam Imp. consecratur.

Romam à Ioanne Papa in Imperatorem benedicitur: Otho verò Imperator Beneuentanos Duces potentia sua ad subiectionem sui inflexit; & in terra Saxonica venas auri & argenti primus industria sua aperuit. Et
969 anno proximo: Quidam Comes Othonis Imperatoris, ei familiaris, Romæ ante oculos omnium à diabolo arreptus, ita vt seipsum dentibus decerperet, iussu Imperatoris ad Papam Ioannem adductus, vt cathena

**ludibundis*

Catena S. Petri dæmon pellitur.

S. Petri collo eius circumdaretur: dum à * fallacibus Clericis semel & bis alia catena furenti adhiberetur, nec quidquam remedij proueniret; tandem vera S. Petri catena allata, & collo furentis circumdata, diabolus spumans & multùm clamans abscessit. Eodem anno Imperator Otho, dum

dum partem exercitus ad Græcos misisset, vt vxorem filio suo Othoni acciperent, Græci super eos irruunt, castra diripiunt, plures occidunt, plures capiunt, & Constantinopolim mittunt. Ad hoc dedecus vindicandum Imp. Otho eminentiores ex suis in Calabriam mittit; qui Græcos aggressi, plures occidunt, plures naribus detruncatis dehonestant, & per Apuliam & Calabriam à Græcis tributum exigunt. Constantinopolitani audientes à suis malè pugnatum esse in Calabria, contra Imperatorem suum Nicephorum insurgunt. Ista Sigebertus. Et anno sequenti, qui est Christi 970. Deodericus Metensium Episcopus, Imperatori sanguine, dilectione ac familiaritate ceteris deuinctior, dum in Italica expeditione per triennium sub eo militaret, multa corpora & pignora Sanctorum de diuersis Italiæ locis, quocumque potuit modo, collegit. Et post enumerata singula, sic concludit idem Sigebertus: Hæc omnia cum parte catenæ S. Petri Apostoli, cum capillis eiusdem, & sanguine S. Stephani protomartyris, & parte de craticula S. Laurentij martyris à Papa Ioanne sibi donata, Præsul Deodericus in Galliam hoc anno transtulit, & in Ecclesia S. Vincentij martyris à se in insula vrbis constructa locauit. Et pergit anno proximo: Apud Constantinopolim Nicephorus Imperator timens à filiis suis Imperio expelli, quia senex erat, volebat eos eunuchizare. Quorum mater Regina, quia nullo alio modo poterat eos liberare, suasit Ioanni Nicephorum occidere, & imperare. Ioannes itaque occultè cum funibus intrauit Palatium; & occiso Nicephoro, imperauit. Ac deinde ad annum sequentem: Otho Imp. Romæ Othoni coimperatori suo (Othoni II.) neptem Ioannis Constantinopolitani, Theophaniam nomine, à Ioanne Papa coronatam legitimo matrimonio sociauit. Hæc Sigebertus. Porrò anno proximo, Christi 973. Halberstati in Germania obiit B. Mathildis Regina, mater Othonis Primi Imperatoris, pridie Idus Martij, humilitate, patientia & aliis virtutibus celebris. Et eodem anno Nonas Maij obiit & Otho Imp. cuius coniugem Adelaidē summis pietatis officiis eum fuisse prosecutam Ditmarus annotauit. Hermannus Contractus sic: Sanctus Vdalricus Augustensis Episcopus migrauit ad Dominum 4. Nonas Iulij. Et eodem quoque anno, sed priùs, Otho Imp. Nonis Maij subitanea morte apud * Parthenopolim obiit & sepelitur; Otho Secundus regnat. Ita ille hoc ipso anno. Lambertus Scafnaburgensis item hoc anno: Otho Imperator senior obiit in Mimelieka Nonis Maij, cui filius eius Secundus Otho successit. Sic ille. Ad eumdem hunc annum ista notat Sigebertus: Raginerus & Lambertus filij Ragineri Longicolli, paulatim resumptis viribus, à Francia redeunt, & cum Guarnero & Rainaldo, qui Comitatum patris eorum occupauerant, bello apud Peronam confligunt, eosque cum multis perimunt, & super Ha-

Otho Imp. in Apulia & Calabria se de Græcis vindicat.

970

Reliquiæ multæ Sanctorum Metim adferuntur.

971

972

Theophania neptis Imp. Constantinopolitani nubit Othonis filio.

973

* Magdenburgh

Moritur Otho imp. succedente sibi filio cognomine.

Filij Ragineri Montensis arma sua repetunt.

** Boissuto*

gnam fluuium, castello * Buxude munito, Lotharingiam infestant. Hæc
974 ille. Et prosequitur anno proximo: Otho Imperator castellum Buxudis obsidet, captum diruit, captos in eo exilio mulctat; nec tamen Raginerius à rebellione desistit. Ita ille. Inde anno sequenti, vt Baronius ex variis
975 annotat, Benedictus Romanus ex Albericis proueniens, exagitans vrgensque Bonifacium tyrannum inuasorem Apostolicæ Sedis, cum abire coëgit; qui Bonifacius Vaticana basilica expoliata, Constantinopolim nauigauit. Et tunc Romanâ Ecclesiâ liberatâ, omnium suffragio idem Benedictus ex Sutrino Episcopo creatur Rom. Pontifex: quod hoc anno contigisse, constat quoque ex eius sepulchri inscriptione. Hæc Baronius. Scafnaburgensis anno præcedenti sic: Perrexit Imperator contra Haroldum in Sleswijck. Et hoc anno: Imperator Boëmos vastauit, & concremauit. Atqui anno sequenti, qui est Christi 976. testante Sigeberto, filij Ragineri Longicolli, auxilio Francorum, & maximè Caroli posteà Ducis, freti, lacessunt bello Godefridum & Arnulfos Comites, qui post Guarnerum Comitatum Montensem inuaserant; montem Castrilocum obsident; multis vtrimque in conflictu fusis, obsidio remota est; victoria anceps; datur tamen palma Comitibus. Ita ille. Ac deinde anno

Rursum tumultuatum de Sede Romana.

976 concremauit. (see above)

Pugna cruenta ad montem Castrilocum.

977 proximo, Christi 977. Ducatus, inquit, Lotharingiæ datur Carolo fratri Lotharij Regis Francorum, multis insuper conducto beneficiis, vt & ipse ab insolentiis desistat, & fratris sui Lotharij motibus obsistat. Filij Ragineri, vt pro se viriliter agerent, animati Francorum auxilio & affinitate (Raginerus quippe Hatuidem filiam Hugonis posteà Regis, Lambertus verò Gerbergam filiam Caroli Ducis duxêre vxores) in terra patrum suorum relocati sunt. Hæc Sigebertus. Ego interpretor ab Othone (est is Otho II. Imp.) Ducatum ei concessum, Rege Lothario fratre tacitè etiam fortè consentiente. Sed tantùm tacitè. Nam mox anno sequenti, eodem Sigeberto testante, Lotharius armis iterùm Lotharingiam inuasit, sed impellentibus eum (vt mox in ipso Carolo pleniùs dicemus) Franciæ Proceribus. De morte huius Lotharij Regis sic idem Sigebertus tandem ad annum 986. Lothario Rege mortuo, Ludouicus filius eius regnat anno vno. Et ad annum sequentem: Ludouico Rege mortuo, Francis Regnum transferre volentibus ad Carolum Ducem Lotharingiæ, fratrem Lotharij Regis, dum ille rem ad consilium defert, Regnum Francorum vsurpat Hugo filius Hugonis Parisiensis ex Hatuide sorore Othonis Primi. Ita Sigebertus, & adstipulantur Nangius & Odorannus apud Pithœum. Fuit hic Hugo filius Hugonis, qui obiit, vt diximus, anno 956. qui erat filius Rotberti Regis, de quo anno 923. cuius Rotberti frater, Odo similiter Rex per quinquennium, de quo ab anno 888. vsque 898. vt breuiter constet de hac stirpe, Capetica dicta.

Lotharingiæ Ducatus à quo, & quare Carolo fratri Lotharij datus.

Moritur Rex Lotharius, & anno sequenti eius filius; ac deinde inuadit Regnum Capetus.

CARO-

CAROLVS DVX FRATER PRÆCEDENTIS, XVII. BRABANTIÆ PRINCEPS.

Præfuit annis quatuordecim.



ONCESSA Lotharingia Carolo, dissimulante, vti verisimile est, Lothario fratre, Rege Francorum; tamen mox instigantibus Franciæ Proceribus, vt ex continuatione Nangij apud Pithœum colligo, idem Lotharius anno sequenti eam ad se rursum trahere nisus est: de quo etiam Sigebertus ad annum 978. in hunc modum: 978
Pacato vndique Regno, cùm Otho Imperator Aquisgrani moraretur, Lotharius Rex Francorum subitò ad inuadendam Lotharingiam contendit, & cedente Imperatore, quia ad pugnam imparatus erat, Rex post multam vastationem * in patriam rediit. Quem cum inæstimabili exercitu Imperator prosecutus, condicto die, scilicet Kalendis Octobris Franciam intrauit: quam vsque ad Kalend. Decembris peruagatus, fines Rhemensium, Laudunensium, Suessionum & Parisiensium diuersa clade vastauit, Ecclesiis tantùm Dei omni immunitate concessa: in redeundo tamen circa Axonam fluuium, partem impedimentorum amisit. Ita Sigebertus, & adstipulantur Scafnaburgẽsis, Contractus, & alij.

Lotharingiam frustrà Galli repetere nituntur.

*repatriauit.

Mirum est quod ad annum sequentem, qui est Christi 979. idem Sigebertus annotat: 979
Hoc anno, inquit, complentur mille anni à Natiuitate Christi, secundùm veritatem Euangelij, qui secundùm Cyclum Dionysij anno ab hinc XXI. finientur, sicque in anno Dominicæ Passionis veritati Euangelicæ contraitur. Ita ille. & similem difficultatem sibi fingunt Marianus Scotus & Wigorniensis, alioqui non infimæ notæ Chronologi. Sed voluissem ab eis scire, cur ipsi tamen calculum Dionysij seruent. Antiquissima Diplomata quoque calculum Dionysij confirmant, & Fasti Consulares. Atque adeò quòd illi XXI. annos sibi fingunt, qui nusquam sunt, vt Pascha Christi ritè constituant, (falsò præsupponentes in calculo Iulij Cæsaris, quoad consonantiam motus Solis & Lunæ, ex quo Pascha constituitur, nihil desiderari) id demum nostra ætate à Gregorio XIII. Pontifice anno 1583. correctum est, sublatis tantùm tunc semel decem diebus. Sed hæc occasione Sigeberti: nunc ad seriem redeo. Anno Christi nongente-

De eo quòd olim fingebatur Cyclus Euangelicus à Cyclo Dionysij diuersus.

gentesimo octogesimo, teste eodem Sigeberto, Otho Imperator (eius
980 nominis Secundus) & Lotharius Rex, conuenientes super Charum fluuium pacificantur, datis inuicem sacramentis, & Rex Lotharius Lotharingiam abiurat. Ita Sigebertus. Sed continuatio Nangij apud Pithœum plenius sic: Lotharius Rex Francorum contra voluntatem Principum Regni sui Rhemis pacificauit cum Othone Imperatore, deditque Othoni in beneficium Lotharingiæ Ducatum; quod magis corda prædictorum Principum contristauit, & maximè Hugonem Capucij Parisiensem Comitem, & Heinricum fratrem eius Ducem Burgundiæ. Sic ille.

Rex Lotharius Lotharingiam abiurat, sed contra voluntatem Procerum suorum.

981 Ad annum proximum, Christi 981. hoc tantùm habet Contractus: Otto Imperator Neapolim venit. Sigebertus ponit alia, sed ponenda primùm anno sequenti. Hoc anno consignatum habetur insigne Diploma ab Othone Imperatore concessum Ecclesiæ Leodiensi, cuius hoc est breuiculum: In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis: Otto, diuina fauente clemētia Imperator Augustus. Nouerint omnes nostri fideles, tam præsentes quàm etiam futuri, quòd venerabilis Episcopus Leodiēsium Notkerus, præcepta quædam nostris obtulit obtutibus, quæ ab antecessoribus nostris Pipino, Carolo, Lodouico, & item Carolo Regibus Francorum collata erant Ecclesiæ S. Mariæ & S. Lamberti; & insuper à patre nostro Ottone Imperatore confirmata, super vniuersas possessiones eiusdem matris Ecclesiæ, quarum istæ sunt capitales; Hoyum, Fosses, Lobies, Tungres, Maslines, & super cetera loca cum omnibus rebus & hominibus ad ea pertinentibus, vt omni publica potestate exclusa, in manu Episcopi singulariter consistant. Nos itaque, &c. Datum octauo Idus Ianuarij, anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo octuagesimo primo, Regni Ottonis Secundi decimonono, Imperij verò decimotertio, Indictione nona. Actum in Gruma. Extat integrum Tomo 1. Rerum Leodiensium, pag. 209.

Diploma Othonis II. concessum Ecclesiæ Leodiensi.

982 At verò anno sequenti, qui est Christi 982. teste Hermanno Contracto, Otho Imp. apud Calabriam, occiso à Græcis & Saracenis exercitu, de naui exiliens, natando aufugit. Sic paucis ille hoc anno. Baronius refert ad annum sequentem, & Sigebertus ad præcedentem; nos medium cum Contracto eligimus. Sigeberti hæc sunt: Græci infensi quòd Imp. Otho prouincias Græcorum inuaderet, conducto sibi Saracenorum auxilio, Imperatori in Calabria bello congrediuntur; in quo bello omnes Romanorum copiæ pænè deletæ sunt. Imperator natando nitens euadere, à nautis ignorantibus eum capitur; & à quodam agnitus, nec proditus, allatis pecuniis liberatur, & ascenso equo, vix euasit. Ita ille. Qua clade accepta idem Imperator anno proximo de eligen-
983 do filio suo successore Comitia Veronæ habuit; indeque Romam veniens, mœrore confectus (verba sunt Ditmari) 7. Idus Decembris ex

Copiis Othonis Imp. cæsis, ipse vix natando euasit.

hac



CAROLVS LOTHARINGIÆ DVX, XVII. BRAB. PRINC.

hac luce subtractus est, & conditus labro porphyretico ad introitum
Moritur Otho II. sepultus Romæ.
Orientalis portæ Paradisi domus S. Petri, quod etiam nunc cernitur. Hæc
ille apud Baronium. Contractus sic: Otho Imp. Romæ 6. Idus Decem-
bris moritur, & ibi sepelitur: succedit Otho Tertius eius filius admodum
984 puer. Porrò anno 984. Lotharius Rex Francorum, ait Sigebertus, ad in-
Iterùm Lotharius Rex conatur inuadere Lotharingiam.
uadendam Lotharingiam rursum laborans, vrbem Virdunum & Go-
defridum ipsius vrbis Comitem capit. Ita ille. Et anno sequenti 985. Lo-
tharius Rex videns Imperatorem virtute militum suorum proficere, vr-
bem Virdunum & Godefridum Comitem reddit. Sic ille. Quæ intelli-
985 genda esse tantùm de Transmosana Lotharingia (manente Carolo no-
stro in quieta Cismosanæ possessione) satis liquet. Eadem etiam pleniùs
exponit Nangius apud Pithœum his verbis: Lotharius, inquit, Rex vi-
dens Othonem Imperatorem Othonis filium, quem Barones Teutoni-
ci de manu Henrici Ducis Bauariæ filij Henrici fratris Othonis Primi
extorquentes in Regno paterno sublimauerant, virtute suorum militum
proficere, mandatis & apicibus eius obtemperans, Virdunum vrbem
Fit tractatus concordiæ de Virduno & aliis Transmosanis.
reddidit, & Godefridum Comitem de carceribus liberauit, tractatum-
que concordiæ cum patre suo iam pactum, cum eo stabiliuit. Hæc ibi.
Anno verò sequenti, qui est Christi 986. Lotharius Rex moritur. de quo
ita Sigebertus hoc ipso anno: Lothario Rege Francorum mortuo, Ludo-
986 uicus filius eius regnat anno vno. Ita ille. Nangius apud Pithœum hoc
Moritur Lotharius Rex.
modo: Lotharius Rex Franciæ plenus dierum obiit, & Rhemis in Ec-
clesia S. Remigij sepultus est, Hugoni Capet cognato suo commendans
filium Ludouicum iuuenem, qui post eum regnauit. Et adstipulatur
Odorannus apud eumdem, Obiit, inquiens, Lotharius Rex, commisso
filio suo Ludouico iuniore Hugoni Duci vnà cum Regno. Ita illi. Cete-
987 rùm anno proximo, Christi 987. Ludouico Francorum Rege mortuo
Item eius filius; vocaturq; tūc ad Regnum noster Carolus, sed frustrà.
(verba sunt Sigeberti) Francis Regnum transferre volentibus ad Caro-
lum Ducem Lotharingiæ (sic noster inscribitur) fratrem Lotharij Regis;
dum ille rem ad consilium defert, Regnum Francorum vsurpat Hugo
filius Hugonis Parisiensis, ex Hatuide sorore Othonis Primi. Ita Sige-
bertus, adstipulaturque Nangius; additque, adminiculante Richardo
Duce Nortmanniæ, & aliis aliquot, Hugonem coronatum hoc anno
Rhemis. Quin idem etiam astruere conatur, eum fuisse ex stirpe Caroli
** proauiam*
Capetus nequaquā ex stirpe Carolina.
Magni per * auiam maternam Mathildam, matrem Othonis Primi;
quasi illa fuisset filia Ludouici IV. filij Arnulphi Imp. dicitque idem
fundatum esse in decretali Innocentij ad Ludouicum Sextum: sed tutius
est credere vetustioribus, qui faciunt Mathildam filiam Theodorici ex
stirpe magni Witichindi Saxonis. (vide suprà ad annum 936.) Itaque an-
no nongentesimo octuagesimo octauo (pergit Sigebertus) Carolus Dux
(noster)

(noster) Regnum Francorum ex paterna & auita successione sibi debi- 988
tum contra Hugonem Regem suum nepotem repetit, eumque bello *Carolus noster auitum Regnũ armis repetit.*
perurgens, Laudunum vrbem capit: Hugo autem Rex eum obsidet. Sed
secundo obsidionis mense obsessi prosilientes, castra obsidentium in-
cendunt; ipse Rex Hugo, plurimis suorum peremptis, turpiter fugiens
vix euasit. Et ad annum proximum: Carolus Dux Montem-acutum ex- 989
pugnat, Suessionis vsque vastando peraccedit, inde Rhemim aggredi- *Plures vrbes occupat.*
tur, & Laudunum multa cum prẹda reuertitur. Ac deinde anno 990. Ca- 990
rolus Dux Rhemim occupat; Archiepiscopum, quem Hugo Rex præfecerat, & quosdam Primates capit, & Lauduno relegat. Hæc Sigebertus, mox anno sequenti breuiter commemorans eius mortem. Atqui alia etiam sunt commemoranda. Etenim non bellicis solùm, sed & aliis virtutibus eum insigniter fulsisse, testantur Clerici Bruxellenses in Vita S. Gudilæ ante aliquot sæcula grauiter conscripta his verbis: Othone Secundo, inquiunt, tenente Imperium, Carolus frater Lotharij Regis Francorum in Regno Lothariensi adeptus est Ducatum. Qui statum Imperij dolens perturbari multipliciter, ad melioranda negotia animum aduertit solerter. Vnde inter cetera res ablatas Ecclesiæ Mottzellensi inuasorum partibus nisus est subtrahere, & sanctæ Gudilæ famulantibus restituere. Sed quiuis scire potest facilè, quàm difficilè corrigantur, quæ in consuetudinem venerunt diutina dilatione. Sua loco sancto volebat reddere industria Caroli Ducis, sed obstabat audacia peruasoris, nec Deum timentis, nec hominem reuerentis. Insurgunt testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi. Hermenfridum omnes suæ partis clamant esse patris successorem, & paterni boni heredem. Sed Ducis præualente potentia, Hermenfridus, suique complices, amantes terrena, paruipendentes cælestia, inito consilio, inuasas terras retinent sibi, & pretiosam margaritam, omnibus datis comparandam, corpus scilicet sanctæ Gudilæ, dant bono negotiatori, Carolo videlicet glorioso Duci. O miseros & miserandos omni modo, qui instar brutorum animalium terram respicientes pectore prono, ac ventri obedientes, non Deo, ipsi se indignos iudicant tanto dono! Et sicut paternam rapacitatem eis hereditate cessisse gauisi sunt, sic quasi æterno mucrone perfossi, paternæ necis exitum sibi contigisse tristati sunt. Nam vniuersos eiusdem possessionis coheredes, inaudita miserabilique nece notum est finiri ad extrema venientes. Carolus verò Dux pro nihilo ducens damna terrarum, felici commercio gaudet se cælestem suscepisse thesaurum. Quem cum debito honore in Ecclesiam sancti Gaugerici Bruxellæ intulit; & quid sibi cessisset boni, gestiens probare oculis, temerè, quamuis deuotè, delibare voluit. aperuit thecam Virginis: sed mirum dictu; Ecclesiam totam derepentè nebula circum-

Magna cura Carolo etiam rerum diuinarum

Recuperat corpus sanctæ Gudilæ.

Transfert illud cum debito honore Bruxellam.

circumfundit, omnemque diurni luminis adſpectum in nocturnas tenebras permutans, oculos præſentium caligo retundit, atque ſic prouidentia Dei omnes ab incepta temeritate retraxit. Saniori igitur præſcriptus Dux innitens conſilio, ſe vnà cum aliquanta fidelium plebe, in contritione carnis ac ſpiritus coarctauit triduo; vt quod faciendum incauta perſuaſit temeritas, ſumma, quæ omnia vincit, impetraret humilitas. Et iam tertia dies illuxit, memoratuſque Princeps ad loculum beatæ Virginis cum Sacerdotibus ac thymiamate acceſſit, aperuit, & quod deſiderabat vidit, inuocataque Dei maieſtate, recluſit ac ſigillo ſignauit. Poſteà verò partem quamdam villæ, quæ vocatur Molenbecca, ſanctæ Gudilæ tradidit, & ſex familias addidit, & alia complura Altaris veſtimenta donauit. Illic non ſine magna veneratione quieuit vſque ad tempora Comitis Baldrici nepotis Caroli Ducis. Sic ibi. Baronius ad annum 978. his verbis ea complectitur: Eodem tempore, inquit, Carolus Dux Lotharingiæ, frater Lotharij Regis, pugnans aduerſus Hermenfredum occupatorem rerum Eccleſiaſticarum, accepit ab eo corpus S. Gudilæ Virginis, & Bruxellas intulit. Inuaſores autem poſſeſſionum illius & deſcendentes heredes diuina vindicta iugiter eſt proſecuta, vt omnes miſerando vitæ finirent interitu. Ita ille. Obiit tantus Dux Aureliæ in captiuitate (verba ſunt Molani) anno 991. Lauduni cum vxore interceptus. Ex vxore autem ſua, quę Trecarum Comitis erat filia, genuit Othonem Ducem, Gerbergam nuptam Lamberto Comiti Louanienſi, & Ermengardem nuptam Alberto Comiti Namurcenſi. Hæc ille; de quibus nos plura in Gerberga & Lamberto. Tempore huius Principis anno Chriſti 985. Ramirus Rex Legionenſis in Hiſpania eius nominis III. vita defungitur, cuius ea ex parte memoria infamis eſt, quòd inito fœdere cum Arabum Rege, totius belli vim conuerterit aduerſus Caſtellæ Comites, & Veremundum in Gallæcia regnantem; ſicque plura loca munita ab infidelibus capta ſunt, & Eccleſiæ deſolatæ, cęſique Chriſtiani. Sed & inter alia funeſtiſſimum illud accidit, vt à Ruderico Comite vocati Arabes Compoſtellam, vſquequaque omnia cæde miſcentes, eamdem ciuitatem captam diruerint, mœnibuſque nudauerint; magno miraculo, Apoſtolo Iacobo tamen ſepulchrum ſuum illæſum ſeruante, ſed & hoſtes graui morbo puniente; quo omnes eos interiiſſe Sampyrus Epiſcopus, ſui temporis res geſtas proſecutus, tradit.

Legat diuæ Gudilæ Molenbeccam & alia.


Moritur Carolus in captiuitate Aureliæ.

Inſignia huius æui Hiſpanica.

OTHO

OTHO DVX
FILIVS PRÆCEDENTIS,
XVIII. BRABANTIÆ PRINCEPS.

Præfuit annis quatuordecim.



IGEBERTVS Gemblacensis Chronologus, qui scripsit ante annos quingentos, ista habet ad annum Christi nongentesimum nonagesimum primum: Carolus 991
Dux moritur, Otho filius eius succedit ei in Ducatu Lothariensium. nec plura. Molanus cap. 40. Militiæ sacræ hoc tantùm addit: Qui quidem Otho anno 1005. sine liberis decessit, sepultus Niuellæ ad sanctam Gertrudem, aut, vt aliqui volunt, Coloniæ ad S. Mariam. Sic ille. Et similiter Diuæus vno hoc verbo Othonem hunc transcurrit: Othonem Ducem, nulla re memorabili gesta, fata sustulerunt anno 1005. Dolendum, res gestas annorum quatuordecim, vt videmus, ita hactenus latêre. Nos eas ex vicinis saltem adornare conabimur. Sigebertus, postquam dixisset ad annum illum 991. de morte Caroli & successione Othonis, ista subnectit anno 992. Rhemis Synodo totius Franciæ congregata, Arnulfus nepos 992
Caroli Ducis, quem ipse Episcopum Rhemis substituerat, exordinatus damnatur, & Adelgarius Presbyter, qui vrbem prodidit, & portas Carolo aperuit, insolabiliter excommunicatur; Gerbertus substituitur Episcopus. Sed quibusdam causam ventilantibus non potuisse degradari Arnulfum absque auctoritate Papæ Romani,* Gerbertus depositus ad Othonem Imperatorem se contulit. Hæc omnia Sigebertus ad illum annum. Sed per triennium totum ista fuisse agitata docet Baronius in suis Annalibus, inter cetera refutans quoque Acta illius Synodi, quoad proditionem quæ Arnulfo imponebatur. Rem totam in hanc sententiam describit idem Baronius potissimùm ex Auctario Aimoïni: Anno nongentesimo nonagesimo secundo, inquit, reclamante damnationi Arnulfi Seguino Archiepiscopo Senonensi, Legati Regis Hugonis & Episcoporum ipsi fauentium Romam missi, cùm triduum tantùm Romæ expectassent, reuersi retulerunt cum stomacho, se non fuisse auditos, nec vllum tulerunt responsum. Et mox Episcopi Hugoni Regi fauentes, Arnulfum iterùm deponunt, & Gerbertum Philosophum eligunt.

Otho succedit patri

Res eius hactenus obscura eruuntur.

**Nota. Est is qui postea Siluester II. Papa.*

Arnulfus Episcopus nepos Othonis, falsò proditionis accusatur.

993 gunt. Et ad annum sequentem 993. Arnulfus Archiepiscopus Rhemensis à Rege Hugone & Episcopis illi fauentibus cum dedecore de Ecclesia beatę Mariæ Rhemensis expulsus, alligatusque, in carcere Aurelianæ manet annis duobus. Et prosequitur anno proximo: Hugo, inquiens, Rex Francorum cùm audisset Ioannem Papam ob eiectionem & carcerem Arnulfi Rhemensis Archiepiscopi vehementer esse commotum, nec alia Legatione ad eum missa esse placatum, præsenti anno iteratò inuitat eum in Gallias ad componendas discordias Rhemensis Ecclesiæ. Extant Hugonis litterę apud Masonium lib. 3. Annalium Franciæ. Quid Ioannes rescripserit non liquet, nec in Gallias profectus est; misit tamen illuc Legatum sanctissimum Leonem Abbatem S. Bonifacij. Hæc ille. Et quis dubitet, quin Otho Dux noster in causa tam iusta cognatum suum Arnulfum pro viribus adiuuerit? Itaque anno sequenti, qui est Christi 995. (testante eadem Appendice Aimoïni) misso Leone Abbate à Sede Apostolica, collecto Concilio iterùm in vrbe Rhemensi, ex iussione Apostolici, reuocatus est Arnulfus de custodia, & cum honore magno receptus in propria Sede. Gerbertus autem intelligens, quòd iniustè Pontificalem suscepisset dignitatem, pœnitentia ductus est. Altercationem verò Gerberti Pontificis, inquit Auctor, & Leonis Abbatis valdè vtilem, pleniùs inuenies in Gestis Pontificum Rhemorum. Hæc ibi. Quomodo hic Gerbertus posteà factus sit Pontifex Romanus, dictus Siluester II. & quòd non fuerit Necromanticus, quod quidam finxerunt, ostendemus mox. Intereà mortuo Ioanne Papa, eius nominis Decimoquinto, anno 996. Gregorius Quintus, Saxo, Papa electus est, Othone Imperatore Rauennę existente, & iam iam Romam tendente. Ita enim verum est, & quod Petrus Damianus epistola 2. ad Cadolum Pseudopapam sui temporis scribit, Ioannem Placentinum, qui à Crescentio contra hunc Gregorium intrusus est, eiecto Gregorio Imperatoris Othonis consanguineo (sunt eius verba) Cathedram vt tyrannum obtinuisse; & quod Ditmarus nihilominùs commemorat, Othonem Romam venientem (tendentem scilicet) nepotem suum Brunonem Othonis Ducis filium (Gregorium nuncupatum) in loco Ioannis Papę nuper defuncti cum omnium laude præsentium constituisse. Sunt propria verba vtriusque Auctoris. Tunc ergo Otho Romam se contulit ad expugnandum tyrannum Crescentium Vrbem occupantem. Qui, audito Othonis aduentu, in inexpugnabili sancti Angeli arce se cum suis inclusit. Tandem Thamnus Dux Othonis quasi ex eius præcepto iusiurãdum securitatis præstat Crescentio, si arcem dimittat: quo ille deceptus, reus maiestatis constituitur, & capite plectitur. Ita Baronius ex Leone Ostiensi, Petro Damiano, & Vita S. Romualdi: vbi & narratur, Tham-

In carcerem à Capeto idem Episcopus retruditur.

994

Insurgit pro eo Pontifex Romanus.

995

Restituitur in suã Sedem nepos nostri Othonis.

996

Altercatio de Sede Romana.

Crescentius tyrannus ab Othone Imperatore capite plexus.



OTHO LOTHARIN. DVX, XVIII. BRAB. PRINCEPS.

Thamnum, propter periurium istud, suasu S. Romualdi Monachum esse factum. Post hæc autem Otho coronatur Imperator à Gregorio Papa 5. Idus Iunij: & non multò pòst idem Gregorius, agente Othone qui sine liberis erat, ne post eius mortem de Imperio certaretur, constituisse traditur, vt Germaniȩ Principes perpetuò Imperatorem eligerent. Certè deinceps electione creati sunt Imperatores, sed ita, vt vsque ad annum millesimum ducentesimum sæpiùs plures quàm septem Electores fuisse constet; nempe omnes Germaniæ Principes & Præsules, qui Comitiis intererant, vt Baronius pluribus ostendit. Atqui anno millesimo ducentesimo quadragesimo quinto in Concilio Lugdunensi sub Innocentio Quarto, vt habent Acta eius Concilij apud Matthȩum Paris in Historia Anglicana, Electores Imperatoris his verbis leguntur: Laici, Dux Austriæ, Dux Bauariæ, Dux Saxonum, Dux Brabantiæ, qui & Louaniæ; Prælati, Archiepiscopi, Coloniensis, Moguntinus, & Salsburgensis. Ita ibi. Et sequitur: Isti ducentur in insulam quamdam Rheni, & dimittentur soli in ea, & amouebuntur omnes nauiculæ, & ibi tractabunt de electione Imperatoris. Nec adueniat aliquis ad eos donec sint concordes. Huic negotio præerit Archiepiscopus Coloniensis, secundus Moguntinus, tertius Salsburgensis. Hæc de Electoribus septenario numero definitis. Sed paulò pòst cedentibus quatuor suo iuri (siue quòd ab eo onere liberi esse voluerint, vel fortè etiam eligi magis quàm eligere desiderarint) alij subrogati sunt: de quibus hæc Albertus Stadensis, qui Chronicon suum perduxit vsq; ad annum 1256. Ex prætaxatione, inquit, Principum & consensu, eligunt Imperatorem Treuirensis, Moguntinus, & Coloniensis: & de sæcularibus, Palatinus eligit, quia Dapifer est; Dux Saxoniȩ, quia Marescalcus; & Marggrauius de Brandeburch, quia Camerarius; Rex Boëmiæ, qui Pincerna est, non eligit, quia non est Teutonicus. Hæc ille. Sub huius Othonis Prin-
997 cipatu ad annum 997. commemorat Sigebertus de Ansfrido Comite Bratuspantium his verbis: Clarebat, inquit, hoc tempore inter Gallos Ansfridus, qui cùm fuisset Comes Bratuspantium, non minùs iustitia quàm potentia sæculari famosus, deposito militiæ cingulo, tonsuratus in Clericum, eò prouectus est, vt ordinaretur Episcopus Vltraiectensis Ecclesiæ. Hæc ille. Quæ quomodo nihil impediant, quominùs Otho noster eodem tempore fuerit primarius Brabantiæ Princeps, vide diligenter tractatum in Præfatione huius Operis. Ceterùm anno sequenti,
998 qui fuit Christi 998. illud memorabile accidit (quod Godefridus Viterbiensis eo tempore carmine cecinit, & plures in suos Annales posteà retulerunt) vt Imperator Otho eius nominis II.cùm Mutinam in Italiam venisset, & iuxta illam ciuitatem in villa Amula dicta, hospitio susce-

Constituuntur hoc tempore Electores Imperij.

Inter eos etiam aliquando Dux Brabantiæ.

Cur, & quando hi iuri suo renuntiarit.

Claret S. Ansfridus ex Comite Bratuspantiū Episcopus Vltraiectensis.

ſuſceptus eſſet, ibi coactus fuerit Auguſtam vxorem ſuam Mariam nomine, filiam Regis Aragonum, publicè cremandam iudicare. Nempe coniecerat femina procax oculos in Comitem quemdam forma eximium, ſed caſtum; ideoque paſſa ab eo repulſam, eumdem præ rabie, de pertentata pudicitia calumnioſè accuſauit apud Imperatorem: qui nimiùm credulus vxori, mox Comitem morte damnauit. Vxor Comitis cùm virum capite amputatum didiciſſet, doloris impatiens Imperatorem conuenit pro tribunali ſedentem, proiectoque capite viri in medium, Imperatorem reum innocentis ſanguinis proclamat, ius ſibi reddi petit, probationem per contrectationem ferri candentis, vt tunc mos erat, offerens. Quid agat Imperator? Probationem inferri permittit. Tractat itaque diu multumque mulier ferrum candens inuſta & prorſus illæſa, magnoque animo vindictam in ipſum Imperatorem deinde exigit. Fatetur Imperator culpam, ſed poſcit inducias. Interim accurrentes Proceres pro vita Imperatoris feminam deprecantur; & cùm fruſtrà diu laboratum eſſet, tandem tamen ea eſt conditione tranſactum, vt auctrix ſceleris Auguſta flammis culpam lueret, Imperator, tribus caſtris viduæ donatis, vitam redimeret. Anno 999. Gregorius V. Pontifex (iuxta Baronium ex Ditmaro) obiit menſe Februario; in cuius Epitaphio iſta inter cetera leguntur, digna quæ hîc inſerantur:

En alterum Ioſeph, & impudicam vxorē Imperatoris.

Imperatrix flammis mortem innocētis luit.

999

Pauperibus diues per ſingula Sabbata veſtes
Diuiſit, numero cautus Apoſtolico. Ac deinde:
Vſus Franciſca, vulgari, & voce Latina,
Inſtituit populos eloquio triplici.

Epitaphiū Gregorij V. Papæ.

En verum Pontificem, cui ſucceſſit Silueſter Monachus Gallus, Gerbertus anteà dictus, ex Rhemenſi Rauennas, ac demum Romanus Pontifex. De hoc iſta Sigebertus: Gerbertus, qui & Silueſter, qui & ipſe inter claros ſcientia literarum egregiè claruit. Quidam tamen Silueſtrum iſtum tranſeunt, quippe qui à quibuſdam etiam Necromantiæ arguitur. Ita ille, nimiùm credulus Actis nomine Bennonis Cardinalis, qui poſt 80. annos pulſus à Gregorio Septimo, ſimulque inimicus diſciplinis Aſtronomicis, quibus Gerbertus iſte, pridem præceptor Roberti Regis, inſigniter claruit, (quod rarum tunc erat) eum ex Aſtrologo facit Necromanticum. Sed Scriptores eius ſæculi, Helgaldus Floriacenſis in Vita Roberti Regis, Ditmarus Germanus, & alij, honorificentiſſimè vbique de eo loquuntur. Helgaldus hæc inter cetera: In Apoſtolica Sede multa virtutum operatus eſt inſignia, & præcipuè in eleemoſyna ſancta. Legitur etiamnum hoc quoq; in eius Epitaphio in Laterano:

Silueſter II Papa temerè Necromantiæ inſimulatus.

Cui nimiùm placuit ſociali mente fidelis,
Obtulit hoc Cæſar tertius Otho ſibi.

Tempus vterque comit clara virtute Sophiæ,
Gaudet & omne seclum, frangitur omne reum:

(quidquid scilicet sceleratum & criminosum.) Anno sequenti, qui est
1000 Christi millesimus, apud Rauennam Italiæ ciuitatem quidam Vilgardus Grammaticus, deceptus præstigiis dæmonum ipsi apparentium sub specie poëtarum Virgilij, Horatij, & Iuuenalis, cœpit multa turgidè contra fidem Christianam effutire, assererẹq; dictis Poëtarum per omnia esse credendum. Sed eo per Petrum eius ciuitatis Archiepiscopũ confutato, plures quoque eius discipuli pertinaces cùm gladio tum incendio puniti sunt. Ex Sardinia quoque insula eodẽ tempore aliqui egressi, qui populum in Hispania corrumperent, & ipsi à viris Catholicis mox extermi-
1001 nati sunt. Hæc Glaber huius tẽporis Scriptor, quæ occasionem dederunt & alteri errori, quasi statim finito mille annorum numero Antichristus adueniret, & non longo pòst tempore vniuersale Iudiciũ succederet. De quo ita Abbo Floriacensis Abbas in Apologetico ad Robertum Regem Francorum: Nam fama, inquit, per totum mundum impleuerat, quòd quando Annuntiatio Dominica in Parasceue contigisset, absque vllo scrupulo finis sęculi esset. Cui errori tradit se ex Euangelio & Apocalypsi & libro Danielis restitisse. Sanè disertis verbis Christus discipulorũ curiositatem retundit dicens, Act. 1. Non est vestrum nosse tẽpora & momenta quæ Pater posuit in sua potestate. Hoc eodem anno primo huius sæculi, nempe primo supra millesimum, multi ponunt obiisse Othonẽ III. Imp. vt Frisingensis, Vrspergẽsis, Contractus, & alij. Baronius putat eos errare, secutusq; alios quosdã, reiicit eius obitum in annũ secundum huius sæculi. Sed cùm mortuus sit mense Ianuario, facilè hæc, meo quidẽ iudicio, conciliabuntur, nempe vt Ianuarius aliis sit anni secundi initium more Romano, aliis finis anni primi exeuntis ad Pascha more Gallico, qui mos etiamnũ in Anglia seruatur. Hermannus Contractus his verbis eius mortem hoc anno primo post millesimũ commemorat: Otho Imperator in Italia 10. Kal. Februarias obiit, & intestina eius Augustæ, reliquum corpus Aquisgrani sepelitur. Sigebertus anno sequenti
1002 hoc modo: Otho Imp. degens Romæ, dum cum Romanis se remissiùs agit, tractans qualiter iura Regni & Ecclesię ad antiquum statum reformaret; Romani per hoc ad cõtemptum eius adducti, subitò contra eum conspirant, & aliquot militum eius peremptis, eum in Palatio obsident. Vnde per industriam Heinrici Ducis Baioariæ & Hugonis Marchionis Italiæ, simulato pacto vix extractus, Roma decedit. Et quia vxor Crescentis eum ad amorem suum pellexerat, dolens pro eius discessu, venenum (chirothecis, vt alij exprimunt, subtiliter inspersum) ei misit: quo ille consumptus, inter remeandum in Italia moritur. Sic ille. Succes-

Hæresis poëtica orta & repressa.

Item error, de mundo tunc perituro.

Ratio conciliandi discrepantes Chronologos.

Moritur Otho III. Imp. veneno ab vxore Crescentis dato.

Succeſſit ei Henricus Bauariæ Dux. Hoc eodem anno 1002. (vt Leo Oſtienſis narrat) Nortmanni quadraginta numero peregrino habitu Ieroſolymis, quò orationis cauſa perrexerant, redeuntes, Salernum applicuerunt, viri & ſtatura proceri, & ſpecie venuſti, & armis præcipui. Qui cùm eam ciuitatem à Saracenis obſeſſam reperiſſent, accenſis virtute diuina animis, à Guaimario Principe equos armaq; poſcentes, ſubitò in illos irruerũt; plurimiſq; peremptis, & reliquis in fugam verſis, mirabili victoria potiti ſunt. Quæ occaſio fuit, vt prædictus Princeps cum eis Legatos ſuos cum fructibus terræ doniſq; militaribus ad Nortmannos in Galliam mitteret, eoſq; ad ſe inuitaret, & ipſi poſteà in Italiã venirent, ac demum dominatum obtinerent. At verò anno tertio ſupra millesimum iam imminente, contigit, in vniuerſo pænè terrarum orbe, præcipuè tamen in Italia & Galliis (teſte Glabro) innouari Eccleſiarum Baſilicas, etiamſi pleræque decenter locatæ minimè indiguiſſent, æmulatamque vnamquamque gentem aduerſus alteram decentiore in his cultu frui. Erat enim, inquit, inſtar, ac ſi mundus ipſe excutiendo ſemet, reiecta vetuſtate, paſſim candidam veſtem indueret. Tunc deniq; Epiſcopalium ſedium Eccleſias pęnè vniuerſas, ac cetera quæq; diuerſorum Sanctorum Monaſteria, ſeu minora villarum Oratoria, in meliora quiq; permutauere Fideles. Hæc Glaber, grauis eius temporis Scriptor. Credere par eſt, Othonem noſtrum quoque hac occaſione multa locis ſacris contuliſſe, patris Caroli ſanè haud degenerem filium. Dolendum de eo & ſequentibus aliquot Principibus noſtris tam pauca hactenus adhuc eruta. Memoratu dignum eſt, quòd cùm anno 1004. Synodi in Galliis celebrarẽtur, & his Robertus Rex diligenter adeſſet, contigerit aliquando, cùm Rex vidiſſet Lambertum Lingonienſem Epiſcopum mole carnis grauatum (verba ſunt Helgardi in Roberti Vita) pedes ſuos dependere ab alto, pietate ductus, à longè quærens ſuppedaneum, propriis manibus id Epiſcopi pedibus ſuppoſuerit. At qui humili obſequio eis inſeruire paratus erat, eoſdem tamen cùm exigeret zelus Catholicæ fidei, quo iugiter æſtuabat, redarguere minimè prætermiſit. Qua de re præclarum eſt exemplum, quod idem Auctor refert; quo, vt ait, Leuthericum Senonenſem Archiepiſcopum de Chriſto non benè ſentientem, & aduerſus nonnullos, quos odio habebat, probationem quærentem in corpore Domini, idem Rex grauiter redarguit. Anno ſequenti 1005. Otho Princeps noſter ex hac vita tranſiit; de quo Sigebertus eo anno iſta tantùm: Mortuo Othone Duce, Ducatus Lotharingiæ datur Comiti Godefrido, filio Godefridi Ardennenſis. Hæc ille; quæ poſteriora verba non intelligenda eſſe niſi de parte Lotharingiæ, declarabunt mox cùm alia, tum etiam verba eiuſdem Sigeberti ad annum 1013. ponenda.

Nortmanni qua occaſione, primũ in Italiam venerunt.

1003

Vbiq; paſſim, æmulatione quadam, loca ſacra ornantur.

1004

Illuſtria duo exempla Roberti Regis Frãcorum.

1005

Moritur Otho Dux noſter.

LAMBERTVS
CVM GERBERGA
SORORE PRÆCEDENTIS,
XIX. BRABANTIÆ PRINCEPS.

Præfuit annis decem.



Lambertus dote vxoris Brabantiæ Princeps.

VIT hæc Gerberga filia Caroli, & ſoror Othonis proximè præcedentis Ducis, maritus autem eius Lambertus, dictus Longicollius, frater Rainerij Comitis Montenſis ſeu Hannonienſis. De eo ſic Molanus cap. 42. Militiæ ſacræ Ducum Brabantiæ: Mortuo Othone ſine liberis, Lambertus maritus Gerbergæ ampliſſimum diſtrictum Comitatum Louanienſem & Bracbantenſem, inuito ſancto Henrico Imperatore, multorum potentiſſimorum Principum ſanguine, affinitate, atque fœderibus ſubnixus ſibi retinuit, iure hereditario ex parte vxoris ſuæ Gerbergæ. Ita ferè Molanus. Et adſtipulatur Diuæus lib. 6. Rerum Brabanticarum, inter liberos Caroli, his verbis Gerbergam depingens: Gerbergam, inquit, Lamberto Montenſi nuptam, qui vxorio iure poſt ſoceri mortem Louanienſem Comitatum obtinuit, qui Louanium, Bruxellam, Niuellam, Villeuordiam cum Fura ac Sonia ſilua complectebatur. Sic illi. Teſtatur quidem idem Diuæus lib. 1. c. 4. Auctores ſe habere, qui velint Lambertum hunc ex patrimonio proprio Louanienſem Comitatum poſſediſſe: & hæret ipſe eo loco; ſed facilè expedio. Mouet illum, quod Diploma exſtet Othonis Primi Imperatoris, quo menſe Iulio anni 947. Lamberto Comiti Louanienſium viro forti ac bellicoſo Abbatiæ Gemblacenſis Aduocatiam commiſit. Eſto. Primùm & ipſe videt, non pati temporum rationem vt Diploma hoc Lamberto marito Gerbergæ aptetur. Quis ergo ille Lambertus Louanienſium tunc Comes? Suſpicor, Lambertum, huius Lamberti patruum, cuius ſuprà mentio habita eſt anno 973. & 976. cuius Comitatus paternus, vt ex iiſdem locis conſtat, cùm fuerit Comitatus Montenſis, idcircò tamen in Diplomate illo credo ſimul Comitem Louanienſem inſcribi, quòd Otho Primus Imp. tunc regnans, ac Lotharingiam pænè vniuerſam armis tenens, Lambertum illum temporarium Comitem Louanienſem

Louanienſi Comitatu quæ continеantur.

Refutatur opinio eorũ qui Lambertum proprio iure faciunt Comitem Louanienſem.



LAMBERTVS ET GERBERGA, XIX. BRAB. PRINC.

Nempe paternus eius tantùm fuit in Comitatu Louaniensi Imperatorum Legatus. niensem à se priùs factum, etiam Aduocatia Gemblacensi anno illo 947. honorarit. At verò postquam Ducatus totus Lotharingiæ, Cismosanæ etiam, (in quo sine dubio est Louanium, quod etiamnum insignia veteris Lotharingiæ seu Austrasiæ vti Metropolis, sibi vendicat) Carolo fratri Lotharij Regis, anno 977. vti vidimus, etiam ab Imperatore fuerit concessus, sitque ab eius filio Othone possessus, nihil mirum, si eum Gerbergæ eiusdem Othonis sorori, Carolique filiæ, & nulli alteri
1005 adscribimus. Constitutus quidem est mox à morte Othonis, anno 1005. (vti diximus ex Sigeberto) ab Imperatore Henrico Godefridus Lotharingiæ Dux, & post eum alij per annos ferè centum (credo, idcircò quòd Imperatores Lotharingiam feudum masculum reputantes, nec Gerbergæ nec posterorum eius rationem haberent, quod & Meierus indicat, & Sigebertus etiam ipse infrà ad annum 1034.) sed nullo iure. Nam constat Beggam tertiam Lotharingiæ nostræ Principem fratri Grimoaldo successisse; ex cuius sanguine, hæc nostra Gerberga & ipsa eodem iure fratri suo Othoni sine liberis defuncto succedit. Sed ad res gestas veniamus. *Imperatores Brabantiam tamquam feudum masculum sibi vendicant, sed non rectè.*

Cl. V. Lipsius de Lamberto hoc, eiusque Gerberga, hæc splendidè suo more, sed breuiter, in suo Louanio, lib. 1. cap. 11. Lambertus igitur iam Comes, & viribus finibusq; auctior: sed & plura appetebat. Nam spes de Lotharingia non deserebat, & omnia occupandæ mouebat & turbabat; ideoque Godefridus nouellus Dux, suis & Imperij viribus, in fines nostros venit, summam, vt putabat, manum bello impositurus. Itaque Louanium ipsum obsedit, & Lambertum inibi clausit. Qui sunt auxilio? Deus, & ciues. Atque isti mira virtute & constantia, post varios conatus aut adsultus, hostem irritum irrisumque dimiserunt. Ita finis belli, non spei: quam tamen inrerpellauit Leodicensis Episcopus Baldericus, qui statim anno sequente bellum intulit, & iuxta Hugardas castra est metatus. Noster aduenit, manum conseruit, & cum cæde aliqua (trecenti obiisse dicuntur) Antistitem fugauit. Ille, quod bello non potuit, à religione voluit impetratum; & Sacrorum communione ipsum ciuesq; arcuit, donec Comes Horrentium villam velut luendæ culpæ, ipsi posterisque adsignauit. Iterumque cum Godefrido occupatore Lotharingiæ bellum. Hic Hainouiam inuaserat, quam Reginerius, ex fratre nepos huius nostri, tenebat; ideoque statim suppetias venit, & infelix prælium iniit, in quo vitam amisit. Id pugnatum circa Florennas: scribitque Sigebertus, phylacterium à collo pendulum habuisse Lambertum, in quo Diuorum reliquiæ: atque id in medio ardore prælij excussum vel amissum diuinitus, & vitam ei mox ereptam. Ita summatim Lipsius. Sed nos eadem ad fontes excutiamus, & si possumus, nonnulla addamus. An-
1006 no 1006. ait Sigebertus, castrum Valentianas situm in Marcha Franciæ & Lo-

Godefridus Imperatoris Legatus Louanium frustrà obsidet.

Bellum Lamberti contra Leodienses.

Aliud eiusdem contra Godefridum Hannoniā inuadentem.

& Lotharingiæ, quod Balduinus Comes Flandrensium inuaserat, Im-
perator Heinricus obsidet, concurrentibus ad auxilium eius Rotberto
Rege Francorum, & Richardo Comite Nortmannorum. En primam
originem belli Imperatoris, etiam contra nostrum Lambertum. Meie-
rus sic clariùs eadem narrat: Delectu, inquit, tota Flandria habito, Bal-
duinus contra auunculum suum Gothofredum Arduennensem Scal-
dem transit, Eynhamam, Brachantum, Valentianas, cum aliis plerisque
Lotharingici iuris locis capit. Nec cunctatur Cæsar suppetias venire suo
Arduennati, adductis raptim copiis Valentianas, Flandrumque in ijs
obsidet. Tum alia ex parte Robertus Rex Franciæ, Richardusque Dux
Nortmanniæ Flandro auxilio aduolant. Cogitur Cæsar soluere obsidio-
nem, reque abire infecta. Ita Meierus. Hinc igitur anno sequenti 1007. 1007
idem Imperator (verba sunt Sigeberti) quia de obsidione Valentianensi
inefficax redierat, contra Balduinum profectus, castrum Gandauum in-
uadit, & depopulatâ terrâ, aliquot Flandrensium Primores capit. Vnde
Balduinus perterritus Imperatori satisfacit, Valentianas reddit, datisque
obsidibus, cum sacramento fidelitatis, manus ei dedit. Posteà Impera-
tor seditione suorum coactus, Valentianas Balduino beneficiauit, vt sibi
contra motus suorum auxilio esset. Posteà ei etiam Walachras addidit.
Ita Sigebertus. Meierus addit, Valachrias cum aliis Zelandiæ insulis:
quæ quidem res, ait, origo fuit longissimæ inter Flandros atque Hol-
landos discordiæ, ac belli quod per quadringentos propè per interualla
tenuit annos, contendentibus vsque Hollandis Zelandiam iure optimo
esse suam, donatione quadam ab Ludouico Ludouici Pij filio profecta.
Annus 1008. insignis est Diplomate illo Heinrici Imp. concesso Baldrico 1008
Episcopo Leodiensi, quod posuimus in Procemio Operis, simulque os-
tendimus quam lucem id adferat rebus nostris Brabanticis. Itaque Le-
ctor inde illud repetat. Sed & ne putes tam amplum fuisse imperium
Godefridi illius Arduennatis seu filij Arduennatis, vt quidam suspican-
tur, audi eodem tempore etiam de alio Duce Mosellanorum, qui & ip-
sam vrbem Metim, Lotharingiæ Metropolim, in potestate habuerit.
Anno 1009. ait Sigebertus, Heinricus Imp. Metim vrbem obsidet, pro-
pter Deodericum fratrem vxoris suæ contra se rebellantem, qui Episco-
patum ipsius vrbis occupauerat. Dux enim Mosellanorum, item Deode- 1009
ricus nomine, post fratrem suum Alberonem, dato Episcopatu Meten-
sium filio suo adhuc puero, tutorem ei substituit ipsum Deodericum:
qui puero vrbe excluso, & Episcopatu vsurpato, ipsum etiam Deoderi-
cum Ducem bello cepit. Sed vrbe per obsidionem pænè desolatâ, tan-
dem pax conuenit. Duos annos vacuos transilio. Anno 1012. inquit idem
Sigebertus, Heinricus Imperator Godefridum Ducem cum exercitu in
fines

Idem bellum Hannonicum latiùs explicatur.

Balduinus Flander primò Imperatoris hostis, posteà etiam accipit ab eo Walachras insulas.

Præter Godefridum Ardennatem, etiam alius tunc Lotharingiæ Dux.

fines Bratuſpantium mittit, ad obſidendum caſtrum Louanium; ſed inefficax rediit. Verba ſunt Sigeberti. Sed deinceps, vt vult Molanus, ne ciuilibus bellis pius Princeps Heinricus Regna ſua magis inquietaret, voluit Duces ſuos Lotharingiæ (hoc eſt à ſe delegatos) auulſo hoc Comitatu carere. Sic ille. Nos eum nec hanc, nec partem alteram Lotharingiæ bono iure (etſi credo bona fide) occupaſſe iam ſæpiùs oſtendimus, & potiſſimùm in Præfatione. Diuæus limites horum Ducum Imperialium his verbis deſcribit in fine Libri ſexti: Hęc, inquit, de priſcis Lotharingię Ducibus, quibus maximam Brabantiæ partem ſubiectam fuiſſe certum eſt; Campaniam videlicet, Marchiam Antuerpienſem, Gallo-Brabantiæ partem, & ea quæ à Louanio in Hasbaniam protenduntur, vbi nunc Thenenſis iuriſdictio eſt. Addit idem Auctor: Terram quoque Gasbecanam, Aſcanam, Grimbergenſem, ceteraque à Bruxella in Flandriam vergentia. Ita ille. Sed heus! vt tamen conſtet Affligemium & vicina loca fuiſſe iuris Comitum Louanienſium: quod ſanè liquidò patebit in Hérico Tertio; ſicut & latiùs de his in Procœmio Operis diſſeruimus. Ceterùm geſſit ſimiliter bellum coactus Lambertus noſter contra Leodienſes: de quo iſta Sigebertus ad annum 1013. Baldricus Epiſcopus, cùm in villa, Huguardis dicta, caſtellum muniret, Lantbertus Comes Louanienſis eum aggreditur; & Epiſcopus, Lantberto vincente, multis ſuorum captis & occiſis, graui atteritur infortunio. Terræmotus factus eſt maximus circa meridiem 14. Kal. Decembris. Sic ille. Ægidius Chronographus Leodienſis, qui ſcripſit ſub annum 1240. quantumuis Lamberto noſtro durus, hæc tamen habet inter alia: His diebus Baldricus Epiſcopus pro ſalute ac munimento Eccleſiarum, quæ ſuæ ſubiacebant poteſtati, ſuper allodium ſuum, quod Huguardis erat ſitum, diſponebat ædificare caſtrum. Cuius opus maturè inſtituens, primò ad tutelam eiuſdem caſtri, optimum præcepit foſſatum fieri, quod adhuc, vt illius villæ teſtantur incolæ, perſeuerat. Hoc incepto, Comes Louanienſis Lambertus cognomento * Barbatus vehementer Epiſcopum offendit, & ne fieri debeat, directa Legatione contradicit, fateturque illud caſtrum, quod intendebat conſtruere, multum oppido ſuo officere. Benignè reſpondet Epiſcopus, pro ſalute & tutela Eccleſiarum ſe id opus inſtituiſſe, oppido eius nihil officere, ſe ab incepto nullo modo velle deſiſtere. Et poſt multa, de ipſo congreſſu; Sed, inquit, vt vera relatione didicimus, congreſſione prima noſtræ ceſſit parti victoria. Deinde Comes Namurcenſis, turpi motus fuga ſui nepotis, paratis militum ſuffragiis, ſe ad aciem quàm velociſſimè contulit, & facto graui impetu, redeunte cum ſuis Louanienſi Comite, Epiſcopi militibus fugam nihil tale ſuſpicantibus incuſſit. Perhibetur etiam in illa congreſſione, præter vulneratos & captos, trecentos homi-

Sententia Molani de auulſo Comitatu Louanienſi à cetera Brabantia.

Limites Præfectorum Imperialium nimiùm à Diuæo extenſi.

1013 *Bellum Lamberti contra Leodienſes pleniùs narratur.*

** Mirum! nam aliàs Lambertus ſecundus ab hoc aliis vocatur Barbatus.*

Præter vulneratos & captos trecenti occiſi.

homines vita caruisse. Huius tam luctuosus belli exitus euenit Hugardis sexto Kalend. Octobris. Hæc ille. ac deinde prolixè de erecto occasione huius cladis apud Leodium Monasterio D. Iacobi: quod Placentius his verbis breuiter commemorat: Infortunium, inquit, quamquam alicunde Baldricus Episcopus vlcisci potuisset, in melius tamen argumentum conuertere maluit. Vnde rebus pacatis, Monasterium diui Iacobi apud Leodium instituit, quo Monachi perpetuò pro occisis hostias Deo immolarent. Hæc illi; ac similiter quomodo tandem tradita Horrentij villa pax facta sit, anno, vti colligo, sequenti, nempe 1014. Atque eodē anno, sexto Kalend. Martij, Henricus Rex Germaniæ Romæ Imperator coronatus est, cuius coronationis cerimonias, ab eis qui interfuissent acceptas, Ditmarus his verbis narrat, dignas quæ hîc inserantur: Decursis, inquit, à Dominica incarnatione post millenarij plenitudinem numeri annis tredecim, & in subsequentis anni mense secundo ac hebdomada tertia, anno autem Regni eius decimotertio & die Dominica, ac sexto Kalend. Martij, Henricus Dei gratia Rex inclytus, à Senatoribus duodecim vallatus, quorum sex rasi barba, alij prolixa, mysticè incedebant cum baculis, cum dilecta coniuge Chunegunde ad Ecclesiam S. Petri, Papa expectante, venit. Et antequam introduceretur, ab eodem interrogatus, si fidelis vellet Romanæ patronus esse & defensor Ecclesiæ, sibi autem suisque successoribus per omnia fidelis; deuota professione respondit. Et tunc ab eodem inunctionem & coronam, cum coniuge sua suscepit. Priorem autem coronam super altare Principis Apostolorum suspendi præcepit: eodemq; die Papa (erat is Benedictus VIII.) cœnam ad Lateranum fecit copiosam. Hæc Ditmarus. Sed ad Lambertum nostrum redeamus. Cecidit is strenuè pugnans anno proximo 1015. eo bello quod pro nepote Raginerio Comite Montensi seu Hannoniensi contra supradictum Godefridum Imperialem Ducem Hannoniam populantem gessit; de quo ista Sigebertus ad eumdem annum: Godefridus Dux Comitatum Montensem depopulatur, quem Raignerus cum patruo suo Lantberto Louaniensi insecutus, apud Florinas pugnam conserunt; vbi plusquam quadringenti viri occisi sunt, & ipse Lantbertus occubuit. Vbi res mira contigit. Cùm Lantbertus spem victoriæ iam haberet (habebat quippe phylacterium à collo vsque ad pectus pendens, Sanctorum reliquiis refertum, quorum patrocinio se in periculis tutum fore credebat) instante ei termino vitæ, phylacterium illud à collo eius exiens, super tumulum campi exsiluit, & mox Comes anteà inuictus perimitur. Quidam militum phylacterium accipiens, in caliga abscondit, sed coxa eius & crure intumescente, rem prodidit, & phylacterium domino suo Hetheloni fratri Ducis

Monasterium D. Iacobi hac occasione Leodij extructum.

1014

Ritus consecrandi Imperatoris, digni qui notentur.

1015

Cadit in prælio noster Lambertus.

Nota vetustam pietatem in reliquiis Sanctorū.

P (Gode-

(Godefridi) dedit. Hactenus Sigebertus. Obiit Lambertus pridie Idus Septembris, vir à puero variè exercitus, (verba sunt Lipsij) & animi magnus, medius fortunæ. Sepultus est Niuigellis; vbi & vxor eius Gerberga. Sic & Diuæus. Nec plura de Gerberga inuenio, nisi quòd obiter mox dicetur cum filio adhuc aliquamdiu præfuisse.

Sepulti Lãbertus & Gerberga Niuellæ.

HENRICVS I.

FILIVS GERBERGÆ

XX. BRABANTIÆ PRINCEPS.

Præfuit annis viginti tribus.



AMBERTVS moriens (pergit Lipsius) filium reliquit Henricum, quem didici cùm matre Gerberga res aliquamdiu administrasse; sed in pace. Memorabile quidem nihil inuenio, præter in vsus sacrorum donationes quasdam. Præfuit ita viginti quatuor circiter annos, noster, vt sic dicam, Numa. Mors tamen tragica; & à captiuo quodam suo, viro nobili Hermanno domi insidiosè interfectus est, siue, vt alij exprimunt, in arce. Factum anno 1038. Hæc, nec plura Lipsius. Tentemus, si ex antiquis Annalibus adhuc eruamus. Certè cùm à captiuo suo viro nobili interemptus referatur, dubium non videtur, quin alicuius saltem belli aleam fuerit expertus. De bellis eo temporum interuallo gestis, transiliens annum 1016. hæc inuenio in Annalibus. Anno 1017. inquit Sigebertus, in Fresonia Deoderico Comite filio Arnulphi Gandauensis debellante, Frisones in vin-
1017 dictam patris sui ab eis occisi, Godefridus Dux ad eum ab Imperatore mittitur; & conserto prælio, repentè voce, (nescitur vnde emissa) Fugite, Fugite, cunctis fugientibus, multi à paucis Fresonibus perimuntur; Dux verò (Godefridus) capitur. Et anno sequenti: Godefridus Dux, impetrata Fresonibus ab Imperatore Henrico totius iniustitiæ impunitate,
1018 à captiuitate soluitur, & non multò pòst moritur, & frater eius Gothelo in Ducatu substituitur. Hæc Sigebertus. Anni quatuor sequentes vacant, nihil suppeditantes, quod instituto nostro seruiat. Anno 1023. teste
1023 eodem Sigeberto, Henricus Imp. & Rotbertus Rex Francorum super Charum fluuium apud Euosium conueniunt, de statu Ecclesiæ, Regni, &

Henricus filius Gerbergæ noster velut Numa I. Lipsio.

Eruuntur nihilominùs huius quoque facinora bellica.

Pugna infausta Ardennatis contra Frisones.



HENRICVS XX. BRAB. PRINC.

& Imperij tractaturi, & condicto, vt super his confirmandis etiam Papam Romanum simul ambo Papiæ opportunè conuenirent: Imperator Regem & suos, multos etiam qui tantùm ad demirandam Imperatoriam maiestatem conuenerant, tanta liberalitate donauit, vt opibus Regum Persarum aut Arabum posset comparari Imperatoris munificentia. Ita Sigebertus. Sed Glaber eius temporis Scriptor congressum hunc factum tradit super Mosam fluuium, qui, vt inquit, limes erat vtriusque Regni; & hæc addit: Cùm plures ex ambabus partibus insinuarent, indecens esse, vt quis illorum, tantorum scilicet Regum, semet humilians, quasi in alterius transiret auxilium; satiusque fore, vt in fluminis medium nauibus portarentur simul locuturi; vterque Princeps illud in mente habens, (verba sunt Glabri) Quantò magnus es, humilia te in omnibus, eiusmodi suorum consilium reiecit: primusque Henricus Imperator summo manè transiit cum paucis ad Robertum Regem, mutuoque amplexu semet deosculantes, post Missarum solemnia ambo vnà pransi sunt: post prandium verò obtulit Henrico Robertus immensa munera auri atque argenti, & pretiosarum gemmarum, centumque insuper equos magnificè phaleratos, & super vnumquemque loricam & galeam: sed Henricus ex illis omnibus tantùm librum Euangelij suscepit auro & lapidibus pretiosis insertum, ac phylacterium eiusdem operis, continens dentem S. Vincentij martyris; vxor autem ipsius pares auri tantùm inaures. Sequenti autem die, cùm Rex Robertus ad Imperatoris tentoria transiisset, eidem sublimiter suscepto, similiter post prandium centum libræ auri puri ab Henrico oblatæ sunt, sed Rex pares tantùm naues* auri ex illo sumpsit, firmatoque pacto amicitiæ vterque rediit ad propria. Hactenus Glaber. Sed anno 1024. tertio Idus Iulij mortuus est idem Henricus Imperator, & sepultus Bambergæ; quam ciuitatem Episcopali sede, pluribusque Monasteriis, & amplissimis donis & redditibus illustrauerat. Hic ad mortem veniens, inquit Leo Ostiensis, Episcopis Abbatibusque præsentibus Chunegundem coniugem suam propinquis tradidit, dicens: Recipite quam mihi tradidistis, virginem vestram. Eadem & alij plures testantur, mutuo consensu eos amore Christi castimoniam seruasse asserentes, sicque renouata sunt in Christianis Imperatoribus, quæ in primitiua Ecclesia aliquando apud Fideles reperta fuisse Tertullianus lib. 1. ad vxorem cap. 6. docet. De Henrici morte & subrogatione Conradi hæc Sigebertus: Heinricus Imp. consulentibus se Principibus super substitutione Regni, designans Conradum virum regij generis, & egregiæ liberalitatis, moritur. Cono Dux præpotens, cùm ad Imperium adspirare vellet, repudiatur, instinctu Arbonis Moguntini Archiepiscopi,

Notanda contentio modestiæ inter Imperatorem & Regem Francorum

Eccli. 3.

En rursum priscum studium Reliquiarũ sanctarum

**an* inaures

1024

Resuscitata miracula primitiuæ Ecclesiæ in virginitate vxoris Imp.

ſcopi, & aliquorum Regni Primatum,& Conradus ad Imperium ſubli-matur. Hæc ille. Sed pergamus inquirere, quo bello captiuus ille Henrico noſtro obtigerit. Annum 1025. intactum tranſeo. Anno 1026. inquit Sigebertus, Rotbertus Rex Francorum ad inuadendam Lotharingiam animũ intendit, ſed citò ab hoc conatu deſtitit. Gothelone (enim) Duce, qui propter priuatum odium grauabat Regnum Conradi,& aliis Principibus ad pacis vnitatem adductis, Regni proſperitas, & Regno accreuit tranquillitas. Sic ille. Ac deinde anno 1027. Rex Conradus Romam ſe contulit, atque ipſo Paſchatis die à Ioanne Papa Imperator ſolemnibus ritibus inunctus eſt & coronatus: proxima verò Dominica inde digreſſus rediit in Germaniam, & ſancti Ioannis Baptiſtæ Natiuitatem celebrauit Herbipoli. Tradit hæc Auctor Vitæ ſancti Gothardi. De quibus agens pariter Otto Friſingenſis, ait Conradum inter duos Reges, Cnutum Anglorum & Rodulphum Burgundionum, honorificè procedentem à Summo Pontifice coronatum, & ab omni populo Romano Imperatoris & Auguſti nomen ſortitum eſſe. Anno milleſimo vigeſimo octauo, mortuo Hugone Roberti Francorum Regis filio, quem pater Regni conſortem elegerat, magnæ diſſenſiones obortæ ſunt inter ipſum Regem,& Reginam Conſtantiam,decernente Roberto Regnum deberi ſecundogenito Henrico, Regina verò muliebri adfectione adnitente,vt tertiogenito traderetur Roberto. Cuius controuerſiæ occaſione magnum excitatum eſt domeſticum bellum,etiam inter Principes atque Epiſcopos,aliis Regi,Reginæ aliis ſtudentibus: cùm interim Rex, collecto Rhemis ſuorum conuentu, Henricum coronauit. Quæ omnia hoc anno contigiſſe,ex Glabro,qui tunc viuens cuncta ob oculos habuit, intelligimus: ſed nondum ſublatum diſſidium, quin durauit annos quatuor; & quod turpius eſt, cùm tandem Henricus & Robertus filij Roberti Regis inter ſe tranſegiſſent, ſimul aduerſus patrem anno 1031. inſtigante præcipuè matre, arma verterunt: quos ille armis perſecutus, paulò pòſt conſilio Wilhelmi Abbatis S. Benigni, magni nominis huius temporis viri,& miraculis clari,ad pacem redeuntes ſuſcepit. Sed his diutiùs non immoramur, quòd veriſimile non ſit, Henricum noſtrum his ciuilibus bellis vlla ratione ſe miſcuiſſe. Tranſmitto intactos annos duos. At verò anno 1034. Frederico Moſellanorum Duce mortuo (verba ſunt Sigeberti) quia mares filios non habebat, quibus Ducatus competeret, Gothelo Dux, impetrato ab Imperatore etiam Moſellanorum Ducatu, in Lotharingia potentiùs principatur. Intereà anno ſequenti, Burgundionibus non deſiſtentibus à conſueta contra Regem ſuum inſolentia, Rex Rodulfus Regnum Burgundiæ Conrado Imperatori tradidit. Quod cùm Odo Campanenſis Rodulfi nepos ab Imperatore non

Conradus ſubrogatur Henrico in Imperium.

1026

1027

Coronatur ſolemni ritu Romæ.

1028

Altercatio de ſucceſſione Regis Francorũ.

1031

Filij in patrem inſurgunt.

1034

En plures rurſum Lotharingiæ Duces.

1035

1036 impetraret, contra Imperatorem bellans (ait Sigebertus ad annum 1036.) Lotharingiam incursat, castella oppugnat, vrbem Leucorum, quæ Tullus dicitur, obsidet, & in nullo temperat furori suo. Quare anno sequenti Gothelo Dux ægrè ferens insolentiam Francorum, cum Lotharingis occurrit Odoni, & conserto prælio apud Barum, Odo perimitur, & Francorum exercitus graui cæde attritus à Lotharingia fugere compellitur. Hæc Sigebertus. Ego vix dubito Henricum nostrum simul cum aliis Lotharingis huic pugnæ interfuisse, ibique obtigisse illi Hermannum captiuum, cuius perfidia interfectus sit: nam & mors eius tragica mox contigit anno sequenti; de qua ista breuiter Sigebertus ad annum 1038. Heinricus Louaniensis Comes domi suæ perimitur à captiuo Harmanno, eique succedit filius suus Otho. Cui immatura morte præuento, succedit patruus eius Baldricus, qui & Lantbertus. Hæc Sigebertus, & ex eo Lipsius, & alij. Huius Principis ęuo hęc insigniora apud exteros memoriæ tradita sunt. Claruit, inquit Sigebertus ad annum 1028. hoc tempore in Italia Guido Aretinus multi inter Musicos nominis, in hoc etiam Philosophis præferendus, quòd ignotos cantus etiam pueri faciliùs discant per eius regulam, quàm per vocem Magistri, aut per vsum alicuius instrumenti: dum sex literis vel syllabis (vt, re, mi, fa, sol, la) modulatim appositis, ad sex voces, quas solas regulariter Musica recipit, hisque vocibus per flexuras digitorum læuæ manus distinctis, per integrum diapason, se oculis & auribus ingerunt intentæ & remissæ eleuationes vel depositiones earumdem sex vocum. Hæc de initio regularis Musicæ Sigebertus: quæ quibus auctoribus deinde ad tantum splendorem excreuerit, non est huius loci dicere. Accidit & hoc, dignum quod hîc inseratur, vt anno Christi 1037. nempe Æra millesima septuagesima quinta (sic loquitur vetus Hispanorum calculus) vt bello ciuili inter se pugnantibus Hispaniæ Regibus, occisoque Veremundo Rege Legionensi, à Magno Fernando Castellæ Rege ipsius cognato, iuncta sint posteà simul in vnum duo illa Regna: & ex eo tempore idem Fernandus magnopere proferens Imperium, Conimbricam, aliasque ciuitates Mauris ademit; adiutus potissimùm ope S. Iacobi Apostoli pro ipso decertantis: ad cuius etiam sepulchrum pro agendis gratiis pluries Compostellam peregrinatus est.

Burgundi à Lotharingis superantur. 1037

Verisimile, hac pugna captiuum, à quo cæsus est, Hēricum nostrum obtinuisse. 1038

Claret hoc tempore Guido Aretinus inuentor regularum Musicarum.

Coalescunt in Hispania Regnū Legionense & Castella.

LAM-

LAMBERTVS BALDRICVS ALIIS LAMBERTVS II. FRATER PRÆCEDENTIS, XXI. BRABANTIÆ PRINCEPS.

Præfuit annis sexdecim.



ENRICO, inquit Lipsius, Otho successit, eius filius, breuis æui puer, neque annum ipsum in Principatu exegit. Ergo patruus eius Lambertus Baldericus cognomento eum excepit, filius illius Primi. Hic est qui decimas agri Louaniensis, collegio Canonicorum diui Petri adsignauit, octauo imperij sui anno. Idem diuæ Gudilæ corpus, quod Bruxellæ asseruatur, è Gaugerici æde sublatum in S. Michaëlis (ita tunc dicebatur) reposuit: & ipsum illud templum auxit vel ornauit, Canonicos instituit, & ampliter satis donauit. Factum anno 1047. vt monumenta in eo ipso templo nunc docent; adiuuante & fauente in talibus optima coniuge Oda, quæ filia fuit Gozelonis Lotharingiæ Ducis. Sed neque Martis expers hic Princeps fuit. Nam cùm Flandria bello arderet, quod Henricus Tertius Imp. inferebat Balduino Comiti, noster arma cum vicino iunxit; sed arma parum fausta. Flander variè petitur, vincitur, terrâ & mari; cùm Hollandi & Zelandi in partes Cęsarianas ducti aut tracti essent. Itaque Clausulis captis (ait Sigebertus, & puto Slusas hodiernas esse) multam cædem Imperator fecit: ipsum Lambertum, cùm Tornacum obsessum pergeret, obuium sibi, aut in ipsa obsidione (vt alij) interfecit. Ita Lipsius, sed eadem elucidemus, & quantum licet etiam nonnulla addamus. Anno 1038. vt etiam suprà diximus, Henrico domi suæ perempto succedit ei filius suus Otho (loquitur Sigebertus) cui immatura morte præuento, succedit patruus eius Baldricus, qui & Lanthertus. Anno proximo, teste eodem Sigeberto, pridie Nonas Iunij obiit Conradus Imperator; post quem Henricus filius eius imperauit. Obiit autem Traiecti ad Rhenum, quod nunc Vltraiectum vocatur; Spiræ deinde sepultus, vt Schafnaburgensis & Contractus exprimunt. Et nihil eo anno vel quatuor sequentibus inuenio, quod res nostras Brabanticas illustrare possit. Sed ad annum 1044. ista lego apud Con-

Summa rerum gestarum huius Lamberti ex Lipsio.

Bruxellæ Canonici ab eo instituti.

Infausta huius arma cum Flandro contra Imperatorem.

1038

1039

Conrado Imperatori defuncto succedit filius Henricus.

1044

Contractum eius sæculi Scriptorem: Gozzilo Dux Lothariensium moriens, Gozziloni filio, quamuis ignauo, Ducatum suum à Rege Henrico promissum relinquere disposuit. Sed alter filius eius Gotefridus iamdudum Dux, cum Ducatum fratri debitum contra fas à Rege sibi obtinere nequiuisset, iusiurandum fidemque postponens, rebellare pio Regi presumpsit. Ita Cõtractus. Sigebertus, sed vno anno tardiùs quàm oporteat, hoc modo: Gothelo Dux obiit, cuius filius, dum ei Ducatus Mosellanorũ denegatur, altero Ducatu repudiato, contra Imperatorem rebellat. Porrò anno sequenti, qui est 1045. idem Godefridus Dux (verba sunt Contracti) rebellioni suæ desperans, Regique ad deditionem veniens in custodiam mittitur. Attamen anno proximo, cùm Rex Paschale festum apud Traiectum Fresiæ vrbem egisset, & subsecutis diebus nauali expeditione in Phladirtingam fretum traiiciens, pagum quemdam, quem Theodoricus Marchio sibi vsurpauerat, ab eo eripuisset, (vnde ille rebellionis causam sumpsit) posteà sanctum Pentecostes Aquisgrani faciens, Gotefrido Duce è custodia relaxato, sibique procedenti terratenus prostrato, Ducatum suum misertus reddidit. Sic ille. Et prosequitur anno sequenti 1047. his verbis: Per idem tempus cùm expeditionem Henricus Rex in Pannonias ad Petrum vlciscendum disponeret, Gotefridus Dux cum Balduino de Flandris, & aliis nonnullis rebellionem innouasse, bellumque copiis collectis parauisse; Theodoricus quoque de Phladirtinga Marchio rebellauisse, & Episcopatus sibi contiguos ad iniuriam Imperatoris populatus esse nuntiatur. Prætereà Andreas, qui Regnum Petri obtinuit, iam crebrò Legatos supplices miserat, Regnum se ab Hũgaris coactum suscepisse confirmans, de Petri sese iniuriis excusans: quique aduersus eum coniurauerant, partim à se trucidatos, partim Imperatori tradendos denuntians, suamque Imperatori subiectionem, annuum censum, & deuotam seruitutem, si Regnum se habere permitteret, mandans. Quibus ex causis, dilata expeditione illa, cùm Gotefridus quoque Dux rebellionem suam callidis Legationibus dissimularet, autumnali tempore, nauali exercitu collecto, contra Theodoricum in Phladirtingam arma commouit. Sed aquosis impedientibus locis, parum proficere potuit; & reuertens, aduersariis marino cursu leuibus scaphis latrocinantium more sequentibus, & extremos quosque incursando cædentibus, non modicam in exercitu cladem pertulit. Ipso quoque tempore Gotefridus, inter alia quæ contra Regem gessit, Virdunensem ciuitatem dolo captam incendit & euertit. Hæc ille. Inter quæ Lambertum nostrum seu Baldricum adhuc quieuisse, suadent illa quæ suprà Lipsius eum hoc anno in templum D. Gudilæ pietatis suæ monimenta tanto studio contulisse scribit; & alij adstipulantur. Et in Actis D. Gudilæ ante plures annos grauiter

Godefridus nepos Ardennatis rebellat Imperatori.

1045

1046

Prima pugna Imp. in Phladirtinga contra Marchionem Theodoricum fausta.

1047

Rursum conspirant contra Imperatorem dictus Marchio & Balduinus Flander.

Parum feliciter pugnat Imp. in Phladirtinga Hollandiæ.



LAMBERTVS BALDRICVS XXI. BRAB. PRINC.

Lambertus noster interea vacat pietati.

grauiter ſcriptis, ita clarè lego: Milleſimo quadrageſimo ſeptimo anno Incarnationis Dominicæ, 15. Indictione, Damaſo Apoſtolicæ Sedi præſidente ſummo Pontifice, Henrico II. regnante (nempe II. Imp. & III. Germanorum Rege) dedicatum eſt in monte Bruxellæ templum 16. Kalend. Decembris, ad laudem noſtri Redemptoris, in honore ſancti Archangeli Michaëlis à Gerardo Cameracenſi Epiſcopo. Lambertus verò, qui & Baldricus Comes, Henrico fratri ſuccedens, cuius præſentiâ (nota) tunc cuncta extiterunt illic decenter ordinata, eodem die, illud corpus ſanctiſſimum (diuæ Gudilæ) de Eccleſia S. Gaugerici, cum Epiſcopo ceteriſque ſacris Ordinibus, leuauit, atque cum ſummo honore in Eccleſia ſancti Michaëlis repoſuit. Et annuente in omnibus vxore ſua Oda, quæ fuit Gozelonis Ducis filia, ad ſeruiendum Deo, ſanctæque Gudilæ virgini, ibi Clericos conſtituit, & ad vſus eorum ipſam Eccleſiam cum decimis, & alia plura legaliter contulit. Ibi nunc quoque ad oſtendenda glorioſæ Virginis merita, multa & magna fiunt miracula. Sic ibi. Poſteà an-

Transfert corpus ſanctæ Gudilæ decenter.

1048 no 1048. eodem Contracto atteſtante, Gotefridus, de quo ſuprà, Adelbertum Ducem ſe deprædantem perſecutus, & dimiſſa multitudine, cum paucis inuentum, cum aliis qui repugnare tentabant occidit. Poſt quem Gotefridus Dux ab Imperatore conſtituitur. Verba ſunt eiuſdem Au-

1049 ctoris. Et progreditur velut ad annum ſequentem: Imperator Natalem Domini Friſingiæ, & Purificationem S. Mariæ Ratiſponæ agens, Baioariæ Ducem Conradum conſtituit, & circa Quadrageſimale tempus, inde in Saxoniam receſſit. Intereà glaciali hiemi ſuppeditante, nonnulli de partibus maritimis milites & Principes cum Leodinenſi Epiſcopo, Traiectenſi, & Metenſi congregati, Theoderico in Phladirtinga inſidias tendunt, commiſſaque pugna victum occidunt, & prouinciam illam Imperatori ſubiiciunt: quam tamen non multò pòſt Gotefridus occupans, ab eiſdem pugna petitus, & victus vix aufugit. Hæc Contractus eius æui Scriptor. Vnde miror vnde hauſerit Meierus quæ adſcribit anno præcedenti in hunc modum: Albertum Ducem Gothofredus Lotharingus occidit. Eius Ducatum, quem Moſellanicum vocant, Henricus Auguſtus Gerardo Elſatienſi, Lotharingiam verò Friderico Lutzelburgenſi Balduini Flandrenſis auunculo attribuit; & eodem anno Dordraci Theodoricus Comes Hollandiæ, coniuratione Agrippinenſium ac Leodienſium, occiditur Idibus Maij. Ita ille. Sed hæc preſſiùs excutienda relinquimus rerum Hollandicarum Scriptoribus. Illud certum, Gotefridum tunc contra Imperatorem eam prouinciam occupare fuiſſe conatum. Nam ita ſubdit idem Contractus: Secuta æſtate, cùm Imperator expeditionem contra Gotefridum & Balduinum à Domino Papa excommunicatos pararet, Gotefridus Aquiſgranum venit, & opitulante Papa, gratiam

Tertiò Theodericus Marchio Phladirtinga bello petitur, & occiditur.

Bellum Imperatoris contra Godefridum & Balduinum à Papa excommunicatos.

tiam Imperatoris promeruit. Balduinus quoque, vastata ab exercitu magna ex parte prouincia sua, tandem obsides dedit, & pactum cum Imperatore fecit. Sic Contractus. Et Sigebertus etiam ad eumdem hunc annum: Leo Papa in Gallias veniens, vt motus Imperij à Balduino & Godefrido concitatos sedaret, Godefridum quidem Imperatori reconciliauit; Balduino verò pertinaciùs agente, contra eum Imperator exercitum duxit. Sed tandem Balduinus flexus, condicto die Aquis Imperatori satisfecit. Ita Sigebertus. Sed instabilis fuit pax, vt mox videbimus. Meierus eam pacem anno sequenti 1050. interim confirmatam scribit hac ra- 1050.
tione: Balduinus, inquit, Princeps Camaracum Andouerpiamque oc- *Cameracum & Antuerpiam Balduinus Flander Imperatori restituit.*
cupata oppida, per pacem factam Henrico Cæsari restituit.* Nihilominùs mox renata est discordia; de qua ista Sigebertus ad annum sequentem 1051. Balduinus Flandrensis, inuaso Hagionensium Comitatu, contra Imperatorem rebellat. Sic ille. Meierus paulò pleniùs: Defuncto, in-
quit, Hermanno Comite Montensi, Balduinus Princeps statim post Pa- 1051.
scha magnis viribus inuasit Hannoniã; qua subacta, Castriloci celebrauit Balduini filij nuptias cum Richilde eius terræ Principe, Hermanni vidua, Raginerij Montensium Comitis filia. Hinc renatum cum Cæsare bellum, eò quòd Hannonia Imperialis esset iuris. Hæc Meierus. Eodem hoc anno apud Contractum hæc obiter inseruntur verba: Per idem tempus Imperator Lampertum Comitem rebellare molientem ad deditionem compulit. Quæ de nostro intelligenda esse, tum antecedentia, tum *Causa cur Lambertus noster se iunxerit Balduino Flandro.*
sequentia suadent, certè sanguine proximè Comites Hannonienses contingebat: quæ causa fuit vt paulò pòst totum se Balduino Flandro contra Imperatorem traderet; de quo ista Sigebertus biennio pòst, nempe an-
no 1053. Balduinus Comes terminos Lotharingiæ incursans, Hoyum 1053.
oppidum incendit. Godefridus quoque iterùm rebellat, quia ducta vxore Bonifacij Marchionis Italiæ, iussu Imperatoris à Longobardia expulsus
erat. Et anno sequenti: Henricus Imperator, filio suo Henrico puero 1054.
quinquenni Aquis in Regem sublimato, contra Balduinum proficiscitur: & Scaldim fluuium, Balduino fugiente, transiens, omnia depopula-
tur, atque insuper apertis sibi * Clausulæ portis, multam cædem inimi- * Sluf.
corum facit, & vltrà progrediens Lambertum (Louaniensem) Comi- *Mors Lamberti nostri infausta.*
tem Balduini auxiliarem cum multis perimit, multos etiam Flandrensium Primates exercitum suum prosequentes concludit intra vrbem Tornacum, & obsessos capit. Hæc, nec plura Sigebertus. Meierus
hunc & præcedentem annum coniungens, in hunc modum narrat: An- 1053
no 1053. Balduinus Princeps vnà cum duobus filiis Balduino ac Roberto, iuncto sibi Duce Godefrido, acerrimè aduersus Cæsarem administrat bellum, Lotharingiam longè incursat. Ipse Tutlinium, Bal-
duinus

duinus filius Hoyum incendit. Zelandiæ autem insulas, ab Cæsarianis atque Hollandis occupatas, Robertus recuperat. Tantis Cæsar irritatus
1054 damnis, anno 1054. firmissimo cum exercitu rursum venit in Flandriam, præmisso cum parte copiarum Iohanne Atrebate, qui flumen Scaldim transmittere tentat. Is erat à Pio (Balduinum intelligit) bonis omnibus exutus, ac Flandria pulsus. Hunc Balduinus, ad ripam Scaldis sinistram metatus castra, transitu prohibuit: qua Cæsar re cognita, aliam suorum manum per Camaracum, aliam mari, fractis claustris, in Flandriam iubet irrumpere. Magna tum Flandri afflicti calamitate; ductique ad magnum numerum in captiuitatem, igni ferroque euastatis eorum agris. Pulsus à Scalde Balduinus in tuta se recipere loca cogitur, suæque consulere saluti. Obsedit Augustus Tornacum. Id oppidum Lantbertus Comes Louaniensium cum multis Primatibus Flandris Balduini nomine custodiebat. Victor Henricus vrbem expugnat, diripit, direptamque incendit. Louaniensis cum aliis non paucis occiditur, permulti ex Flandrica nobilitate viui in hostium veniunt potestatem, quos cum ingenti præda captiuos duxit Augustus in Germaniam. Timore huius Henrici Imperatoris Balduinus in Flandria Occidentali magnam duxit fossam pertingentem à Comitatu Lessensi vsque ad mare, ne posthac tam facilè alicui ex ea parte pateret irruptio. Ista Meierus. Cæsus est Lambertus secundùm Lipsium ex Memoriis Louaniensium 13. Kalend. Iulij, iam dicto anno 1054. Iacet Niuigellis. Et cur ibi ferè primi Comites? Credo, inquit, per Religionem: certum, Defensores & Aduocatos eius Cœnobij fuisse. Ita ille. Externa insigniora horum temporum, sed tristia, ista inuenio. Anno 1032. mortuo Ioanne Decimonono eius nominis Romano Pontifice, Benedictus Octauus (ab aliis vocatus Nonus) Pontificatum suscepit. Hic patria Romanus, ex Comitibus Tusculanis, homo ignauus & dissolutæ vitæ, nunc à populo pulsus, nunc iterùm restitutus est. Denique erant tum (vt Otho Frisingensis Scriptor grauis, vicinus illorum temporum, & alij testantur) tres Pontifices, Siluester, Ioannes, vnus ad S. Petrum, alter ad S. Mariam Maiorem, & tertius hic Benedictus in Laterano. Qui cùm tandem acceptis certis vectigalibus, suasu Ioannis Gratiani viri religiosi, sic à Papatu recessissent, idem Gratianus Pontifex creatus est, & Gregorius Sextus vocatus. Factum id sub Kalend. Maij anno 1045. Henrici Imp. septimo. Verùm anno sequenti Henricus Rex in Italiam cum exercitu veniens (loquitur Contractus) Papiæ Synodum celebrauit, indeque Placentiam accedens, Gratianum (nempe Gregorium Papam Sextum) ad se venientem honorificè suscepit: iuxta verò Natalem Domini, non longè ab vrbe Roma apud Sutriam Synodo item acta, causaque erroneorum

Tornacum à Cæsare obsessum, & expugnatum.

Sepultus Lambertus noster Niuella.

Tres simul pro Pontificibus Romanis se gerunt.

neorum Pontificum diligentiùs ventilata, eumdem Gratianum conuictum baculo Pastorali priuauit; ac deinde omnium tam Romanorum quàm aliorum consensu, Sindigerum natione Saxonem Episcopum Bambergensem multùm reluctantem, Summum Pontificem constituit: qui ipsa Natalis Domini die Romæ ex more consecratus, Clemens Secundus vocatus est; idemque die eadem Henricum Regem & coniugem eius Agnetem (filiam Wilhelmi Comitis Pictauiensis) Imperiali benedictione sublimauit. Hęc Contractus. Tantum quidem sibi Henricus vsurpauit. Sed transactio illa Gratiani cum tribus Papis, an emptio Sedis fuerit, an redemptio potiùs vexationis ad bonum publicum, iudicent Canonum periti. Hoc constat, Gregorium hunc Sextum à viris sanctissimis, nominatim à B. Petro Damiani epistola ad eum data, simoniæ & turpitudinum triumphatorem vocari. Et Otho Frisingensis Germanus lib. 6. cap. 32. similiter factum Gratiani excusat: & capite sequenti, cùm narrasset, quomodo vsurpasset sibi Henricus ius constituendi & destituendi Episcopos; Infirmatus, inquit, publicè culpas suas recognoscens, decimo septimo Regni sui anno diem clausit extremum. Hæc Otho Frisingensis, frater Conradi Tertij Imperatoris: quæ idcircò paulò prolixiùs retulimus, quòd quidam mirè sibi in hoc facto Imperatoris Henrici placeant. Ad annum 1051. ista habet Sigebertus: 1051
Francia turbatur per Berengarium Turonensem, qui asserebat, Eucharistiam, quam sumimus in altari, non esse reuerà Corpus & Sanguinem Christi. Ita breuiter Sigebertus. De eo pleniùs Lanfrancus huius temporis Scriptor, qui in Commentario aduersus eumdem Berengarium testatur; anno præcedenti duas contra eum celebratas Synodos; & in Romana quidem, recitatis literis ab eo ad ipsum Lanfrancum transmissis, de Corpore & Sanguine Domini, iisdemque contra vsitatissimam Ecclesiæ fidem conscriptis repertis, promulgatam esse in eum damnationis & excommunicationis sententiam: Lanfrancum verò, qui ob eiusmodi literas ad ipsum scriptas in suspicionem hæresis adductus fuerat, post eam publicè damnatam & confutatam, absolutum esse, & innocentem declaratum: in Synodo autem Vercellensi, celebrata mense Septembri, cùm ad eam vocatus Berengarius non comparuisset, iterùm damnatum esse vnà cum peruersa ipsius hæresi. Qui quidem instabilis Berengarius quomodo posteà tamen semel & iterùm palinodiam cantauerit, dicetur suis locis.

Depositus ab Imp. Pōtifex; sed an rectè, mox dicetur.

Papa depositus ab Imperatore, tamen magnis encomiis à veteribus celebratur.

Berengarius Sacramentarius primùm innotescit.

Damnata hæresis Sacramentaria semel & iterùm.

HENRICVS II.

FILIVS PRÆCEDENTIS, XXII. BRABANTIÆ PRINCEPS.

Præfuit annis quatuordecim.



1054 *Lipsius in suo Louanio nimis hic breuis.* AMBERTO Secundo, ait Lipsius, successit Henricus Secundus eius filius; cui vxor Adela filia Lantgrauij Thuringiæ. Neque aliud de eo lego, quàm cum Hollandis variè pugnasse, & obiisse anno 1068. Ita Lipsius in suo Louanio, nimiùm hîc breuis. Sed explicatiùs, & quantum ex fontibus Antiquitatum eruere licebit, co-
1055 piosiùs quoque de eodem dicendum. Anno 1055. teste Sigeberto, Balduinus Flandrensis cum Godefrido (suprà sæpè memorato) auunculum suum Fredericum Ducem intra Andouerpum obsidet; sed concurrentibus Lotharingis ab oppugnatione desistit. Ita Sigebertus. Vocat Meierus Fredericum Lutzelenburgensem, cui Lotharingiam, spreto *Antuerpia obsidetur: sed mox soluitur obsidio.* Godefrido, Augustus attribuerat: additque, Balduinum, refugientem eum in oppidum Andouerpum, obsedisse; sed breui pôst, aduentantibus magno numero Lotharingis, soluisse obsidionem, ac in Flandriam reduxisse exercitum. Haud difficulter credam, & hîc Henricum nostrum cum ceteris Lotharingis pro Frederico pugnasse. Nam & mox ad
1056 annum 1058. manifestum est eum pro Cæsare stetisse. Anno 1056. Henricus Tertius Germanorum Rex & Secundus eius nominis Imperator, cùm septem aut eo ampliùs diebus lecto decubuisset, diem clausit extremum, sepultus Spiræ, Papa præsente, die Apostolorum Simonis & Iudæ; (sic Schafnaburgẽsis, Sigebertus, & alij) filiolo Henrico, puero circiter sexenni (nam variant Auctores) ei succedente: ita vt quæcumque per annos aliquot ab Imperatore gesta narrabuntur, eius matri Agneti, & Proceribus Regni tribuenda sint. Ita subnectit idem Sigebertus ad *Moritur Henricus Imperator eius nominis II. & Rex Germanorum III.*
1057 annum sequentem 1057. Coloniæ generali Conuentu habito, Balduinus & Godefridus, mediante Victore Papa, ad gratiam Regis & pacem reducuntur, & omnes bellorum motus sedantur. Ita ille. Sed heu! non-
1058 dum omnes. Nam mox subdit idem Auctor ad annum 1058. In Frisonia, captis ab Imperatore Henrico aliquibus castellis, Frisones à rebellione refrænantur. Sic ille. Annales Hollandici seu Frisici paulò aliter, &

pro



HENRICVS II. XXII. BRAB. PRINC.

Bellum Frisonicum diuersò à diuersis narratum, diligentiùs excutitur.

pro se interpretantur, narrantque in hunc modum: Cùm Theodoricus Hollandiæ Comes (eius nominis Quartus) sine prole decessisset, frater eius Florentius ex Frisia in Hollandiam accersitus, Reipublicæ gubernacula suscepit. Huius successibus externi Principes aliquot, Archiepiscopus Coloniensis, Antistes Leodinus, & Comes Louaniensis inuidentes (sic Annales illi loquuntur) anno 1058. contraxerunt exercitum, quo nouum Comitem Principatu deturbarent. Quod vbi ad Florentium permanasset, statim ex consilio senis cuiusdam, quà hostem venturum credebat, factas clàm noctu ingentes foueas, fœno & stramine operuit: in quas hostes cùm incidissent, adfuit Florentius, & magna priùs edita cæde, multos abduxit captiuos; inter quos erat & Comes Louaniensis, quem posteà duobus millibus marcarum argenti redemptum dimisit. Sic illi Annales. Miror Meierum nihil horum attingere. Sed inprimis errant Annales Hollandici in nomine Comitis Louaniensis, dum eum Lambertum vocant; nam suprà patuit, Lambertum quadriennio antè & iuxta Tornacum cæsum. Itaque hæc de eius filio Henrico hoc accipienda sint. Haud tamen scio an tam illustris eà fuerit Hollandorum contra Comitem Louaniensem victoria. Nam & certum est, quod Sigebertus retulit, eodem illo anno 1058. in Frisia captis aliquibus castellis Frisones auspiciis Imperatoris à rebellione fuisse repressos: ac denique ipsi Hollandi fatentur (vt suo loco mox dicemus) Comitem suum Florentium ab Archiepiscopo Coloniensi (erat is tunc præcipuus tutor Henrici Regis pueri) bello petitum, & à Comite Cuyckensi consanguineo Louaniensis nostri occisum. Interim prodigium accidit, quod istis

Fertur in eo captus Comes Louaniensis.

Corrigitur Chronicon Hollandiæ.

1059 verbis describit Sigebertus noster ad annum 1059. In pago, inquit, Bracbatensi iuxta Tornacum multitudines colubrorum altrinsecus congregatæ, prodigioso prælio inter se concurrunt; & multis vtrimque occisis, victa pars fugiens in cauo arboris se abscondit, altera pars vincentium more insequens, cum sibilo circumstrepebat, donec circumiecto ab hominibus igne, omnes concrematæ sunt. Hæc Sigebertus: & anno sequenti moritur Henricus Francorum Rex, eodem attestante. De cuius morte

Prodigium iuxta Tornacum colubrorum altrinsecus pugnantiũ.

1060 pleniùs Meierus. Anno 1060. moriens Henricus Rex Francorum, Balduino Comiti Flandriæ, viro (inquit Æmilius) integerrimo, ac fidei sapientiæque perspectissimæ, Philippi Hugonisque liberorum, Regnique Francici tutelam tradidit. Et quidem ceteri Proceres Franci versari Flandrum in rerum procuratione summa moderatione tulerunt: at Vascones alieniores ab eo erant, nec æquo animo fecerunt imperata, veriti (vt dicebant) ne tutelam pupillorum suum faceret Regnum. Quare cognita Vasconum lubrica fide, Balduinus (Pius cognominatus) specie quidem in Saracenos Hispaniæ imminentes, sed reuerà in Vasconiam ingen-

Rex Franciæ moriens Flandrum constituit liberorum suorum tutorem.

ingentes duxit copias, coëgitque Vasconum Primores ad officium conuenire, seque iureiurando sibi deuincire, acceptis velut obsidibus eorum liberis. Hæc res consilio arteque magis (vt idem inquit) quàm armis ingentem Flandro maiestatem conciliauit. Hucusque Meierus; qui deinde subiungit ad annum sequentem 1061. Florentius Comes Hollandiæ ab Brabantinis bello occiditur 14. Kalend. Iulias, funeratus in Monasterio Egmondano. Ita ille. Annales Hollandiæ hæc referunt ad annum sequentem, & ex ijs summatim Diuæus in hunc modum: Henricus Louaniensis, adito Comitatu, cum Hollandis variè conflictatus est: his enim anno 1058. bellum inferens, confœderatus Coloniensi Archiepiscopo, Episcopo Leodiensi, Vichardo Aduocato Gelriæ & Hermanno Comiti de Cuyck, vnà cum Vichardo prœlio captus est; at renouato bello, anno 1062. Florentius Comes ab Hermanni Comitis de Cuyck milite ad pagum, qui Hemert vocatur, inter Mosam ac Vahalim oppressus est. Sic Diuæus. Antiquior tamen vnicus qui mihi visus est, Ioannes de Beka, cum Meiero assignat illud anno 1061. & his verbis narrat: His diebus, scilicet anno Domini 1061. Florentius Comes Hollandiæ Princeps imperterritus, ob vindictam fratris sui contra superiores Comites expeditionem validam eduxit: quos omnes, occisis plurimis, cum triumphali laude subegit. Contigit autem, vt idem Comes nimis confisus in virtute suæ fortitudinis obdormiret lassus in Hammerth meridiano tempore sub ramis vmbrosæ salicis; & ecce fugitiui pugiles, quos idem Comes paulò priùs in bello deuicerat, inopinatè superuenerunt, qui eumdem cum multis armigeris condormientibus 14. Kalend. Iulij trucidarunt. Sic ille. Annales Hollandici nominatim exprimunt ab Hermanno Comite de Cuyck hanc cladem illatam, simulque trucidatos cum Florentio circiter mille sexcentos viros. Anno 1062. id memorabile accidit quod Meierus narrat (& à Molano prætereà in Fastos seu Natales Belgicos relatum est ad 16. Augusti) cùm fames intolerabilis Flandros premeret, grandisque multitudo hominum panis quærendi gratia conflueret Aldenburgum, repertus ibi quidam prima luce, qui sub dio de nocte, fame (vt creditum est) perierat, qui dum sepeliretur, & prohiberet sacerdos Godobertus ne pulsarentur campanæ, eò quòd homo esset ignotus; ecce stupentibus cunctis qui aderant, prodigio per se æra illa personuerunt. Eodem anno, teste Schafnaburgensi huius ætatis Scriptore graui, Imperatrix nutriens adhuc filium suum, Regni negotia per seipsam curabat, vtebaturque plurimùm consilio Henrici Augustensis Episcopi. Vnde nec suspicionem incæsti amoris effugere potuit. Ad vltimum Coloniensis Episcopus, communicatis cum Egberto Comite & cum Ottone Duce Bauarorum consiliis, Regem puerum, post solemnes epulas, ex

Vascones subacti à Flandro.

1061

Bellum Henrici nostri cum Hollandis, referente Diuæo.

Idem bellum ex narratione Ioannis de Beka.

1062

Campana per se sonant in sepulturam hominis fame mortui.

Puer Imperator matri subtrahitur.

ſancti Suitberti inſula primùm aſtu, deinde blanditiis à matre auulſit,&
1063 Coloniam abduxit. Hinc ergo, vt idem proſequitur ad annum ſequentem, educatio Regis atque ordinatio omnium rerum publicarum penes Epiſcopos erat, eminebantque inter eos Moguntinus & Colonienſis Archiepiſcopi. A quibus cùm in partem conſilij Adelbertus Bremenſis Archiepiſcopus aſſumptus fuiſſet, ille ſæpiùs colloquendo, obſequendo etiam atque aſſentando, ita ſibi Regem breui deuinxerat, vt ipſe pænè Monarchiam vſurpare videretur. Secundas poſt eum partes agebat Werenher Comes, iuuenis tam ingenio quàm ætate ferox. Conualeſcente audacia, in ipſa Monaſteria impetum faciebant, atque ea inter ſe tamquam prouincias partiebantur, Rege ad omnia quæ iuſſus fuiſſet, puerili facilitate annuẽte. Hæc Schafnaburgẽſis. Sed dices, Quorſum hæc? Ne cui mirum ſit, ex tam praua huius Regis Henrici educatione tam multa mala poſteà, vt videbimus, inundaſſe. Eodem anno, teſte Meiero, Aldernardij confectum eſt matrimonium inter Robertum Balduini Flandrenſis filium natu minorem, ac Gertrudem viduam Florentij Comitis Hollandiæ. Aſſignatæ Roberto pro ſua hereditaria portione quinq; inſulæ Zelandicæ, Walachria, Scaldia, Zuytbeuera, Noortbeuera, Borſelia: Comitatus ad hæc Aloſtanus cum terra Quatuor officiorum, ac grandi ſumma pecuniæ. Profectus Robertus in Hollandiam cum Gertrude celebrauit nuptias, ſtatimque (nomine priuignorum) indicto Friſiis bello, partem aliquantam eius Regionis ſubegit, indeque
1065 nomen ſibi Friſio peperit. Annum 1064. tranſeo. Anno 1065. (verba ſunt Sigeberti) Frederico Duce mortuo, Godefridus Ducatum recepit. Et multi vſque ad ſeptem millia orandi voto Ieroſolymam petentes, ab Arabitis in Paraſceue in quodam caſtello obſeſſi ſunt, & ita occiſi aut vulnerati ſunt, vt de ſeptem & eo ampliùs millibus vix duo millia reuerſi ſint. Hęc breuiter Sigebertus. Continuator Contracti hoc modo: Henricus Rex Natalem Domini Goſlariæ, diem autem Paſchæ Wormatiæ celebrauit. Et ibidem accinctus eſt gladio, anno Regni ſui 9. ætatis autem 14. & Dux Gotfridus ſcutarius eius eligitur. Addit Schafnaburgenſis: Statimque primam ſuſceptæ armaturæ experientiam in Arciepiſcopum Colonienſem (S. Annonem) dediſſet, niſi res turbatas Imperatrix tempeſtiuo valdè conſilio compoſuiſſet. Duces verò eorum qui Ieroſolymam peregrinationem ſuſceperant, nominat idem Auctor Sigefridum Moguntinum, Gunderum Babengenſem, Othonem Ratiſponenſem & Wilhelmum Traiectenſem Epiſcopos; teſtaturque, ob oſtentatas inconſultiùs per iter ſuas opes, damnum tantum & cladem eos accepiſſe. Conſentit & Marianus Scotus, qui exprimit eos ſcutellas & vaſa aurea & argentea oſtentaſſe, ſicque ex ſeptem millibus duo tantùm millia

Imperij ſtatus variè concutitur.

Inſulæ Zelandicæ pactæ in matrimonium Flandri cum vidua Comitis Hollandiæ.

Ampliùs quinque millia Chriſtianorum ab Arabitis cæduntur.

lia reuersos. Anno 1066. Cometes apparuit tota Paſchali hebdomada 1066
(loquitur Sigebertus:) Harwich Rex Northanymbrorum cum mille pę- *In Anglia*
nè nauibus venit in Angliam regnaturus, & in vrbe Eboraci pluſquam *varia prælia.*
mille laicos & centum Presbyteros de Anglis occidit. Cui Araldus Rex
Anglorum cum ſeptem legionibus ſuperueniens, eum cum multis oc-
cidit. Interim Guilielmus Comes Northmannorum (ab Eduardo, vt
multi tradunt, heres inſtitutus) cum Francis Angliam intrat, & conſer-
to cum Anglis prælio, Araldum cum multis millibus perimit, & re-
gnat in Anglia annis 30. Hæc Sigebertus. Anno 1067. teſte Vrſpergenſi, 1067
Henricus Rex Bertham Othonis Marchionis cuiuſdam Italiæ & Adel- *Henricus Imperator*
heidæ filiam accepit vxorem, nuptias celebrans Triburiæ. Et eodem *ducit vxorem.*
anno, vt notat Meierus, Kalend. Septembris obiit Inſulis Magnus ille
Balduinus Flander, cognomento Pius ſeu Bonus, ſuccedente ſibi filio
Balduino, dicto Montenſi. Et hæc eſt velut ſupputatio annorum, quibus
Henricus noſter præfuit. Qui quid fecerit poſt bella illa contra Hollan-
dos ſuprà commemorata, non inuenio, etiam poſt multam inquiſitio-
nem. Mors eius incidit (vt ſuprà verbis Lipſij diximus) in annum Chri-
ſti 1068. Diuæus hoc tantillum addit: Obiit hic Comes anno 1068. re- 1068
lictis Henrico ac Gothfredo. Ita & Chronicon vernaculum: ſed vbi *Moritur*
ſepultus ſit, nondum certum affirmare audeo: vtinam hoc & alia *Henricus noſter relictis*
eruant aliquando alij. His infauſtis temporibus anno Chriſti 1055. Le- *duobus filiis.*
gati Apoſtolici in Galliis inuigilauit ſedulitas, vt Berengarium (de quo
ſub Lamberto huius Henrici patre dicere cœpimus) rurſum hæreſim,
quam fuerat deteſtatus, defendentem ac propalantem, vel ad meliorem
mentem reduceret, vel Synodali ſententia damnaret. Quamobrem, ne
ſubterfugiendi ampliùs locus eſſet, Turonis Concilium Apoſtolica in-
dixit auctoritate: in quo Berengarius iterùm deteſtatus errorem, fidei *Sacramentaria*
Catholicæ propria manu ſubſcripſit, ac iureiurando firmauit. Teſtantur *hæreſis Berengarij*
id qui aduerſus eumdem Berengarium eodem tempore ſcripſerunt, *duobus iterùm*
Lanfrancus poſteà Cantuarienſis, & Guitmundus Auerſanus Epiſcopus. *Conciliis*
Sed ſimulans impius pœnitentiam, vbi diſceſſit Legatus, rurſum cœpit *damnata.*
infauſtam hæreſim propugnare. Quare anno 1059. iterùm in Synodo
Romana damnatus eſt, vbi & palinodiam rurſum cecinit, vt teſtantur il-
la verba in Corpus Canonicum relata: Ego Berengarius. Sed cùm nihilo-
minùs poſteà adhuc inſaniret, non ſolùm eum refutarunt doctiſſimis ſuis
ſcriptis, Lanfrancus, Guitmundus, S. Wolphelmus Abbas Bruwilerenſis
iuxta Coloniam, & alij, ſed etiam Deus ipſe pro veritate ſtetit. Nam (vt
Petrus Damiani teſtatur in epiſtola ad Deſiderium Caſſinenſem Abba-
tem, reſcribens ad litteras quas ab eo acceperat, dum prædicta Synodus
Romæ celebraretur) cùm mulier quædam zelotypa, habens virum ex

adulterij fraude suspectum, à vicina muliere consilium petiisset, qualiter eum sibi vendicare posset proprio thoro esse contentum; & ab eadem edocta esset, vt Corpus Dominicum quasi communicatura à Sacerdote perceptum, ac palliolo reseruatum, viro suo postmodum non sine quibusdam maleficiis (heu scelus!) propinaret, euenit, vt illa particula Dominici Corporis inuenta sit vsque ad medietatem in carnem conuersa, altera verò medietas panis speciem non mutauerit. Additque in eius confirmationem, simile aliud miraculum de Amalphitano tunc existente Episcopo; qui cùm aliquando ad mensam Domini sacrificaturus accessisset, sed super Sacramento Dominici Corporis incredulus hæsitaret, in ipsa confractione salutaris Hostiæ, rubra prorsus ac perfecta caro inter eius manus apparuit, ita vt digitos illius cruentaret. Hæc ille vir doctissimus, & Catalogo Sanctorum adscriptus. Atque ô miseros adhuc nostri sæculi Berengarianos!

Eadem hæresis refutata diuinitus stupendo miraculo.

Item altero; vtroque descripto à viro eius aui summa auctoritatis.

HENRICVS III.

FILIVS SVPERIORIS,

XXIII. BRABANTIÆ PRINCEPS.

Præfuit annis viginti octo.



ENRICO Secundo Henricus Tertius sufficitur filius natu maximus: (verba sunt Cl. viri Lipsij) cui vxor Gertrudis, filia Roberti Comitis Flandriæ. Annos viginti octo rexit pacatè, id est, beatè: nec belli aut tumultus sub eo sermo. Mortem in ludicro hastarum certamine inuenit, à Gosuino viro nobili (quem diu inuitum secum concurrere adigit) vno ictu confossus. Is fuit annus 1096. Et huius monimenta pietatis exstant Donationes Cœnobiis factæ, inprimis Affliginiensi. Sepultus est Niuigellis: liberos mares non reliquit. Hæc, nec plura de eo Lipsius in Encomiis Comitum Louaniensium; neque adiicit quidquam Diuæus. Quare & hîc, si possumus, lucem aliquam ex vicinis adferamus. Eodem anno 1068. quo Henricus noster Principatum adiit, Germania mirè turbari cœpit; de quo sic Vrspergensis: Henricus Rex Germanorum, adolescentiæ vsus libertate, Saxoniam solam ex omni Imperio cœpit incolere, Principes despi-

Res huius summatim ex Lipsio.

1068 *Henricus Rex Germanorum adolescens, variè Remp. turbat*



HENRICVS III. XXIII. BRAB. PRINCEPS.

deſpicere, filias illuſtrium quibuſlibet obſcurè natis coniugare, priuata
præſidia inſtituere. His ſeminariis contigit Regi quàm plurimos inſi-
diatores creſcere. Erant qui non tam ipſum quàm Adelbertum Bre-
menſem Archiepiſcopum culpandum iudicarent. Hæc ille. Addit
1069 Schafnaburgenſis anno proximo 1069. iſta: Rex Natalem Domini Goſ-
lariæ celebrauit, Paſcha Quidelemburgi, Pentecoſten Coloniæ. Poſt
Pentecoſten Wormatiæ cum Principibus Regni colloquium habuit.
Ibi primùm cum Epiſcopo Moguntino rem ſecretò agit, deinceps
Rex ad publicum refert, ſibi cum vxore ſua non conuenire; nullum
Parat diuortiũ cum vxore, nullo eius prolato crimine. eius crimen adferre, ſed ſe (incertum quo fato) nullam cum eo maritalis
operis copiam habere. Epiſcopus Synodum indixit Moguntiæ, pro-
xima poſt Feſtum ſancti Michaëlis hebdomada. Imminente iam die
Rex Moguntiam concitus properabat. Et ecce inter eundum comperit
Legatum Sedis Apoſtolicæ ſuum Moguntiæ aduentum præſtolari.
Conſternatus, vix & ægrè amicorum conſiliis ſuperatus, Franconofurt
abiit, ibique eos, qui Moguntiæ conuenerant, ſtatuto die adeſſe iuſſit.
Quò dum frequentes adueniſſent, Petrus Damianus (is Legatus erat
Sedis Apoſtolicæ, vir ætate & vitæ innocentia admodum reuerendus)
Reſiſtit eius conatibus Legatus Apoſtolicus. mandata expoſuit Romani Pontificis; peſſimam rem, & ab homine
Chriſtiano, nedum ab regio multùm abhorrentem eſſe, quam molia-
tur. Tum verò in eum coorti omnes qui aderant Principes, aiebant
æqua cenſere Romanum Pontificem. Hęc Schafnaburgenſis, qui ea ante
1070 oculos habuit. Anno 1070. teſte Sigeberto, Gerardus Dux Moſella-
norum moritur; moritur etiam Dux Godefridus. Gerardo filius eius
Diodericus, Godefrido ſuccedit filius eius Godefridus Gibboſus, etſi
corpore exiguus, tamen animo eximius. Sic ille. Meierus hoc modo:
Obiit Godofredus Arduennenſis Lotharingiæ Dux, relictis liberis Go-
thofredo cognomine Gibbero, & Ida Gothofredi Ieroſolymorum
Regis matre. Et addit: Inter hæc Balduinus Montenſis vita exceſſit
Semina funeſti belli Flandrici 16. Kal. Auguſti; Arnulpho Flandriam, Balduino Hannoniam teſta-
mento aſſignauit; Roberto fratri commiſit tutelam Arnulphi. Qua
illi denegata, obnitente Richilde Arnulphi matre, declarauit ſe inimi-
cum; & è contrà Richildis feroci ingenio mulier, quidquid Roberti eſſet
in Flandris, vt Comitatum Aloſtanum, Quatuor officia, Inſulaſque
1071 Zelandicas inuaſit, atque in fiſcum redegit. Atque hæc origo funeſti
Gibboſus nomine Epiſcopi Vltraiectini armatus intrat Hollandiam. in Flandria belli, de quo aliquoties ſequentibus annis: in quo quam
partem ſecutus ſit noſter Henricus, inueniet Lector mox anno ab hinc
ſecundo. Interim anno 1071. Gothofredus quoque Lotharingiæ Dux
cognomento Gibberoſus, vti Aduocatus Wilhelmi Epiſcopi Vltraie-
ctenſis, cui multas partes Friſiæ & Hollandiæ Henricus Germanorum
Rex

Rex ſeu dederat ſeu reddiderat (de quo plura Diplomata apud Hedum)
vnà cum Epiſcopo ſumptis armis intrat Hollandiam. Cui Robertus
ſupradictus, pro Theodorico priuigno cum exercitu occurrens, apud
Leidam inita pugna, cum magna ſtrage ſuorum vincitur, & cum vxore
& Theodorico Gandauum fugit, & Godefridus Dux Comitatum

Accipit idem Hollandiam in beneficium de manu Epiſcopi.

Hollandiæ de manu Epiſcopi in beneficium accipiens, annis quinque
armis tenuit. Ad Robertum intereà raptim conuenit omnis nobilitas
Flandriæ Teutonicæ, durum Richildis imperium exoſa. Richildis, ſe-
quente eam Flandria Gallica, opem Philippi Franciæ Regis implorat.
Cruentis duobus præliis iuxta Caſletum pugnatum eſt. Cæſus eſt inter
alios Arnulphus Comes. Sunt Auctores, ait Meierus, qui ad viginti duo
millia hominum occubuiſſe tradant. Victoria potitus eſt Robertus

Cruenta prælia Flandrorum inter ſe.

menſe Februario, die D. Petri Cathedræ Feſto, anno 1071. ſeu, vt Sige-
bertus more Romano ſupputat 1072. Robertus pace cum Rege Phi-
lippo compoſita, fidem illi præſtitit, eſtque ab illo Flandriæ ſalutatus
Comes. Hæc pro maiori parte Meierus. Et ſubdit: At verò anno 1072. 1072
Richildis Montenſis animoſa mulier, delere dedecus, filiumque alte-
rum (Balduinum) ad paternum perducere Regnum ardebat animo. Sed
poſtquam nullam vltrà inueniret opem in Francis, conuerſa ad Epiſco-
pum Leodienſem Theoduinum, ſupremum illi in Hannoniam iudi-
cium dignitatemque aſſenſu Henrici Cæſaris attribuit. Hinc grandi ab
Theoduino impetrata pecunia, Gothefredum Bulionenſem, Euſtathij

Aduocatur & Henricus noſter in partem belli Flandrici.

Comitis Bononiæ filium, Albertum Namurcenſem, Henricum Loua-
nienſem, Comiteſque prætereà Altimontis & Montis Acuti in Ar-
duenna cum aliis multis in ſocietatem armorum ſibi adiungit, repara-
toque bello incurſus aliquot in Flandriam facit. At Friſius parum ti-
muit feminæ iam victæ conatus. Ita Meierus, & adſtipulatur Chroni-
con Leodienſe, etiam recèns editum. Anno 1073. Rex Germanorum 1073
Henricus Natalem Domini Babenberg celebrauit, (verba ſunt Schaf-
naburgenſis) ibi Bertholdo Duci Carintienſium Ducatum ſine legitima
diſcuſſione abſtulit. Rudolphus quoque Dux Sueuorum tumultum
aliquem Reip. machinari formidabatur. Ibi quoque Colonienſis Ar-
chiepiſcopus (S. Anno) offenſus his quæ plurima præter æquum & bo-
num fiebant in Palatio, petiit à Rege vacationem deinceps dari ſibi à
rerum publicarum adminiſtratione, cauſatus in ſenium iam vergen-

Imp. remoto ſanctiſſimo pædagogo totum ſe laxat vitiis.

tem ætatem. Quod Rex haud difficulter annuit, & tamquam ſeue-
riſſimo pædagogo liberatus, ſtatim in omnia genera flagitiorum, ruptis
omnibus modeſtiæ & temperantiæ frænis, præcipitem ſe dedit. San-
ctum Paſcha Ratiſponę, Pentecoſten in Auguſta celebrauit. Alexander
Papa, qui & Anſelmus, deceſſit: cui Romani protinus, inconſulto Rege,
ſuc-

Hildebrandij (qui & Gregorius Septimus) initia sincerè relata. successorem elegerunt Hildebrandum, virum Sacris literis eruditissimum, & in tota Ecclesia tempore quoque priorum Pontificum omni virtutum genere celeberrimum. Statim Rex à latere suo Eberhardum Comitem misit. Is veniens Romam, benignè à prædicto viro susceptus est. Cumque illi mandata Regis exposuisset, respondit se, Deo teste, electum à Romanis violenter, cogi tamen nullo modo potuisse, vt ordinari se permitteret, donec in electionem suam, tam Regem quàm Principes Teutonici Regni consensisse certa Legatione cognosceret, & sine dubio dilaturum, donec sibi voluntatem Regis certus inde veniens nuntius intimaret. Hoc vbi Regi nuntiatum est, libenter suscepit satisfactionem, & lætissimo suffragio, vt ordinaretur, mandauit; quod & factum est anno sequente in Purificatione sanctæ Mariæ. Hæc Schafnaburgensis, Scriptor Germanus eius sæculi grauissimus, ne temerè credatur Sigeberto & aliis schismaticis huius sæculi, mira contra hunc Hildebrandum (Gregorium Septimum dictum) declamantibus. An-
1074 no 1074. eodem Schafnaburgensi referente, Hildebrandus Papa cum *Cœlibatus Sacerdotibus indictus secundùm antiquos Canones.* Episcopis Italiæ conueniens iam frequentibus Synodis decreuerat, vt secundùm instituta antiquorum Canonum Presbyteri vxores non haberent, habentes aut dimittant, aut deponantur. Sic ille. Sigebertus valdè malignè hæc interpretatur. Sed nihil noui sanxisse Gregorium, tum Schafnaburgensis verba iam posita, tum prolixè Baronius, Bellarminus
1075 & alij docent. Nos in Historia pergimus. Anno 1075. teste Sigeberto, *Henricus Imp. III. Rex Germanor. IV. bello Saxones lacessit.* Henricus Imp. Saxones grauissimo prælio vincit, eosque iterata expeditione perurgens, cunctos eorum Principes, Episcopos, Duces, Comites, ceterosque potentes ad deditionem coëgit. Ita ille. Causam huius belli, quod multis durauit annis, hanc Schafnaburgensis adsignat ad annum 1073. Rex, inquit, Saxones omnes seruilis esse conditionis crebro sermone vsurpabat. His dictis Principes Saxoniæ moti, clandestina conuenticula crebrò faciebant. Erant in ea coniuratione Episcopi octo, Duces & Comites decem (omnes ab Auctore nominati) tum vulgus promiscuum supra sexaginta millia. Igitur circiter Kalend. Augusti Legatos mittunt ad Regem tum Goslariæ constitutum; postulant, vt castella quæ *Causa huius belli Saxonici.* ad euersionem Saxoniæ per singulos montes colliculosque exstruxerat, dirui iuberet; vt vilissimos homines de Palatio eiiceret; vt abdicato grege concubinarum, quibus attrito frontis rubore incubabat, Reginam coniugali loco haberet & diligeret; vt cetera probra, nunc saltem maturato sensu & ætate, abdicaret. Hæc Schafnaburgẽsis; quo sciat Lector quomodo intelligendus sit Sigebertus nimiùm Henrico addictus, cùm eum subinde propter breuitatem producimus. Sic enim prosequitur anno
1076 proximo 1076. Gregorius Papa totus in Henricum Imperatorem inuehitur,

hitur, & quoſcumque poteſt ab eo verbis & ſcriptis auertit, animum
etiam Agnetis matris ipſius ab eo alienat. Et eodem anno Godefridus
Gibboſus Dux Lotharingiæ Antuerpiæ à ſicario per inſidias grauiter læ-
ſus moritur. Heinricus Imp. Conrado filio ſuo Ducatum Lotharingiæ,
Marcham verò Andouerpenſem Godefrido Euſtathij Comitis Bono-
niæ filio, Godefridi Gibboſi ex Ida ſorore nepoti, acri adoleſcenti tradi-
dit. Quæ poſteriora, quia Sigeberto videntur aſſuta, lubet etiam eadem
verbis Schafnaburgēſis narrare. Gozilo (inquit ille, Godefridolum Gib-
boſum intelligens) Dux Lotharingorum, cùm eſſet in confinio Lotha-
ringiæ & Flandriæ, in ciuitate quæ dicitur Antwerpha, occiſus eſt per in-
ſidias, vt putabatur, Ruberti Flandrenſis Comitis. Cùm enim ad neceſſi-
tatem naturæ feceſſiſſet, appoſitus extra domum ſpiculator confodit
eum per ſecreta natium. Qui deinde vix 7. diebus ſuperſtes, 4. Kalend.
Martij vita deceſſit, Verdunis iuxta patrem ſepultus. Rex Paſcha Traie-
cti celebrauit, ibique Ducatum Lotharingiæ filio ſuo Cunrado, Mar-
chiam verò quæ dicitur Antwerpha, Godefrido conſobrino Gozelonis
Ducis filio Euſtathij Comitis impigro, & ad rem militarem acerrimo
adoleſcenti tradidit. Hæc ille. Beka ſcribit Gibboſum anno 1075. per
quemdam Giſelbertum ſuper latrinam letaliter ſauciatum ad Traie-
ctum duci ſe iuſſiſſe, vbi 5. Kalend. Martij ſpiritum exhalarit. An-
no 1077. in Concilio 24. Epiſcoporum, Abbatum, multorumque Cleri- 1077
corum (loquitur Marianus, eius temporis Scriptor Moguntinus) Wor-
matiæ menſe Martio, præſente Henrico Rege, decretum eſt, vt bannum
Hildebrandi Papæ nullus curaret, nec Papa eſſet. Quare anno ſequenti 1078
Gregorius Præſul venerabilis, hæreticorum inſaniam, Catholicorum
quoque cognoſcens conſtantiam, adſtipulante veritate, Rodolpho Re-
gi miſſis literis Apoſtolicam mandauit benedictionem: in quibus et-
iam omnibus Chriſti fidelibus inſinuauit, Henrico propter ſuperbiam,
inobedientiam ac falſitatem, Regni dignitatem ablatam; Rodolpho verò
Regi pro ſua humilitate, obedientia & veritate, auctoritate ſancti Petri
collatam. Ita Marianus. Continuator Schafnaburgenſis hoc modo ad
annum præcedentem: Rodolphus Rex conſtitutus eſt in loco, qui dici-
tur Forchem, & in media Quadrageſima (nempe anno illo exeunte ad
Paſcha more Gallicano) apud Mogontiam vnctus eſt in Regem à Sige-
frido Archiepiſcopo. Et hunc calculum ſeruat etiam Vrſpergenſis. Vnde
& ſubdit velut ad annum ſequentem: Anno 1078. Henricus Rex prope-
ranti contra ſe cum multo exercitu Rodolfo iuxta Stronui occurrit; ini-
toque prælio, non pauci ex his atque illis proſternuntur, ac incerta fit vi-
ctoria. Et anno proximo 1079. iterùm bellum fit inter Heinricum &
Rodolfum in loco qui dicitur Fladereheim, hieme nimis aſpera; vbi 1079

Godefridus Gibboſus Antuerpiæ per ſicarium trucidatur.

An fortè hic primùm nomen Marchiæ? nempe anno 1008. adhuc latuit. vide Præfationem.

De contentione Papæ & Imperatoris graue teſtimoniū Scriptoris illius temporis.

Henricus & Rodolphus Imperatores inter ſe bello concurrunt.

Rex Heinricus in Orientalem Franciam cum paucis diuertit. Ita Vrſper-
1080 genſis. At verò anno 1080. apud Brixiam Noricam (verba ſunt Maria-
ni)triginta Epiſcoporum, magnæque partis Optimatum Regni Conuen-
tus contra Hildebrandum Papam habetur. (Et vt alij addunt, Wigber-

Rodulphus Rex in bello cadit.

tus Rauennenſis Archiepiſcopus Papa eligitur 7. Kal. Iulij.) Bellum iuxta
Elſtra committitur à Rege Henrico Idus Octobris, in quo Rodolphus
Rex occiditur, & Merſeburg ſepelitur, Saxones verò victoriam repor-
1081 tant. Et anno ſequenti: Henricus cum magno exercitu Romam profe-
ctus, eam obſedit. Papa audiens multos Romanos fauere ſchiſmaticis,
deſperans recepit ſe in domum Theodorici vel Creſcentis; ſed nec ibi ſe
tutum ſciens, cum paucis noctu Salernum abiit: vbi vſque ad obitum
1082 ſuum habitauit. Henricus Rex naſcitur. Porrò anno 1082. (pergit idem

Rurſum Hermãnus contra Henricum Imp. Rex conſtituitur.

Marianus) Catholici per Saxoniam conſtituti conſtituerunt ſuper ſe Re-
gem Hermannum. Iſte Hermannus fuit Lotharingus, vir ſapiens, mo-
deſtus, genere & fortitudine inſignis. Ipſius filius erat Otho Palatinus,
Comes de Rinecke. Hæc illi Germani Scriptores. Sed in patriam remi-
1083 gremus. Anno 1083. Affligemenſe cœnobium (vt apud Sigebertum legi-

Initium cœnobij Affligemenſis in Brabantia.

tur) tale, auxiliante Deo, ſumpſit exordium. Prædicante Wetericho ſeruo
Dei, qui quaſi ſtella matutina in medio nebulæ apparuit, conuerſi quin-
que milites ſuis integrè renuntiant. Inter quos Gerardus Niger, qui cete-
ris excellentior videbatur, Doctoris ſui conſilio animatus, cum ſocijs lo-
cum Afflighem dictum, ſicut nomine, ſic omni barbarie incultum
(quippe qui latrocinantium tantùm conuenticulis aptus erat) ædificare,
& Clauſtrum in eo exſtruere aggreditur. Sic ibi, & adſtipulatur Meierus.
Quàm deformis tunc fuerit Eccleſiæ facies, iam per aliquot annos vidi-
mus, itemque confirmat anno ſequenti his verbis idem Sigebertus,
quantumuis cæcus alioqui in cauſa Henrici Quarti Regis & III. Impera-
1084 toris, contra Gregorium VII. Anno 1084. inquit, Romani Imperatorem
Henricum Vrbe recipiunt, & eorum iudicio Hildebrandus Papa abdi-

Schiſma conflatum. An rectè, iudicet Lector, vel etiam ex his verbis, etſi hominis ſchiſmatici.

catur, & Guicbertus Rauennatum Archiepiſcopus in Sedem Apoſtoli-
cam inthronizatus Clemens nominatur; his, qui pro Imperatore erant,
contendentibus iuſtè Hildebrandum eſſe depoſitum, tamquam Maie-
ſtatis reum, qui contra Imperatorem alium Regem ordinauerit, &
rebellandi audaciam adſumpſerit; his autem qui contrà ſentiebant, re-
clamantibus, Vniuerſalem Papam non niſi vniuerſali Concilio, non
paucorum iudicio, laicali cenſura, Imperiali potentia poſſe à Pontifi-
catu amoueri; & quod grauius eſt, in loco viuentis Epiſcopi aliquem
ſuffectum contra Canonicam auctoritatem agere, & cetera id genus. Et
1085 ſubdit anno ſequenti: Hildebrandus Papa apud Salernum exulans mo-
ritur. & adiicit fabulam, quaſi Gregorius moriens pœnituerit, quòd
Henri-

Henricum Regem excommunicasset. Sed aliud testatur Auctor Vitæ
S. Anselmi Lucensis, homo Italus, qui eius morti potuit esse præsens:
qui scribit eumdem Gregorium VII. quos sibi obedientes viuens bene-
dixerat, morientem quoque commendasse; Henricianos autem penitus,
quousque resipiscerent, reprobasse. Anno 1086. Affligemensis cœnobij 1086
Fundatores, qui omnibus abiectis ita nudi ad ædificandum Claustrum
conuenerant, (verba sunt Sigeberti) vt nihil secum, præter panes tres, di-
midium caseum, & pauca ferramenta detulerint, vix tribus annis ex-
actis, à Gerardo Cameracensi Episcopo in honore Apostolorum Petri
& Pauli Ecclesiam dedicari faciunt. Comitissa Adela cum duobus filiis
suis Heinrico & Godefrido ad ædificandum inibi Cœnobium eūdem
locum libertate donauit. Prædicti fratres, Monachos, à quibus mona-
chicum ordinem discerent, sibi adsociauerunt. Hæc apud Sigebertum.
Meierus ad annum 1083. notat primum incentorem horum pugilum
Affligemensium fuisse Monachum Blandiniensem. Lipsius in suo
Louanio cap.12. inscribit Donationem Affligemensem hoc eodem an-
no 1086. & hoc titulo: Henricus, diuina propitiante clementia, Bracba-
tensis patriæ Comes & Aduocatus. Et pergit idem Sigebertus ad an-
num sequentem 1087. Domnus Fulgentius Affligemensis cœnobij 1087
primus Abbas hoc anno electus est in festiuitate S. Martini. Ac deinde 1088
anno 1088. Dominus Fulgentius primus Affligemensis cœnobij Abbas
consecratus est in festiuitate S. Gregorij. Atque hoc eodem anno, iuxta
Vrspergensem, Bertha Imperatrix obiit, & Spiræ sepulta est. Et mox an-
no sequenti Imperator nuptias iterùm Coloniæ celebrauit, quamdam 1089
Vtonis Marchionis viduam, Ruscorum Regis filiam ducens vxorem. Et
eodem anno sextum bellum committitur iuxta Glichin castellum in
Thuringia, inter Henricum Imp. & Egbertum Marchionem, in quo
Burchardus Episcopus Losanensis occisus est, & Egbertus Marchio
iuxta aquam quæ dicitur Sclicha in molendino quodam miserabiliter
interfectus occubuit. Memorabile est quod Dodechinus narrat ad an- 1090
num 1090. in hunc modum: Vultramus, inquit, Magdeburgensis Anti-
stes, cùm esset fauens præcipuè Henrico Regi, missis literis ad Ludoui-
cum Comitem suggerit, vt se subdens Regi, tueretur partes eius. (Literæ
ponuntur ab Auctore; in genere scilicet, quòd omnis potestas à Deo sit,
nec scindenda quoque sit charitas.) Comes Ludouicus inter cetera sic
respondet: Quæ autem sunt, inquis, à Deo ordinata sunt. Da igitur po-
testatem ordinatam, & non resistimus, imò dabimus ilicò manus. Miror
autem, si in te vel gutta sanguinis est, quòd non erubescis Domnum
Henricum Regem dicere, vel ordinem habere. An ordo tibi videtur, in
corpus suum peccare, videlicet (proh pudor, proh nefas!) vxorem pro-

Fabula Sigeberti de Gregorio VII. refutata

Affligemense cœnobiū ab Henrico nostro eiúsque ma re & fratre cōstruitur.

Cōsecratur primus Abbas Affligemensis.

Literæ Episcopi Magdeburgensis pro Henrico Imperatore excommunicato.

Respondet ijs Ludouicus Comes, abominanda commemorans eius scelera.

priam ſcelere inaudito lupanar facere? Audi vera, non fucata. Omnis qui dignitates ſpirituales vendit, hæreticus eſt. Domnus autem Henricus, quem Regem dicunt, Epiſcopatus & Abbatias vendit. Etenim Conſtantienſem, Babenbergenſem, Moguntinenſem, & plures alias pro pecunia; Ratiſponenſem, Auguſtenſem, Strasburgenſem, pro gladio; Abbatiam Fuldenſem pro adulterio; Monaſterienſem Epiſcopatum (quod audire nefas eſt) pro Sodomitica immunditia vendidit. Quæ ſi impudenter negare volueris, teſte cælo, teſte terra, omnes etiam à furno redeuntes concludent. Hæc Dodechinus. Sequentes annos his verbis Sigebertus conſi-
1091 gnat: Anno 1091. Heinricus Imp. in Italia caſtella & munitiones ad-
Henricus Imp. magnã partem Italiæ ſibi ſubiicit. uerſantium ſibi expugnat, Mantuam quoque obſidet & capit. Anno 1092. incentoribus Saxonici belli omnibus pænè peremptis, Saxones pertæſi malorum, compoſita inter ſe pace quieſcunt. Et anno ſe-
1093 quenti 1093. Conradus filius Imp. Heinrici in Italia ſe ad patris ſui ad-
1094 uerſarios contulit. Vnde anno proximo illi qui ſe ad Imperatorem in
Sumit contra eum arma filius, ſed iuſtiſsima de cauſa. Italia tranſtulerant, eo ad Galliam reuerſo, omnes pænè ad hoſtes eius rurſum tranſeunt, & munitiones ab eo expugnatas contra eum muniunt. Hæc ita breuiter Sigebertus; ſed cauſam iuſtam defectionis filij hanc aperit Dodechinus, ad annum illum 1093. nempe quòd filium ſpurium nominaret, quia nouercam ſuam ab Imperatore omnibus proſtitutam (proh ſcelus!) etiam ipſe nollet contaminare; quare ipſe quoque & nouerca eodem anno ad Mathildam Marchioniſſam Italię confugerunt. Quæ noſtris Annalibus inſerimus, tum vt ſciatur iuſtè decertaſſe Romanos Pontifices contra tam impium Imperatorem, ſi qua ratione illum
Certè maxima laus, bonum eſſe inter malos. corrigere potuiſſent; tum vt magis eluceat pietas noſtri Henrici Fundatoris Affligemenſis ſæculo tam improbo, & tot ſceleribus impunè contaminato. De obitu noſtri Henrici hæc tantùm habet Sigebertus ad an-
1095 num 1095. Henricus Comes Louanienſis perimitur. Alij ad annum ſequentem reiiciunt, credo, quòd in Februario vel Martio obierit anno 1095. Gallis exeunte, hoc eſt 1096. Romanis ineunte. Qui diſtinctiùs
1096 eius mortem recenſet Meierus, in hunc modum narrat: Anno 1096. Henricus Comes Louanienſis, cui nupſerat Gertrudis Roberti Comitis (dicti Friſij) ſoror, profectus Tornacum ad Euerardum Principem ciuitatis, quemdam ex illius nobilitate Goſceguinum fortiſſimum virum temerè prouocat, inuitumque ac renitentem equeſtri certamine ſecum
Perit noſter Henricus in haſtiludio Tornaci. concurrere cogit, à quo primo ſtatim incurſu haſta confoſſus interiit, ſepultus multis cum lacrymis in æde diuæ Gertrudis, Niuigellanæ, ſubeunte in eius locum fratre Godofredo cognomento Barbato; nupſitque dehinc Gertrudis Theodorico Comiti Elſatiæ, mater ex illo Theodorici Comitis Flandriæ. Hæc Meierus. Subdit idem de expe-

expeditione in Terram sanctam; sed de ea nos mox in ingressu Principis sequentis. Ceterùm sub hoc Principe Henrico cœpit Ordo sacer Carthusianorum, primò durum tramitem ingrediente Brunone Coloniensi cum aliquot sociis. Sigebertus initium ponit ad annum 1084. historia Vitæ eiusdem S. Brunonis etiam biennio priùs. Interim confirmatus non est Ordo ante annum 1086. Occasio vitæ tam arctæ suscipiendæ his verbis narratur in dicta historia: Per id tempus circa annum salutis millesimum octogesimum secundum, Parisiis literarum studia florebant, & erat illic tum magna turba studiosorum, tum non pauci Doctores insignes. Accidit autem tunc in ea vrbe sanè horrendum & sæculis omnibus memorandum spectaculum, quod & Carthusianæ scilicet vitæ instituendæ occasionem præbuit. Quidam enim valdè celebris Doctor, præ ceteris multa doctrina & eximia morum honestate instructus (quantum quidem homines, qui externa sola intuentur, existimare possent) diem clausit extremum, more Christiano Ecclesiasticis necquidquam munitus Sacramentis. Et ô iudicia Dei verè tremenda! viris Ecclesiasticis Preces illas, quas Vigilias defunctorum vocant, recitantibus, vbi ventum est ad eam Lectionem, cuius initium est, Responde mihi; is qui erat vita functus, in ipso feretro erexit se, & paululùm eleuato capite, cunctis videntibus & audientibus, & ad tantam rei nouitatem non immeritò stupentibus, alta & horrenda voce dixit: Iusto Dei iudicio accusatus sum. Et his dictis, rursum in feretro deposuit caput. Differtur itaque sepultura in diem crastinum: repetitisque exequiis, iterùm Lectio supradicta est recitata; cùm ecce rursum ille ingenti voce clamat: Iusto Dei iudicio iudicatus sum. Tum verò corripiuntur adstantes omnes summa & incredibili admiratione, horrendumque spectaculum stupore afficit vniuersos. Sed quia tamen necdum ea quæ hactenus dixerat, se iusto Dei iudicio & accusatum & iudicatum, apertam habebant damnationis eius significationem, cùm possent & in bonam accipi partem, cunctis visum est etiam in tertium diem eius protrahere sepulturam. Quo illucescente, tota ferè ciuitas accurrit, tam inusitatum & terribile iudicium Dei nosse cupiens. Vbi cùm eodem modo iterarentur exequiarum ritus, & ad Lectionem, quam diximus, peruentum esset, tum rursum grandi boatu proclamat:

Parcite funeribus, mihi nil prodesse valetis.
Heu infelicem! cur me genuêre parentes?
Ah miser æternos vado damnatus ad ignes.

Et quis ad eam vocem non totus à se discedat? Damnatum ille se iusto Dei iudicio clamabat, qui sic inter homines vixisse visus erat, vt ab omnibus sanctus putaretur. Et ille quidem, vt omni Ecclesiæ suffragio, & ipsa

Ordo Carthusianorũ instituitur à B. Brunone Coloniensi.

Eius initium ex horrendo spectaculo.

O iudicia Dei abyssus multa!

Damnatum se proclamat qui ab omnibus sanctus habebatur.

ipſa quoque Eccleſiaſtica ſepultura indignus, in loco profano in ſterquilinio deinde ſepultus eſt. Fuit verò ſanè permultis efficax incitamentum ad vitam animumque corrigendum tam inauditum miraculum. Nam & ipſe venerabilis Bruno, cùm præſens adeſſet, territus & ſalubriter compunctus, mox accerſiuit ad ſe nonnullos ex magis familiaribus ſociis & diſcipulis, Magiſtrum videlicet Landuinum, qui poſt eum primus fuit Carthuſiæ præfectus ſiue Prior, duos Stephanos, Burgenſem & Dienſem, ambos Canonicos S. Rufi, Hugonem, quem dicebant Cappellanum, quòd ſolus inter eos ſacerdotio initiatus eſſet, duos laicos Andream & Guarinum, qui & ipſi huic ſpectaculo interfuerant: Et quis, inquit, amici mei, tam ſaxeo ſit pectore, quem tale exemplum ad agendam pœnitentiam non impellat? Vnicum tantùm ſupereſt remedium, vera pœnitentia, cùm Saluator dicat, Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis. Itaque in mentem eis venit vir tum ſanctiſſimus beatus Hugo, Epiſcopus Gratianopolitanus: cogitant in eius diœceſi montes illos altiſſimos & loca deſerta, atque ea cauſa pœnitentiæ agendæ maximè opportuna eſſe: denique ad eum ſe conferunt. Porrò per idem tempus vidit S. Hugo Epiſcopus in ſomnis Deum in ea eremo, quæ Carthuſia dicebatur, ſuæ Maieſtati domum exædificantem, ſeptem quoque ſtellas colore rutilo in orbem diſpoſitas; cùm ecce paulò pòſt Bruno cum ſex ſociis aduenit, locum eremiticæ vitæ congruum humiliter ab eo petens. Et ille quidem beatus Antiſtes, poſtquam abundè probaſſet eorum conſtantiam, eis dedit eremum Carthuſiæ, exſtruens quoque eis ibi Eccleſiam & parua domicilia vel cellulas. Hæc prolixiùs verbotenus ex dicta hiſtoria, tum quia inprimis illuſtria, tum vt conſtet, nec tum quidem inter tot ſordes Imperatoris Henrici, & plurimorum ſchiſmaticorum ei fauentium, Deum Eccleſiam ſuam neglexiſſe.

S. Bruno & ſocij perculſi ſpectaculo, pœnitentiæ ſe tradunt.

Locus dictus Carthuſia, diuinitus deſignatus.



GODE-

GODEFRIDVS BARBATVS

FRATER PRÆCEDENTIS, XXIV. BRABANTIÆ PRINCEPS.

Præfuit annis quadragintaquatuor.



DE eo iſta ſcribit Molanus capite 55. Militiæ ſacræ: Per- 1096
empto Tornaci in armorum ludo anno 1096. Henrico Comite, ſucceſſit ei, filiabus fratris defuncti excluſis, eius frater Godefridus de Louanio dictus. Lipſius his verbis eum depingit, ſeu delineat potiùs: Henricus liberos mares non reliquit. Itaque venit in locum frater Godefridus, duplici cognomine, Barbatus, & Magnus. Illud habuit à voce, qua ſe obligauit barbam non ponere, donec Lotharingiæ, Ducatus diu debiti, compos eſſet. Alterum ab iſto ipſo manauit, quòd ea adiectione verè iam magnus eſſet; tum & animo ac virtute merebatur.

Cur Godefridus hic dictus Barbatus.

Auctores habeo, qui tradant, quo tempore frater Henricus obiit, in Syria, nobili illa Godefridi expeditione, captiuum fuiſſe: eoque communi patriæ decreto matrem Adelam rebus præfectam, donec de filio certiora adferrentur. Ad quem liberandum reducendumque Oliuerius Leefdalius vir nobilis Bruxellâ miſſus, feliciter rem confecit, & optantibus ſuis Principem reſtituit. Statim redux Sophiam filiam Henrici Quarti Imp. vxorem accepit, atque ea ad Ducatũ Lotharingiæ gradum ſtruxit. Ita Lipſius, & quod ad captiuitatem Godefridi eiuſque liberationem ſpectat, adſtipulatur quoque Molanus dicto cap. 55. exprimens ipſum ſimul cum Henrico filio Imperatoris ſub Rege Armeniæ captiuum fuiſſe.

Diſcutiuntur diligentiùs quæ de eo vulgò traduntur.

Sed vt Lipſius tacet de Henrico filio Imperatoris capto, ſic quoque nullum Scriptorem eius æui inuenio (qui tamen plures ſunt) qui eo anno vel copias ipſas Chriſtianorum in Armenia fuiſſe tradant, vel tantæ rei, capti ſcilicet filij Imperatoris, vſquam meminerint; quin contrà plures eorum teſtantur, Chriſtianorum exercitum non ante annum milleſimum nonageſimum ſeptimum Aſiam eſſe ingreſſum. Qui tamen hæc de capto Godefrido defendere velit, credo poterit vtcumque, ex iis quæ habet Vrſpergenſis ad annum hunc nonageſimum ſextum. Baronius quoque hoc pacto ſupputat ad eumdem hunc annum nonageſimum ſextum: Hoc anno expeditio Occidentalium in Orientem, ſub

Argumēta in vtramque partem.

diuersis Ducibus, diuerso tempore, diuersis locis in procinctu posita, Constantinopolim versus iter arripuit; aliique ex ipsis qui primi fuere, sub Gualtero Duce, octaua die mensis Martij, alij paulò pòst sub Petro Eremita profecti sunt: Godefredus autem Bullonius Dux Lotharingiæ cum aliis Ducibus & Comitibus die 15. Augusti, alij demum, vt Boamundus Comes Apuliæ, anno sequenti. Sic ille. Sed ad res ipsas veniamus.
1096 Sigebertus ad eumdem annum ista adscribit: Occidentales populi dolentes loca sancta Ierosolymis à gentilibus profanari, & Turcos etiam terminos Christianorum iam multa ex parte inuasisse, innumerabiles, vna adspiratione moti, & multis signis sibi ostensis, alij ab aliis animati, Duces, Comites, potentes, nobiles ac ignobiles vndique concurrunt, ab Hispania, à Prouincia, ab Aquitania, à Britannia, à Scotia, ab Anglia, à Nortmannia, à Francia, à Lotharingia, à Burgundia, à Germania, à Langobardia, ab Apulia, & ab aliis Regnis, & virtute & signo sanctæ Crucis signati & armati vltum ire parant iniurias Dei in hostes Christiani nominis. Eminebant in hoc Dei hostico Dux Lotharingię Godefridus (hic est Bullonius, qui primos suos milites Antuerpiæ collegit, de quo plura anno ab hinc quarto) & fratres eius Eustathius & Balduinus, Balduinus Comes Montensis, Rotbertus Comes Flandrensis, Stephanus Comes Blesensis, Hugo frater Regis Francorum, Rotbertus Comes Nortmanniæ, Raimundus Comes de S. Ægidij, Boiamundus Dux Apuliæ. Hæc Sigebertus; & pergit ad annum sequentem
1097 1097. Exercitus Dei aggressus terminos Paganorum, viriliter agit, primumque eis bellum fuit ad pontem Pharphar fluminis 9. Kal. Martij, vbi multi Turcorum occisi sunt. Secundum eis fuit bellum apud Nicæam 3. Nonas Martij, in quo etiam Pagani victi sunt. Capta ergo Nicæa, capta etiam Laodicea, cùm essent plusquam trecenta millia armatorum in exercitu Christianorum, tanta eis omnium rerum suppetebat copia, vt aries vno nummo, bos vix 12. nummis venderentur.
1098 Verùm anno proximo 1098. obsessa Antiochia, in tantum attenuati sunt Christiani, propter omnium rerum penuriam, vt in toto exercitu vix centum boni equi inuenirentur; & tamen, quamuis ex desperatione rerũ multi se subtraxerint, multi etiam repatriauerint (Sigebertum produco, eius breuitate delectatus) nono tamen obsidionis mense capta est Antiochia. Hinc Christiani à Paganis versa vice obsessi, tanta rursum fame afflicti sunt, vt vix ab humanis carnibus abstinerent. Sed confortati à Domino per inuentam ipsius lanceam, à tempore Apostolorum non visam, ipsa lancea eos præcedente, obsessi obsessoribus concurrerunt 4. Kal. Iulij, & hoc tertio bello victoriam adepti sunt. Quartum bellum fuit eis in Romania Kalend. Iulij, & ibi Turci victi sunt. Com-

Occasio expeditionis sacræ ad recuperandã Terram sanctam.

Principes primarij huius sacri belli.

Captæ à Christianis Nicæa & Laodicea.

Item Antiochia.



GODEFRIDVS BARBATVS XXIV. BRAB. PRINC.

Christiani ad interiora pene trant, non sine maximis difficultatibus. Commissa Antiochia Duci Baiamundo, Christiani propter vitandum tædium & famem, & maximè propter discordias Principum, proficiscuntur in Syriam; & expugnatis Marra & Barra vrbibus Saracenorum, & multis castellis, tanta ibi rursum fame afflicti sunt, vt corpora Saracenorũ iam fœtentia comedere compulsi sunt. Sed anno sequenti 1099.
1099 exercitus Dei, diuino monitu in interiora Syriæ profectus, larga Dei manu refocillatus est; quia ciues & castellani illius regionis Legatos cum multis donariis præmittebant, parati etiam oppida vel vrbes eis tradere. A quibus Christiani securitate accepta, & indicto vrbibus tributo, interim etiam multis eorum qui se subtraxerant, ad eos apud Tyrum recurrentibus, tandem perueniunt Ierusalem; eaque obsessa, cùm laborarent præ victus, & maximè præ aquæ inopia, omnes ex communi decreto, nudis pedibus quotidie orando circuibant vrbem. Octauo ergo talis humiliationis die, obsidionis autem die 38. capta est Ierusalem Idibus Iulij in 6. Feria: & in templo, & in porticu eius Christiani cum Paganis quinto bello conferto, tanta in eis cæde debacchati sunt, vt in sanguine occisorum equitarent vsque ad genua equorum. *Capiunt Christiani Ierosolymam.* Cùm ordinatum esset, qui Ierusalem deberent retinere, Principibus iam de repatriando agentibus, ecce Rex Saracenorum ad debellandos eos venit Ascalonam, cum centum millibus equitum, & quadringentis millibus peditum. Quibus cùm occurrisset exercitus Domini, in quo non plus quàm 5. millia equitum & 15. millia peditum erant, Deo pro seruis suis ad se clamantibus pugnante, & nube eos ab æstu Solis defendente, Saraceni solo Christianorum impetu territi, omnes proiectis armis fugerunt: & in hoc sexto bello 4. Kal. Augusti facto, cæsa sunt centum millia Paganorum, in porta verò Ascalonæ suffocati sunt ad duo millia. *Cæsa centum millia Paganorũ.* At eorum qui in mari perierunt, & qui inter spineta consumpti sunt, numerus nescitur. Duce Godefrido electo ad principandum remanentibus in Ierusalem, ceteri Principes repatriant. Ita Sigebertus. Addo verba Molani in fine cap. 50. Vrbs capta est Idibus Iulij, eo die, vt legitur in epistola Ducum belli, quo primitiua Ecclesia inde abiecta fuit, cumq; Festum de dispersione celebratur. In ea epistola (pergit idem Auctor) Godefridus Dux non aliter se nominans, quàm gratia Dei sancti sepulchri Aduocatum; primus legitur, ponte ordinato, cum fratre suo Eustathio vrbem ingressus. Quos continuò subsecuti sunt Ludolphus & Guilhelmus vterini fratres, post quos Flandrensium Comes & Nortmannorum Dux. Hæc ibi. *Godefridus Bullonius primus Ierosolymam irrupit, inde ei à sociis illa data.* De eius morte anno proximo 1100. ista nimis
1100 breuiter Sigebertus: Godefridus Dux Lothariensium, & Princeps Ierosolymitanorum moritur. Balduinus frater eius in Principatu ei succedit. Pleniùs Molanus, in hunc modum: Dum vlteriùs victor pergit verus

Christi

Christi Confessor, centuplum accepturus, intra primum annum Regni sui per validam ægritudinem viam vniuersæ carnis est ingressus 15. Kal. Augusti anno 1100. cui in Regno Balduinus Comes Edessanus frater eius electione suffectus est. Et paulò superiùs eodem capite præcipuas laudes huius Godefridi commemorans; Hic, inquit, castrum suum Buillon cum longè lateque diffuso territorio, maiori gloria sui quàm ementis, mille trecentis marchis argenti purissimi, & tribus auri, diuendidit: à quo tempore Leodiensis Episcopus se Dominum ac posteà Ducem vocauit Bullonienſem. Atque, vt D. Bernardi verbis, quibus ipse in exhortatione ad Ludouicum iuniorem vsus est, pleniùs dicam, tria amplissima patrimonia, suum, fratris, & matris, partim oppignorauit, partim distraxit, vt copias piorum plusquam pro virili aleret. Ita Molanus verbis Bernardi. Et pergit: Collegerat autem optimus Princeps in Antwerpiensi suo Marchionatu primitias huius sacræ militiæ, adscribens ei duodecim primos viros in honorem XII. Apostolorum. Sed & Ecclesiam D. Michaëlis multis donariis ditauit, commendans se & militiam dicto Archangelo, Ecclesiæ Principi. Eadem de causa multa S. Petro donauit Affligemij in nouo Monasterio, in finibus Comitatus Louaniensis. Hæc Molanus. Addit Vrspergensis Scriptor eius temporis: Ante montem Caluariæ in vestibulo Golgothanæ Ecclesiæ extat eius Mausoleum lapide Pario constructum. Sed ad alia pergamus. Anno 1101. inquit Sigebertus, Conradus filius Heinrici Imp. adhuc patri rebellis, in Italia moritur. Heinricus Imp. Heinricum Lemburgensem aduersantem sibi debellat, & expugnatis eius castellis eum ad deditionem cogit. Sed posteà ei multa summa gratiam suam redimenti, etiam Ducatum Lotharingiæ donat. Sic ille; sed honorificentiùs de Cunrado Vrspergensis, quamuis & ipse alioqui plus satis Henrico addictus: Chunradus Rex nono anno, postquam à patris Palatio discesserat, à Regno transitorio ad æternum creditur Regnum migrasse. Et subdit idem ad annum sequentem 1102. Imperator Henricus habito cum Principibus colloquio Romam se profecturum, ac generale Concilium circa Februarij Kalend. inibi conuocaturum condixit, quatenus confirmaretur vnitas, quæ tot annis scissa permansit. Constat tamen nec ipsum iuxta placitum venisse, nec nuntia dignitati Apostolicæ subiectionem profitentia misisse. Ita Vrspergensis. Eodem anno (teste Sigeberto) Roberto Flandrensium Comite inquietante vrbem Cameracum, Henricus Imp. contra eum proficiscitur; & aliquibus eius castellis expugnatis, asperitate instantis hiemis redire compellitur. Et anno sequenti 1103. idem Imp. sedatis Saxonum motibus, pacem in quadriennium constituit. Legiæ quoque generali Conuentu habito, Rotbertus Comes Flandrensis in gratiam eius recipitur. Hæc Sigebertus.

Catalogus virtutum eiusdem Bullonij.

Conscripsit militiæ sacræ primitias Antuerpiæ.

1101

Imperator Limburgensem debellat, mox iterùm in gratiam recipit.

1102

1103

Corpus S. Odæ in Campinia è terra leuatur. bertus. Atque eodem anno, teste Ægidio Leodiensi, Obertus Episcopus corpus S. Odæ virginis, quæ illuminata olim fuerat ad sepulchrum B. Lamberti, de terra leuauit, & in Ecclesia Rhadensi in Campinia Brabantica decenter collocauit. Fuit verò hæc virgo filia Regis Scotiæ. Ita il-
1104 le. Progreditur Sigebertus: Anno 1104. Ierosolymitæ Accaron vrbem
1105 capiunt, & anno proximo innumerabilem Paganorum multitudinem gloriosa victoria conterunt. Porrò eodem anno filius Imperatoris Heinrici à patre auersus, quotquot potuit ab eo auertit, & sub obtentu melio-
1106 randæ Reipublicæ & restaurandæ Ecclesiæ in eum insurgit. Et anno sequenti: Imperatore Henrico morante Leodij, filius eius Aquas-Grani venit, & volens venire Leodium contra patrem suum, quinta Feria Dominicæ Cœnæ præmisit suos præoccupare pontem apud Wisatum, ne quis sibi venienti obstaret; sed militibus patris concurrentibus ad exoccupandum pontem, milites filij à ponte repelluntur. Coloniensibus quoque fidem Imperatori seruantibus, at eorum Archiepiscopo filium contra patrem animante, Colonia obsessa oppugnatur, nec tamen expugnatur. Interim Henricus Imp. Leodij moritur, eique succedit filius æquiuocus eius. Ita Sigebertus. Vrspergensis hîc admodum est prolixus. Dodechinus ista habet: Imperator ante Natiuitatem Domini à filio capitur. Heinricus Rex (filius) Natiuitatem Domini Mogontiæ celebrauit, ibique Conuentum habuit de habenda pace. Communicato consilio Principum, patrem suæ curiæ præsentauit, qui pridie Kalend. Ianuarij apud Ingelheim prædicto filio suo coram quibusdam Principibus Regnũ tradidit. Cometa stella visa est. Henricus iunior Coloniam obsidet ad iniuriam patris. Sed interim moritur pater apud Leodium constitutus, & Spiram deportatus in quamdam desertam ecclesiolam deponitur insepultus, pro eo quòd à tot & tantis Patribus tanto tempore permansisset excommunicatus. Verùm, vt de illo omnia loquar, erat valdè misericors in eleëmosynis pauperum; obstinata tamen mente in excommunicatione permansit, quod omnia bonitatis eius opera obnubilat. Sic ille. Onuphrius scribit eum obiisse Leodij 7. Idus Augusti. Hoc eodem anno (narrante eodem Sigeberto) Henricus Dux Lemburgensis, qui ab Imperatore ad filium eius animo transiens, eum contra patrem suum consilio armauerat, & à filio ad patrem rediens partes filij debellauerat, mortuo Imperatore, vt reum Maiestatis se filio Regis dedidit, & ab eo captus custodiæ traditur; de qua tamen ipse posteà per industriam suam euasit. Ducatus eius datur Godefrido Comiti Louaniensi. Ita Sigebertus. Et hîc inprimis nota, Godefridum nostrum verisimiliter potiùs fuisse partium filij Catholici quàm patris schismatici. Deinde & nota belli-
1107 cam eius virtutem; nam ita subiicit idem Auctor: Anno 1107. Heinricus

Filius contra patrem Imp. insurgit, specie restituendæ Reipublicæ.

Moritur Henricus Imp. III. & Rex Germanorũ IV. Leodij.

Dudum manet insepultus Imp. quia anathemati innexus.

Datur Ducatus Limburgensis nostro Godefrido.

ricus Exdux affectans repetere Ducatum, occupat oppidum Aquas-Grani contra Godefridum Ducem. Sed hoc non ferens Dux Godefridus, oppidum Aquense violenter inrupit, oppidanos à fauore Heinrici exterruit, aliquos Comites & multos potentes & nobiles cepit. Ipse Heinricus cum filijs suis vix fuga euasit. Vxorem eius capere Dux indignum duxit. Comites & honoratiores eorum quos ceperat, per conditionem sub se militandi sibi conciliatos, ad fidelitatem suam adduxit. Ita Sigebertus. Addit Diuæus: Domum reuersus, Louanij celebre Conciliũ Procerum indicit, vbi Horniæ, Gasbecæ, ac Angiæ Barones beneficia sua ab eo recognouerunt, eaq; præstitêre sacramenta, quæ pristinis Lotharingiæ Ducibus dare soliti erant. Solus ex Bertoldorum clarissima familia Arnoldus nouo Duci obsistebat, omni obsequij genere denegato, opibus nimijs ac potentiæ confisus, cùm in ipso Brabantiæ vmbilico Mechlinienses, Grimberganos, Turnoutanos, ac Ghelenses possideret. Vnde effectũ, vt rebellem, quoad viueret, sub iugũ mittere nõ potuerit: quinimò semel ab eo cruentissimè victus, omnem nobilitatis florem amisit, & Brabantia multis in locis vastata est. Sic ille. Sed cùm huius intestini belli apud Leodienses vel Flandrenses Scriptores nec vestigiũ vllum inueniam, credo cladem hanc non omnino tantam fuisse. Interim anno 1108. Heinricus Imp. cõtra Robertũ Flandrensem vadit, & pacto pacis magis vtrimque simulato quàm composito, pænè inefficax rediit. Et anno sequenti idem Imperator cõtra Vngaros vadit, sed similiter facto pacto redit. Porrò anno 1110. Henricus Rex cum ingenti exercitu in Italiam veniens, coronam Imperij suscepturus, insignem Legationẽ præmisit ad Paschalem Papam, qua se fidelem filiumque profiteretur esse velle S. Petri; cùm interim nonnullas vrbes ei resistentes expugnans in Tusciam venit, & Natale Domini Florentiæ celebrauit. Prolixè de his pro Catholicis Petrus Cassinensis, & pro schismaticis Vrspergensis. Petrus cap. 37. l. 4. sui Chronici Cassinensis inter cetera habet ista verba: Erat autem hiems. Cumque in Tusciam Henricus deuenisset, missis Romam nuntiis, inter illos & Petrum Leonis & ceteros Pontificis nuntios in porticu S. Petri conuenit; vt Imperator die Coronationis suæ omne malè vsurpatum Ecclesiasticũ ius per scriptum deponeret, cùm idipsum Papa de negotiis Regalibus faceret; dimitteret Ecclesias liberas cum oblationibus & possessionibus suis, quę ad Regnum non pertinent, patrimonia possessionesque B. Petri restitueret, sicuti à Carolo, Ludouico, Henrico, aliisque Imperatoribus concessa sunt libera; seruaretque ea B. Petro pro iuribus. Sic ibi. Itaque his legibus anno 1111. pridie Idus Februarij Henricus solemniter Romam ingressus est, tentataque est eo die Coronatio, omnibus in templo congregatis. Sed cùm Henricus inuestituras sibi permitti vellet, & Paschalis se eas concedere non posse

Godefridus Aquisgranum armis sibi asserit.

Barones Brabantiæ beneficia sua ab eo recognoscunt, solo reluctante Grimbergano.

1108

1109

1110

Henricus V Germaniæ Rex & IV. Imp. tendit cum exercitu in Italiam.

Altercatio eius cum Romano Pontifice sincerè narratur.

1111

affirmaret, ortis tumultibus & pugnis inter Germanos & Romanos, Henricus Pontificem & plures Cardinales, multosque alios captiuos abduxit, & apud castrum quoddam in Sabinis sexaginta & vnum dies detinuit, donec Paschalis fractus concaptiuorum precibus, scripto eidem Henrico concessit Episcopos & Abbates Regni sui (canonicè tamen & absque simonia electos) per annulum & virgam inuestire; & vt electi, licet canonicè, non aliter, quàm præuia inuestitura Regia, consecrarentur; sicque in Basilica S. Petri tandem ipsa die Iduum Aprilis Henricus à Paschali coronatus est. Sanè hæc per vim extorta esse, & ipse Vrspergensis schismaticus fatetur, etsi ludens irreuerenter in S. Scriptura: Postremò (inquit) Pater Apostolicus custoditus est vsque ad pacatam consecrationem Imperatoris, in exemplum Patriarchæ Iacob dicentis ad Angelum: Non dimittam te nisi benedixeris mihi. De reuerso verò in Germaniam Henrico hæc addit idem Vrspergensis: Mense Augusto anniuersarium patris sui Spiræ magnificè celebrauit. Nam toto quinquennio suspensa communio sepulturæ & orationum, nunc tandem concessa erat. Sed ecce anno sequenti 1112. eodem etiam Vrspergensi narrante, Domnus Apostolicus multas à Romana Ecclesia passus est iniurias, quòd Regem Henricum Priuilegio sacrilego condonasset, atque inde in Concilio 15. Kal. Aprilis habito Lateranis, vltimo die Concilij, ne quis de fide ipsius dubitaret, dixit: Amplector omnem diuinam Scripturam, quatuor Vniuersalia Concilia, & Decreta sanctorum Patrum Romanorum Pontificum, & præcipuè Decreta Domni mei Papæ Gregorij VII. & b. m. Papæ Vrbani, in omnibus & per omnia. Quibus expletis, surrexit Gerardus Engolismensis Episcopus Legatus in Aquitania, & communi consensu legit hanc scripturam: Priuilegium illud quod non est Priuilegium (sed verè debet dici Prauilegium per violentiam Regis Heinrici extortum, nos omnes hoc in sancto Concilio congregati, damnamus & irritum esse iudicamus, & omnino excommunicamus, quia in eo continetur quòd Electus canonicè à nemine consecretur, nisi priùs à Rege inuestiatur, quod est contra Spiritum sanctum, & Canonicam institutionem. Et perlecta charta, acclamabant omnes, Amen, Amen. Et Archiepiscopus Ioannes Patriarcha Venetus, Sennes Capuanus, & alij ferè centum Episcopi subscripserunt. Hæc Vrspergensis, etsi schismaticus. cuius schismatis aliqualem finem vide infrà anno 1122. Sed ad lætiora, si possumus, conuertamur. Anno 1113. ait Anselmus Continuator Sigeberti, Balduinus Ierosolymorum Rex vxorem ducit relictam Rogeri Ducis Siciliæ. Et anno sequenti 1114. Henricus Imperator Moguntiæ vxorem ducit filiam Heinrici Regis Anglorum. At verò anno 1115. Henricus Imperator, dum quidquid libet, licere putat, magnas Regni pæne

Tandem coronatur Imperator.

1112 *Paschalis Papa multa patitur à Romanis, ob Priuilegium concessum Imperatori.*

Reuocatur dictum Priuilegium, quasi vi extortum.

1113

1114

1115

nè totius inimicitias comparauit. Etenim, quia superioribus annis Al-
bertum Cancellarium & alios quosdam Regni Principes insidiosè ce-
perat, & sine audientia & iudicio, custodiæ mancipauerat, alijs simi-
lia timentibus suspectus erat. Vnde etiam Fredericus Coloniensis Ar-
chiepiscopus ab eo auersus, totis viribus, adiutantibus Godefrido Lo
tharingiæ Duce, Henrico Exduce, & Frederico Arnesburgio, insequi-
tur eum & fautores eius, oppida & castella contra se posita impugnat,
& omnia ad eum pertinentia ferro & igni vastat. Hæc Anselmus. Ad-
dit Diuæus: Henrico in Lotharingiam descendente, Colonia obsidium
passa, capi non potuit. Itaque Imperator hiemis aduentu domum reuo-
catus, Transrhenanorum motu prohibitus est hoc bellum prosequi.
Hinc illud Anselmi ad annum proximum: Henricus Imperator in Ita- 1116
liam secedit propter asperos motus Regni, & maximè propter Marchi-
sæ Mathildis cognatæ suæ, quæ recèns obierat, hereditatem obtinen-
dam. Anno 1117. mense Ianuario, 3. Nonas ipsius, in aliquibus locis, sed 1117
non vsquequaque, terræmotus accidit, adeò vt quarundam vrbium par-
tes cum Ecclesiis subruisse dicantur. Anno 1118. Balduinus Rex Ieru- 1118
salem moritur frater Godefridi; succedit Balduinus filius Comitis de
Reitesta. Item Paschalis Papa moritur, succedente Ioanne Caietano, qui
Gelasium se nominauit; quo in Gallias transeunte, obnitente sibi Hen-
rico Imperatore, & ipse Imperator ab Italia in Lotharingiam repatriat,
& secundùm illud, Qui à multis timetur, necesse est, vt & ipse multos ti-
meat. coniuratos in se Regni Principes, modò minis, modò blanditijs,
modò vi, modò satisfactione ad pacem inuitat. Hæc Anselmus; & addit:
Anno 1119. Gelasius Papa Cluniaci moritur, & Domnus Guido Vien-
nensis in Papam eligitur, & Calistus nomine designatur. Hoc anno bel- 1119
lum Leodiense Godefrido nostro hac de causa ortum est. Narrabo verbis
Ægidij Leodiensis: Antistite Oberto vniuersæ carnis viam ingresso, con-
uenientibus in vnum fidelibus, de substituendo Pastore diu inuicem
contulere. Sed orta est magnæ dissensionis procella. Discordare ab inui-
cem Clerus & populus, nobilitas & vulgus; electionis tamen dies in com-
muni præfigitur. Intereà Dux Louanij, alijque nobiliores Alexandrum
Archidiaconum & Sacristam seorsum trahunt, & quia cum eo consenti-
rent, ageret ipse gnauiter, aperiunt. Ille credens si quid deliquisset, eorum
ope tutum fore, Henricum Imperatorem cum prædictis nobilibus adit,
ac repræsentat, & ab illo ipsum baculum Pontificalem cum annulo
accipit. Collecta subinde Rhemis Synodo Pontifex Calixtus adfuit,
electumque Domnum Fredericum benedixit. Alexander in castello
Hoyensi erat, Ducis Godefridi, Comitisque Lamberti sibi promissum
operiens aduentum. At Domnus Fredericus Episcopus & frater eius

Plures contra Imperatorem arma sumunt, inter alios etiam noster Godefridus.

Ingens terræmotus.

Imperator cùm à multis timetur, ipse quoque multos timet.

Contentio de Episcopatu Leodiensi.

Vni electo fauet Dux Godefridus, alteri Comes Namurcensis.

Comes Namurcensis dederunt se murum pro domo Domini. Nam dispositis necessariis Hoyum petunt. Incolæ verò vltrò fores aperientes obuiàm pergunt, se suaque omnia dedentes. At illi ingressi castellum expugnare sunt aggressi, cùm intereà Dux Godefridus magno cum exercitu nuntiatur aduentare. Cui vt obstrueretur transitus, concurrentes quidam ad pontem, in securi & ascia deiecerunt eum. Ita Ducis frustratus est aduentus. qui eodem die Comitatum Hoy succendit, pars suorum nostros sequentes pontem transiit: sed Comite viriliter resistente, plures submersi fuerunt, reliqui verò cum suo Duce montem statim reliquerunt. Ita Dux cum graui ira inefficax rediens, omnia municipia Episcopij & Comitatus Namurcensis vastabat, omnesque fortes suos copulans agmini, Leodium in manu graui accessit. Reuersus & ipse Episcopus Fredericus vnà cum fratre suo, crebros & maximos eius ęquipollenter expugnauit assultus, gratia Dei per omnia victor existens. Ita Ægidius, nec diffitetur Diuæus, sed obscuriùs narrat. Anno eodem, Meiero teste, Balduinus Flandriæ Comes ex vulnere in Nortmannia accepto Rosilariæ obiit 15. Kal. Iulias, postquam Carolum suum amitinum Danorum Regis filium ex asse instituisset heredem, sepultus ad D. Bertini. Cùm Carolus inauguraretur, acerrimam habuit aduersariam Clementiam Burgundam Balduini defuncti matrem. Nupsit ea, eodem attestante, anno sequen-

Namurcensis, capto Hoyo, prævalet Godefrido.

1120 ti 1120. mense Februario, Godefrido Duci Louaniensi; vnde & distinctiùs hoc modo legendum apud Diuæum: Mense Februarij Clementia vidua Roberti Ierosolymitani, Comitis Flandriæ, & soror Callisti II. Pontificis, nupsit Duci; vnde etiam Dux fauore Callisti Episcopatum Leodiensem vacantem morte Frederici faciliùs fratri Adalberoni Metensi Canonico impetrauit. Ita Diuæus. Sed hoc non nisi post biennium contigit, vt idem indicat; & Anselmus & alij eiusdem temporis Scriptores attestantur. Ægidius etiam maius adscribit elogium huic Adalberoni: Successit, inquit, Domino Frederico Dominus Albero, primicerius ex Clero S. Stephani Metensis, frater Ducis Louaniensis Godefridi, vir summæ auctoritatis & innocentiæ, qui columbina simplicitate canonicè electus, substitutus est Præsul Leodiensis Ecclesiæ 57. Ad cuius ingressum quanta pax Ecclesiæ sanctæ redierit, quomodo prædonum incursus cessarint, ipsi quoque Principes timore perculsi (tamquam præsente leone cetera animalia) conquieuerint, videre iucundum fuit. Sic ille, de sublato tributo mortuæ manus, & basilicis noctu ab eo aditis nihil memorans; habent tamen eadem cum Diuæo etiam nonnulli Leodienses.

Godefridus ducit viduam Comitis Flandriæ vxorem.

Frater eius Albero eligitur Episcopus Leodiensis.

Multæ eiusdem Alberonis laudes.

1121 Anno sequenti 1121. referente Diuæo, Henricus Rex Angliæ duxit Adelam filiam Ducis Godefridi; & adstipulatur Meierus, vocans eam Adeliciam; Anselmus tamen adscribit anno pręcedenti, appellatque Atheleidam;

dam; ea quomodo conciliari possint, sæpè diximus. Anno 1122. facto vniuersali Conuentu apud vrbem Vangionum, quæ nunc Wormatia dicitur, (verba sunt Vrspergensis,) sicut longũ, ita & incredibile memoratu est, quàm prudenti, quàm instanti, quamque per omnia sollicito cunctorum Procerum consilio, pro pace & concordia per vnam vel ampliùs hebdomadam certatum sit, donec ipse, in cuius manu cor Regis est, omnem animositatem Augusti, sub Apostolicæ reuerentiæ obedientiam, causa matris Ecclesiæ, etiam vltra spem plurimorum inflexit. Sed vtriusque partis meliùs edocebunt subter annotata scripta: Ego Henricus Dei gratia Romanorum Imperator Aug. pro amore Dei & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Domni Papæ Calisti, & pro remedio animæ meæ, dimitto Deo & sanctis eius Apostolis Petro & Paulo, sanctę Catholicæ Ecclesiæ omnem inuestituram per annulum & baculum, & cõcedo in omnibus Ecclesiis fieri electionem, & liberam consecrationem. Possessiones & regalia B. Petri, quæ à principio huius discordiæ vsque ad hodiernam diem, siue tempore patris mei, siue etiam meo ablata sunt, quæ habeo, eidem S. Romanæ Ecclesię restituo; quæ autem non habeo, vt restituantur, fideliter iuuabo. Possessiones etiam omnium aliarum Ecclesiarum & Principum, & aliorum tam Clericorum quàm laicorum, consilio Principum & iustitia, quæ habeo, reddam; quæ non habeo, vt reddantur, fideliter iuuabo: & do veram pacem Calisto, S. Romanæ Ecclesiæ, & omnibus qui in parte ipsius sunt vel fuerunt; & in quibus S. Romana Ecclesia auxilium postulauerit, fideliter iuuabo. Deinde scriptum Calisti: Ego Calistus seruus seruorum Dei, dilecto filio Henrico Dei gratia Romanorum Imp. Augusto concedo electiones Episcoporum & Abbatum Teutonici Regni, qui ad Regnum pertinent, in præsentia tua fieri, absque simonia, & aliqua violentia, vt si qua inter partes discordia emerserit, Metropolitani & Prouincialium consilio vel iudicio, saniori parti assensum & auxilium præbeas; electus autem regalia per te recipiat (exceptis omnibus, quæ ad Romanam Ecclesiam pertinere noscuntur) & quæ ex his iure tibi debet, faciat. Ex alijs verò partibus Imperij consecratus infra sex menses regalia * per sceptrum à te recipiat. De quibus verò mihi querimoniam feceris, secundùm officij mei debitum, auxilium meum præstabo. Do tibi veram pacem, & omnibus qui in parte tua sunt vel fuerunt tempore huius discordiæ. Data anno millesimo centesimo vigesimo secundo, 9. Kal. Octobris. Et pergit idem Vrspergensis: Huiusmodi scripta atque rescripta propter infinitæ multitudinis conuentum, loco campestri iuxta Rhenum lecta, sunt data & accepta; postquam multimodas laudes rerum gubernatori redditas, celebratis à Domino Ostiensi diuinis Sacramentis (inter quæ Dom-

1122

Tandẽ pax sancitur inter Pontificem & Imperatorem.

Diploma Henrici Imperatoris.

Diploma Pontificis Calisti.

**Nota, de sceptro: scilicet non amplius per baculum Episcopalem & annulum.*

num Imperatorem cum pacis osculo sanctaque communione plenissimè reconciliauit)discessum est ab omnibus cum lætitia infinita. Ita Vrspergensis; refertque ea scripta iisdem quoque verbis Anselmus in suo Chronico: quæ vtinam, sicut diligenter scripta, ita & diligenter deinde fuissent seruata. Eodem hoc anno post Pascha cùm Imp. Henricus Leodij esset, querela apud eum facta de insolentiis cuiusdam Gotuini, castrum eius, quod Mons-falconis dicitur, adnitente sibi Godefrido Duce, obsidet, capit, incendit, & destruit. Ita Anselmus (Diuæus vocat Falcoburgum.) Pergit Anselmus: Anno 1123. Balduinus Ierosolymorum Rex à Saracenis capitur. Et anno sequenti 1124. Canonici Andouerpenses à Godefrido Bullonio Duce Lotharingiæ, & Marchione Andouerpensi fundati, Nortberto & sociis eius templum S. Michaëlis cedunt, & inde ad ædem beatæ Mariæ Virginis migrant. Ita Anselmus. Sed nos de eo mox pleniùs, vbi & alia loca pia tempore huius Godefridi erecta recensebimus. Anno 1125. Henricus Imp. Leodij Pascha celebrat, inde Aquas contendens, morbo dracunculi, qui sibi erat natiuus, molestari cœpit. Deinde Neumaium venit, posteà quasi Pentecosten celebraturus Vltraiectum. Sed cùm per dies languor ingrauesceret, tandem Feria quinta in Pentecoste vitam cum Regno amisit. Hæc Anselmus. Apud Stadensem hoc additur: Et in Spira iuxta patrem Henricum, auum Henricum, & proauum Conradum sepelitur. Vnde adhuc hodie supra quatuor eorum tumbas gradatim inuenies scriptum:

Falcoburgum ab Imperatore destruitur iuuante Godefrido.

1123

1124

Canonici Antuerpienses cedunt templum S. Michaëlis sancto Norberto & sociis.

1125

Moritur Henricus V. Germanorum Rex & IV. Imperator.

Filius hic, pater hic, auus hic, proauus iacet isthic.

Successit Lotharius electus, teste Onuphrio, Idibus Septembris. Sequitur
1126 annus 1126. quo (vt Anselmus ait) exercitus Dei bis cõgressus est cum Saracenis. In primo prælio de Paganis ceciderunt duo millia quingenti, de Christianis solummodò 15. in secundo autẽ non incruentam victoriam habuerunt Christiani; sed quamuis plurima pars eorum perierit, tamen auxilio Dei reuigorati absque numero hostes contriuerunt & vicerunt.
1127 Anno sequenti, quidam Flandrensium Proceres Dominum suum Carolum Comitem Morinorum Brugis in templo S. Donatiani Psalmos canentem iugulant. Actum Kal. Martij. Comitatus Morinorum à Ludouico Rege Francorum datur Guilielmo filio Roberti Comitis Nortmanniæ, fratris Guilielmi Regis Anglorum. Pluribus de his Meierus, ad annum tamen præcedentem (scilicet exeuntem more Gallico non ante Pascha) inter cetera hoc habet: Nortmannum, etsi à Flandrorum Comitum stemmate Mathildem Balduini Pij filiam auiam habuisset paternam, tamen Arnulphus Danus, & Theodoricus Elsatius, Balduinusque Montensis sanguinis propinquitate antecedebant. Sed Nortmanno, qui Ioannam Reginæ sororem duxerat in matrimonium, hoc fauoris

B. Carolus Comes Flãdrorum in templo iugulatur.

Causa longissimi post eà in Flandria belli.

fauoris conciliabat. Hæc ſcilicet cauſa diuturni in Flandria belli. An-
no 1128. Domnus Adelbero Epiſcopus Leodicenſium obiit in Circum- 1128
ciſione Domini, ſepultuſque eſt in Eccleſia S. Ægidij, in qua Canonicos
regulares poſuerat, & multa bona tribuerat. Sic Ægidius. Et eodem
anno, teſte Anſelmo, orta ſeditione inter Guilielmum Comitem &
Morinos (Flandros intelligit) annitentibus Equitio & Daniele Maiori-
bus Flandriæ, accerſitur Theodoricus filius Theodorici Ducis Alſatiæ,
nepos Roberti Comitis Flandriæ ex ſorore Gertrude. Sed dum Gode-
fridus Dux Louanienſis Guilielmo Comiti auxiliaretur, congreſſio
facta eſt vtriuſque exercitus ante caſtellum quod dicitur Aloſt. Ibi Gui-
lielmus Comes quemdam militem aggrediens monomachia, in dextro
brachio lanceatur, & ſubrepente dracunculo, quinto die moritur. Co-
mitatus Theodorico datur à Rege Francorum Ludouico, quia cognatus
eius erat ex matertera Gertrude. Sic Anſelmus. Diuæus hoc modo: Duci
Godefrido Aloſtanos vrgenti coniunctus Guilielmus, Theodoricum
Aloſti obſedit: quem, cùm erupiſſet, ad Appolam victum vſque ad op-
pidi portas inſecutus, à ciue Aloſtano baliſta ictus interiit. Theodori-
cus verò Aloſto egreſſus, omnem mox Flandriam obedientem fecit,
Gothfredo Duce ſibi conciliato. Anno ſequenti, qui eſt Chriſti 1129.
prælium apud Duratium inter Alexandrum Leodicenſem Epiſcopum 1129
& Godefridum Louanienſem Comitem (verba ſunt Anſelmi) in quo
tanta ſtrages fuit, vt peditum vtrimque octingenti & 24. numero in-
ſimul oppetierint. Actum 7. Idus Auguſti. Sic ille. Paulò pleniùs Ægi-
dius: Eo tempore multi aduerſus Eccleſiam calcaneum erexerunt. Non
defuerunt tamen periclitanti Eccleſiæ ſanctæ patrocinia B. Lamberti.
Nam Alexander Epiſcopus contra Louanienſem Ducem pugnaturus,
orationũ munitus clypeis, triduano indicto ieiunio, in congreſſu impar
innumerabilem ſub mœnibus Durachij fugauit & protriuit exercitum,
capto Ducis vexillo, dicto Gallicè Standart, opere plumario, à Regina
Angliæ ei miſſo, quod faſtu ſuperbiæ quadriga boum ferebat. Sum-
ma eorum qui ibi mortui ſunt, fuit peditum vtrimque nongentorum
& 24. exceptis his qui fugientes vulnerati incertis horis & diebus ſunt
mortui. Actum 7. Idus Auguſti. Hæc ille. Verùm magno conſtitiſſe
Leodienſibus hanc victoriam, ſatis indicat verſiculus iſte inter alios ab
eodem poſitos: Louanienſis Dux vix campo ceſſit Godefridus. Cau-
ſam belli his verbis perſtringit Diuæus: Alexander Epiſcopus Aduoca-
tiam Trudonenſis oppidi, quæ veteri iure Duraſſi Comitum erat, pulſo
Gisberto Comite, occupauit: qui commotus hac iniuria, alias Leodien-
ſis Eccleſiæ opes inuaſit. Exinde controuerſiâ vſque ad apertum bellum
progreſsâ, vtrimque vicinos Principes concitarunt. Sic ille. Anno 1130. 1130

Godefridus Dux auxiliatur in Flandria Normãno contra Elſatium.

Caſo Nortmanno, deuincit ſibi eum Elſatius.

Bellum Godefridi contra Leodienſes.

Victoria penes Leodienſes.

Cauſa iſtius dicti belli.

Honorius Papa moritur, Romanæ Ecclesiæ pax interpolatur, altercantibus duobus de Sede Apostolica. Gregorius, qui Innocentius dictus est, veritus potentiam Petri Leonis, tandem apud S. Ægidium appulit,
1131 & fauore omnium Francorum celebratur. Et anno sequenti multo comitatu Episcoporum & Abbatum 11. Kalend. Aprilis Leodium venit.
Pontifex & Imperator Leodij colloquuntur. Ibi à Lothario Rege honoratur; tota ciuitas in obsequio feruet; Dominica in medio Quadragesimæ ad S. Lamberti Missam celebrat, Regem & Reginam coronat, coniugatos Presbyteros excommunicat. Hæc ibi.
1132 Anno 1132. Florentius Niger, frater Theodorici Hollandiæ Comitis, ad venationem pergens in Alstede ad muros Vltraiectinos ab Hermanno Comite de Cuyck trucidatus est. Ita Heda. Et eodem anno Lotharius, collectis viribus, Romam iter parat cum Innocentio Papa; sed vario rerum euentu multas difficultates in eundo patitur. Ac de-
1133 mum anno sequenti 1133. veterem Romam ingressus, Innocentium Papam in patriarchio Lateranēsi relocat, & ab ipso in Imperatorem benedicitur. Sed Romanos à dissidio nequiens reuocare, dissimulato negotio, inefficax rediit. Hæc Anselmus; & subiungit ad annum se-
1134 quentem 1134. Kalendis Octobris: Intempestæ noctis silentio, motus magnus factus est in mari, ita vt littora sua præteriret, & tamen in se
Magna maris inundatio. iterùm resideret. Sequenti verò nocte, primo crepusculo cum omni impetu terminos egrediens, omnia circumquaque, id est villas, castella, ecclesias ita pessumdedit, vt tres Comitatus, id est, Walecras, & Wales,
Bebant an Beuelãt? & * Brebant, cum homine & pecore penitus exterminaret. Sequens an-
1135 nus (loquitur Diuæus) morte Henrici Anglorum Regis, qui gener Du-
1136 cis nostri fuerat, eminuit. Proximo anno Gothfredus Dux Præmonstra-
Parcum cœnobium iuxta Louanium à Godefrido extruitur. tensium cœnobium fundauit prope Louanij muros in venaticis septis, (Parcū appellat.) Anno proximo Alexander Episcopus Leodiensis simoniæ causam, accusantibus suis, dicere coactus in Synodo Pisana mœrore defecit pridie Nonas Iulij, Adalberone filio Comitis Gelriæ suffecto.
1137
1138 Subsequens annus (pergit idem Diuæus) Lotharium Imperatorem sustulit, cui Cunradum Sueuiæ Ducem Principes subrogarunt. Et ecce an-
1139 nus 1139. Brabantis funestus, Gothfredum quoque Ducem 8. Kal. Fe-
Moritur Dux Godefridus, sepultus Affligemij. bruarij maximo omnium luctu hac luce subtraxit, virum fortitudine, religione, ac omnigena virtute conspicuum. Testantur sanè religionem Parcense, Bigardense, S. Michaëlis, Frigidimontis cœnobia ab eo condita: Trudonense verò & Affliginiense beneficiis aucta. Porrò corpore eius Affliginij deposito, Gothfredus maior filiorum eius Ducatum adiit. Sic Diuæus. Sed nūc de Monasteriis ab eo vel eius tempore structis exactiùs tractemus. Anno huius sæculi decimo quinto, teste Anselmo, Tanchelinus hæreticus, qui Andouerpiam, Walacram, & circumiacentes insu-
las

Tanchelinus ſceleſtus hæreſiarcha Antuerpiæ.

las, & maritima loca in partibus illis multis hæreſibus infecerat, occiditur. Factum id, cùm pulſus tandem à Godefrido noſtro nauigio fugit. Habet hoc Molanus. Docuerat is, ſacri Ordinis miniſtros nihil eſſe, Corporis & Sanguinis Chriſti perceptionem ſumentibus ad ſalutem non prodeſſe. Veſtibus deauratis incedens, conuiuiorum apparatibus ſuos dementauerat, in reſiſtentes ſæuierat, nec poterat Antuerpiæ impoſtura dudum extirpari, etiamſi duodecim Clericorum congregatio ab Epiſcopo Cameracenſi in ſubſidium ſacerdotis, qui & turpiter viuebat, & ſolus erat in Eccleſia S. Michaëlis, inſtituta eſſet.

Initia Cœnobij S. Michaëlis Antuerpiæ.

Quare tandem Clerici & charitate & euidenti neceſſitate cogente, S. Nortberto & Fratribus eius per manum Epiſcopi hanc Eccleſiam cum quibuſdam reditibus dederunt, & Clerici in eodem oppido aliam ſibi Eccleſiam conſtituerunt. Tunc (ait Robertus ad annum 1124.) audientes verbum Fratrum, & videntes opera, nonnulli compuncti, Corpus Dominicum, quod vel in ciſtis vel foraminibus per decem aut quindecim aut eo ampliùs annos abdiderant, reportabant. Colligo itaque, Fratres hanc meſiem ingreſſos anno illo vigeſimo quarto; attamen eos Patrem ſeu Abbatem non accepiſſe niſi triennio pòſt, cùm Nortbertus factus fuiſſet Magdeburgenſis Archiepiſcopus, ex Vitæ eius cap. 46. diſco. Atque huic congregationi etiam quædam adiecit hic Godefridus Dux, vt docent eius loci monimenta.

Plura etiam alia Cœnobia in Brabantia tempore huius Godefridi erecta.

Sub eodem quoque Godefrido cœpit Vlierbecum iuxta Louanium Ordinis S. Benedicti ſub annum 1125. perfectum demum anno 1163. Hinc Cœnobium Virginum eiuſdem Ordinis in colle iuxta Cortenberge anno 1129. Et eodem anno Parcum iuxta Louanium Ordinis Præmonſtratenſis, Godefrido Duce locum feris ſilueſtribus animi cauſa alendis deſtinatum in meliores vſus conuertente, conſentientibus filiis Godefrido & Henrico, approbanteque Alexandro Leodienſi Epiſcopo. Poſteà ſub annum 1132. etiam Grimberganum eidem Ordini aſſociatum eſt, cùm priùs fuiſſet Canonicorum regularium anno 1110. à Wilhelmo Berthoutio inſtitutum.

Imprimis quinque Cœnobia Ordinis S. Nortberti.

Sequitur Auerbodienſe eiuſdem candidi Ordinis Præmonſtratenſium circiter anno 1133. erectum. Literæ confirmationis extant Tom. II. Rerum Leodienſium recèns editarum; vnæ Arnoldi Comitis Loſſenſis fundatoris, datæ anno 1134. aliæ Innocentij Papæ idem confirmantis anno 1139. Hinc celebre illud Tongerloënſe item Ord. Præmonſtratenſis ſub annum 1134. Fundator primus fuit vir plebeius (ſic ſcriptum inuenio) ſed opibus pollens, nomine Giſlebertus, qui ſe ſuaque vniuerſa Deo tradens, ibidem Religioſus Conuerſus (vt vocant) factus eſt. Poſteà à variis dotatum, tandem à Ioanne II. Brabantiæ Duce anno 1297. in clientelam ſuſceptum eſt. Hæ tres iam poſtremò nominatæ Abbatiæ, Parcenſis, Auerbodienſis, & Tongerloënſis, ex Abbatia S. Michaëlis

Ex S. Michaële ad tria Cœnobia primi Fratres missi, ad vnum ex Floressia. chaëlis Antuerpiensis primos Fratres acceperunt; sicut etiam anno 1133. cœnobium Heilesemense à Floreffiensi, quod primum omnium in Belgio sub annum 1122. cœpit, vt est Vitæ S. Nortberti cap. 21. Et eodem anno cum Heilesemensi institutum est quoque Monasterium magnum Bigardiense prope Bruxellas.

GODEFRIDVS II.

FILIVS PRÆCEDENTIS, XXV. BRABANTIÆ PRINCEPS.

Præfuit annis tribus.



VIVS Principatum orditur Diuæus his verbis: Corpore superioris Godefridi Affliginij deposito, Gothfredus maior filiorum eius Ducatum adiit; quem cum Henrico, Aleyda, Ida, aliecque Affliginiensi Monacho ex filia Henrici Quarti Regis Germanorum & Tertij Imperatoris extulerat. *Sororum huius Godefridi illustres nuptiæ.* Aleidam Rex Anglorum, Idam Cliuiæ Comes vxores habuerunt. Initio verò sequentis anni Henricus 1140 frater noui Ducis viuis excessit; cuius viduam Laurentiam, Theodoricus pater Flandriæ Comes Irano Balduini Crassi Comitis Alostensis filio iunxit. Ita Diuæus: quæ posteriora totidem ferè verbis ad eumdem quoque annum notat Meierus; verùm vtrùm Henricus alius fuerit ab *Conandũ, si possint Diuæus & Meierus Molano conciliari.* Affliginiensi Monacho, quod vult Diuæus, dubito. Nam hæc habet diligens horum scrutator Dn. Molanus cap. 56. Militiæ sacræ: Godefridus de Louanio moriens duos reliquit filios, sed qui mox eum moriendo secuti sunt. Legitur enim in antiquissimo Codice Parcensis Ecclesiæ: Anno MCXL. obiit Godefridus Dux magnus. Anno MCXLI. obiit Henricus Comes filius eius. Anno MCXLII. obiit Godefridus Dux iunior frater Comitis H. Obiit autem Henricus Comes Cõuersus Monasterij Affligemensis. Cui etiam bona quædam contulit, vt declarat subsequens *Donatio facta Ecclesiæ Affligemensi ab Henrico fratre huius Godefridi.* charta: In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Notum sit omnibus " tam præsentibus quàm futuris, quòd ego Henricus filius Ducis Gode- " fridi Ducis Lotharingiæ & Comitis Louanij, ob declinandas miseran- " das & ærumnosas huius sæculi procellas, ad Monasterium Affligemen- " se quasi portum salutis confugi; vbi Deo & sanctis Apostolis eius Petro " & Paulo



GODEFRIDVS II. XXV. BRAB. PRINCEPS.

& Paulo sub præsentia domini Petri Abbatis, & totius Congregationis, „ adstantibus hominibus meis, meipsum in Monachum offerens, allo- „ dium quod apud Sichne, & Rode iuxta Werde, ex patre meo me liberè „ contingebat, & commune cum fratre meo Duce Godefrido patris mei „ successore possidebam in aquis & pascuis, in campis & siluis, & in om- „ nibus ad ius nostrum pertinentibus, pro anima patris mei, & matris „ meæ, & Clarisiæ sororis nostræ, & pro meipso, & pro prædicto fratre „ meo Duce Godefrido, & sororibus meis Aleide Regina Angliæ, & Ida „ Comitissa, & pro omnibus parentibus & amicis in eleemosyna tradidi. „ Hæc apud Molanum dicto loco. Et consonant quæ sunt in Auctario Gemblacensi, edito à Miræo nostro ex MS. Lipsiano his verbis: Heinricus Comes, filius Ducis Godefridi superiore anno defuncti, militiæ cingulo deposito, Affligemensis Monachus factus, cælestis militiæ signaculum accepit, & citò vocatus à Deo migrauit. Sic ibi. Sed ad res ipsius Godefridi Ducis veniamus. De iis sic idem Auctarium ad annum eumdem 1140. Henricus Comes Lemburgensis, dolens se priuatum honore Ducatus quem pater suus habuerat, Godefrido Duci rebellis erat, contiguos sibi possessionum eius reditus inuadebat, & sicubi præualebat, nulli amicorum eius parcebat. Ita ibi. Quod ne quis putet de patre dictum, his verbis idem Auctor anno præcedenti & patris mortem & filij ingressum consignat: Godefridus, inquit, Louaniensis Dux Lotharien-sium, magnum patriæ suæ decus, vir suo tempore, & tempori & honori (nota) sciens se decenter conformare, moritur, & Affligemensis templi sepultura honoratur. Conradus Tertius Rex huius nominis, Godefridum filium Godefridi Ducis facit paterni honoris successorem, ea maximè pro causa, quia suæ coniugis sororem ei dederat vxorem. Hæc Auctor; qui prosequens anno proximo verba à nobis paulò antè prolata, de Henrico Limburgensi rebelli ista subnectit: Godefridus Dux grauiter ferens insolentiam eius, oppidum S. Trudonis cum multo equitum peditumque exercitu obsedit, ciues ad deditionem coëgit, obsides promissæ sibi fidelitatis accepit. Deinde cum eodem exercitu progressus, & Aquas-Grani oppidum ingressus, cum multo potentatu per biduum in sede iudiciaria resedit, exactiones quas Ducem Lotharingiæ exigere decebat, exegit, oppidanos suæ fidelitati astrinxit, & ne Heinrici Comitis fautores essent, ostentatione potentiæ suæ deterruit. Ita Auctarium illud. Diuæus insuper hoc: Adactis ciuibus vt secum arma caperent, Limburgensem, obiectis copiis reditum impedientem profligauit, & victor in Brabantiam rediit; vbi victoriæ lætitia, nato ei filio, adaucta est, quem suo nomine appellari iussit. Sic ille. sed eum potiùs natum esse anno sequenti, vel etiam fortè 1142. ineunte, sequentia, ni fallor, suadebunt. Nam

Henricus ille fit Monachus.

1140

Godefridus noster patitur sibi infestum Exducem Limburgensem.

Habet vxorem sororem vxoris Imperatoris.

Aquisgranum occupat, & Limburgensem profligat.

Nam & quod Diuæus scribit, eo anno quo natus est infans, mel Louanij pluisse, clarè ponitur in eodem Auctario, vt videbimus, biennio seriùs. Porrò anno sequenti 1141. Adelbero huius nominis II. Leodicen- 1141
sium Episcopus (verba sunt eiusdem Auctarij Gemblacensis) dolens fraudulenta inuasione Comitis Raginoldi iam per 7. annos violenter retineri castrum Bullonium, quod cum omnibus appendiciis suis Otbertus Episcopus multa summa argenti acquisierat Episcopio Leodiensi, inspecta opportunitate castrum obsedit cum multa equitum peditumque multitudine: plus tamen de diuina quàm de humano confidens auxilio, corpus B. Lamberti ad locum obsidionis iussit deferri, sic sperans quod inchoauerat, prosperari & accelerari. Nec frustratus est spe sua. In paucis enim diebus castrum recepit cum Dei & S. Lamberti auxilio, quod multo tempore, multorum labore nimio vix longa reddidisset obsidio. Quanta ibi contigerint, quanta etiã nunc contingant ad corpus B. Lamberti miraculorum insignia, quia non est huius operis, prudentioribus relinquimus æstimanda, vel si eis placuerit, describenda. Hæc Auctor ille: nec quidquam tangit vspiam de bello Godefridi nostri cum Grimberganis; quod tamen Chronicum vulgare, & alij quidam faciunt tam cruentum. Diuæus his verbis commemorat post victoriam de Limburgensi: Ceterùm Bertoldos rursum cornua efferentes impari fortuna Godefridus tentauit: victores enim hostes omnia recuperauêre, quæ Barbatus Dux ademerat: nec feliciorem annum proximum Brabantini habuêre; Gothfredus enim Dux, cùm bellũ Bertoldus rursum moliretur, Idibus Iunij fatis concessit. Hæc ille, bellum hoc primum anno eius sæculi quadragesimo primo gestum esse satis indicans; etsi vitiosus in margine sit numerus. Nam Godefridum defunctum esse anno quadragesimo secundo, mox liquebit. Historia vulgaris (vt eam Latio donauit Grammaius) ista habet, à Godefrido patre ad hunc filium transiens: Postrema Godefridi Ducis (patris) in Grimberganos expeditio cessit prosperè; vici enim aliquot in potestatem redacti, & Asca expugnata, cuius Dominus Grimberganarum partium acerrimus erat propugnator. Nec quidquam Godefridi Primi æuo ampliùs gestum, cui inter mortales vltimus annus fuit 1139. dies 8. Kal. Februarij (intellige, exiens annus ille more Gallico non ante Pascha; alioqui 1140. vt vidimus:) quo moriente (pergit idem Auctor) induciæ cum Bertoldis fuerunt; quibus exspirantibus iterùm nouum bellum gliscere. Exultare Godefridus Secundus Dux victoria recèns contra Limburgenses parta, Bertoldos flocci pendere, Grimbergæ obsidium magnis viribus moliri. Nec latuêre hæc Bertoldum: pretiosissima igitur quæque agri Grimbergani, iussu eius, partim Grimbergam, partim Mechliniam comportata; qua Duci

Victoria S. Lamberti ad Bullonium.

Bellum Grimberganum vt à Diuæo narratur.

Idem bellum pluribus explicatur.

Parat Godefridus obsidere Grimbergam.

transſeundum erat, foſſæ aliaque id genus impedimenta obiecta. Nam oppido exire, & cum Duce manum conſerere cum exiguo copiarũ, quod ad manum erat, Bredanus diſſuadebat. Godefridus itaque Dux in Grimberganos profectus, Strombecam inter & Grimbergam conſederat, ratus Bertoldum, qua erat ferocia, illicò ad prælium deſcenſurum. Verùm Bertoldus (vt diximus) Bredani conſilio munitiſſimo loco ſe continebat. Duci itaque diſcedendum fuit, & Bruxellam reducendæ copiæ. Mox Bertoldus, in agrum Bruxellenſem facto impetu, omnia ſibi à Barbato adempta recuperauit; atque adeò inter infauſti belli tumultus Ducem fata

Diſceditur vtrimque ſine prælio; agri tantùm vaſtati.

1142 occuparunt anno 1142. Hæc ibi. Mortem eius Gemblacenſe Auctarium his annotat verbis: Anno 1142. Godefridus Iunior II. Dux Lotharingiæ, tertio anno ſui Ducatus immatura morte præripitur, hepatica paſſione conſumptus; Louanij in templo tumulatur. Succedit filius eius æquiuocus, primum adhuc agens ætatis annum. Et paulò ſuperiùs ad eumdem annum: In vicinia Louanienſi mel ſtillauit de cælo in modũ roris; quod verum mel fuiſſe, probauerunt multi viſu, guſtu, & contrectatione. Hæc Auctor ille. Sub hoc Principe anno 1140. Iettenſe Monaſterium, quod Diligemium hodie nuncupant, vno à Bruxella milliario in pago Iette fundatur, Fratribus Truncinio euocatis, & Woltelmo primo Abbate cõſtituto. Hæc Miræus ex Balduino Niniuenſi Chronologo. Accidit & hoc memoria inprimis dignum anno 1141. Tiburtini non longè ab vrbe Roma poſiti, occaſione ſchiſmatis de quo ſuprà dictum eſt, haud parêre Romano Pontifici aſſueti, per pacem redigi in obedientiam indignantes, reſiſtere Innocentio Pontifici ſunt auſi. Qua contumelia ſe affici Romani videntes, dum eorum clandeſtinas paterentur iugiter incurſiones, ad ſubiugandos illos omne ſtudium impendere ſunt aggreſſi: ſed ab ijs turpiter in fugam verſi, adeò impatienter hanc ignominiam tulerũt, vt licet poſteà ijdem Tiburtini armis ſpiritualibus & temporalibus Innocentij cedentes, deditionem fecerint; tamen Romani volentes vt eos Pontifex per obſides & ſacramentum ad duriſſima ſubeunda cogeret, nempe, vt ruptis muris omnes prouinciâ cederent; cùm ipſe immani eorũ petitioni annuere nollet, ſeditione mota in Capitolio conuenientes, antiquam Vrbis dignitatem reſtaurare propoſuerunt, ordinemque Senatorum, qui iam per multa tempora ceſſauerat, conſtituerunt, ac rurſum cum Tiburtinis bellum innouarunt, fruſtrà conante Innocentio eos tum minis tum blanditiis à cœptis reuocare. Narrat hæc Otto Friſingenſis huius ſæculi Scriptor; cuius item relatione conſtat, peſtilentem illam auram rebellionis inſufflaſſe Romanis Arnaldum de Brixia nouum hæreſiarcham, dum iactaret laicorum eſſe omnia temporalia, & à Clericis iniuſtiſſimè detineri.

Moritur Dux Godefridus, Louanij ſepultus.

Diligemiũ cœnobium fundatum.

Rebellant Itali Papæ Innocentio.

Antiquam formam Reipubl. Romani reſtituere conantur.

GODE-

GODEFRIDVS III. IN CVNIS FILIVS PRÆCEDENTIS, XXVI. BRABANTIÆ PRINCEPS.

Præfuit annis quadragintaquatuor.



Res huius Principis in hunc modum auſpicatur Diuæus: Repentino Ducis Godefridi ſuperioris interitu quantum Reſpublica detrimenti acceperit, mox apparuit: 1142 Bertoldi enim, quorum impetus nec ab eo nec à patre eius refrænari potuerat, morte eius omnem animum Brabantinis concidiſſe rati, cœptum antè bellum acriùs proſequuntur, & Bruxellenſium finibus quaſſatis, Villeuordiam pagum arcemque, cum alia vicina Netelaria captas exuſtaſque euertunt. Barones intereà Brabantiæ, miſſis ad Cunradum Imperatorem (qui Gothfredo puero auunculus erat) Ducatum nouello Duci confirmari impetrarunt. Quare celebri Ordinum Conuentu Louanij indicto, creatis Duci tutoribus Diſthemij, Birbachi, ac Weſemaliæ Baronibus, & Domino à Wemmela, omnes ſacramenta fecêre: ibidem de repellendis Bertoldis conſultatum. Miſſi qui à Theodorico Flandriæ Comite opem peterent: ijs aduenientibus in hoſtem iuêre; à quo victi, cæſis auxiliaribus, Comitem ſecundò adire compulſi, duriorem eum inuenêre: ſuorum etiam priori clade motus, nouum in Flandria militem colligi vetuit, niſi hac lege, vt adultus Dux ſe beneficiarium eius profiteretur. Quod cùm facturum tutores iureiurando cauerent, è præſenti neceſſitate ijs, ita vti voluerat Comes, promiſſis, maxima nobilitatis Flandriæ pars in Brabantiam profecta eſt: nec minori diligentia Bertoldi ſuæ partis Principes concitabant, mediâ etiam Franciâ militem elicientes. Iis tamen ſeriùs mouentibus, Brabanti, paratis ad expeditionem neceſſariis, Bruxellâ mouent. Arx erat Grimbergæ, binis ab vrbe milliaribus, contra impetũ hoſtilem fortiùs munita: vnde Viluordiam vicinamque regionem Bertoldi depopulari ſolebant. Hanc, omnibus in itinere protritis, adorti, primo impetu captam, obtruncatis cuſtodibus, cum Cœnobio exuſſere. Inde Mechliniam procedentes, eadem clade afflictis circumvicinis villis, cùm oppido obſidionem appararent, Bertoldos cum omnibus auxiliis Grimbergam veniſſe, & arcem multò quàm antè munitiorem reſtaurare cog-

Grimberganus Villeuordiam & vicinam Netelariã euertit.

Pugnant Brabantini cum Grimberganis infeliciter.

Altera pugna in qua Grimberga eſt exuſta, multiq; obtruncati.

nouerunt. Quare, relicta Mechlinia, Grimbergam reuersi, in hostium conspectu castra locarunt. Vbi cùm de summa rei diutiùs deliberatum esset, tandem caduceatorem in hostium castra mitti placuit. Huic in mandatis datum, vt omnium nomine hosti edicat, si positis armis, Ducis ipsorumque arbitrio se causamque suam committat, ipsos omnem daturos operam, vt controuersia sine vllo suo incommodo finiatur. Quòd si omni sano consilio, omni clientis officio, omni denique humanitate reiectis, in rebellione persistat (prolixus sum verbis Diuæi) paratos se iam de summa rei prælio contendere: quo si vinci eum contingat, nihil aliud quàm crudelissimam sed iustam pœnam expectandam. Hæc monentem vix sine iniuria castris excedere iussere. Eo itaque ad suos reuerso, cùm nec minitando nec blandiendo pacati quidquam ab hostibus eliceretur; Barones, ad quos summa rei pertinebat, altera luce omnes ad prælium paratos esse iusserunt. Missus tum consilio Gasebecani Baronis Bruxellam Arnoldus à Craienheymio Eques, infantem Ducem matris vberibus abstractum attulit: quo viso, immane, quantum aucti sint animis milites; præter innatam virtutem, etiam miseratione infantis ad fortiter agendum concitati, quem ex Duce captiuum facturi forent, si ignaui operam nauarent. Altera porrò die, quæ prælio destinata erat, vtrimque Rectores militem castris eduxêre: Dux noster in cunis ante aciei principia salici appensus est, vagitu suo victoriæ auctor futurus. Pari dein ferocia vtrique alteros petiuêre. Pugnatum eo die tanta vtrimque cæde, vt maiorem nullus anteà factam meminerit: neutris tamen cedentibus, superuentu noctis, à prælio destitêre. Simili pænè euentu postera die certamen repetitum. Tertia porrò luce, ex desperata vincendi moriendíve pertinacia, magis accensis animorum odiis, summo furore in prælium ruunt; nec vsque ad meridiem, vter vinceret, discerni potuit. Tum verò Bertoldici, cæsis suorum primis, Brabantinorum vndique inferentium pondere confracti, in fugam se coniecere; & insecuti pari ferocitate victores, nullum cædium finem faciunt, ea crudelitate, vt colorem Senna fluuius ex interemptorum sanguine mutauerit. Nec incruenta fuit nostris ea victoria, nempe desideratis Baronibus Disthemij, Rochellariæ, Wesemaliæ, Birbachi, Lefdaliæ, Rauisij, Trasignij & Horniæ. Hostium verò pænè omnes Duces cæsi, Gerardus cognomento Barba draconis, Arnoldus filius senioris Bertoldi, & hi Domini seu Domicelli, Capellæ, Ittræ, Scoudebroukæ & Barleghemij; Henricus ab Oye-brugga, Ioannes & Sigerus filij Ioannis Domini Bredæ; Comes Vizzonij in Biturigibus Galliæ, Dominus de Coucy Picardus; Domini de Iselstein & Arcle Hollandi; Dominus Brouchorsij Gelrus. Arnoldus verò senior cum Waltero filio captus

Instruitur tertia pugna, misso caduceatore.

Infãs Dux in cunis ad castra adducitur.

Biduo pugnatur dubio Marte.

1143

Demum vincunt Brabanti, etsi non sine magna suorum clade.



GODEFRIDVS III. IN CVNIS, XXVI. BRAB. PRINC.

captus, post sextam hebdomadam dolore vulnerum confectus est; Walterus post quadriennium certis legibus, vt dicemus, custodia dimissus est. Post hanc victoriam Brabanti, euersa Grimbergæ arce, auxiliis dimissis, domum quisque suam concessere. Hucusque Diuæus locutus. Nec cuiquam mirum videatur de infante in cunis aciei præfixo. Certè id olim, teste Iustino, etiam fecerunt Macedones contra Illyricos pugnaturi. Bellica narratio vulgaris, à Grammaio, vt diximus, conuersa, etiam duplo prolixior est; sed nobis hæc Diuæi prolixa satis atque etiam sufficiens visa est. Ponit autem Vulgaris primos belli congressus ad 8. Kalend. Iulij, postremos verò ad 18. Kalend. Septembris, anni 1144. A quo tempore cùm ibidem dicantur fluxisse anni quatuor cùm posteà Cæsar & Francus in bellum sacrum nomina dederunt, euincitur bellum hoc finitum anno præcedenti, scilicet quadragesimo-

Euertitur arx Grimbergana, non tamen omnino, vt ad an. 1159 liquebit.

1143 tertio, vt mox ex anno suscepti belli sacri patebit. Ad eumdem an. 1143. itidem Auctarium Gemblacense hoc habet: Conradus Rex concessit filio Godefridi Ducis iunioris adhuc puerulo, quidquid beneficij vel honoris antecessores eius habuerunt de manu Imperatoris. Sic ibi. Aliquamdiu hæsitaui de tota hac narratione Grimbergensi, quòd Scriptor Gemblacensis eius temporis, & ipse Brabantus, ne meminisset quidem: sed posteà exemit scrupulum illũ Scriptor Affligemensis, quem producemus ad annum 1159. Intereà anno 1144. eodem Gemblacensi testante,

Feuda certa Godefrido ab Imperatore confirmantur.

1144 Fulco IV. Rex Ierosolymitarum quintodecimo anno Regni sui vita de-

1145 cessit, & Balduinus filius ei successit. Et anno sequenti ciuitas Edessa, quæ & Rohaiz dicitur, multo tempore à Christianis possessa, per negligentiam Christianorum & insidias Paganorum capitur, omnesque qui in ea inuenti sunt perfectæ ætatis Christiani trucidantur; adolescentes vtriusque sexus per diuersas Paganorum prouincias in seruos & ancillas

Edessa à Paganis capitur, omnibus Christianis crudeliter trucidatis.

1146 venumdantur. Vnde anno proximo, qui est Christi 1146. Occidentales Christiani dolentes de tanta clade, iustoque dolore commoti, vno animo parique consensu ad debellandos eos proficisci deliberant. In tantum autem erant omnes prompti & alacres ad hanc profectionem, vt & Conradus Rex Teutoniæ, & Ludouicus Rex Franciæ, Religiosorum virorum, & præcipuè Bernardi Abbatis Claræuallensis monitis animati, & ipsi prompto animo ad hanc expeditionem sese accingerent. Sic ibi. Tunc, eodem quoque D. Bernardo agente, Walterus Bertoldus, de quo suprà, carcere liberatus, dato fratre obside, ad idem bellum sa-

Ad secundum bellum sacrũ se accingunt Imperator & Franciæ Rex.

1147 crum Imperatori se iunxit. Pergit idem Auctor: Hinc ergo anno 1147. Conradus Rex Heinricum filium suum Aquis-Grani in Regem sublimauit, ne post decessum suum Regnum absq; Principe remaneret. Pars Christiani exercitus Ierusalẽ nauigio petens, Olisiponem vrbem Hispaniæ,

niæ, virtute Dei Saracenis pulsis, cepit, & Christianis reddidit. Cõradus Imp. cum 50. & ampliùs millibus militũ, & innumerabili manu peditũ, transito mari, quod Brachium S. Georgij dicunt, tum dolo Græcorum, tum incursione Turcorum, tum penuria famis, pænè totum exercitum amisit. Et eodem anno Monachi duodecim cum Laurentio Abbate, & quinq; Conuersis à B. Bernardo ex Clara-Valle in Brabãtiam missi Villariense Monasterium ædificarunt. Anno proximo 1148. Conradus & Ludouicus Reges, qui superiore anno cum infinito exercitu fuerãt trans mare vt Paganos debellarent, nihil prosperè fecerunt; sed tantis exercitus eorum attritus est infortuniis, tum fame, tum mortalitate, tum ferro hostium, vt de tot millibus tam copiosæ multitudinis vix pauci repatriauerint. Eodem anno Alnæ ad Sabim fluuiũ Monachi item Cistercienses per beatum Bernardum collocantur, petente Heinrico Episcopo Leodiensi. Sic Gemblacensis, & finit. Sed non nisi sequenti anno Conradum & Ludouicum reuersos, tum alij, tum Continuator Affliginiensis Monachus his verbis docet: Anno, inquit, 1149. Imperator Conradus & Rex Franciæ Ludouicus sine vllo effectu procinctum soluunt, & ab itinere Ierosolymorum reuertuntur, numquam audita tanta infelicitate tanti exercitus. Ita ille. Annos duos transilio. Anno 1152. teste eodem Affligemensi, Conradus Imp. diem vltimum clausit; cui successit Fredericus consobrinus eius. Et eodem anno in Ecclesia S. Nicolai, quæ constructa est in oppido Brusellensi, Deus per beatam Virginem operatus est tanta miracula, quòd à temporibus Apostolorum adeò magna & frequentia in tam breui tempore nusquam sint audita. Dum enim consensu Abbatis Affligemensis & consilio Fratrum, feretrum in honore S. Mariæ auro & argento operiendum, ab Ecclesia Wauerensi cum ceteris Reliquiis, quæ in eadem continentur, fuisset allatum, & in Ecclesia S. Nicolai decenter locatum, statim operante diuina virtute, per merita gloriosæ Virginis cæci visum, surdi auditum, claudi gressum recipiunt, & tot infirmi variis languoribus oppressi à Paschali hebdomada, vsque in diem Natiuitatis S. Ioannis, sanitatem optatam consecuti sunt, vt si Fratres supradictæ Ecclesiæ hæc per singula stili officio fidelium memoriæ commendassent, non paruum volumen posteris profuturum conscripsissent. Hæc ibi. Annus 1153. magnorum virorum insignitur funeribus. Decessit Põtifex Romanus Eugenius, decessit & eius instructor diuus Bernardus Claræ-Vallis clarissimus Abbas 12. Kalend. Septembris, relinquens ea die (verba sunt historiæ Vitæ eius) inhabitantes in Clara-Valle animas Domino seruientes septingentas septuaginta. Anno 1154. Anastasius Papa ex hac vita decessit; successit ei Adrianus, anteà Nicolaus dictus, Episcopus Albanensis. Anno 1155. Godefridus

Aedificatur Monasteriũ Villariense.

1148

Item Monasterium Alnense.

1149

1152

Moritur Conradus Imp. succedente sibi Frederico.

Bruxellæ in Ecclesia S. Nicolai innumera fiunt miracula.

1153

Moritur S. Bernardus relinquens ea die in Clara-Valle animas Deo seruientes 770.

1154

1155

dus iunior Dux Lotharingiæ, (teste Affligemensi) Margaritam filiam Heinrici Comitis Lemburgensis in coniugio sortitus est: per quod tandem rebus omnibus pace compositis, contentio longo tempore protra-

Godefridus noster inter cetera obtinet etiam Aduocatiã S. Trudonis.

cta, ea conditione finita est, vt Godefridus confirmatum sibi Ducatum sine vlla contradictione, nec non Aduocatiam S. Trudonis, & castellum Rode obtineat, atque omnium quæ possidet idem Comes, post decessum eius, medietatem accipiens, hereditario iure successor fiat. Ita ille. Diuæus nominat Rodam Aquisgrani vicinam arcem. Rursum transeo annos tres, tamquam parum aut nihil instituto nostro adferentes. Ad

1159 annum 1159. hæc notat idem Affligemensis: Bellum grauissimum ortum erat ante annos circiter 20. inter Ducem Louaniensem Godefridum iuniorem, & Walterum cognomento Bertoldum. Puer quidem Godefridus adhuc in cunis iacebat, turba autem seditiosorum vtriusque partis pacem turbabat. Vnde magnum malum processit, & quasi quoddam contagium terram vtriusque inuasit. Agricolæ enim bonis suis spoliati, miseri & exules de finibus suis sunt egressi, terra deserta habitato-

Bellum Grimberganũ quartum & vltimum.

ribus inculta remansit. Erat cernere miseriam, incendia, homicidia, rerum omnium deprædationes violenter fieri ferè per annos 20. donec hoc anno, bello quarto Grimbergensis

Vrbs antiquaruit, multos dominata per annos;

castrumq; magnũ & famosum, quod humana virtute vix poterat, iusto Dei iudicio combustum, & ad solum vsq; dirutum est. Accidit hoc in festo S. Remigij. Itaq; omni auxilio destitutus, à Comite Flandriæ derelictus, cui soli innitebatur, cum Duce, serò tamen, in pacem rediit. Hæc ille Scriptor huius temporis. Diuæus (cuius confusi sunt hîc annorũ numeri) ista addit: Circa idem ferè tempus Godefridus noster profectus in Flandriam, multa Comiti Theodorico obtulit, vt sacramentum à tu-

Heroicum factum nostri Godefridi.

toribus initio Principatus, necessitate vrgente, extortũ remitteret: quod cùm nullis ab eo precibus euinceret, fertur euaginatum ensem Comiti tradidisse, dixisseque, Ceruicem sibi præcidi potiùs cupere, quàm nobilissimum Ducatum Comitis beneficio possidere; delectatumq; ea constantia Comitem, terra Teneramundana (quæ eatenus iuris Brabantici fuerat) contentum fuisse. Mox Godefridus Waltero ac Gerardo ignouit filiis Walteri Bertoldi (de quo superiùs) iisque bona paterna reddidit; ea tamen lege regioni Grimberganæ imposita, vt minor natu iure pri-

Apud Grimberganos minor natu gaudet iure primogenituræ.

mogenituræ in feudis frueretur: qua ratione Walterus Mechliniæ dominium à fratre Gerardo, is verò Grimbergam à Duce beneficium recognouit. Sic ille, nihil tamen àdferens, quomodo illi sic domiti sint. Vulgaris illa à Grammaio conuersa belli Grimbergani Historia, sic item frigidè concludit: Interiecto aliquot annorum spatio post patris mortem

tem Dux noster filios in gratiam recepit. Ferunt Fredericum Barbarossam Imperatorem, vt captis precator adesset, Louanium venisse. Ita ille. Miror, dictos Auctores non meminisse quarti istius belli Grimbergani, quod initio huius anni ex Scriptore eius sæculi iam stabiliuimus. Nec minùs mirum mihi, Annales Flandricos nullam vspiam mentionem facere eorum quæ hîc Diuæus inter Godefridum & Flandriæ Comitem acta describit. Meminit quidem partis alicuius Meierus ad annum huius sæculi quadragesimum, sed prorsus in vnum commiscens diuersissimas res gestas ampliùs octodecim annorum. Anno proximo, qui est 1160
Christi 1160. (loquitur Diuæus) Henricus cognomento Leo, Dux Saxoniæ, Vandalis veteri sede expulsis, missis in inferiorem Germaniam Adolfo Comite Holsatiæ ac Henrico Scatensi, nouas Brabantinorum, Flandrorum, ac Hollandorum colonias in Vandaliam ac Vagriam deduxit: & anno sequenti Louanium muris circumdari cœpisse in scriptis 1161
codicibus reperio. Hæc Diuæus. Anno 1162. Imperator Fredericus, teste 1162
Affligemensi, à Rege Francorum inuitatus, vt sublato schismate, Romanæ Ecclesiæ pax firma redderetur, Concilium in territorio Vesuntionum in Dola villa super Saonam fluuium in Decollationem S. Ioãnis Baptistæ conuocauit; sed Rege Franciæ ab Imperatore auerso, quique sine effectu in sua redierunt. Hæc ille. Causam iniquam Frederici his verbis aperit Neubrigẽsis, Scriptor eius temporis Anglus: Poterat sanè scissura illa citò resarciri, poterat multitudini paucitas cedere atque vniri, nisi Fredericus Imp. veteri odio Rolandi Alexandrum non ferens, partem Octauianam tuendam fouendamque suscepisset. Sic ille. Etenim electus traditur Alexander à XXII. Cardinalibus, tribus tantùm suffragantibus Octauiano. Hoc tantùm adfertur pro Frederico, quòd Alexander non voluerit submittere causam suam Concilio ab Imperatore Papiæ indicto; quare & ibi Octauianus Papa declaratus est, & alij deinde duo post eum per annos octodecim. Anno 1163. corpora trium Magorum à Rai- 1163
naldo Coloniensi Electo, de Ecclesia quadam ciuitati Mediolanensi contigua (Mediolano anno præcedenti à Frederico Imp. capto) translata sunt, & cum magno gaudio & exultatione totius prouinciæ ciuitati Coloniensi illata, & in Ecclesia S. Petri reposita sunt. Hæc Scriptor Affligemensis; & subdit: Quòd si quis vult scire quomodo de partibus suis translata sunt Constantinopolim, & de Constantinopoli Mediolanum, id in Ecclesia S. Petri Coloniensis inueniet. Et sic finit suum Auctarium. Anno 1164. annotante Meiero, cùm schisma per id tempus grauiter Ec- 1164
clesiasticam perturbaret quietem, Henricus Anglorum Rex fretus conditione temporis, non veritus est Ecclesiasticæ libertati manus iniicere, conatus profanæ ditioni omne subiicere Sacerdotium. Sic ille. Et subdit ad

Coloniæ noua ex Brabantia & vicinis locis in Vandaliam ductæ.

Discutitur causa schismatis à Frederico Imp. conflati.

Corpora SS. Trium Magorum transferuntur Coloniam.

1165 ad annum ſequentem: Philippus Comes cum Matthæo fratre & Godefrido Comite Louanienſi, inſtructa multarum nauium claſſe, mouet in Florentium Comitem Hollandiæ, qui per id tempus terra mariq́ue Flandris incommodabat. Ceſſit hæc expeditio Flandris perquam proſperè. Enimuerò Florentius, qui tantam ſibi vim militum piratarumq́ue conflauerat, vt totius maris imperium obtinere videretur, circumuentus vndique à noſtris, deſperata ſpe reſiſtendi, ſine vllo propè certamine ſe ſuoſq́ue Philippo Principi dedidit. Adductus Brugas, atque in Cœnobio diui Donatiani diligenti cura ſeruatus; de piratis nonnullis ſumptum ſupplicium. Sic ille. & prolixè ſecundo anno pòſt, de liberatione eiuſdem Florentij. Et ſubſcribit pro parte Chronicum Hollandicum, vt nunc habetur, itemq́ue Heda. Quin ita etiam notat Continuator Aquicinctenſis ad eumdem annum his verbis: Philippus Comes Flandriæ, & Matthæus frater eius Comes Boloniæ, & Godefridus Dux Louanienſis, cum ſeptem ferè millibus nauium expeditionem mouent aduerſus Comitem Hollandiæ; quem in deditionem venientem cum ſuis Comes Flandriæ diutiùs tenuit in captiuitate. Hæc ille. Interim examinet Lector quid ſibi velit* Ioannes Beka Hiſtoricus Vltraiectinus, qui ſcripſit ante annos trecentos, dum huius belli non videtur meminiſſe, quin potiùs narret his ipſis annis alias huius Florentij Comitis Hollandiæ Friſicas expeditiones.

Godefridus auxiliaris Flandri contra Hollandos.

Florentius Comes Hollandiæ à Flandro capitur.

** Nodus haud exiguus in historia Hollandica.*

1166 Anno 1166. iuxta Diuæum, Hugo Angiæ Dominus, iniuria à Balduino Hannoniæ Comite affectus, arcem in oppido ſuo ædificauit, & Gothfredo Duci fœdere ſociatus, & repentè Hannonio hoſtis effectus, ope Brabantinorum, ipſe poſteriq́ue eius multo tempore Hannoniam infeſtarunt. Ita Diuæus. Meierus his verbis narrat: Sub idem tempus Hugo Angienſis cum filiis Goſſuino, Engelberto, Sigero & Bonifacio arcem apud Angiam exædificauit, profeſſus ſe primùm beneficiarium Balduini Comitis Hanoniæ; ſed paulò pòſt, relicta Hanonij amicitia, fœdus icit cum Comite Louanienſi, eaq́ue ex noua arce, ipſe poſteritaſq́ue eius, iunctis ſibi Brachbantis, perdiu Hanonienſes infeſtauerunt.

Regulus Angienſis ab Hānone deficit ad Brabantū.

1167 Anno 1167. teſte Aquicinctenſi, Fredericus Imp. Italienſes leuibus prœliis fundit; illi autem pro libertate patriæ ſuæ tuenda ſatis animati, de omnibus pænè Italiæ ciuitatibus, quæ inter Alpes & Romam conſiſtunt, in vnum conuenientes, ciuitatem Mediolanenſem egregiè munitam reædificant.

1168 Anno 1168. obiit Theodoricus Flandriæ Comes, cuius hoc Epitaphiū in templo Watinenſi legitur: Hîc iacet ſepultus Dominus Theodoricus de Elſatia, Comes Flandriæ: qui quatuor vicibus Terram ſanctā viſitauit; & inde regrediens, Sanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti ſecū detulit, & villæ Brugenſi tradidit; & poſtquā Flandriam annis quadraginta ſtrenuè rexerat, apud Grauelingos obiit anno Domini M. C. LXVIII. Anno

En firmum documentū ſacri Sanguinis Brugis.

no 1169. Fredericus Imp. ad cōprimendos Italienses ire disponens, Hen- 1169
ricum filium suum adhuc puerum in Regem sublimat Aquis. Et anno
sequenti Thomas Archiepiscopus Cantuariensis ab Henrico Angliæ 1170
Rege, septenni exilio iniuriatus, tandem ipsius Regis permissu ante Na-
tale Domini ad suam sedem reuertitur; sed non multò pòst die 5. Na-
tiuitatis Domini in maiori Ecclesia à satellitibus præfati Regis capite
mutilato, effusoque cerebro coronatur à Domino; ad cuius sepul-
chrum mira & inaudita fiunt miracula. Hæc Aquicinctensis. Eodem
anno, referente Diuæo, Gothfredus noster ab Henrico Luceburgi ac
Namurci, Balduino quoque Hannoniæ Comitibus prælio ad Hagam
Carniriam victus est, amissis duobus virorum millibus. Sic ille. Meie-
rus paulò pleniùs: Per eos dies Balduinus Hanoniensis Margaritæ El-
satiensis maritus, valida ex Flandria Hannoniaque Henrico Namur-
censi, eidem Luceburgensi auunculo suo adduxit auxilia contra Gode-
fridum Comitem Louaniensem, iuris nescio quid in Namurcum de-
poscentem. Ad Hagam Carniriam collata signa, victus fugatusque
Louaniensis duo ampliùs amisit virorum millia. Desiderati ex hac parte
equites omnino quinque, cum peditibus paulò ampliùs centum. Ita
Meierus. Diuæus ista subiicit: Sequenti anno Alexander Episcopus 1171
Leodiensis in Italica expeditione Imp. Frederici interiit: cui Rudol-
phus suffectus, filius Lotharingiæ Ducis. Gothfredus Dux à Namurci
Comite, ope Flandrorum rursum victus. Hæc ille. Mirum quid velit,
nisi fortè hoc notet quod anno proximo ex Meiero proferemus. Inte-
rim hoc anno oppignorauit idem Gothfredus beneficium Ducatus sui,
quod situm est in villa Harstallij (sic loquitur Diploma quod extat in
Rebus Leodiensibus) Radulpho Leodiensi Episcopo pro trecentis mar-
chis in manu Frederici Imp. Sed Diploma signatum est 3. Kal. Octobris.
Suspicor Diuæum hoc voluisse quod notat Meierus ad annum sequen-
tem 1172. his verbis: Balduinus Hanoniensis ex Flandria & Hannonia, 1172
Henrico Namurcensi auunculo suo portauit auxilia contra Henricum
Comitem Limburgensem, fines Namurcensium grauiter infestantem.
Arcem Herlonensem obsedit; sed decimo obsidionis die Limburgius
videns se longè imparem, pacem exorauit. Anno 1173. (narrante Aqui- 1173
cinctensi) contra Heinricum Angliæ Regem (occisorem S. Thomæ
Cantuariensis) coniuratione vxoris & filiorum eius, quorumdam etiam
Optimatum eius exorta, filij eius ad Ludouicum Regem Francorum
contra patrem auxilium petentes confugiunt. Rex verò Francorum
assumpto secum Philippo Comite Flandrensi, in Nortmanniam expe-
ditionem ducit: castrum quoddam cum magna difficultate cepit: sed
his qui in arce eiusdem castri erant, viriliter repugnantibus, eam capere
non

S. Thomas Cantuariēsis Martyr insignibus fulget miraculis.

Godefridus noster infeliciter pugnat contra Comitem Namurcensem.

Oppignorat Godefridus Herstallum Episcopo Leodiensi tracentis marchis.

Rex Angliæ occisor S. Thomæ à filiis & Rege Francorum bello petitur.

non potuit. Rex itaque relicta obſidione, pæne inefficax rediit. Et an-
1174 no proximo Ludouicus Rex Francorum, Heinricus & Richardus fi-
lij Regis Anglorum cum Philippo Comite Flandriæ contra præfa-
tum Regem iterum inſurgunt: qui in Nortmanniam profecti, ciuitatem
Rothomagum obſederunt. Pars verò quædam exercitus Flandriæ, in-
ſtinctu Roberti Cameracenſis Electi, Angliam deprædatura, trans mare
mittitur: quorum alij marina tempeſtate quaſſati, alij verò ab Anglis
militibus viriliter ſuſcepti, & ignominiosè repulſi, cum dedecore ad
propria ſunt reuerſi. Heinricus Rex Angliæ, cernens ſe ab omnibus
impeti, in ſe reuerſus, tandem hoc ſuis imputauit peccatis, & ſuis viribus
diffidens, diuinum poſcit auxilium. Qui Cantuariam veniens, bea-
tum Thomam Archiepiſcopum olim à ſe iniuriosè tractatum, humili
& deuota ſatisfactione, ad ſanctum tumulum eius vberrimè flendo, pla-
cauit. Hæc Aquicinctenſis. Meierus iſta: Eodem anno (nempe 1174.)
multi Flandrorum, qui Robertum Comitem Linceſtriæ, Hugonemque
ab Nouo caſtello Regni Anglici turbatores ex Flandria in Angliã ſunt
ſecuti, ad Fanum Edmundi circumuenti, partim occiſi ſunt, partim
capti, aut in fugam diſſipati. Robertus & Hugo in vincula coniecti.
Sic ille. Diuæus hoc modo: Heinricus Rex Anglorum, Brabantorum
auxiliaribus copiis conductis, Britannorum Proceres ad obedientiam
armata vi coëgit. Porrò Brabantinorum complures Radulphus de Ful-
geriis per regionem ſuam palantes intercepit; moxque, captis Cim-
burgæ arce ac Dolâ oppido fraude cuſtodum, ab iiſdem Brabantinis
cum Comite Ceſtriæ aliiſque confœderatis profligatus, incluſuſque
turri cuidam, ea expugnata captus ad Regem deductus eſt. Hinc multæ
eius terræ arces à Brabantinis Regi ſubditæ. Erat eo tempore Henricus
filius eius Ludouico Francorum Regi fœdere ſociatus. Et progreditur
1175 idem Auctor: Sequenti anno Henricus pater Rex in Angliam cum Bra-
bantinorum copiis profectus, nutantes Regni ciuitates recepit, vbi etiam
capto Guilielmo Scotorum Rege in Nortmanniam reuerſus, pacem
1176 cum Francis iniit. Anno ſalutis 1176. Louanium ferè totum incendio
periit in profeſto S. Laurentij. Henricus quoque iunior Rex cum patre
conciliatus eſt. Brabantinos verò Regis ſtipendia merentes in Aqui-
taniam traductos lego, aliquot poſt annos Burdegalam infeſtaſſe.
Iidem, ductu Chriſtiani Archiepiſcopi Moguntini, Frederico Im-
peratori in Italia quoque eo ferè tempore militabant, vt Robertus
Abbas aſſerit. Albertus verò Crantzius in Saxonia ſua etiam hoc ad-
dit, æſtimatos tum Brabantinos, vt ſuo tempore Heluetios. Hacte-
1177 nus Diuæus. Anno 1177. vt Aquicinctenſis, Auctor eius tempo-
ris narrat, Imperator degens in ciuitate Rauenna, & Alexander Pa-
pa in

Variæ vtrimque editæ clades.

Tandem Rex occiſor in ſe reuerſus, Martyrem humilitate placat.

Brabanti etiam huius expeditionis Anglicanæ ſocij.

Clarent Brabanti ſimiliter aliis expeditionibus.

pa in Venetia, Legationes alternatim de pace inter ipſos reformanda plus vice ſimplici mittunt. Tandem 9. Kalend. Auguſti facta eſt lætitia magna in vniuerſali Eccleſia. Chriſtianus enim Archiepiſcopus Moguntinus, qui & Cancellarius, & Primates Regni cum Epiſcopis conuenientes, Fredericum Imp. ad Dominum Papam Alexandrum, diſcalceatum, & Regiis ornamentis nudatum, in Venetia, in loco qui Altus riuus nuncupatur, adduxerunt. Sanè quàm timoratum Deo, & obedientem Eccleſiæ & Domino Papæ ſe curauerit exhibere, lacrymis pedes eius deoſculando, & regiis muneribus honorando, magnificè demonſtrauit. Sequenti verò die, in feſtiuitate ſcilicet S. Iacobi Apoſtoli, Domnus Papa cum Cardinalibus ſuis & Epiſcopis Miſſam ſolemniter celebrauit, & prædictum Imperatorem à vinculo ànathematis abſolutũ, Corpore & Sanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti, in confirmationem vnitatis & pacis communicauit. Totaque ciuitas lætatur, & Imperatorem muneribus honorans, conuiuiis vacat. Hæc Auctor illius temporis. Et vbi nunc fictum illud; Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis: & velut reſponſum Papæ à Frederico Imp. Non tibi, ſed Petro? quæ etiam vide ſolidè à Baronio refutata. Annos duos intactos relinquo. Anno 1180. teſte eodem Aquicinctenſi, Ludouicus Rex Francorum Septimus, per annum paralyſi diſſolutus, tandem menſe Septembri morbo & vita caruit, cui ſucceſſit filius eius Philippus, huius nominis Rex Secundus. Anno 1181. inter Philippum Franciæ Regem (verba ſunt Diuæi) & Philippum Comitem Flandriæ atrox de Comitatu Veromanduorum bellum exortum. Erant Comitis ſocij Balduinus Comes Hannoniæ, Henricus filius Gothfredi noſtri, qui filiam Matthæi Comitis Bononiæ, neptem Comitis Flandriæ vxorem habebat, cum quadraginta ordinis equeſtris viris. Mouerunt vterque in alterius conſpectum; nihil tamen præter inducias actum eſt. Sic ille, & adſtipulatur Meierus. Pergit Diuęus: Sequenti anno bellum inter Gothfredum Ducem ac Balduinum Hannoniæ Comitem renatum, hac de cauſa: Princeps Angiæ Goſuinus, vicos aliquot in Brabantia poſſidens, Lembecam ex his Balduino oppignorauerat; quam munire volente Balduino, veritus ne in poſterum Brabantinis officeret, miſſis Legatis interceſſit Dux: perſiſtenti in opere arma infert, ac Vanaſtam occupauit. Oppoſuit delectiſſimam ſuorum aciem Balduinus; cumque ad Lembecam congreſſuri viderentur, Philippus Comes Flandriæ Balduinum Comitem ad inducias coëgit, donec Dux ex Aſia, quò iter parabat, reuertiſſet. Porrò anno proximo, paratis omnibus ad expeditionem neceſſariis, Gothfredus Dux in morbum incidit; quo aggrauante, Henricum filium in Aſiam miſit: quò ille delatus, labaſcentes Chriſtiano-

Quomodo Barbaroſſa Imp. fuerit reconciliatus Papa, ex Scriptore iſtius ſæculi.

Exploditur fabula vulgaris.

1180

1181

Henricus filius Godefridi noſtri auxiliatur Flãdro contra Regem Francorũ.

1182

Monet Dux noſter contra Hannones.

1183

Henricus eius filius proficiſcitur ad bellum ſacrũ.

rum res offendit, ex Guidonis Lusiniani, ceterorumque Principum internis odiis; è quibus sumptâ audaciâ, Saladini potentia intantum creuerat, vt Mesopotamiam, & celeberrimam Cœlesyriæ vrbem Alapiam in potestatem redigeret. Porrò sub ipsum Henrici appulsum Damasco egressus, rursum in Palæstinam impetũ fecit. Obiecit se cum exercitu satis copioso Balduinus VI. Rex cum Guidone Lusiniano Sibyllæ sororis marito, Henricus item noster, Boëmundus Princeps Antiochiæ, & Raimundus Comes Tripolitanus, apparebatq; Saladinũ vinci potuisse, nisi nostrorum discordia consilia, pugnæ felicioris fortunã manibus eiecissent. Quare hostis euadens, tentata Petra deserti, sed mox aduentu nominatorum Principum inde repulsus, ad sua reuertit. Eodem anno Gothfredus Dux, superante vi morbi 12. Kal. Septembris vita exiit, Louanij in D. Petri Basilica sepultus. Vxores hic duas habuerat, Margaretam filiam Comitis Limburgensis Henrici, vnde Henricum genuit, Albertum Episcopum Leodiensem, & Aleydam; & ea mortua filiam Comitis Lossensis; è qua sustulit Guilielmum primum Paruisij Dominum, & Henricum Dominum de Cuyck: ad quem quo iure hoc dominium peruenerit, nondum reperi. Hactenus Diuæus, in anno obitus secutus Chronicon vulgare. Sed suspicor ibi irrepsisse 83. pro 86. Nam anno octogesimo sexto huius sæculi eum adhuc viuentem nominat Aquicinctensis sæpè citatus, Scriptor huius sæculi. Qui si fortè credatur errasse vt Godefridum pro Henrico nominarit, certè Meierus quoque ad annum octogesimum quintum vtrumque, & patrem Godefridum & filium Henricum, adhuc viuere testatur, itemque Godefridum etiam nominat adhuc anno sequenti. Meieri hæc sunt verba ad annum octogesimum quintum: Godofredo Louaniensi ex Syria reduci (ita & Molanus cap. 57. quidquid de hoc iam anteà dixerit Diuæus) bellum primo quoque tempore Balduinus Hanoniensis faciendum existimauit, Flandrique opem in illum expetiit. Contrà Flandrus summa ope nisus est componere inter illos gratiam, vt Balduinus sibi contra Gallos auxiliaretur; at nihil promouit. Enimuerò negauit pertinaciter Hanoniensis, pacem se vllam aut inducias Louaniensi daturum. Tali in dissidio Hanoniensis à Flandro discessit, copiasque Tubisiæ adunauit. Eò celeriter Iacobum Auenienſem Philippus misit, qui ab Balduino inducias Louaniensi etiam atque etiam peteret: quas Flandrus postquam non impetrasset, Hillinum Variniacensem cum trecentis equitibus Louaniensi misit auxilio; quo accepto Louaniensis virium incremento, mox Lembecam, quæ Hanoniensis erat partium, incendit, manusque cum Hanoniensi fortiter conseruit. Dum hęc aguntur, Hanoniensis diu multumque à Francis sollicitatus, ad generum suum Philippum Regem Lutetiam

Moritur Dux Godefridus, Louanij sepultus.

Corrigitur error Diuæi, & Chronici vulgaris.

1185

Recrudescit bellum inter Hanoniam & Brabantiam.

tetiam Parisiorum proficiscitur, ac fœdus cum illo contra Philippum Elsatium Flandrum ferit. Ea cognita re inflammatus Elsatius ira, ad vlciscendum protinus Hannoniensem se accinxit. Primùm omnium Iacobum Aueniensem in suas traxit partes, castraque Auenas, Landrechas, Leuzam, Lutosamque ab illo accepta firmis præsidiis muniuit. Philippum Agrippinensium Pontificem, Godofredum Louaniensem, eiusque filium Henricum in societatem armorum adsciuit. Flandrus, adsumpto secum vnà Aueniensi, per fines Cameracensium hostilem in Hannoniam duxit exercitum; alia ex parte Archiepiscopus Agrippinensis cum mille trecentis equitibus, Gothofredusque cum filio Henrico ac magno peditatu populatum venere Hannoniam per Siluam carbonariam; ad hæc Doacenses Pabulanique ab Occidente haud minùs ferociter populationibus & incendiis Hanoniam sunt aggressi. Inter hæc Hanoniensis ingenti mœstitia animi, cùm ex Castriloco omnem circà regionem fumantem ardentemque prospiceret, de sententia Eustathij Rodiensis, de induciis ad hostem misit. Tum Elsatij paululùm resedit iracundia, datisque induciis, auxiliisque dimissis, per Brabantiam rediit in Flandriam. Hæc Meierus illo anno. Qui quidem & sequenti anno Godefridi meminit in hunc modum: Renatum bellum inter Godofridum Louaniensem & Henricum Namurcensem, cui quòd auunculus eius esset, Balduinus Hanoniensis profectus est suppetias, ac Gemblacum cum Monasterio, montemque diui Huberti, ac loca quædam alia ab Louaniensi munita incendit. Sic ille. Ita & Aquicinctensis ad eumdem hunc annum: Balduinus Comes Hainoënsis, & Heinricus auunculus eius Comes Namucensis super Godefridum Ducem Louaniensem vadunt, & eius terram incendunt. Villa Gemblacensis peroptima cum Ecclesia sancti Guicberti tunc est incensa. Hæc ille. Obiit itaque Godefridus hic noster non ante hunc annum 1186. quo etiam fiet vt faciliùs constet illud Chronologicon tritum apud Siluæducenses: GODEFRIDVS DVX E SILVA FECIT OPPIDVM: quo significatur, anno octogesimo quarto Siluam-ducis ab eo fundatam. Sub hoc Principe Godefrido anno 1173. Fastradus miles de Wtwyck Postellæ in Campinia Hospitale instituit, Abbati Floreffiensi id tradens, vt Virgines Ordinis Præmonstratensis ibi constitueret hospitibus seruituras. Et id factum. Sed posteà anno 1270. decretum vt mortuis Virginibus non aliæ assumerentur, sed regerent Hospitale aliquot Religiosi ex Floreffia cum Magistro seu Prouisore ipsis confirmando litteris Ducalibus.

Item aliud bellũ inter Flandrum & Hannonem.

Brabanti Flandris auxiliãtes Hannoniã populantur

1186

Gemblacũ & alia quædam Brabantiæ loca vastantur.

Silua-ducis ciuitas construitur.

Initia hospitalis Postellensis in Campinia Brabantica.

HENRICVS IV.

ALIIS I. DVX,

FILIVS PRÆCEDENTIS,

XXVII. BRABANTIÆ PRINCEPS.

Præfuit annis quadraginta nouem.



ENRICVM filium patri Godefrido succeßisse in Principatum omnes consentiunt; sed quo anno, non æquè clarum est: nostram sententiam iam prompsimus, nempe vt id factum anno huius sæculi octogesimo sexto existimemus. Anno hinc proximo prorsus labefactatæ sunt res Christianorum in Syria, de quo hæc Meierus:

1187 Anno 1187. Saladinus Ægypti Sultanus Tiberiadem obsidebat. Nostri in Syria magna laborabant discordia, Raimundo Tripolitano cum Guidone Ierosolymorum Rege graues in primis simultates gerente. Conscripto nihilominùs exercitu, contra Saladinum itum. Commisso ad Ethinvicum prælio, Tripolitanus in fugam se suosque surripuit. Pugnabant egregiè Christiani, sed pauci à pluribus victi sunt. Guido Rex viuus in hostium venit potestatem. Capta sacrosancta Crux. Ierosolyma ab victore Saladino circumsessa, sexto Nonas Octobris conditionibus redditur. Nostri abeunt incolumes: Sibylla Regina cũ Latinis emigrat; reliqui Christiani nomine Græci, Syri, Armeni, Iacobitæ, Georgiani, Nestorianique remanserunt. Ita Meierus. Aquicinctinus hoc modo: Armenij, Græci Christiani magno dato auri pretio sepulchrum Domini cum sua Ecclesia, & Domini templum à Saladino redemerunt. Remanserunt

Christiani infeliciter pugnant in Syria mutuò dissidentes.

Ierosolyma iterùm venit in manus Barbarorum.

1188 Christianis tantùm Antiochia Syriæ, Tyrus & Tripolis. Sic ille. Anno 1188. hortante Clemente Tertio Papa, parant se Principes Christiani ad capessendum sacrum bellum. Heraclius Patriarcha Ierosolymitanus in Galliam Angliamque eius rei gratia venit. Nouæ tota Gallia pro belli sumptibus imponuntur decimæ; vocanturque hæ Saladinides. Primus omnium ex Belgis mouit Iacobus Auenienſis, delatusque est mari cum septem armatorum millibus in Siciliam; quem secuti statim magna classe Dani, Frisij, Hollandi, Flandrique. Hæc Meierus; & prosequitur ad an-

Paratur tertia expeditio ad recuperanda loca sacra.

1189 num sequentem 1189. Fredericus Augustus, senio licet grauis, sacra indutus



HENRICVS IV. XXVII. BRAB. PRINCEPS.

Fredericus Imp. miserè perit in Armenia.

tus arma validissimum exercitum ex Germania per Pannonias ac Græciam in Armeniam iam perduxerat: qui dum ibi Selephum flumen incautiùs transmitteret, equo offendente; lapsus, ita affectus est, vt inter manus sublatus paulò pòst expirarit. Flandri, Brabanti, Hanones, apud Messanam Siciliæ vrbem Iacobo Aueniensi se coniunxerunt, illoque Duce in Syriam nauigauerunt. Ita Meierus. Expeditionis Principes, ait Diuæus, fuerunt, Fredericus Sueuiæ Dux, Philippus Comes Flandriæ,

Brabanti quoque huius expeditionis socij.

Florentius Hollandiæ, Gerardus Lossensis, Theodericus Cliuiæ, Otto Gelriæ Comites: addunt Henricum Ducem nostrum Chronica Brabantiæ; alij, & veriùs, Iacobum Auenarum Dominum Brabantinorum ingentes copias eò duxisse ferunt. Sic ille. Henricum domi mansisse suspicor ob vicinum incendium, de quo ista Aquicinctensis anno præcedenti: Comes Namurcensis Heinricus filiam suam vnicā adhuc lactentem dat Heinrico Comiti Trecarum, & cum ea, post suum decessum, omnem terræ suæ Comitatum. Balduinus Comes Hainoënsis, ex sorore nepos eius, hoc audiens & videns indoluit. Cùm autem ante mensem Augustum in guerra Regis Francorum, Trecensis inexcusabiliter occupatus

Comes Hānoniensis capit Namurcensem & Bouiniensem arces.

esset, & Namurcensis lecto decumberet, Balduinus vndecumque contracto exercitu castrum milite nudatum reperiens, inexpugnabile castrum Namucense, vt putabatur, fortuna sibi arridente cepit. Mediante autem mense Augusto, vltrà progrediens, & castellum fortissimum Bouiniense obsidione cingens, post diem XV. viriliter cepit, & omnem terram citra Mosam Comitatus Namucensis sibi subdidit. Hæc Aquicinctensis. Addit Diuæus istud ad annum 1189. Lego hoc anno Balduini Comitis ac Henrici Ducis discordiam sopitam, Philippo Flandriæ Co-

1190 mite, & Coloniæ Archiepiscopo auctoribus. Anno 1190. narrante Meiero, Saladinus ex Assyria, Media, Perside, Arabia, Ægypto, maximis ductis copiis, eximere obsidione Ptolemaida conatus, pedem referre cogi-

Reges Frāciæ & Angliæ proficiscuntur ad bellum sacrum.

tur. Hîc duo tamen Latinorum millia ceciderunt. Et eodem anno Philippus Franciæ, Richardusque Angliæ Reges sacram sumpserunt expeditionem. Gallus ex Genua, Anglus ex Massilia in Siciliam sunt delati. At dum hiemem necessariò ibi agunt, in vetera odia simultatesque sunt

1191 prolapsi. Nihilominùs anno proximo 1191. appetente vere, Franci Burgundionesque & Flandri prospero cursu ex Sicilia nauigauerunt in Syriam. Angli verò tempestate in Cyprum compulsi, totam eam insulam sui iuris fecerunt. In Syriam dehinc delati Francis se coniunxerunt. Horum aduentu Barbari necessitate adacti, Ptolemaïdem diu fortiter defensam reddiderunt. Ea in obsidione quinquaginta ampliùs ex nostris Comites & Episcopi pestilentia sunt absumpti, in quibus Philippus Comes Flandriæ, qui decessit Kalend. Iulij, vrbe nondū capta. Vrbe recepta

Francus Rex, cæli grauitatem excusans, domum se recepit. Ita ille; & adstipulatur Aquicinctensis, cui Ptolemais vocatur Acon, apud quem hæc sequuntur: Anno 1192. Radulfo Leodicensi Episcopo, qui cum Frederico Imp. Crucem assumpserat, in itinere anno superiori mortuo; duo per contentionem in prædicta Ecclesia sunt electi, Autbertus scilicet (aliis Albertus) frater Ducis Louaniensis, & Autbertus (item Albertus) frater Comitis de Reitesta. Verumtamen Louaniensi Alberto iustior pars, sanior & multiplicior, fauebat. Heinricus autem Imp. ab expeditione Apuliensi reuersus, electionem vtriusque cassauit, & Lotharium Bonnensem Præpositum ditissimum ad ciuitatem dirigens, palatium Episcopi, villas & castella Episcopij ei tradidit; Clerum quoque cum populo ei obedire præcepit. Hæc omnia, vt quidam existimant, fecit Imperator consilio Balduini Comitis Hainoënsis. Nam propter ipsius Ducis animositatem, & inueteratam erga se simultatem, infestum habebat ipsius fratrem. Ipse verò Albertus frater Ducis, videns factam in se iniustitiam, timore Imperatoris, habitu pauperis viatoris assumpto, ad pedes Cælestini Papæ in Lateranum peruenit. Audita autem Papa electionis ratione & concordia, electo litteras suas tradidit, Archiepiscopo mandans Coloniensi, vt ei munus conferat consecrationis. Denique Wilhelmus Rhemensis Archiepiscopus, litteris à Cælestino Papa acceptis, Albertum Leodicensem Electum in ciuitate Rhemensi mense Septembri Episcopum consecrauit, Archiepiscopo Coloniensi ab eius consecratione se excusante. Eclipsis Lunæ accidit 11. Kal. Decembris. Et subsequenti die Albertus Leodicensis Episcopus, à quibusdam proditoribus extra vrbem Rhemensem eductus, inaudita mortis crudelitate perimitur. Eum Henricus Imp. qui Lothario fauebat, quem in sedem Leodicensem intruserat, à Regno suo excluserat. Qui fuerint interfectores Episcopi, & à quo missi, ignoratur; hoc tamen scitur, quòd de Germania venerint, & illuc confugerint. Isti patrem suum & Dominum de ciuitate Rhemensi callidè educentes, vt liberiùs perpetrarent flagitium, secundo mense consecrationis eius vix elapso, caput sancti Sacerdotis mucrone impio mutilauerunt. Prudens Lector, nota inauditam proditorum versutiam. Pridie enim quàm ista agere deliberarent, * hominium ei fecerunt, ne eos haberet suspectos. Hęc Auctor tunc viuens. Et prosequitur anno sequenti 1193. Henricus Dux Louaniensis, & Henricus patruus eius (intellige auunculus) Dux Ardennensis, insurgunt contra Comitem de Ostada, & Lotharium fratrem eius, quem Heinricus Imp. in Sedem intruserat Leodicensem, pro interfectione Alberti Episcopi nominatæ vrbis; omnia eius castella, quæ circa Rhenum possidebat, capiunt, & quædam destruunt & incendunt; ipse autem Comes cum fratre suo ad Imperato-

Rex Francia capta Ptolemaidá domum reuertitur.

1192

Albertus frater Ducis nostri eligitur Episcopus Leodiensis.

Confirmatur à Cælestino Papa.

Crudeliter idem Episcopus à sicariis necatur.

* Homagium seu sacramentum

1193

Parat Dux noster eiúsque auunculus vlcisci eius necem.

rem fecit confugium. Cælestinus Papa omnes interfectores Episcopi anathemate perpetuo innodauit. Lotharius quoque Leodicensis intrusus omni prælatione à Cælestino priuatur. Henricus itaque Imp. de morte Episcopi supradicti parentibus eius satisfaciens, motus seu turbas Principum Regni, qui aduersus eum propter hanc causam insurrexerant, conatur sedare; ea conditione vt Duci Louaniensi & Ardennensi, cum consilio Capituli liceret quem voluerint eligere Episcopum in sede Leodicensi; qui auctoritate Imperiali freti, elegerunt Simonem filium Ducis Ardennensis. Sic ille. Diuæus vocat Henricum alterum Comitem Limburgi & Arduennæ. Anno 1194. (teste eodem Aquicinctensi) Balduinus Comes Flandrorum & Hainoënsium in ipsis diebus Quadragesimæ exercitum congregans copiosum, contra Heinricum Ducem Louaniæ & quosdam Flandrenses sibi rebelles hostiliter vadit; sed parum proficiens pæne inefficax rediit; & induciæ vix obtinentur vsque ad medium mensis Augusti. Sic Aquicinctensis. Copiosiùs de his Diuæus ad hunc modum: Theodericus Beuernæ & Dixmudæ Dominus, Comitatu Alosti exclusus, inito cum Brabantinis fœdere, Replemondam occupauit; è qua continuis excursionibus vexata Wasia ac Alostanis, ingentem sæpiùs prædam opido inuexit. Porrò Balduinus Comes (quem hæc Brabantinorum ope fieri non latebat) coacta militari manu, Niuellenses ac Angianos Brabantinis consentientes grauiter afflixit; ac Angiam Ingelberto Principi extortam muro nudauit. Tradit Meierus, Henricum Imperatorem, vt hanc contentionem sopiret, in Tessandriam venisse; nihil tamen extra inducias impetrasse vsque in Natalem Baptistæ. Exeuntibus induciis, nouus inimicitiarum fomes bellum resuscitauit. Erat tum Namurcensium Comes Henricus ætate grauis, ac nulla sobole felix. E sororibus eius Adelheide maiore Balduinus Comes, Isabella minore Valeranus Luceburgensium Comes, prodierant. Nec dubium erat Balduinū, ipso iure & compluribus beneficiis auunculum demeritum, eo defuncto, successurum. At Henricus Comes, incertum qua de causa à Balduino alienatus, instigante Duce nostro, Valerano successionem Comitatus addixerat. Hinc in Namurcenses bellum translatum. Erant Henricus Namurci, Valeranus Luceburgi Comites totius negotij capita. His Henricus Dux noster, Henricus Limburgij Comes Valerani socer, cum Henrico ac Valerano filiis, Albertus Arnburgi, Fredericus Vianæ, Gerardus Iuliaci Comites accesserant. Horum auxiliis Namurcensis Balduino occurrit. Tradit Meierus, congressione in Namurcensium finibus Balduinum victorem Henricos Lemburgenses captos abduxisse cum 121. equitibus; nec multò pòst Hallis inter eum ac Ducem nostrum conuenisse. Hæc Diuæus.

Imperator concedit Duci vt eligat cum consilio Capituli Episcopum quem velit.

1194

Comes Flādriæ mouet in Henricum nostrum.

Angia muro nudatur.

Henricus noster auxiliaris Comitis Namurcensis contra Hannonem.

Hoc

Hoc eodem anno, ait Aquicinctensis, Margareta Hainoënsium & Flan- 1194
drensium Comitissa moritur, & in templo S. Donatiani iuxta Carolum *Moritur Margareta Comitissa Flandriæ, Hannoniæ, &c.*
Comitem Brugis sepelitur; cui successit in Comitatu Flandrorum Bal-
duinus filius eius. Sicque Comitatus reuersus est ad iustum heredem
Balduini Hasnoniensis, qui ab anno 1072. possessus fuerat à successori-
bus Roberti Casletensis Comitis (Frisium intelligit) per annos C.XXIII.
Sic ille. Meierus hoc eius adscribit epitaphium: Hæc fuit Margareta *Eius epitaphium.*
vxor Balduini Comitis Flandriæ & Hannoniæ, primi Marchionis de
Namur, mater Elisabeth sanctissimæ Francorum Reginæ, filia Theo-
dorici, & soror Philippi Comitum Flandriæ. Hæc fuit plurimorum
meritorum, præcellens in omni opere bono cunctas mulieres viuentes
tempore suo. Obiit XVII. Kal. Decembris anno Domini M.C.XCIIII.
mense Nouembri. Requiescat in pace. Et pergit: Balduinus futurus
Græcorum Augustus, qui stirps prima inter fratres eminebat, defuncta
matre, Comes mox salutatur Flandriæ, haud ita multò pòst in Hanno-
niam quoque successurus patri. Ac deinde ad annum sequentem: Bal- 1195
duinus Balduini pater, cùm Castriloci grauiter ægrotaret, Philippo fi-
lio Comitatum Namurcensem testamento legauit, adiecta conditione,
vt eum Principatum ipse ab Balduino fratre, Balduinus verò à Cæsare in *Item moritur Comes Hannoniæ Balduinus.*
beneficium acciperet, teneretque; & breui pòst moritur. Tum Baldui-
nus Princeps post ductas magnificè patri exequias, Hannoniensi Princi-
patui est inauguratus; & Philippo fratri iuxta paterni testamenti formu-
lam Comitatum permisit Namurcicum, Henrico autem fratri sexcen-
ta in Flandris, ac quadringenta in Hanonibus assignauit agri iugera.
Hæc Meierus. Anno 1196. teste Aquicinctensi, Heinricus Imp. hieme 1196
transacta, iterùm ad Siciliam & Apuliam proficiscitur, & quidquid in *Paratur quarta expeditio pro recuperanda Terra sancta.*
Regno corrigendum erat, ab eo corrigitur. Præparantur etiam naues &
cetera quæ Teutonicis, qui superiori anno Cruces assumpserant, ad
transfretandum erant necessaria. Ab Apennino monte vsque ad mare
Oceanum per totam Galliam & Germaniam fames in tantum præua-
luit, vt maximam vtriusque sexus multitudinem contigerit interisse.
Nam triticum 40. vel 50. solidis venumdabatur, quod pro quatuor aut
quinque ante hanc pestem dabatur. Sic ille. Hoc anno, referente
Grammaio, consignatur Diploma quoddam Cœnobij Michaëlitici
Antuerpiensis; vbi nominatur Guilielmus de Lyre, Officialis Du-
cis in Antuerpia, cum Scabinis Ducis duobus: qui titulus quid sibi
velit, aliis, vel fortè nostris secundis operis, inquirendum diligentiùs
relinquimus. Anno 1197. fames annis superioribus concepta nullum
habuit temperamentum. Inter Philippum Regem Francorum & Bal- 1197
duinum Comitem Flandrorum pax turbatur, instinctu Richardi Regis
An-

Anglorum. Hæc Aquicinctensis. Eodem anno, vt habet Diuæus, Cælestinus Pontifex & Henricus Imp. fortissimum exercitum in Syriacam expeditionem misere, cui intererant Henricus Saxoniæ, Henricus Lotharingiæ & Brabantiæ Duces, Henricus Comes Palatinus, Valeranus Limburgi Comes, aliique complures. Hi in Syriam delati, Ioppen ac Berytum Saracenis ademerunt. Hactenus rectè Diuæus. At quod subiungit, anno sequenti Henricum Imp. Panormi in Sicilia obiisse 10. Kal. Maij, errat. Nam Aquicinctanus tunc viuens narrat eum obiisse hoc anno; additque Baronius ex Rogerio, eum defunctum in Vigilia S. Michaëlis die 28. Septembris, cùm paulò antè, ipsis Kalend. Septembris (vt Arnoldus quoque Lubecensis tunc viuens testatur) classis eius soluisset Messanâ Orientem versus, sub ductu Conradi Hildesemensis Episcopi Imperatoris Cancellarij, & felicissima vsa nauigatione peruenisset in Palæstinam ad portum Accon 22. eiusdem mensis. Hæc pluribus, quò certiùs etiã constet, quando Henricus noster eò profectus sit.

Proficiscitur cum aliis etiam Henricus noster in Syriam.

Moritur Henricus Imp.

1198 Anno 1198. eodem Aquicinctensi narrante, Cælestinus III. Papa senex & plenus dierum moritur; Lotharius Diaconus Cardinalis, vocatus Innocentius III. ætate iuuenis succedit. Post mortem verò Henrici Imp. Primates regni Teutonici de Rege substituendo dissidentes, Sueui, Baioarij, Alemanni, Apulienses vel Sicilienses Philippum Ducem Sueuorum, fratrem Henrici Imp. tutoremq; filij eiusdem elegerunt; Saxones autem & Lotharingi Othonem Comitem Pictauiensem, filium Henrici Ducis Saxonum, in Aquensi Palatio in Regem sublimauerunt. Duxit autem Otho Rex vxorem filiam Godefridi Comitis Louaniensis ac Ducis Lotharingiæ. Hæc Auctor illius temporis. vnde miror à Diuæo & aliis vxorem hanc Ottonis vocari filiam Henrici, ipsumque Henricum socerum. De Ottone addit Meierus, eum fuisse Ricardi Anglorum Regis & Ducis Normannorum ex sorore nepotem, ne mireris eum vocari Comitem Pictauiensem.

Item moritur Cælestinus Papa

Imperatores duo in schismate, Philippus & Otto.

Ducit Otho sororem nostri Henrici.

1199 Anno 1199. secundùm eumdem Aquicinctensem, Balduinus Comes Flandrorum terram Regis Francorum vastat rapinis & incendiis. Philippus Comes Namucensis frater eius cum aliis quibusdã militibus capitur, qui vincti ferro ad Regem in Franciam diriguntur. Maria Balduini vxor Francorum Regis neptis, Parisios ad Regem pro pace inter ipsum & maritum constituenda proficiscitur. Eam Rex honorificè & suscepit & dimisit. Pax autem hoc anno conditionibus istis est conclusa, vt Balduino Comiti eiusque heredibus tota Flandria vltra nouum Fossatum siue aggerem ad Orientem cedat; Rex verò Atrebatum, Audomaropolim, Lensium, Bapalmam, Ariam, Hesdinum, aliaque citra Fossatum sita. Hæc ibi. Prætensum ius à Francis testatur Meierus ad annum 1191. nempe quasi Isabella Philippi huius

Regi Frãciæ magna pars Artesiæ à Flandro concessa.

Regis

Regis Francorum auia ab Elſatio auunculo ex aſſe fuiſſet heres inſti-
tuta. Anno 1200. narrante Diuæo (nempe ille annus in margine adſcri- 1200
bitur) Otto Imperator, aſſumpto ſecum ſocero (Henricum noſtrum
intelligit) Bopardiam tentauit, quorumdam nuntiis eò vocatus: vbi
inedia exercitum premente ad ſua reuertit. Eodem pænè tempore
cum Theodorico de Are Epiſcopo Vltraiectino Theodoricum Hol-
landiæ ac Ottonem Geldriæ Comites contendiſſe lego. Et anno 1202. 1202
(ſic habet numerus, ſcilicet anno illius ſæculi ſecundo) Henricus Dux
noſter, Theodorico Epiſcopo Vltraiectino confœderatus, in Gelriam
mouit. Occurrit Comes Otto, & congreſſuri proculdubiò fuiſſent,
niſi Otto Imperator, ac Adolphus Archiepiſcopus Coloniæ, vtro-
que Traiectum ad Moſam vocato, pacem fieri impetraſſent, dedu-
ctis tum exercitibus. Alij poſteriùs prælio decertatum captumque Gel-
drum, alij ad Imperatorem iter habentem furtiuè interceptum ferunt.
Conſtat ſanè captum fuiſſe, obſidebat tum Vltraiectum Theodoricus
Hollandiæ Comes; qui fortuna Ottonis Comitis intellecta, ſoluta obſi-
dione, cum omnibus viribus Brabantiam ingreditur: vbi ſubita inua-
ſione, Boſcoducis capto, Guilielmum primum Parwiſij Baronem &
Henricum Dominum de Cuyck fratres Ducis cum ingenti præda abe-
git. Interim Dux noſter, delectis ſuorum tumultuariis copiis, Boſcum
ſeruare properans, cùm captum, hoſteſque iam ad ſua recedere in itinere
cognouiſſet; accelerata quantum poterat profectione, Hoſdenam, (vbi
hoſtes caſtra habebant) iter direxit. Fauit fors cœptis. Hollandi omnis
mali ſecuri, in caſtris agebant. Brabantini ferociter inuecti, ſubito impe-
tu, perculſis omnibus, caſtra cum ipſo Comite cepere, priuſquam arma
arripere hoſtium quiſquam poſſet. Hæc Brabantinorum Chronographi
teſtantur. Hollandici verò ſuos in vico Hoſdena Brabantinorum exerci-
tum, quamuis fortiorem, ſumma virtute excepiſſe, ac ſolo numero vi-
ctos aſſerunt, cùm Brabantini Coloniæ Archiepiſcopi, Leodienſis Epi-
ſcopi, Ducis Limburgenſis, & Comitis Flandriæ auxiliis iuuarentur.
Quidquid ſit, capti vterque Comes, ingenti auro ſe redemêre; adeò vt
Gelrus terram à Traiecto vſque Ruremundam ratione trium millium
marcharum pignori Leodienſibus ſiſteret. Vtrumque dimiſſum Dux
affinitate ſibi iunxit; Florentio Hollandi filio Mathildam, aliam Geldro
collocans. Hæc eo anno à Brabantinis geſta. Sic Diuæus, ſatis confuſè
quidem. Sed quid agas? Auctarium Aquicinctenſe hîc finitur; Meierus
de his nihil habet, ſimiliter nec Chronologus Leodienſis: Vltraiecten-
ſium tantùm Chronologus Ioannes Beka, vicinus iſtorum tempo-
rum, de his agit; ſed prorſus, vti Diuæus iam dixit ea ab Hollandis
Chronologis narrari. Ego iſta eius verba adiicienda cenſui: Theodoricus
Hol-

Henricus noſter auxiliaris Epiſcopi Vltraiectini contra Gelrum.

Comes Hollandiæ, capto Buſcoducis, primores etiã captos abducit.

Brabanti excutiunt Hollando prædam.

Affines Ducis noſtri fiunt vterque, & Geldrus & Hollandus.

Hollandiæ Comes (inquit) volens Ottonem Geldriæ ſuum complicem
eruere de manibus Ducis, diſſoluit obſidionem ab vrbe Traiectenſi, ac
oppidum Ducis, quod dicitur Buſcum, obſedit in manu forti; quod tan-
dem die 7. menſis Septembris armipotenter intrauit. Wilhelmum fra-
** Notent ſtudioſi, hunc de Buſch, vocari ſuprà de Cuyck.* trem Ducis, ac Henricum de * Buſch complurimoſque milites cepit. Ita
Ioannes Beka. Heda, alioqui eadem narrans, ſic habet: Et Siluamducis
oppidum non ſpernendum circumuallans, die ſeptimo ad deditionem
coëgit, in quo Wilhelmum fratrem Ducis cum multis nobilibus cepit.
1203 Hæc illi. Anno 1203. teſtibus ijſdem, cùm Theodoricus Comes penſatis
Moritur Theodoricus Comes Hollandiæ. damnis cum magno pondo auri iam anteà laxatus eſſet, 2. Nonas No-
uembris apud Dordracum ceſſit è viuis, vnica filia nomine Ada relicta,
antequam illi tutorem deſignaſſet, conqueſtus multùm de abſentia fra-
tris ſui Wilhelmi Comitis Friſiæ. At coniunx eius habens Wilhelmum
Comitem exoſum, & regendi ipſa cupida, nondum adimpletis exequiis
acciuit Ludouicum Comitem Loſſenſem ex arce Altena; cui properè ad-
uenienti Dordracum deſpondet Adam filiam, & næniis (proh pudor!)
miſcentur nuptiæ. Ita illi, cauſam aperientes ſecuti inde belli Hollandici.
1204 Anno 1204. iuxta Stadenſem, Teutonici, capta Conſtantinopoli, Regem
Capta Conſtantinopoli Balduinus Flander cõſtituitur Imperator. ſibi Comitem Flandriæ Baldeuinũ conſtituerunt. Ita ille. Et eodem an-
no, narrante Diuæo, Philippus Imperator, Ottonianæ factionis Principes,
alios armis, multos verò pretio, variiſque pollicitationibus partibus ſuis
conciliabat. Fuit in his & Henricus noſter, quòd Otto Imp. Mariæ vxori
1205 eſſet iniquior; quam & paulò pòſt repudiauit. Anno proximo idem Phi-
lippus pulcherrimo ſuæ partis Principum numero ſtipatus Aquas venit;
vbi ab Adolpho Colonienſi Archiepiſcopo corona redimitus eſt. Mox
Dux noſter relicto Othone pugnat pro Philippo Imp. Adolphus à Romano Pontifice ſacris amotus, quòd Imperatori ſibi in-
uiſo adhæreret, ſucceſſorem accepit Brunonem; qui Ottonis Imp. parti-
bus addictiſſimus erat, in cuius & fide Colonienſes perſtabant. Quos
Philippus ope ſibi deuotorum, ac Henrici imprimis Ducis noſtri anno
1206 proximo 1206. impetens, Ottonem cum Brunone in itinere ſeſe oppo-
nentes ad Waſſenbergam profligauit: vbi Brunone capto, Otto Colo-
niam, inde ciuibus diffiſus in Angliam nauigauit. Ea clade conſternati
Colonienſes, Henrico Duce noſtro interceſſore multis precibus parato,
Bopardiæ Philippum ſupplices accedunt. Recepti in fidem, miſſo illuc
Cunrado Archiepiſcopo Moguntino, ſacramenta præſtiterunt. Ita Di-
uæus, & adſtipulatur Stadenſis huius ſæculi Scriptor his verbis ad eum-
dem hunc annum adſcriptis: Philippus & Otto iterùm vires ſuas circa
Coloniam ſunt experti, & Otto iterùm grauiter vulneratus. Tandem
Colonienſes, dimiſſo Ottone, in Philippi gratiam redierunt. Et ſubdit
1207 idem Auctor: Anno 1207. Philippus & Otto, habito Conuentu in Que-
delin-

delinburg, duobus Cardinalibus præſentibus, de reconciliatione tentan-
tes, nihil profecerunt. Et anno ſequenti Rex Philippus à Comite Witilſ- 1208
pach in Bauenberg occiditur 11. Kalend. Iulij, & in Spira ſepelitur. Rex *Imp. Philippus occiditur.*
Otto, accedentibus ſibi primùm Saxonibus, deinde Principibus, deſpon-
ſata ſibi etiam Regis Philippi filia, ſubitò eſt in Imperio confirmatus.
Ac deinde anno proximo Romæ à Papa Innocentio coronatur. Hæc Sta- 1209
denſis. Diuæus de coronatione diſtinctiùs: Otto Italiam ingreſſus, omni- *Otho Imp. Romæ coronatur.*
bus Romam vſque in fidem receptis, 4. Nonas Octobris ab Innocentio
Pontifice Imperiali corona redimitur: quibus peractis, in Apuliam pro-
fectus, oppida eius regionis plurima ſubiecit Imperio. Pontifici mini-
tanti excommunicationẽ, niſi occupata redderentur Eccleſiæ, Otto non
paruit, quin etiam Campaniæ manum iniecit, Frederico Henrici VI.
Imp. filio Siciliæ Regi ſubiectæ. Quare ſequenti anno, cùm Innocentius 1210
Pontifex Ottonem tota Germania excommunicatum declaraſſet, Prin- *Fredericus II. creatur Imp. excommunicato Othone.*
cipes Germanorũ, Conuentu celebrato, Fredericum Regem Siciliæ Im-
peratorem creant. Erant eorum primi Rex Boëmiæ, Dux Auſtriæ, Dux
Baioariæ, Landtgrauius Thuringiæ, Siphridus Archiepiſcopus Mogun-
tinus. Hugo etiam Leodienſis Epiſcopus Ottonem tota diœceſi ſua ſa-
cris amotum, & Imperio depoſitum pronuntiauit. Anno 1211. Henricus 1211
Palatinus Comes, Henricus Dux noſter alijque aliquot Ottoni addicti,
Moguntinam regionem grauiter depopulati ſunt. Et ſub finem eius anni
Otto in Germaniam rediit. Anno ſequenti Henricus Dux noſter Ottoni 1212
nimiùm addictus menſe Maio in Leodienſes mouit; quos cùm igne & *Henricus noſter Othoni nimiùm addictus mouet in Leodienſes.*
ferro variè afflixiſſet, ipſam vrbem regionis primariam Aſcenſionis fe-
ſto armis cepit, Epiſcopo paulò antè Hoyum elapſo. Hîc magna cru-
delitate graſſatus miles, templorum, matronarum, virginumque nihil
intactum reliquiſſe fertur: commiſſa in ipſis Baſilicis homicidia, ſtu-
pra; nec incendium vrbs euaſiſſet, niſi Caſtellanus Bruxellenſis fi-
lium ibi Canonicum habens obſtitiſſet. Intereà Epiſcopus Hoyo in
Ducem excommunicationem iaculatus, vltorem D. Lambertum, cu-
ius ſacra temerata fuerant, inuocabat; verùm, id contemnentibus Bra-
bantinis, cùm armis ſpiritualibus non poſſet, decreuit profanis impetum
propellere. Collecta igitur non modica militum manu, abſcedentes in-
ſecutus, conſequi non potuit. Innocentius verò Pontifex, hac re com- *Tota Brabantia ſubiicitur à Papa Eccleſiaſtico interdicto.*
perta, toti Brabantiæ ſacris interdixit, Leodienſes à præſtito per vim Ot-
toni ſacramento abſoluens. Otto verò Imperator eodem tempore Thu-
ringiæ Lantgrauium Hermannum bello petiit, cuius munitiſſimas arces
Rotenburgam & Salſungam cum oppido Wiſenſi deſtruxit. Dum hæc
fierent, Fredericus Alpibus Rhæticis in Germaniam delatus, Conſtan-
tiam venit: cui, relicto Thuringico bello, occurrens Otto, multis cum

X deſe-

deserentibus, in Saxoniam confugit; Fredericus verò Hagenoa mox potitus est. Hæc Diuæus. Ceterùm quanta fuerit clades Leodiensibus à nostro illata, etiam externus Scriptor eius temporis Stadensis his paucis verbis satis indicat ad eumdem hunc annum: Dux, inquit, Brabantiæ
1213 Leodium destruxit. Anno insequenti 1213. Fredericus mense Maio in celeberrimo Principum Conuentu coronatus est (verba sunt Diuæi.) Erat

Dux noster socius Frā corum contra Flandrum, & quare.

ei confœderatus Philippus Francorum Rex, Ottoni ob Anglicam affinitatem infestissimus. Huic Philippo eo anno graue cum Ferdinando Flandriæ Comite, Ioannæ Constantinopolitanę marito (cuius pater Balduinus octauo priùs anno ad Hadrianopolim seu captus seu cæsus erat) cœpit bellum: in quo Henricus noster, quamquam Ottoniarum alioqui partium, Regi fœdere iunctus, simul Ferdinando Ottonis amico obsistebat, ob promissam scilicet Leodiensibus opem à Ferdinando alienus.

Ducit filiam Regis Francorum vxorem.

Profectus ergo Suessiones ad Regem, Mariam filiam eius vxorem duxit; pactus cum Rege, vt bellum Flandriæ inferens, Comitem inprimis ab ope Leodiensibus præstanda diuerteret. Reuersus itaque à Suessionibus Henricus, mox in Leodiensem terram processit: vbi toto Lossensi Comitatu ac Hasbania igne consumptis, Tungros cepit: quibus dire-

Henricus secundò Leodienses inuadit.

ptis, in Leodium impetum fecit: repulsus tamen virtute ciuium, concrematis suburbiis, circa vesperam suos Stendremaliæ castra locare iussit. Confederant non procul inde Hugonis Episcopi, Ludouici Lossensis, Henrici Arduennæ Comitum copiæ: à quibus non modicam eo die (erat 15. Kal. Maij) Brabantini itinere fessi iacturam accepêre. Postridie Dux Hugardiam versus mouit: vbi Episcopus Hoyanos, Dionantenses ac Fossenses sese opperiri iusserat; ipse verò Ducis vestigiis insistens, prope eum sub vesperum castra locauit. Altera die, quarto videlicet Kal.

Cruentum prælium inter Leodienses & Brabantinos.

Maij, vtrimque productis exercitibus, ferocissimè concurrunt. Brabantini oratione atque exemplo Ducis sui animati, summa virtute irruentes, Lossensem equo deiecerunt. Pauidus inde Arduennas, qui proximè confligebat, iam fugam circumspectabat, nisi Lossensis virtute fratris in equum sublatus fuisset. Vnde confirmati Leodienses, Brabantinos fame ac priorum dierum lassitudine pænè enecatos facilè in fugam disiiciunt.

Brabanti victi, maximè Louanienses & Lyrani.

Louanienses porrò ac Lyrani (qui in prima acie dimicabant) multis hostium interemptis, ad 2000. periêre; reliqui dispersi, hac illac domum cum ipso Duce confugerunt. Episcopus post hanc victoriam, exustis Thenensium agris, Leuiam expugnauit cum arce Hannuti. Ita Diuæus. In Chronico citato nomine Chronici Gemblacensis, in Notis tom. 2. Rerum Leodiensium, iisdem his narratis, sic Auctor concludit: Tunc venit Hugo Episcopus, & cum eo Ludouicus Comes Lossensis, & multos de exercitu Ducis interfecerunt, ita quòd ad duo millia nume-

rus

rus eorum aſcendit, & pro maiori parte de Louanio & de Lyra extiterunt.
Et poſteà incenderunt Lyewis; & tandem ex iſtis comprehendi poteſt,
quàm ſit periculoſum Eccleſiã Dei perturbare. Namq; qui anno Domi-
ni 1212. Brabantiniones tam horrenda mala in Eccleſiis Leodij perpetra-
runt, hæc eis ſtrages hominum anno ſequenti 1213. ad Steps iuxta ca-
ſtrum de Montenaken euenit. Hæc ibi. Addit Diuæus deinde ad eum-
dem hunc annum, ſed inuerſo temporum ordine, vt mox docebimus:
Philippus intereà Rex Francorum, Flandriâ pænè in poteſtatem redactâ,
Gandauo copias admouit. Ad quem Dux noſter profectus cum ſuorum
ampla manu, cis-Scaldana parte vrbis verſus Brabantiam caſtra poſuit.
Dum hîc ſedent, Ferdinandus Comes auxiliis Anglorum adiutus menſe
Iunio claſſem regiam in portu Dammenſi oppreſſit, & ſuis expoſitis
Dammum oppugnare adoritur. Porrò Philippus Rex cum Duce noſtro
Dammenſibus auxilio profectus, profligata Flandrorum Anglorumque
acie, & reliquiis claſſis incenſis, Gandauum mox terrore eius victoriæ
cepit; imperatiſque toti Flandriæ obſidibus domum retrò abiit. Poſt cu-
ius diſceſſum Ferdinandus potitus mox rurſum omni Flandria, adiun-
ctis ſibi Guilielmo Saleberiæ ac Guilielmo Hollandiæ Comitibus, ſta-
tim in Brabantiam duxit; vbi Henricum Ducem ſubita inuaſione Bru-
xellæ incluſum pepulit, relicto Franco, ſecum fœdus inire, Henrico &
Gothfredo filiis obſidibus. Hæc Diuæus, ſed turbato temporis ordine.
Nam vt ex Meiero conſtat, obſidio Gandaui contigit ſtatim poſt Pente-
coſten, & clades Brabantinorum in Octobri, non in Aprili, quod ponit
Diuæus. Nam ita legitur de hac pugna apud Leodienſes;

Dux noſter cum Rege Frãcorum obſidet Gãdauum, & paulò pòſt capit.

Vlciſcitur ſe inſigniter Flander de noſtro Duce.

Corrigitur ratio temporum in Diuæo.

At Brabantini cæduntur nocte Calixti.

atque adeò (vt ibi etiã clarè exprimitur) Dominica qua cantatur Iuſtus
es Domine, 3. Id. Oct. id eſt in Vigilia Calixti Papæ. Neque etiam veriſi-
mile eſt, (quod ſecundũ Diuæum dicendum eſſet) tanta accepta clade in
Aprili, Brabantinos circa Pentecoſten mox in Gandauenſes proſiliiſſe.
Ceterũ clades illa poſtrema illata per Ferdinandum contigit deinde in
vere, anno eodẽ 1213. exeunte more Gallico ad Paſcha, hoc eſt 1214. more
Romano ineũte. De ea ſic Meierus ad finem dicti anni 1213. inter cetera:
Eò neceſſitatis Louanienſem adegit Ferdinãdus, vt relictis Philippi Re-
gis partibus, nouum ſecum fœdus ſocietatemq; armorum iungere illum
compelleret, datis in eius rei fidem obſidibus, duobus eius filiis Henrico
& Gotofredo, qui mox Gandauum ducti ſunt aſſeruandi in arce. Hæc 1214
Meierus. Initio ſequẽtis anni (verba ſunt Diuæi) Otto Imp. latebris Saxo-
niæ egreſſus, Ottonis Geldriæ Comitis ſibi diſſentientis terrâ latiùs per-
uaſtatâ, Traiectum ad Moſam venit; vbi Valerano Limburgi Comite
aliiſq; eius tractus Nobilibus in ſocietatem adſcitis, & ipſe bellum Fran-

Henricus noſter auxiliaris Flandri cõtra Francum.

corum Regi parabat; in quod Ferdinandus Comes, Rex Anglorũ Ioannes, Henricus Dux noster, Reinaldus Comes Boloniæ nomina dederãt. Ferunt, tum Mariam Brabantini filiam ei iunctam fuisse: quod tamen multò antè accidisse, ex Abbate Vrspergensi eius temporis æquali retulimus. Assumptis igitur ijs qui auxilia non modica adducebant, per Brabantiam in Hannoniam progressus, Valentianis summo honore à Ferdinando Comite exceptus est. Hîc Cõuentu celebrato, cõuenêre eius partis Principes, frater Imperatoris, Henricus Palatinus, Henricus Dux noster, Valeranus Limburgi Comes, Guilielmus Comes Saleberiæ cũ Anglicis auxiliis, Bernardus Dominus de Oistremala, Gerardus de Randenroda. Dum hîc de summa belli deliberant, Tornacenses Francorum Regem vrbe receperunt: quorum defectione non parum territis, ne ceteri eorum exemplum sequerentur, placuit omnes copias mox eò deducere. Quare cùm Moretaniam tribus à Tornaco leucis mouissent, Philippus Rex, ne inuitus prœlio decernere cõpelleretur, Tornaco munito, Insulas altero die processit. Erat is Dominicus dies, quo Ottonianos quieturos sperabat; at illi comperto Regis itinere, summa celeritate insecuti, ad pontem Bouinum exercitus postrema inuadunt. Quo animaduerso, Rex subsistere suos, ac signa Ottonianis inferri iussit; moxque cùm in Menij pagi fano orasset, acies instruxit, Comitẽ S. Pauli in dextro, Eudonem Burgundiæ Ducem in altero collocans; ipse mediam aciem sibi sumpsit; Flammulæ vexillum Valoni de Montiniaco Equiti cõmittens. In aduersa acie Otto se Regi, Henricum Ducem nostrum cum Reinaldo Boloniæ Comite Eudoni, Flandrum S. Pauli Comiti opposuit, tradita Aquila viro fortissimo Bernardo Oostremalo. Primi omnium Campani à dextro Francorum cornu in Flandros irrupêre; quibus paruo negotio profligatis, Flandri ceteram S. Pauli Comitis phalangem premebant, cùm eos Pontini ac Guiennæ Comites à tergo adorti, trucidatis compluribus in fugam coniecêre, Ferdinando Comite capto. Tum Victor San-Paullinus, nullo iam à Flandris metu, Regi à Germanis presso opportunus adcurrit. Hi enim capiendi Regis desiderio, intimis aciei mediæ penetratis, cæsis corporis custodibus, circumuentum equo deiecerant; actumque de eo erat, nisi à Petro Tristano alteri impositus, & superuentu San-Paullini euasisset. Nec minor Franciæ nobilitati ardor erat, Imperatorem in potestatem redigendi; quem, ne securi pectus ei diuideretur, pernix equus auexit. At Rege periculis exempto, Otto vndique Francorum ferro impetitus, abiecto cultu in tutum se recepit. Restabant Dux Henricus & Reinaldus Comes; qui, ceteris profligatis, diu Francorum impetu sustentato, tandem cessere. Dux amissis 700. equitibus fortissimis, fuga sibi consuluit. Comes ab hostibus captus est. Acta hæc 7. Kal. Augusti: vbi capti sunt

Otho Imp. & Rex Frãcorum singuli cum sociis arma expediunt.

Cruenta inter Imp. & Regem Francorũ pugna iuxta Tornacum.

Capitur Ferdinandus Flandriæ Comes.

Imp. & Henricus noster fuga sibi consulunt.

sunt Flandriæ, Saleberiæ, Bononiæ, Palatinus, Comites; Oostremalus, Randenrodius, & nobilitatis Flandriæ multitudo. Regresso in Brabantiam Duci metum incussit non modicum nouum Imperator Fredericus: qui Rheno transito Mosaque, & subactis eius tractus Principibus, Brabantiæ bellum minabatur. Itaque hunc Dux cum plurimis suæ terræ Nobilibus accedens, iurata fide, oblatoque obside filio, facilè pacauit, & ab Ottone discessit: quo tempore Leodiensi etiam Episcopo conciliatus *Henricus relicto Ottone Imp. partes Frederici sequitur*
est. Sequentis anni 1215. principio Innocentius Pontifex, celebrata Late- 1215
rani Synodo, sacram expeditionem, missis tota Europâ litteris, edixit: in quam, Aquisgrani Conuentu celebrato, nomina dedêre, Fredericus Imp. Siphridus Archiepiscopus Moguntiæ, Hugo Leodij Episcopus, Bambergæ, Patauiæ, Argentinæ Episcopi: Henricus Dux noster, Dux Merauiæ, Dux Limburgi Valeranus, Dux Anceiæ, Comes Palatinus Tubingæ, Marchio Badenus, Ludouicus Lossensis, Adolphus Montensis, Ioannes Spanheimensis, Iuliaci Comites; aliique innumeri Nobiles. Theodoricus Treuirorum Archiepiscopus ac Henricus Dux noster Coloniam profecti (quæ etiamnum cum Theodorico Archiepiscopo suo Ottonem reuerebatur vt Imperatorem) ciues ad obedientiam Frederici reduxêre, interdicto sacrorum, cui per annum & quinque menses obnoxij fuerant, solutos: vbi quarta Augusti Imperator summo cum honore exceptus, septiduo commoratus est. Et paulò pôst Engelbertus filius Comitis Montensis à Clero Archiepiscopus electus est. Mense Iulio anni sequen- *Item Colonienses ad Fredericũ traducit.*
tis 1216. Henricus Dux Cœnobium ac leprosorũ domum condidit pro- 1216
pè Louanium, eo loco qui Bancum dicitur; cuius fundationis testes fuêre, Gosuinus Dominus Heuerlæ, Dominus Rotselariæ, à Gocenchuria, ab Attencuria, à Limala Equites, & alij. Hæc Diuæus. Anno 1217. teste *Fundatur Leprosarium in Banco iuxta Louanium.*
Meiero, Christiani Principes, Vngari imprimis & Germani, sacro repe- 1217
tito bello, amplissimo exercitu terra mariquè in Orientem contendunt. Ex Flandris Hanonibusque qui sunt profecti, Galterum Aueniensem habuêre Ducem. Ioanna Princeps omnibus modis laborabat per Papam & alios Ferdinandum virum liberare; sed nihil promouit, iurante Rege,
se viuo, numquam liberatum iri. Anno quoque proximo Fredericus 1218
Cæsar manus iniecit Alostanis, Wasiæ, Quatuor Officiis, & insulis Zelandicis, eò quòd Ioanna Comes non venisset iuratum in eius verba. Vbi cùm excusasset Ioanna viri captiuitatem, per quam non licuisset sibi id satis maturè facere, eam excusationem interuentu quorumdam Augustus tandem accepit. *Terra Alostana & vicina cum insulis Zelandicis feuda Imperij.* Christianum exercitum ex Syria Rex Ierosolymorum in Ægyptum duxit, ac Damiatam clarissimam vrbem obsedit. Decessit Cæsar Otto apud Brunouicum. Sic Meierus. Paulò pleniùs Leodiensis de morte Ottonis: Anno, inquit, gratiæ 1218. Otto cùm in suo *Moritur Otto Imp.*

 deam-

deambularet secretario, tantam, vt dicitur, sumpsit copiam electuarij laxatiui, quòd disrupta viscera cogeret ebullire. Ita ibi. Pergit Meierus:
1219 Anno 1219. nostri in Ægypto Duces Damiatam nobilem vrbem longa
Damiata Aegypti à Christianis capitur.
domitam obsidione, tandem, absumptis pestilentia omnibus pænè defensoribus, paruo negotio mense Nouembri ceperunt. Quo grauiter nuntio perculsus Conradinus Sultanus, Ierosolymam muris nudauit, de retinenda ea desperans, Dauidis tamen turri, ac sacrosancto sepulchro Domini, victus Religiosorum virorum precibus, pepercit. Hæc Meierus. Eodem anno (referente Diuæo) Reinerus ab Vdechem Eques, filias suas quas octo habebat, Præmonstratensium habitum indutas sacro velo
1220 texit, in vico Pelleberga, qui vno à Louanio milliari distat. Anno 1220.
Fredericus Imp. Romæ coronatur.
Fredericus II. Imp. Romæ in Basilica Vaticana ab Hugolino Ostiensi Episcopo, Legato Honorij III. Papæ 10. Kalendas Decembris coronatus
1221 est. Anno 1221. Christiani Principes (loquitur Meierus) in Ægypto Cairum vrbem maximam obsederunt: verùm locorum ac rerum ignari, dum decliuioribus locis metantur castra, apertis Nili increscentis catara-
Coguntur nostri iterùm cedere Damiatã.
ctis, aquarum magnitudine subitò sunt circumuenti, atque ita vndique interclusi, vt coacti sint pacem quam vellet cum Sultano facere, reddi-
1222 taque Damiata Ægypto decedere. Hinc ergo anno proximo 1222. Ioannes Rex Ierosolymorum spe assequendi auxilij aduersus Orientis barbariem, Frederico Imp. Iolem filiam despondit; profectusque in Hispaniam ipse, Berengariam duxit vxorem Castellæ Regis sororem. An-
1223 no 1223. Philippus Francorum Rex cùm Meduntæ ægrotaret, sexaginta
Obiit Philippus Rex Francorũ.
aureorum millia ad sacri belli necessitates Ioanni Ierosolymorum Regi attribuit; resque humanas reliquit, cui Ludouicus filius successit. Hæc Meierus. Annum 1224. transilio. Ad annum 1225. ista notat Ægidius Leo-
1225 diensis: Anno Domini 1225. defuncta sine liberis Comitissa de Muhal Gertrude, quæ fuit filia Comitis Alberti, Hugo Episcopus fidelitatem & hominium terræ absq; omni contradictione recepit, & castella de Muha & de Waleue ingreditur 14. Kal. Aprilis, Feria 4. ante Pascha floridum. Quod audiens Dux Henricus Louaniensis, ira commotus Curiam apud Francfort adiens, Episcopum ad Curiam citari fecit, nec tamen aduersus eum præualuit. Hæc ibi. Ad eumdem annum prolixè Meierus de Pseu-
Pseudo-Balduinus Constantinopolitanus strangulatur.
do-Balduino, qui se Balduinum Constantinopolitanum patrem Ioannæ Flandriæ Comitissæ fingens, quem ore referebat, tandem strangulatus est. Dolum fassus, dixit se Bertrandum de Raijs Campanum esse, qui diu apud Valentianas Eremita, denique habitu peregrini hanc personam induerat. Confer quæ sunt ad annum 1213. Eodem anno, referente Diuæo, Basilica D. Michaëlis Louanij corruit, & Heinricus Dux incolas Encuriæ (Incourt) Louaniensium quibusdam priuilegijs vti concessit.

Ita

Ita Diuæus; & subiungit anno proximo 1226. Gregorij IX. Pontificis 1226
iussu Ducem nostrum arcem Randerodiam ab hæreticorum colluuie *Nodus in*
infessam diruisse. Sed Gregorius ille Pontifex factus non est ante Iulium *ratione temporum.*
anni sequentis. Interim, si erratum est in Pontificis nomine, haud absimilia notat quoque hoc anno Meierus: Bellum, inquit, rursus susceptũ est auspiciis Pontificis Romani in damnatam iamdiu Albiorum hæresim: quo bello Auenionem nobilem vrbem ea, vt tradunt, labe infectam, Ludouicus Rex post longam obsidionem cepit, ac muro recinxit. Et eodem anno obiit Rex Ludouicus principio mẽsis Nouembris, succedente filio Ludouico puero, qui posteà Sanctus dictus est. Hic, interuen- *Comes Flandriæ*
tu pręcipuè Blanchæ matris, Ferdinandũ Flandriæ Comitem sobrinum *soluitur*
suum vinculis soluit, post annos duodecim quàm captus fuerat; iis ta- *captiuitate Francica post duodecim annos.*
men legibus, de quibus egimus ante annos viginti septem, nempe anno præcedentis sęculi nonagesimo nono. Hæc Meierus. Anni duo sequentes vacant. Ad annum 1229. ista narrat Diuæus: Henricus Dux & Hen- 1229
ricus filius eius Bruxellensibus varia concessere priuilegia, inter quę ista:
„ Vt homicida capite luat, bonis eius ad proximos tamen deuoluendis. Si *Priuilegia*
„ vrbe profugiat, bona eius fisco, vxori verò (modò ea vidua permanse- *Bruxellensibus ab*
„ rit) suum patrimonium cedat. Si vxorem prolesque non habeat, omnia *hoc Henrico concessa.*
„ eius bona fisco cedant. Vxor homicidæ si vidua non fuerit, præter pa-
„ trimonium suum, etiam dimidium quæstus percipiat; cuius reliquum
„ partim fisco, partim liberis cedat. Simili pœna afficiatur, qui stuprum,
„ incendium, rapinam commiserit, aut pacem infregerit. Mutilans alium
„ pœnam talionis incurrat. Ista Diuæus. Anno 1230. Ierosolyma (teste 1230
Onuphrio) à Frederico II. Imperatore recuperatur. Miræus noster ad annum præcedentem his verbis commemorat: Fredericus II. Impera- *Restituitur Ierosolyma &*
tor ad eas pacis conditiones Sultanum adegit, vt vrbs Ierosolymitana, *alia loca Christianis.*
Nazareth, Ioppe, & alia quædam loca Christianis restituerentur, induciis inter Christianos & Saracenos in decennium constitutis, & Paschæ festum Fredericus Ierosolymis celebrauit, more regio coronatus procedens. Ita ille ex Vrspergensi, & rectè; nempe anno 1229. more Gallico exeunte non ante Pascha. Duos rursum annos transilio. Porrò anno 1233. Henricus Dux (verba sunt Diuæi) & Henricus filius eius edixe- 1233
runt, vt ciuis Louaniensis iniuria affecto conciui suo opem non ferens, centum solidorum pœnam luat, aut ciuitatis ius amittat. Item remiserunt Louaniensibus tributum, quod muniendæ vrbi iam aliquot annos colligebatur. Præter hæc Henricus iunior, peculiari priuilegio fundum nemoris prope vrbem, quod Loo dicitur, ciuium vsui concessit. Acta hæc mense Martio in frequenti Ordinum Conuentu, cui aderant Gothfredus de Pareweis, cum Ingelrammo fratre, Guilielmus de

Nota antiqui Diplomatis Brabätici subscriptiones. Grimberga, Arnoldus Dapifer à Rotſelaria, Goſuinus à Gochencuria, ab Heuerlis, ab Attenhouia, Clutingus, à Limalia; & Abbates Villarienſis, Affligemenſis, Vlierbacenſis, Parcenſis, & Prior Prouincialis Prædicatorum in Teutonia, & Decanus & Capitulum S. Petri. Sequenti anno, Stadingorum veſania nouam occaſionem dedit, qua Brabantinorum virtus poſteris innoteſceret. Hi inuiarum paludum præſidio freti, cùm Bremenſibus Archiepiſcopis à multis annis obluctati fuiſſent, tandem Gerardo à Lippia Archiepiſcopo pertinaciùs rebellantes, prœlio quoque ſuperiores euaſerant; Lippiæ Comite fratre eius inter alios deſiderato. Vnde ferociores effecti, nullis blanditiis, rationibus aut minis refrænari poterant, hæreſeos peſſimæ labe commaculati. Quare Summus Pontifex, publicata ſacra expeditione, omnes pænè inferioris Germaniæ Duces ac Comites in eos concitauit. Henricus Louanienſis, maior Ducis noſtri filius, totius expeditionis ductor creatus eſt; cui ſe coniunxerunt Florentius Hollandiæ, Theodoricus Cliuiæ Comites, & ex nobilitate Brabantica Valterus Bertholdus Machliniæ Dominus, Valterus à Bochouda, Arnoldus à Weſemalia, Guilielmus à Grimberga, Dominus ab Aſca Brabantinorum vexillifer; è Flandris, Robertus Dominus Bethuniæ, Theodoricus Beuernenſis Dixmudæ Præfectus, Raſo Dominus Gauriæ. Hi menſe Iulio Bremam delati vnà cum Archiepiſcopo, rebellium terram aggreſſi, cùm ad paludes ventum eſſet, ne cœno prohiberentur, pontes ſterni iuſſerunt: quorum aduentu comperto, perduelles ſummo furore occurrunt, ducibus Boleco à Baldefleto, Tannone ab Hundorpa, Teduario ab Aggere, hominibus deſperatiſſimis. At noſtri, iis conſpectis, ſummè exhilarati, ferociter irruunt; Clero eminus ſtante, ac victoriam à Deo exorante. Suſtinuere aliquamdiu impetum Stadingi, donec Cliuianis terga pulſantibus, vndiq; circumuenti diſijcerentur. Trucidati tum à victoribus ſine vlla miſeratione ad 9000. reliqui fugientes Viſerâ ſubmerſi. Quibus ſperato celeriùs confectis, Cruce ſignati, ſinguli domos ſuas reuertuntur. Ita Diuæus. Confirmantur eadem ex Stadenſi Chronologo eius tractus & temporis, qui etiam diſtinctiùs multa narrat in hunc modũ: Anno, inquit, 1234. Heinricus Dux Brabantiæ, & Florentius Comes Hollandiæ, Bremæ exiſtentes contra Stedingos viriliter ſe accinxerunt, tamquam contra inimicos manifeſtos Eccleſiæ. Quæſierunt enim Stedingi hi reſponſa dæmonum, ſimulacra fecerunt cerea, conſulentes etiam in ſuis ſpurcitiis erroneas Pythoniſſas; & quod deterius eſt omnibus, Viaticum ſalutis æternæ horribiliùs, quàm deceat exprimi, pertractantes: Clericos etiam & Religioſos impiè lacerantes, cruciabant omni genere tormentorum. Itaque Bremenſis Archiepiſcopus, Dux memoratus & Comes, peregrinorum-

1234

Stadingi hæretici ferociter ſæuiunt.

Suſcipiunt contra eos bellum filius Henrici noſtri & alij Principes.

Vincuntur & trucidátur Stadingi ad nouē millia.

Errores & ſcelera Stadingorum.

que

quę non modica multitudo 6. Kal. Iulij die Sabbati processerunt vnanimiter contra eos. Dux Brabantiæ & Comes Hollandiæ primo congressu pestilentes illos super agrum Oldenesche, vbi conuenerant, viriliter inuaserunt, sed ipsi summo conamine se defenderunt. Statim Comes de Cliuo cum suis à latere irruens super illos, ipsorum aciem dissipauit. Clerus, qui eminus adstans, rei exitum expectabat, Media vita, & alia miserationis carmina cum mœrore cecinit, & pro Crucis victoria supplicabat. Nec mora, illi maligni ab exercitu Domini opprimuntur, hastis perfossi, gladiis percussi, equorum pedibus conculcati. Et ita manus Domini inualuit super eos, vt in breui spatio eorum VI. millia (an IX?) interierint. Plurimi ex eis fugæ præsidium postulantes, in proxima fouea, & in Wisera se submerserunt. Si qui euaserunt, sub cæli ventis quatuor sunt dispersi. Comes Heinricus de Oldenborg ibidem cecidit, & cum eo peregrini aliqui circiter nouem. Sic ille. Mense Augusto anni sequentis 1235. referente Diuæo, Fredericus Imperator Moguntiæ frequenti Principum Concilio, Ottonem Brunswici Ducem in gratiam recepit. Aderat inter alios, Henricus Dux noster: qui morbo incidente, Coloniam relatus, ibidem Nonis Septembris exspirauit; cuius corpus sui Louanium deferentes, in medio Chori condiderunt monumento lapideo, cui formam corporis eius ad viuum insculptam esse satis apparet. Huius Principis Henrici tempore, (concesso ab eo Diplomate anno 1201.) vrbis Antuerpiensis pomœrium prolatum est, portis constitutis, vbi etiamnum pontes & fossæ, quæ à vaccis, à vineis, à D. Catharina, à Mera, à Cameraco, à D. Ioanne nomen habent. Ad hoc in Brabantia, præter supradicta Cœnobia, etiam ista initium habent: Camera iuxta Bruxellam sub annum 1201. Abbatia D. Gertrudis Louanij anno 1204. Inde iuxta Louanium sub annum 1219. Insula Ducis iuxta Ghempam Virginum Ordinis Præmonstratensium, & Parcum Dominarum Ordinis Cisterciensis. Paulò pòst & Franciscani Bruxellæ recepti sunt, nempe anno 1227. & Dominicani Louanij anno 1228. & Siluæducis anno 1229. (vocatur is annus 15. Ordinis.) Franciscani quoque Mechliniæ & Louanij anno 1231. Et eodem anno, teste Thoma Cantipratensi, Beginaghium Niuellense habebat Virginum duo millia. Anno quoque 1228. Diestæ forū lapidibus sterni permissum est: & anno 1230. Henricus Dux hominibus villæ de Oosterwyc eamdem legem & libertatem dat, quam habent Burgenses de Silua apud Ordunum, excepto telonio Rheni. Porrò liberi Henrici huius, ex vxore priori Mathilde, filia Comitis Boloniæ, qui erat frater Philippi Comitis Flandriæ, Henricus successor, Gothfredus, Maria Ottonis Imp. coniunx; & Mathildis, primùm Palatino, deinde Florentio Hollandiæ Comiti nupta; & tres præ-

Confirmātur superiora verbis Scriptoris eius temporis.

1235

Moritur Dux noster Coloniæ, inde delatus Louanium.

Antuerpiæ pomœrium prolatum.

Varia Cœnobia & alia loca eius tēpore instituta.

Eius vxores duæ, & ex eis liberi.

prætereà filiæ, vna Gelri vxor, alia Comitis Aruernorum, de tertia non satis constat: ex coniuge verò posteriori nomine Maria, filia Philippi Regis Francorum, duæ filiæ; ex quibus vna nupsit Theodorico Cliuiæ Comiti.

HENRICVS V.

ALIIS II. DVX,

FILIVS PRÆCEDENTIS,

XXVIII. BRABANTIÆ PRINCEPS.

Præfuit annis duodecim.

1235 ORTE Henrici Ducis (verba sunt Diuæi) Ducatus Lotharingiæ ac Brabantiæ & Imperij Marchia Henrico Louaniensi cessere, filio eius natu maiori. Gothfredo, facilè adducor vt credam, Harstalli & Gasbecæ dominia obuenisse. Nam Ioannes quidam cognomento Louaniensis hæc dominia possedit circa an-

Ioannes Louaniensis Dominus Herstalli & Gasbecæ

num 1306. & ante eum Henricus Louaniensis, fortè filius istius Gothfredi; sed de his nihil temerè asserere ausim. Ita Diuæus; & progreditur: Erat Henrico huic nostro vxor Maria filia Philippi olim fortissimi Imperatoris, vnde viuo patre sustulerat Henricum, Mathildam vxorem Roberti primi Atrebatium Comitis, Mariam vxorem Ludouici Ducis

Henrici Ducis vxores & liberi.

Bauariæ, Beatricem vxorem Hermanni Lantgrauij Thuringiæ, & Margaretam primam Abbatissam eius Cœnobij, quod à patre conditum, Vallis Ducis appellatur, duobus à Louanio milliaribus, Cisterciensium Ordinis. Defuncta Maria, ex Sophia filia Ludouici Lantgrauij & diuæ Elisabeth Henricum genuit Thuringiæ Lantgrauium. Hactenus Di-
1236 uæus. Anno 1236. referente Meiero, Ludouicus Francorum Rex, cuius posteà est consecrata memoria, ex Atrebatesio, Fanoque S. Odomari & Aria nouum conflauit Comitatum, eumque Roberto fratri attribuit;

Primus Comes Artesiæ ducit Mathildã filiam Henrici.

mansitque Atrebatesium in Regum potestate, quadragintaquinque per annos, priusquam rediret ad Comites Flandros. Ita ille. Diuæus hoc modo: Eodem anno Robertus donatione D. Ludouici fratris sui Regis Francorum, Atrebatium Comes nouus, Mathildam Ducis nostri
1237 filiam duxit. Pergit Meierus: Anno 1237. mense Octobri Ioanna Flandriæ



HENRICVS V. XXVIII. BRAB. PRINCEPS.

driæ Comitissa, sobolis procreandæ cupida, de consilio Ludouici Regis nupsit Thomæ fratri Comitis Sabaudiæ, Reginarum Galliæ, Angliæ & Siciliæ auunculo: quem ad fidelitatis iuramentum Rex antè admittere noluit, quàm in pacem iurasset anni vigesimi sexti huius sæculi; iurauitque in illam apud Compendium, factam pro redemptione Comitis Fer-
1238 dinandi. Anno sequenti, Guilielmus Sabaudiensis frater dicti Thomæ creatur Episcopus Leodiensis. Cui cùm Valeranus Lemburganus, ob causam nescio quam, inferret bellum, tanta Thomas fratri portauit auxilia, vt ad primum aduentus sui nuntium perterritos hostes in fugam verterit. Profectus inde Romam Guilielmus confirmatus est ab Gregorio Nono: sed rediens domum in Sabaudia obiit, ac tumulatus est Catacumbis in Cœnobio Cisterciensi. Hæc Meierus, & meminit etiam Diuæus. Causam quam Meierus ignorasse se scribit, his verbis commemorat Ægidius Leodiensis eo tempore viuens: Orta his diebus contentione inter Ioannem Episcopum & Comitem Waleranum causa castri, quod Smaragdus vel* Pilaus vacca ab incolis terræ illius vocatur, non longè distans à fluuio Mosæ & oppido Dyonanto, Ioannes Episcopus castrum cum exercitu magno tam Leodiensium quàm Flandrensium aliorumque Nobilium obsedit. Sed ecce cùm obsessos iam pænè in desperationem adegisset, morbo correptus, ignorante exercitu, Dyonantum proficiscitur; vbi post paucos dies in damnum totius patriæ diem clausit extremum sexto Nonas Maij anno Domini 1238. Corpus verò eius à Dyonanto nocte delatum est, & in valle S. Lamberti honorificè sepultum; occultè tamen, ne de tanti viri exanimatione obsessi animarentur, & de exercitus nostri perturbatione superbirent hostes eorum. Post decessum autem Domini Ioannis Episcopi celebratur electio circa festum beati Ioannis Baptistæ: in qua electione pars quædam in Dominum Ottonem Præpositum Traiectensem & maioris Ecclesiæ Canonicum conuenit, altera verò pars in Dominum Guilielmum Valentinæ Ecclesiæ Electum, fratrem Comitis Flandriæ, virum bonum & honestum, consensit. Hęc & plura ille, vsq; finem anni proximi: sed quia illi dissidio Henricus noster, vt apparet, nõ se miscuit, nihil
1239 addimus. Interim anno sequenti 1239. (vti narrat Diuæus) Henricus Dux noster Coloniam obsidione conclusit: quam cùm expugnatu difficilem cerneret, ea relictã, Bonnam vsque vineas Archiepiscopi incendit, apertisque viuariorum septis feras emisit. Inde in arces conuerso impetu, Randerodium deiecit. Mox, cùm Dalhemenses commeatum, qui è Brabantia ad obsidionem vehebatur, intercepissent, aggressus id oppidum, paruo negotio expugnauit. Causam huius belli nusquam reperio. Porrò Henricum Ducem deinceps à rebus bellicis conquieuisse, tradunt Chronica

Subuenit Comes Flãdriæ fratri suo Episcopo Leodiẽsi.

Causa belli inter Leodienses & Lemburgenses.

* Poulvache

Moritur Episcopus Leodiensis.

Henricus noster frustra Coloniam obsidet.

nica Brabantiæ. Hæc Diuæus, & mox ſubiungit eius mortem, ſilentio premens res geſtas integri octennij. Eas itaque, quantum licet, ſuppleamus. Anno 1240. Henricus hic, Maria Sueuica coniuge, Philippi Imp. filia, è viuis ſublata (loquitur Miræus noſter) ſecundis nuptiis Sophiam ſibi iungit Ludouici Thuringiæ Haſsiæque Lantgrauij & S. Eliſabethæ filiam. Ex Maria Henricum III. Brabantiæ Ducem ſuſtulit. Ex Sophia tulit item Henricum filium cognomine Brabantinum dictum. Qui cùm expers paterni Ducatus Brabantini eſſet, fratri prærogatiua ætatis transſcripti, annos duodecim natus adiecit oculos atque animum ad Thuringiæ & Haſsiæ Principatum, materno iure & gratia fretus. Sed ecce mortuo Hermanno fratre Sophiæ, cui ius illud ſine controuerſia debebatur, ſucceſsit, & vindicauit ſibi, excluſa femina, Henricus frater Ludouici, patruus Sophiæ, tenuitque quoad vixit, opibus & potentia valdè auctus, & Rex Romanorum faciente Pontifice Innocentio II. contra Conradum Frederici filium electus; quem prælio apud Francofurtum etiam vicit; vir magni animi & ſpei, ſed quam fata inciderunt, obiitque anno poſt electionem, liberorum expers. Ea res iterùm ius & ſpem Sophiæ præbuit; venitque multis aduocantibus in Thuringiam; etſi alij contrà nitebantur, aduocato Henrico altero, Marchione Miſniæ & terræ Orientalis, nato ex ſorore Henrici Regis defuncti. Sophia vetus ius prætendebat, ille nouellum. Denique, pacificatione aliquoties tentata, & irrita, armis decertatum eſt: quorum finis, vt partitione facta, Thuringia penes Marchionem Miſniæ maneret, Haſsia Henrico Brabantino cederet. Idque ad poſteros obtinuit, & ſtirps iſta, quæ hodieque eſt Lantgrauiorum Haſsiæ, originem & dynaſtiam ſuam Henrico & Sophiæ eius matri debet acceptam. Sophia porrò maternæ pietatis atque in pauperes beneficentiæ heres & adſecla, Louanij xenodochium inſigne, eius vrbis hodie præcipuum, excitauit: Deiparæ item Virginis cultui in primis fuit mancipata. Creditur autem à matre imagines aliquot Deiparæ accepiſſe, quas ob eius memoriam charas ſanctaſque habuit; è quibus vnam Viluordiæ apud Brabantos, in cœtu Virginum Religioſarum Ordinis hodie Carmelitani dedit & dedicauit, miraculis olim & nuper claram, cui cognomen Diuæ Conſolatricis, à re inditum; quia multi malis animi corporiſque remedia illic aut leuamenta reperiebant. Tres alias dediſſe traditur Mathildi ſorori mariti ſui. At dices, Vnde apud vnam Sophiam tot imagines eiuſdem prototypi? & in quem vſum? Reſpondebo mox. Pergit Miræus: Hæc Mathildis alteris nuptiis iuncta Florentio IV. Hollandiæ & Zelandiæ Comiti (ex quo coniugio Guilielmus II. ille natus qui poſteà Rex Romanorum eſt electus) tandem moriens imagines illas diſpartiuit, & locis ſuis quamque aſſignauit; vnam Graue-

Diuæus ſuppletur. 1240

Ducit Henricus Sophiam filiam ſanctæ Eliſabethæ vxorem.

Longa concertatio de Thuringiæ patrimonio Sophiæ.

Tandem Henricus Brabantinus Sophiæ filius obtinet ſaltem Haſsiam.

Imagines plures Deiparæ ab hac Sophia locis religioſis relictæ.

ſandæ Hollandiæ veteri oppido,(quod finitimum eſt Loſdunenſi Virgi-
num Ciſtercienſium Cœnobio, quod ipſa condiderat,in eoque vitam à
morte mariti caſtè pieque egerat;) alteram Harlemi, ad ſeruandam in

Inter alias & illa quæ Hallis miraculis claret.

Sacrario Sodalium Carmelitarum; tertiam denique Hallis Hannoniæ
collocari voluit, fortè quia inter alias prolem ex Florentio marito Adel-
heidem genuerat, nuptam Ioanni Auennenſi, Comiti Hannoniæ: &
hanc igitur, eiuſque ditionem ſacro hoc donario iuit auctum. Hoc eue-
nit anno Chriſti 1267. quo Mathildis illa diem obiit. Hæc Miræus in
ſuo Auctario ad Sigebertum, ſimulque Cl. V. Lipſius in ſua Deipara

Diſcutitur ſolidè vnde tot imagines eiuſdem prototypi apud vnam Sophiam.

Hallenſi. Quæ quia nihilominùs ſuggillatur à malè feriatis hominibus,
addo tot imagines eiuſdem ptototypi accepiſſe Sophiam noſtram ſiue à
matre S. Eliſabetha, imitante pietatem materteræ ſuæ S. Hedwigis Po-
loniæ Duciſſæ, ſiue etiam earum aliquas ab ipſa S. Heldwige; nam illa
poſt S.Eliſabetham obiit. Illud nemo niſi cōtentioſus negabit, Hedwi-
gem hanc certè pro Feſtorum ratione nunc hanc nunc illam imaginem
ſibi præferri voluiſſe, ipsâ nihilominùs vnam quoque propriis manibus
geſtante. Nam ita lego in eius rebus geſtis grauiter ante aliquot ſæcula

Notent diligenter irriſores imaginum.

conſcriptis: Habebat autem (inquit Auctor) Deo dilecta Hedwigis
permultas Sanctorum imagines & Reliquias, quibus congruam præſta-
bat reuerentiam, eaſque ſibi ad Eccleſiam eunti voluit præferri: inter
quas cùm ſanctiſſimæ Chriſti Matris paruam imaginem ipſa ſæpiùs
ſuis manibus geſtaret, vt ex amore crebrò eam poſſet intueri, & inſpi-
ciendo ad eius amorem ſe poſſet ampliùs excitare,factum eſt, vt cùm ea
imagine interdum benediceret languidis, ilicò quoque curarentur. Ita
ibi. Atq; hæc occaſione coniugij Sophiæ hoc anno cum Henrico Duce
1241 noſtro initi. Anno ſequenti 1241. Gregorius IX. Pontifex Max. moritur
Romæ 11. Kalend. Septemb. Succedit Cæleſtinus IV. patria Mediola-
nenſis,ex nobili familia Caſtilonæa. Sed eo 8.Idus Octobris hoc ipſo an-

Vacat Sedes Romæ annum 1. & menſes 8.

no defuncto,vacauit Sedes Romana annū 1. & menſes 8. Hic Gregorius
libros Decretalium per Raymundū virum doctum & ſanctum Ordinis
Prædicatorum digeri fecit, ſicut etiamnum in vſu ſunt. Itaq; anno 1242.
1242 vacauit Sedes Apoſtolica, magno Reip.Chriſtianæ incommodo;de quo
iſta Stadenſis tunc viuens, paucis verbis multa complexus: Duobus an-

Cardinales tam inter ſe quàm ab aliis multas inſolentias ſuſtinent.

nis (nempe etiam ſecundùm Onuphrium ab initio Octobris anni 1241.
vſque finem Iunij anni 1243.) Sedes Papalis vacauit, Cardinalibus inter
ſe diſcordantibus,& quibuſdam Romam intrare non audentibus. Vnde
contigit, vt ſe inuicem frequentiùs vocarent ad electionem; & etiam ipſi
tam inter ſe quàm ab aliis multas controuerſias & inſolentias ſuſtine-
1243 rent. Hæc ille. Anno 1243. Cardinales à Frederico II. Imp. capti, cùm
agente Balduino Imp.Conſtantinopolitano,qui tunc Parmæ erat,liberi
ad

ad Comitia sacra essent dimissi, Anagniæ in Hernicis conuenientes (Miræi sunt verba) Sinibaldum Fliscum Genuensem, Obizzonis Louaniæ Comitis filium Pontificem renuntiant. Qui Anagniæ 4. Kalend. Iulij in Cathedrali Basilica consecratus Innocentij Quarti nomen induit. Is pileo rubro Cardinales cohonestauit: quo significare voluit, Cardinalibus etiam sanguinem vitamque pro Christo & libertate Ecclesiastica promptè effundendam. Ita ille. Hoc anno notatum exstat insigne illud monumentum pietatis Antuerpiensium, quo Dominicanos Argentinâ ad se vocarunt, his inter alia verbis: Religiosis viris Prouinciali Fratrum Prædicatorum Teutoniæ & Fratribus Diffinitoribus Capituli apud Argentinam, Scabini & communitas Antuerpiensis. Omni deuotionis affectu vestram propulsantes exoramus charitatem, quatenus Collegium Fratrum vestrorum Antuerpiam destinari faciatis. Hos enim ipsos affectu sincero & dilectione stabili pertractare compromittimus; firmam tenentes fiduciam, quòd, cùm Dominus benedixerit domui Ægypti propter introitum Ioseph, & domui Laban propter Iacob, benedictionis diuinæ munus ad introitum eorumdem consequemur. Datum in Inuentione S. Stephani anno M.CC.XLIII. En priscam pietatem. Anno 1244. (Meiero referente) incidit rursus discordia de Comitatu Namurcensi.

Pileus rubeus Cardinalibus assignatur, & quare.

Euocantur Fratres Prædicatores Antuerpiam.

Certè sub Kal. Decembris Ioanna Principe Insulæ ægrotante, Thomas 1244
Pollenacam (an Voleuacam? vide anno 1238.) castellum Namurcicæ siue Arduennicæ ditionis obsedit, & cepit, plura facturus, nisi in humanis esse desiisset Ioanna, quæ decessit Nonis Decembris, anno ætatis circiter altero & quinquagesimo. Elata est in Monasterium Markettam, ac sepulta iuxta Ferdinandum. Imperauit annos vndequadraginta. Thomas nulla sobole ex ea pater, amplis donatus muneribus remeauit, vnde venerat, in Sabaudiam. Defunctæ nulla superstite sobole Ioannæ Margareta soror successit; quam D. Ludouicus Gallorum Rex priùs in fidem accipere noluit, quàm in pacem anni XXVI. pro redemptione Ferdinandi factam iurasset. Igitur eam pacem per suas litteras approbauit, confirmauitque; licet obtinere nequiret, vt idem Nobilitas ciuitatesque facerent. Ista Meierus. Anno 1245. Concilium primum Lugdunense & Vniuersale XIII. celebratur; atque in eo Fredericus II. Imp. vt rebellis Ecclesiæ ab Innocentio IV. die 21. Iunij Imperio priuatur. Ita Onuphrius. De eo sic
Stadensis huius temporis Scriptor: Papa in Burgundiam Lugdunum, 1245
quæ prima Sedes est Galliarum, veniens, post festum Ioannis Baptistæ ibidem Concilium celebrauit, & in iam dicto Concilio, scilicet die Iacobi, contra Imperatorem excommunicationis sententiam renouauit, & eum ab Imperiali culmine deposuit, & hanc depositionem per totam Ecclesiam promulgauit. Intereà sollicitari fecit Principes, quos ad Imperium

Flãder capit castrum quoddam ditionis Namurcensis.

Imò hæc pax cœpta seu extorta est iam tum anno præcedentis sæculi nonagesimo nono.

Frederico II. Imp. excommunicato subrogatur Henricus Lantgrauius. regendum credidit idoneos. Tandem Heinricus Lantgrauius, cognomento Raspe, multis euictus precibus Imperium accepit. Hæc ille. In Actis huius Concilij apud Matthæum Paris in Historia Anglicana his verbis leguntur Electores Imperatoris: Laici, Dux Austrię, Dux Bauariæ, Dux Saxonum, Dux Brabantiæ, qui & Louaniæ; Prælati, Archiepiscopi Coloniensis, Moguntinus & Salsburgensis. *Dux Brabantiæ, qui & Louaniæ, vnus Electorum Imperij.* Hæc ibi, de quibus prolixiùs egimus suprà ad annum nongentesimum nonagesimum sextum. Anno 1246. (narrante Meiero) Ioannes Aueniensis subnixus ope Guilielmi Comitis Hollandiæ, cuius duxerat sororem in matrimonium, matri
1246 suæ Margaretæ bellum indixit, ideò quòd Guilielmo Dampetræ posterioris thori primigenio Flandriam post se destinaret, quam iure optimo (quidquid exciperetur contra legitimum patris eius cum Margareta coniugium) sibi debitam contendebat. Hac ex re maxima oborta rerum omnium perturbatio, donec diui Regis Ludouici Odonisque Rom. Pontificis Legati arbitrio, vtraque pars consentientibus animis controuersiam omnem decidendam permitteret; qui post maturum consilium pronuntiauerunt, vt morte Margaretæ Dampetra Flandriam, Aueniensis iam nunc adiret Hannoniam; suisque vterque fratribus iuxta consuetudinem per sortem bonorum prouideret. *Contentio inter fratres Flandros arbitrio Regis Franciæ & Legati Apostolici deciditur.* His ita peractis, Guilielmus Princeps cum multis ex Flandrica nobilitate nomẽ dedit in sacram militiam, primo quoque tempore Regem in Asiam secuturus. Margareta autem insignia Guilielmi mariti Flandricis inseruit, Hannoniæque insignia reliquit. Hæc Meierus. Sequitur annus tristis morte Henrici no-
1247 stri, simulque filiæ eius Mariæ, de quibus sic Diuæus: Kalendis Februarij anni 1247. Henricus noster hac vita decessit, cõditus in Cœnobio Villariensi, filio eius Henrico Principatum excipiente, qui Adelheidam filiam Hugonis Burgundiæ Ducis vxorem habebat; *Moritur Henricus noster sepultus Villariæ.* & eodem anno Ludouicus Dux Baioariæ ac Comes Palatinus, Mariam Henrici Secundi Ducis filiam vxorem, falso adulterij crimine, Werdæ in Sueuia necari iussit: in cuius facti expiationem Monasterium in Baioaria condidit, Furstẽfeldiam nomine. *Plura Cœnobia apud Brabantos huius tempore constructa.* Sub hoc Principe incunabula sua repetit Cœnobium Augustinianorũ Louanij anno 1236. Dominicanorum Antuerpiæ anno 1243. vt dictum est, & sub annum 1244. Cœnobium Lintrense Virginum Ordinis Cisterciensis, dote accepta à Domino de Wesemale. Anno quoque 1245. Abbatia Cisterciensis instituti virorum, titulo S. Bernardi, (quæ ante decennium in pago Vremde ab Ægidio Berthout fundata fuerat) à secundo loci Abbate translata est in Hemichem locum Scaldis allapsu opportuniorem. Sub idem etiam tẽpus, nempe anno 1246. S. Lutgardis Virgo sanctissima, vsa magisterio Ioannis Lyrani, viri similiter eximia sanctitate illustris, migrauit ad cælũ; de quibus ista pauca

pauca ſubiicere lubet ex rebus geſtis Lutgardis, per coæuum Thomam Cantipratenſem Dominicanum Louanienſem & Suffraganeum Cameracenſem grauiſſimè conſcriptis: Lutgardis (inquit Auctor) pia Virgo ex illa quondam Tungrorum celeberrima ciuitate, patre ciue, matre nobili, trahens originem, dum adhuc iuuencula eſſet, quantum illa ætas patiebatur, valdè quidem ad nuptias inhiare videbatur. Cuius mentem cùm matris inſtantia modò minis modò blandimentis emolliſſet, vbi illa annos duodecim exceſſit, in Monaſterio S. Catharinæ, quod eſt prope oppidum S. Trudonis in Hasbania inter Deo ſacratas Virgines Ordinis S. Benedicti eam diuino ſeruitio mancipauit; vbi obtulit ſanè ſeipſam deinceps quotidie Domino holocauſtum gratuitum. Vnde quia talem lucernam ſub modio latere par non erat, poſita ſuper candelabrum, facta eſt Prioriſſa in eodem Monaſterio, vno omnium conſenſu electa. Fuit autem in illo loco annis circiter duodecim, eratque eodem tempore Magiſter Ioannes Lyranus, Leodienſis diœceſis, vir eximia ſanctitate. Qui non ignorans perfectiſſimum Lutgardis propoſitum, cùm admonuiſſet eam, vt abdicato Prioriſſæ officio, ad Aquirianum Ciſtercienſis Ordinis Monaſterium ſe transferret, illa à Deo quoque admonita, parens ſupradicti Magiſtri Ioannis admonitioni, Aquiriam ſe contulit, quod eſt Monaſterium in Ducis Brabantiæ regione. Stupenda ſunt quæ idem Auctor narrare pergit, inter cetera hoc ſanè: Imminente, inquit, peſte ſæuiſſima Albigenſium hæreticorum, beatiſſima Virgo Maria apparuit Lutgardi vultu lugubri & obſcurato. Cui compatiens in viſione Lutgardis, cùm quæſiſſet ab ea, vnde tantus eſſet faciei ſqualor, quæ alioqui plena eſſet omnis gratiæ; beatiſſima Virgo reſpondit: Ecce ab hæreticis & pſeudo-Chriſtianis rurſus conſpuitur, rurſus crucifigitur Filius meus. Tu ergo aſſume tibi lamentum, & perpetuis ſeptem annis ieiunato, vt ſopiatur ira Filij mei, quæ generatim vniuerſo imminet orbi. Itaque toto ſeptennio tale illa ſibi indixit ieiunium, vt pane & cereuiſia contenta eſſet. Hæc & plura ibi.

Etiam S. Lutgardis tunc Brabantiam illuſtrat.

Libenter paret admonitioni Ioannis Lyrani viri pij.

Nota illuſtrem ſimul & tremendam viſionem.

HENRICVS VI.

ALIIS III.

FILIVS SVPERIORIS, XXIX. BRABANTIÆ PRINCEPS.

Præfuit annis tredecim.



NNO 1247. vt dictum est, Heinrico superiori defuncto, filius eius Henricus Principatum excepit, qui Aleidem (alijs Adelheidem) filiam Hugonis Burgundiæ Ducis vxorem habebat. Anno sequenti, narrante Diuæo,
1248 mortuo Henrico Lantgrauio Thuringiæ, quem abiecto Frederico II. Principes Regem elegerant, Guilielmus filius Florentij ac Mathildæ Brabantinæ (erat ea filia Henrici Primi) Comes Hollandiæ Rex Romanorum electus est; qui mox Aquisgrani, operâ Henrici Leodiensium Episcopi, reseratis Kalendis Nouembris coronam accepit. Tradunt Brabantiæ Chronographi, Ducem nostrum, cùm illi Regnum deferretur, hunc consanguineum suum promouisse. Addit Brando, insignia Imperij Duci missa, & ab eo ad Comitem remissa; Hollandici verò, solius æmulationis ergô id factum calumniantur, verito Duce Comitis indolem, malenteque eum Imperij negotia longè à Brabantia semotum agitare, quàm vicinum potentissimum habere. Aderant coronationi Guilielmi Imperatoris, Petrus Capuæ, Siphridus Moguntiæ, Arnoldus Treuirorum, Cunradus Coloniæ Archiepiscopi, Henricus Leodij Episcopus, Bohemiæ Rex, Ludouicus Palatinus Dux Bauariæ, Henricus Dux noster, Otto auunculus Comitis, Episcopus Traiecti, alijque pænè inferioris Germaniæ Principes omnes. Hæc Diuęus. Variant de tempore Auctores: & inprimis miror, quomodo electio Guilielmi in Fastis Onuphrij asscribatur biennio priùs, nempe anno quadragesimo sexto. Proferam, quæ apud Scriptores eius temporis de his inueniam. Stadensis breuiter his verbis annum quadragesimum septimum consignat: Henricus Lantgrauius, qui Imperium acceptauerat, est defunctus. Quem Papa mortuum intelligens, Petrum Capucium de aureo velo Diaconum Cardinalem misit in Teutoniam; qui euocatis Archiepiscopis & Episcopis, quos potuit, Concilium prope Coloniam

Guilielmus Hollandiæ Comes eligitur Imp.

Adsistit eius coronationi inter ceteros etiam Dux noster.

Eadem plenius ex Scriptoribus eius temporis describitur.



HENRICVS VI. XXIX. BRAB. PRINCEPS.

loniam celebrauit in Festo Michaëlis; & Feria quinta post Michaëlis Wilhelmus à quibusdam Episcopis & Comitibus in Nussia, in Regem Romanum ad gubernandum Imperium est electus. Ac deinde ad annum quadragesimum octauum: Cruce signati Aquensem ciuitatem longa obsidione obtinentes, Wilhelmum coronauerunt. Sic ille; & adstipulatur Hocsemius Leodiensis, etiam prolixiùs eadem prosecutus. Anno, inquit, Domini 1246. bonæ memoriæ Roberto Leodiensi Episcopo viam vniuersæ carnis ingresso, propter discordiam electorum vacante Leodiensi Sede per annum, Frederico huius nominis Imperatore Secundo iam ante biennium per Papam Innocentium Quartum Imperio destituto, & Lantgrauio Thuringiæ per procurationem & mandatum eiusdem Summi Pontificis in Regem Alamanniæ coronato, & citò pòst ab hac luce subtracto; Frederico Romanam Ecclesiam in manu valida persequente, Papa in adiutorium Ecclesiæ alium Regem eligi disponebat. Vnde prudenter considerans ad propositum posse suum peruenire faciliùs, si circa locum ad eligendos Reges antiqua consuetudine deputatum auxilia compararet; Wilhelmum Hollandiæ Comitem, & Henricum fratrem Ottonis Comitis Geldriæ ex duabus Ducis Brabantini sororibus procreatos, vnum in Regem & alium in Leodiensem Episcopum concepit sublimare. Horum namq; progenies ab antiquo proauorum claro Regali semine propagata, & stipata militari potentia diuiti, electionis Regiæ locum, vrbem Aquensem videlicet, propinquior ambiebat: vnde promotionibus horum per Dominum Petrum Capucium S. Georgij ad velum aureum Presbyterum Cardinalem, quem ad hoc Papa delegauerat, procuratis, Henrici huius per Conradum Coloniensem Archiepiscopum electio confirmatur. Anno ergo Domini 1247. sexto Idus Octobris hic iuuenis moribus & ætate Leodiensem dispensatiuè rexit Ecclesiam, ad Sacerdotium non promotus. Cùm verò Aquenses moniti per Papam vt electionem Regis admitterent, & in hoc sibi per contumaciam rebellarent, eorum propter hoc loco cum incolis interdicto, cùm demum contra ipsos tamquam fautores Frederici, & inimicos fidei Christi, fideles Crucis insigniri charactere, prædicationibus inuitasset; idem Wilhelmus, signo sibi Crucis assumpto cum ceteris, vrbem prædictam cum Legato & viginti fermè millibus ex diuersis prouinciis collectis, sub anno Domini 1248. mense Maio Aquis per sex menses potenter obsedit. At Aquenses animosè sua mœnia defendebant, Fredericum in suum adiutorium expectantes. Tunc vbi flumen vrbem pertransiens effluit, agger immensus erigitur, quo recalcitrante percussum paulatim flumẽ regurgitare cogitur, loci submersionem incolis minitando: sed cautè ciues, hauritoriis citò rotis ad remedium

Papa in adiutoriũ Ecclesiæ alium Regem eligi disponit.

Progenies Ducum Brabantiæ ab antiquo Regali semine.

Guilielmus Rex Romanorum obsidet Aquisgranum.

dium præparatis, ad partem aptam eminentia fluminis deriuantes, aduersariorum ingenia deludebant. Sed tandem per sex menses inediâ fatigati, certis pactis Electo portas aperiunt, cùm ampliùs resistere non valerent. Et eodem anno Kalendis Nouembris die Dominico, adhuc Frederico viuente, Electus in Regem Alamaniæ consecratur. Hactenus Leodiensis. Hoc eodem anno 1248. cœpta est expeditio noua in Terram sanctam per S. Ludouicum Franciæ Regem: quæ, quia à multis non satis distinctè narratur, depromam eam breuiter ex eius Vita scripta per Gaufredum, qui erat ei à sacris confessionibus: Anno (inquit ille) 1248. Crux prædicabatur in diœcesis Coloniensis pago, quem vulgò Bedonfrisium vocant; vbi tum Feria sexta ante Pẽtecosten tres Cruces visebantur in aëre. Visa fuit etiam Crucis forma alio tempore in Enchusen, videlicet Phrisiæ oppido, cùm ibi prædicaretur: in Traiectensi quoque diœcesi in Doccum, in S. Bonifacij Martyris die. Creduntur scilicet bis apparuisse Cruces, ne quis ambigeret de prima apparitione; atque ita factum est, vt Coloniensis prouincia ad trecentas ferè naues appararet. Quin priùs anno Christi 1247. petente Ludouico Christianissimo Rege, magna Dominicæ Crucis portio Constantinopoli Parisios translata est, cùm ecce proximo inde anno Rex Ludouicus sexta Feria à Pentecoste iter transmarinum suscepit. Iuerunt autem cum eo Odo Tusculanus Episcopus Apostolicæ Sedis Legatus, & duo fratres Regis, Robertus Comes Atrebatensis, & Carolus Andegauensis Comes, cum vxoribus suis, & multis Franciæ Episcopis & Nobilibus. Et quidem erat etiam Alphonsus Comes Pictauiensis Regis frater Cruce signatus; sed eo anno cum Blancha Regina matre, ob Regni tuitionem, mansit domi. Appulit autem Rex ad Cyprum paulò ante ferias B. Matthiæ; vbi cùm hiemassent, Sabbato post Domini Adscensionem omnes Damiatam contendunt. Capta est autem Damiata, quam alij Heliopolim vocant, anno ab orbe redempto millesimo ducentesimo quadragesimo nono. Ita ibi. Supradictus Leodiensis hoc modo: Tertio 1249
Idus Iunij sexta Feria obsident Damiatam: Dominica verò sequenti, Turcis Damiatæ custodibus, nescitur quo casu, perterritis, relictis omnibus aufugerunt, captaque taliter ciuitate, post paululum Rex Ludouicus suis amissis capitur. Hæc illi. Sed vide pleniùs ad annum sequentem. Ad annum hunc 1249. ista commemorat Stadensis: Wilhelmus coronatus, procedens vlteriùs, Imperij bona, quæ poterat, occupauit. Deinde circa Rhenum aliquamdiu commoratus, cùm expensas Regi congruas non haberet, in Hollandiam est ingressus, & iterùm posteà ad partes Rheni rediit, & terras sibi aliquas subiugauit. Ita ille. Anno 1250. 1250
referente Meiero, defuncto Meledino Sultano, Melexala filius paternum mox

Tandẽ post sex menses eo potitur.

Cruces varijs locis in aëre visuntur.

S. Ludouicus Francorum Rex proficiscitur ad recuperandam Terrã sanctam.

Recuperat Damiatam.

Guilielmus Rex fortitudine potior quàm opibus.

mox adeptus Imperium, omnium Barbarorum tam Saracenorum quàm Turcarum vires in nostros contraxit. Et nostris nihil feliciter ampliùs cessit. vniuersum exercitum pestilens quidam inuaserat morbus, qui per nobilia in primis capita est vagatus. Rege ipso, bonaque Optimatium parte morbo implicita, facilè cessit Barbaris victoria. Ipse Rex cum fratribus Carolo. & Alfonso, cum Guilielmo Dampetra iam designato Flandriæ Comite, alijsque permultis, viuus in hostium venit potestatem: ac Nobiles ampliùs ducenti ferro aut morbo absumpti: octo millia pondo auri pro sua suorumque redemptione Rex soluit; Damiatam vrbem, captiuosque Barbaros reddidit, exercitum factis induciis ex Ægypto in Syriam deportauit. Decessit Tarenti Imperator Fredericus Secundus. Ita Meierus. De morte Frederici eiusq; successore hæc Onuphrius: Fredericus II. Imp. Idibus Decembris in Apulia moritur anno ætatis 57. & Panormi sepelitur. Post quem Conradus IV. eius filius ex Iole Ioannis Regis Ierosolymitani filia, se Regem Germaniæ & Siciliæ nominauit. De

Rex Ludouicus cum multis aliis in potestatē Barbarorum venit.

Moritur Frederi- us II. Imp.

1251 eo hæc Leodiensis: Anno 1251. Conradus Rex Alemanniæ, filius Frederici II. Imperatoris, quem viuens huic Regno præfecerat, ipso mortuo, vt Regnum Siciliæ patris sui susciperet, per mare venit Apuliam; & capta Neapoli, muris eius destructis, anno sequenti, cùm infirmari cœpisset, miscente venenum proditore, decessit. Hæc ille. Diuæus non exprimens annum, ista coronationi Wilhelmi subiungit: Eodem ferè tempore Leodienses Episcopo suo rebellarunt sacris Ordinibus initiari nolenti, quos ille ope Ducis nostri, Comitumque Gelriæ Lossensis ac Iuliaci ad obsequium redegit. Ferunt pacto tum Duci cessisse Mechliniæ partem dimidiam, & Hugardiæ circumuicinorumque pagorum iurisdictionem. Ita Diuæus; sed præcipua hæc dissensio non ante annum quinquagesimum quintum contigit, vt ibi pleniùs ex Leodiensi narrabimus. Pergit Diuæus: Quarto Principatus anno (est is sine dubio hic quinquagesimus primus) Dux Henricus cum Coloniensibus fœdus percussit, ratum etiam futurum, quamuis Archiepiscopum Duci discordem esse contigerit. Actum hoc mense Decembri, operâ Ottonis Comitis Geldriæ. Porrò

Henricus noster sancit fœdus cum Coloniensibus.

1252 sequenti anno 1252. Guilielmus Imperator ferocissimum cœpit cum Flandris bellum hac de causa. Margareta secunda filia Balduini Comitis Flandriæ ac posteà Imperatoris Constantinopolitani, patre in sacrum bellũ profecto, ex non legitimo Burchardi Aueniensis concubitu (cuius ipsa curæ commissa erat) Ioannem, Balduinum ac Guidonem pepererat: dein Guilielmo à Dampetra nobili Burgundo iuncta (vt etiam suprà commemoratum est ad annum quadragesimum sextum) alios complures genuit; quibus illa, spretis Aueniensibus, Flandricum Comitatum addixit. Porrò Aueniensium natu maximus, cùm sororem Guilielmi Impe-

Origo belli grauissimi inter Flandros, & Regem Guilielmum Comitem Hollandiæ.

Imperatoris, vxorem haberet, ſperans eius ope Flandricum Comitatum obtinere, Hannoniam paulò antè occuparat; (imò matre cedente poſſederat ex pacto, de quo ſuprà anno 1246.) Inde tamen repulſus, hoc anno, decreto Guilielmi, Namurcum, Aloſtanos, Waſiam, Quatuor officiorum terram, cetera Imperialis iuris à Flandriæ Comitibus poſſideri ſolita obtinuit; prætexta cauſa Margaretæ his terris priuandæ, quòd clientelæ ſacramentum debitè non feciſſet. Acta hæc Francofurti 5. Idus Iulij, præſentibus Henrico Duce noſtro, Cunrado Archiepiſcopo Coloniæ, Hugone Spirano Epiſcopo, Henrico Leodienſi, Adamo Brunſuicenſi. Reſtitutus tum in Hannoniam ope Imperatoria Auenienſis. Sequenti anno 1253. Flandri, cùm Hannoniam Auenienſi iam ſubditam conſpicerent, in Hollandos bellum transferunt, in Valachriam inſulam Guidone ac Ioanne à Dampetra Margaretæ filiis cum copioſo exercitu miſſis. Henricus verò Dux noſter, veritus ne nimia ſanguinis effuſio ex hac diſcordia fieret, Antuerpiam vtriuſque partis Legatos conuocat. Vbi dum is pacem ſummis laboribus conciliare ſtudet, Flandri Florentium fratrem Imperatoris, & Lupum Cliuianum aggreſſi, magnam cladem accepêre, captis Guidone ac Ioanne à Dampetra. Nihil poſt hanc victoriam de pace cum Imperatore agi potuit, ob id vel maximè offenſo, quòd induciarum tempore, ſui armis inuaſi forent. Ita Diuæus. Quin & ipſe Meierus Flander de ſuis Flandris: Acerrimè, inquit, ab Hollandis in inſidiis locatis excepti, atroci prælio victi ſunt, ac fœda occidione ad magnum numerum cæſi. Capti Principis filij, Guido Ioanneſque cum Comitibus Theobaldo Barrenſi ac Godefredo Ghiſnenſi, cum aliis ducentis 30. vt Guiſianus tradit, Equeſtris ordinis viris, tota claſſe cum omni inſtrumento bellico amiſſa. Hæc in Valachria ad Weſtcapellam quarto Nonas Iulias. Retulêre quidam in litteras, ad 30. vel hoc ampliùs hominum millia ex noſtris occubuiſſe. Iſta Meierus. Progreditur Diuæus: Anno proximo 1254. D. Ludouicus Franciæ Rex (cui ſummum ius erat in Flandros) Carolum fratrem Comitem cum maximis armatorum copiis contra Auenienſem in Flandrorum ſubſidium miſit: à quo mox omnis Hannonia recepta, præter Angiam, quæ virtute Valteri eius oppidi Principis, nulla vi reſerari potuit; cæſis etiam in oppugnatione Ciniaci ac Grandiſprati Comitibus. At Guilielmus intereà maximas Hollandorum copias colligebat: quibus paratis, per Brabantiam Hannoniæ propiùs accedens, Aſchæ Brabantiæ loco caſtra locauit. Indicta tum die, vt in Aſcana planitie ferro contenderetur, Valeſius Francus, relictâ Angiâ, Valentianas retrogreſſus, repentè diſparuit. Receptus poſt eius digreſſum Angiâ Imperator, Valentianas etiam mox recuperauit, Carolo Comite in Franciam abeunte. Sic Diuæus; & adſti-

Celebrantur à Guilielmo Rege Comitia Francofurti.

1253

Henricus noſter fruſtrà ſtudet Flandros & Hollandos conciliare.

Flandri vincuntur, ad VVeſtcapellam Zelandiæ.

1254

Gallica ſubſidia veniunt Flandris, ſed nullo effectu.

adſtipulatur Meierus. Sed nunc excutiendum eſt, quod ſuperiùs de Mechlinia & Hugardia Duci noſtro tranſſcriptis Diuæus ſuggeſſit. De eo hæc Leodienſis Chronologus Hocſemius in Henrico Gelrenſi, capite 5. pag. 288. poſt multa præludia diſſenſionum inter Epiſcopum Henricum & ſubditos narrata ad annum 1255. vt patebit: Hinc, inquit, Electus furore commotus, excommunicationis & interdicti ſententias contra Leodienſes conſcribi præcipit, & Hoyenſes. Sed cùm non inueniretur qui Leodium mandata deferret, tandem per puerum & feminam diriguntur; Prædicatores & Minores, litteris à puero clàm receptis,

1255 *Bellū Leodienſium cōtra ſuum Epiſcopum.*

organa ſuſpenderunt. Sed cùm Presbytero ſancti Huberti dare litteras voluiſſet, deprehenditur, & ablatis ſibi litteris capitur, carceratur, pane & aqua cibatur. Hîc iterùm Canonici pro parte à ciuitate recedunt, interdictum ne violare cogantur. Deniq; Hoyenſes caſtrum Waremiæ combuſſerunt: ſed Canonicis maioris Eccleſiæ ſuper hoc conquerentibus, caſtrum reparare promittunt. Sed Electus propterea non pacatus, contra Leodienſes, Hoyenſes, Dionantenſes, Sancti-Trudonenſes, Brabantiæ Ducis, fratris ſui Geldrenſis, Iuliacenſis, Loſſenſis Comitum, & aliorum

Obligantur Duci noſtro pro ſtipendiis ab Epiſcopo villæ de Hugardis, de Bauenchien & Mechlinia.

plurimorum auxilia procurauit; vnde villas de Hugardis, de Bauenchien, & Mechliniam Duci pro ſtipendiis obligauit. Canonici verò maiores in Leodio reſidentes, hoc reputantes illicitum, Ducem admonent, vt villarum occupationem Eccleſiæ derelinquat: quod cùm Dux facere recuſaret, excommunicatur; Media vita (ritus erat ſummi luctus) cantatur, terræ imagines proſternuntur. Hoyenſes interim, quia cuſtodes caſtri de Muhal ſpoliabant ipſis alimenta ferentes, caſtrum impetunt, reſiſtunt cuſtodes; ex quibus quinque peremptis Hoyenſes receſſerunt incolumes, & habentes obuios Leodienſes Hasbaniam peragrant,

Dux noſter obſidet Sancti Trudonenſes.

aduerſariorum domos vndique conflagrando. Denique Leodienſis Electus, omnium ſuorum exercitu conglobato, per Ducem Brabantiæ obſedit Sancti-Trudonenſes: qui territi Electo ſe certis pactionibus reddiderunt. Tunc ſororius Electi, Comes Iuliacenſis, verſus Muhal properat cum Hasbanis: & cùm Hoyenſes caſtrum Waremiæ, vt præmittitur, combuſſiſſent, ad propria reuertentes, inter Anteyum & Vinamont in eos pugna commiſſa, Hoyenſibus terga vertentibus, præfatus Comes hos inſequitur fugientes; ſternuntur, truncantur, necantur, & reliqui capiuntur anno Domini 1255. 4. Idus Auguſti, in die S. Laurentij. Hæc in-

Cæditur Rex Guilielmus Comes Hollandiæ.

ter alia Leodienſis. Fine huius anni (ſic loquitur Diuæus) 5. Kalend. Februarias Guilielmus Imperator, in Occidentales Friſios profectus, tumultuario incurſu paludi congelatæ inhærens interimitur: cuius comperto interitu, Ioannes Auenienſis mœrore contabuit. Sic Diuæus, annum more Gallico ad Paſcha exeuntem conſtituens. Ita & Meierus.

Quare

Quare more Romano annum à Kalendis Ianuariis auſpicatus Stadenſis, eius mortem ad annum ſequentem quinquageſimum ſextum reiicit. Anno, inquit, 1256. Wilhelmus Romanorum Rex occiditur à Freſonibus Medemleck prope Hollandiam morantibus, in loco incognito ab eiſdem ſepultus. Sic ille: & hoc anno finit Chronicon ſuum. pergit Diuæus: Sequenti anno (quinquageſimum ſextum intelligit) Henrici Ducis noſtri ſedulitas effecit, vt Bruxellæ de pace inter Hollandos ac Flandros conueniret, per quam Guido ac Ioannes à Dampetra libertati reſtituti ſunt: inſulæ Zelandiæ Flandris manſêre, ſed pacta eſt Florentio fratri Imperatoris occiſi Beatrix filia Guidonis, eaſdem inſulas doti allatura, aliaque complura. Ita Diuæus. Meierus pleniùs in hunc modum: Bruxellæ pax conuenit inter Margaretam Comitem ac Florentium fratrem Guilielmi Regis defuncti, eumdem tutorem Florentij filij Guilielmi. Liberati Guido Ioanneſque Flandrenſes cum ceteris captiuis grandi ære. Nam proditum eſt hîc Gandauenſes per ſe contuliſſe ad octo millia nummûm. Pactum vt Florentius tutor, aut eo deficiente, Florentius eius pupillus duceret vxorem Beatricem Guidonis Comitis filiam, cui dos eſſet Zelandia tota in fide ac clientela Comitum Flandriæ. Quòd ſi caſus ita ferret, vt neuter horum Beatricem duceret, tunc vnus aliquis ex filiis Guidonis duceret Mathildem Guilielmi Regis cæſi filiam, cum Zelândia, quo dictum eſt modo, tenenda. Confirmata pax apud Peronam menſe Septembri per Regem Ludouicum, & Oſteruandia Ioanni Auennio poſt mortem matris per eumdem Regem attributa; duxitque poſteà, ſecundùm formulam huius fœderis, Florentius filius Guilielmi Regis Beatricem in matrimonium, primus Comes appellatus Zelandiæ. Ceſſit & Carolus Andegauenſis, Ludouici Regis interuentu Hannonia, ſolutis illi belli ſuperioris impendiis, quæ intra quinquennium haud abſque magno fremitu atque indignatione Flandria pependit. Hæc Meierus. Meminit huius pacis etiam Leodienſis, cum priùs Brabantica quædam narraſſet, digna quæ hîc inſerantur. Anno, inquit, Domini 1256. vt Electus Mechliniã, Hugardis, & Bauenchien, quas Duci pro mille trecentiſque marchis obligauerat, dum eum contra rebelles ſuos fouerat, recuperare valeret, viceſimam partem redituum Cleri à Sede Apoſtolica impetrauit. Quam cùm in Ducatu niteretur exigere, Dux firmauit iuramento, quòd ſi quis Electo viceſimam ſoluerit, decimam exiget ab eodem: & ſic Brabantiæ Clerus Electo viceſimam ſoluere contradicit, & ne procedat ad ſententias Sedem Apoſtolicam appellauit. Hoc anno, mediante S. Ludouico Rege Franciæ, Flandrenſes & Hollandenſes conuertuntur ad pacem. Deinde pace ſimulata Sancti-Trudonem Electus ingreditur, armata multitudine ſubſequente; & Scabinis

1256 — *Pax inter Hollandos & Flãdros Bruxellæ cõciliatur.* — *Zelandia dos Flãdræ nuptura Hollando.* — *Florentius primus Comes Zelandiæ.* — *Clerus Brabanticus prouocat ad Sedem Apoſtolicam.*

binis depositis, illorum loco alios subrogauit, per quos priuantur honore, dirutis eorum domibus, qui sibi magis fuerant aduersati. Hoc metu perterriti ditiores, cum suis mobilibus aufugerunt. Iratus Electus iuramento confirmat, quòd nisi profugi reuertantur, eorum dirui faciet mansiones: portam versus Brabantiam aggere claudit; versus Traiectum turrim trabibus erigit, hanc muniens & fossatis. Dux à torneamento rediens, & præmissa percipiens, exercitum congregauit; Electus econtrà, cognatorum auxilia, se muniens, aduocat: sed citò desiit hæc tempestas. Nam ex pacto restituuntur ablata, abiudicatio firma manet; si tamen & passi sententiam, reuertantur, ipsis in pace remanere licebit, quò minùs per iustitiam infestentur; Electus turrim nouam nihilominùs firmare poterit & munire, ne Trudonenses iterùm valeant rebellare. Et pergit

Nouus motus inter Ducem nostrum & Episcopum, sed qui citò componitur

1257 idem Auctor ad annum sequentem: Anno, inquit, Domini 1257. in die Ascensionis Domini 16. Kalend. Iunij, Richardus Regis Angliæ Henrici frater, Comes Cornubiæ ditissimus, qui per pecuniam electionem sibi parauerat, in Regem Alamaniæ Aquisgrani per Conradum Coloniensem Archiepiscopũ consecratur. Sic ille. Onuphrius de eo non nisi anno sequenti hoc modo: Richardus Cornubiæ Comes Henrici Angliæ Regis frater, à quibusdam Germaniæ Proceribus 8. Idus Ianuarij, ab alijs Alfonsus Rex Castellæ & Legionis pridie Kalend. Aprilis creatur Rex Romanorum. Sed fortasse illud est, quod idem Leodiensis itidem subiungit ad annum illum sequentem quinquagesimum octauum: Richar-

Duo Imperatores seu Reges Romanorum in schismate.

1258 dus Rex venit Hoyum cum magna Nobilium comitiua. Sic ille. Gessit Richardus nomen Regis Romanorum annis 6. Alfonsus verò annis 15. mens. 6. teste eodem Onuphrio. Narrauerat Leodiensis ad annũ 1256. hoc modo: Hoc anno Imperatrix Constantinopolitana, Namurci residens, exactione Burgenses nititur aggrauare: propter quod clàm ad Comitem Luchilburgensem per illos nuntij diriguntur, persuadentes, vt maternam hereditatem veniat accepturus: qui nimio repletus gaudio, illuc militiam dirigit; quam Namurcenses circa mediam noctem Natiuitatis Dominicæ intromittunt. Ab his castrum die crastino obsidetur: sed castro benè munito, in biennium obsidio est protracta. Sic ibi. Pergit ergo nunc hoc anno 1258. Hoc anno, videlicet 1258. cùm Ioannes de Auennis Comes Hanoniæ, asserens castrum cum terra Namurcensi ad suũ dominium pertinere, ad soluendum obsidionẽ maximo exercitu pręparato venisset, tandem factâ concordiâ Lutzilburgensis Comitatũ Namurcensem à Comite Hannoniæ releuauit in feudum. Cumq; Dominus Franco de Wesemale Bastardus, Capitaneus castri, illud animosè biẽnio defendisset, deficientibus omnino victualibus, cùm iam loco panis equorũ suorum sanguinem coctum comedissent, in die Vincentij castrũ reddidit obsidenti;

Castrum Namurcẽse biennio toto obsessũ & quare?

Sanè & tũc erant milites.

qui

qui cùm ſcrutatus fuiſſet ſingula loca, Capitaneo teſtatur honorem, in caſtro tantum panis non inueniens vnde puer famelicus lacrymans poſſit quietari. Ita Hocſemius Leodienſis. Hoc eodẽ anno, referente Diuæo, Florentius frater Imperatoris Guilielmi, idemque tutor Florentij Comitis Hollandiæ, Antuerpiæ in decurſione militari occiſus eſt. Delata eſt tum Hollandiæ cura Henrico Duci noſtro, conſobrino dicti Comitis Florentij: ſed non multò pòſt, ob aulicorum ſuorum inſolentiam, Hollandiâ pulſus eſt. Sic Diuæus. Paulò pleniùs eadem Beka vicinus illorum temporum in hunc modum: Occiſo Rege Wilhelmo, Florentius huius nominis Quintus, anni dimidij tener infantulus, xv. Hollandiæ Comes ſucceſſit: quem Florentius Præſes patruus eius in tutelam accipiens, Comitatum ad tres annos in pace rexit: qui demum læſus in tyrocinio defunctus eſt in Antuerpia, ſed abinde tranſlatus requieſcit in Valachria. Dux verò Brabantiæ exhinc curam eiuſdem infantis accipiens, Hollandiam ad tempus regere cœpit; qui pro * forefacto ſuorum miniſterialium dedignanter expulſus fuit. Deinde principaliores Hollandiæ conſtanter elegerint in tutorem eiuſdem pueri Comitem Geldriæ, & econtrà principales Zelandiæ conſtituerunt tutricem ipſius Aleidim Comitiſſam Hannoniæ: de qua controuerſia demum in Vooruerzee magnum excreuit prælium, vbi plurimis ab vtraque parte peremptis, magnæ depopulationis excreuit homicidium. Sed Hollandiæ populus victorioſè præualuit, & Comes Geldriæ præfecturam terræ potenter obtinuit. Hæc ille; quæ præuidens, credo, noſter Henricus Princeps modeſtus, non tam pulſus eſt fortaſſe, quàm ſponte deinceps tali prouincia abſtinuit.

Florentius tutor Hollandiæ in haſtiludio perit Antuerpiæ.

* forfait ſcilicet inſolentia.

Variè & cruentè de tutela pueri certatur.

Anno 1259. (dicam breuiter verbis Leodienſis Hiſtorici) Conſtantinopolis, quæ dudum per Gallicos capta fuerat & Venetos, per Palæologum Græcorum vi prælij euincitur. Sic ille. Hæc in Græcia, inquit Meierus, accepta clades per Venetorum Genuenſiumq; inteſtina diſſidia, qui eodem anno de imperio Ptolemaidis, quod vnum noſtris in Syria reſtabat emporium, inuicem digladiantes, Latinis in Græcia nullam tulêre opem. Ita Meierus. 1259

Conſtantinopolis Gallis noſtris diſſidentibus à Græcis eripitur.

Anno 1260. Henricus Dux noſter viuis exceſſit (loquitur Diuæus) conditus Louanij in Cœnobio Prædicatorum, quod ipſe cum vxore condiderat: filios reliquit Henricum, Ioannem, Gothfredum, & filiam Mariam vxorem Philippi Tertij eius nominis Francorum Regis. Sic ille. Dn. Molanus his verbis de eius morte commemorat ex Petro de Thuno: Henricus, inquit, III. inter Principes ſui temporis ſanguinis nobilitate pręclarus, qui ſuæ nobilitatis lineam moribus atque virtutibus clariorem effecit, ad ſubſidium Terræ ſanctæ Cruce ſignatus, antequã proficiſceretur, morte præuentus, in iuuentute florida & in bona confeſſione Louanij obiit, anno M. CC. LX. 1260

Moritur Dux noſter Cruce ſignatus, antequam ad Terrã ſanctam proficiſceretur.

Loca pia eius tempore erecta. pridie Kalend. Martij. Tempore huius Principis anno 1249. cœptum est strui Beginagium extra muros oppidi Mechliniensis, quod tandem instar oppiduli excrescens, aliquot millia habuit Virginum, donec à Nouatoribus nostris specie vrbis muniendę, ne in Beginagio munitionem erigeret hostis, dirutum fuit. Nunc vtcumque iterùm se colligit, loco insigni in ipso oppido coëmpto. Et in eadem ciuitate anno 1252. Eremitæ D. Augustini Conuentum instruere cœperunt, priuatorum primùm eleëmosynis, sed demum anno 1305. Ægidio Bertholdo iuuante, perfectũ est. Posteà, lapso sexennio, nempe biennio ante mortem huius nostri Henrici, Minoritæ quoque Siluæ-ducis locum obtinuerunt, & anno sequenti, nempe 1259. Beginagium Arschotanum initium sumpsit, collato ad hoc ab Henrico duce & Aleide vxore suo horreo.

ALEIDIS

PRO LIBERIS,

XXX. BRABANTIÆ PRINCEPS.

Præfuit annis septem.



MORTVO Henrico superiore, cùm filij impuberes essent, (verba sunt Diuæi) Alheidis Principatum administrauit vsque ad annum 1266. Erat Henricus maximus filiorum eius vecors ac omnino Principis loco indignissimus. Quare mater, consilio Valteri Bertholdi Machliniæ Principis, in Burgundiæ quoddam Cœnobium eo latenter ablegato, (vide pleniùs paulò pòst) Ioannem Ducatui præficere conabatur virtuosissimi ingenij adolescentem. Id indignè ferentes Arnoldus Baro Wesemaliæ, ciuesque Louanienses soli causam Henrici propugnabant, iniuriâ ei Ducatum auferri frementes; quem si per se minùs regere posset, tutores gubernatoresque dandos, vt permultis aliarum gentium Principibus factum olim, ac indies fieri compertum erat. Hæc verò tanta tamque constanti in Henricum fide agitabant, vt etiam aduenienti cum matre Ioanni (vt Principatum de more ibi iniret) vrbem præcluderent. Nec hoc contenti, Bertholdum velut totius mali auctorem bello petentes, ex agro Mechliniensi prædas egêre: repulsi inde, cùm maioribus copiis reuerterentur, fusi fugatique pacem à Ioanne Duce & Alheide eius matre petere coacti sunt. Ita Diuæus.

Contentio, quis filiorũ patri succederet, vti refertur à Diuæo.



ALEIDIS PRO LIBERIS, XXX. BRAB. PRINCEPS.

Causa eiusdem dissensionis diligentius excussa. uæus. De iisdem distinctiùs Molanus capite 62. Militiæ sacræ; fortè etiam pleniùs, factum ne id sit iure an iniuria: Henricus, inquit, Tertius (nobis Sextus) heredem reliquit Henricum Quartum, puerum nouem annorum: qui postquam sub tutoribus octo annis Ducem egisset, membris debilis, & sensu deficiens, fratri suo Ioanni Ducatum resignauit, primùm in Cortenberge, & deinde Cameraci coram Richardo Imperatore sæculo abrenuntians, Monachalem habitum Duione in Burgundia assumpsit. Hæc Molanus. Operæpretium videtur addere quod Leodiensis commemorat, cuius miror nusquam Diuæum aut Molanum meminisse.
1267 Anno (inquit ille) Domini 1267. cùm Ducis auxilio Mechlinia rebellaret Episcopo, idem valido exercitu cingens obsidione Mechliniam, defectu victualium circa principium hiemis negotio rediit imperfecto. Et cùm ab obsidione reuerteretur, offensus, turrim, quam Dux apud Wijc in Traiecto fundauerat, funditus diruit, & castrum suum de Monteforti in terra Guelriæ de turris huius lapidibus instaurauit. Et solus & in solidum iurisdictionem exercuit in Traiecto. Sed & castrum Domini de Iacea, Hirgia dictum, expugnando prędauit, Dominum eius ad obedientiam compellendo. Ista Hocsemius. Sed cuius Ducis auxilio Mechlinia rebellauit? num Henrici, cuius partes fouebant Louanienses; an Ioannis, cui fauebat mater & Bertholdus Dominus alterius portionis oppidi Mechliniani? Verisimilius Louanienses pro Henrico pugnantes simul Episcopum contra Mechlinienses concitasse. Nam inuenio matri Aleidi cum hoc Episcopo Henrico Gelrensi probè conuenisse; vt docebit Diploma mox proferendum. Neque miretur quis me Aleidem in serie Principum ponere. etenim publicis tabulis tempore viduitatis Ducissa Lotharingiæ & Brabantiæ vocatur, quarum hoc est breuiarium: Aleidis Ducissa Lotharingiæ & Brabantiæ «(verba sunt Diplomatis) vniuersis pręsentes litteras inspecturis salutē in « Domino sempiternam. Nouerit vniuersitas vestra, quòd cùm inter viros « venerabiles Canonicos Antuerpiensis Ecclesiæ ex vna parte, & Wilhelmum dictū Sclauwart Scultetū Antuerpiensem, Nicolaū Ammannum, « Arnoldum Cambitorem, Iohannem dictum Aleyn, & eorum consortes « Burgenses Antuerpiēses ex altera, super diuersis articulis orta esset materia « quęstionis, prout in Instrumento super hoc confecto pleniùs continetur; « partes prędictæ super dictis cōtrouersiis, articulis & querelis in nos com- « promiserunt, sub pœna centum librarum Louaniensiū, nobis à parte, quę « contra dictum nostrum seu arbitrium venerit, soluendarum. Nos autem « onere huiusmodi in nos suscepto, visis & diligenter inspectis querelis & « articulis dictorum Canonicorū ab ipsis nobis traditis, & responsionibus « ipsorum Burgensiū ad præmissa, in dicto negotio, prout ad pręsens pos- « sumus,

Mechlinia obsessa ab Episcopo Leodiensi, sed citò iterùm deserta.

Cur Aleidis ponatur in serie Principum.

Compromittunt Canonici & ciues Antuerpienses in sententiam Ducissæ Aleidis.

» » ſumus, procedere intendentes, habito cum Reuerendo Patre Domino
» Leodienſi Epiſcopo, Nobili viro Domino Comite Ghelriæ, & aliis No-
» bilibus & Magnatibus ac viris prudentibus conſilio, ac diligenti tracta-
» tu, pace ac concordia, ac vtilitate dictarum partium penſatis, pronuntia-
» mus arbitrando & ordinamus, &c. In cuius rei teſtimonium ſigillum
» noſtrum pręſentibus litteris eſt appenſum. Actum & Datum apud Ant-
» uerpiam in Monaſterio beati Michaëlis, præſentibus Epiſcopo & Co-
» mite prædictis, viris Nobilibus Domino Bertholdo de Machlinia, Do-
» mino Ar. de Rothelaer Dapifero, Domino Henrico de Bautriſent, Do-
» mino Waltero de Windhe Dapifero Brabant, prædictis partibus & plu-
» ribus aliis Clericis & laicis anno Domini M. CC. LX. tertio, Feria quinta
» ante feſtum beati Clementis. Ita Tabulæ illæ. Porrò quàm religioſa, quamque æqui & recti tenax fuerit hæc Princeps, perpetuo documento erit Opuſculum 27. inter Opuſcula magni illius Thomæ Aquinatis, quod huic Ducíſſæ inſcripſit, memor erecti recèns ab illa eiuſque marito anno 1256. Louanij ſui Ordinis Prædicatorij Fratribus inſigni Cœnobio: nam ceſſit ijs, vt Lipſius loquitur, ipſam Aulam ſuã, quam in Diliç inſula habebat, medio ferè vrbis loco, quam Annales Baſſam curtim, id eſt inferiorem aulam vocant, ad diſcrimen illius ſuperæ quam Burgum dicimus. Titulus Opuſculi eſt De regimine Iudæorum, ſed veriùs De bono regimine Principis in vniuerſum; cuius hæc præcipua lubet adſcribere: Excellentiæ veſtræ (inquit Diuus ille & Magnus) recepi litteras, ex quibus & piam ſollicitudinem circa regimen ſubditorum veſtrorum, & deuotam dilectionem, quam habetis ad Fratres noſtri Ordinis, plenariè intellexi, Deo gratias agens, qui veſtro cordi tantarum virtutum ſemina inſpirauit. Quod tamen in ijſdem à me requirebatis litteris, vt vobis ſuper quibuſdam articulis reſponderem, vtique mihi difficile fuit, tum propter occupationes meas, quas requirit operatio lectionis; tum quia mihi placeret, vt ſuper his requireretis aliorum conſilium magis in talibus peritorum. Verùm quia indecens reputaui, vt veſtræ ſollicitudini negligens coadiutor inueniar, aut dilectioni ingratus exiſtam, ſuper propoſitis articulis vobis ad præſens reſpondere curaui, abſque præiudicio ſententiæ melioris. Hæc D. Thomas, ac primùm reſpondet ad ęam quæſtionem, Si liceat illi aliquo tempore, & quo, exactionem facere in Iudæos? Quam reſponſionem prolixam qui velit in fonte videat; nobis ſatis eſt hinc diſcere, eo tempore Iudæos in Brabantia non paruo numero conſediſſe. Ad quæſtiones alias venio, quarum enodationes perpetuò poſſunt Brabantiæ noſtræ vſui & honori eſſe. Sic ergo deinde idem Angelicus Doctor: Quintò, inquit, quærebatis de Baliuis & Officialibus veſtris, ſi liceat eis officia vendere, vel mutuò ab eis recipere aliquid certum, donec

En & tunc quàm ſplẽdeat aula Brabantica.

Cœnobium Prædicatorum Louanij ab hac Aleide eiuſq; marito extructum.

Reſpondet D. Thomas Aquinas variis quæſtionibus ſibi ab Aleide propoſitis.

Vtrùm liceat Baliuatus & alia huiuſmodi officia vendere.

nec tantum recipiant ex officiis. Ad quod dicendum videtur, quòd quæstio iſta duas difficultates habere videtur; quarum prima eſt de officiorum venditione. Circa quam conſiderandum videtur, quod Apoſtolus dicit, quòd multa licent, quæ non expediunt. Cùm autem Baliuis & Officialibus veſtris nihil committatis, niſi temporalis officium poteſtatis, non video quare huiuſmodi officia non liceat vobis vendere, dummodò talibus vendatis, de quibus poſſit præſumi quòd ſint vtiles ad talia officia exercenda, & non tanto pretio vendantur officia, quòd recuperari non poſſit ſine grauamine veſtrorum ſubditorum. Sed tamen talis venditio expediens non videtur. Primò quidem, quia contingit frequenter, quòd illi qui eſſent magis idonei ad huiuſmodi officia exercenda, ſunt pauperes, vt emere non poſſint; & ſi ſunt diuites, illi qui meliores ſunt, talia officia non ambiunt, nec inhiant ad lucra ex officio acquirenda. Sequitur igitur, quòd vt plurimùm illi officia in terra veſtra ſuſcipiant, qui ſunt peiores, ambitioſi, & pecuniæ amatores, quos etiam probabile eſt ſubditos veſtros opprimere, & veſtra etiam commoda non ſic fideliter procurare. Secunda verò dubitatio circa hunc Articulum eſſe poteſt de mutuo. Circa quod dicendum videtur, quòd ſi hoc pacto mutuum dant, vt officium accipiant, abſque dubio pactum eſt vſurarium, quia pro mutuo accipiunt officij poteſtatem; vnde in hoc datis eis occaſionem peccandi; & ipſi etiam tunc tenentur reſignare officio taliter acquiſito. Si tamen gratis officia dederitis, & pòſt ab eis mutuum acceperitis quod de ſuo officio poſſint recipere, hoc abſque omni peccato fieri poteſt. Sextò quærebatis, Si liceat vobis exactiones facere in veſtros ſubditos Chriſtianos? In quo conſiderare debetis, quòd Principes terrarum ſunt à Deo inſtituti, non quidem vt propria lucra quærant, ſed vt communem populi vtilitatem procurent. Contingit tamen aliquando quòd Principes non habent ſufficientes reditus ad cuſtodiam terræ, & ad alia quæ imminent rationabiliter Principibus expetenda; & in tali caſu iuſtum eſt, vt ſubditi exhibeant, vnde poſſit communis eorum vtilitas procurari. Et inde eſt quòd in aliquibus terris ex antiqua conſuetudine Domini ſuis ſubditis certas collectas imponunt: quæ ſi non ſunt immoderatæ, abſque peccato exigi poſſunt; quia ſecundùm Apoſtolum, Nullus militat ſtipendiis ſuis. Et ſimilis caſus eſſe videtur, ſi aliquis caſus emergat de nouo, in quo oportet plura expendere pro vtilitate communi, vel pro honeſto ſtatu Principis conſeruando, ad quæ non ſufficiunt reditus proprij vel exactiones conſuetæ; puta, ſi hoſtes terram inuadant, vel aliquis ſimilis caſus emergat. Tunc enim & præter ſolitas exactiones poſſunt licitè terrarum Principes à ſuis ſubditis aliqua exigere pro vtilitate communi. Si verò velint exigere vltra id quod eſt inſtitutum,

Reſpondetur licere aliqua ratione, nequaquam tamen expedire.

An liceat exactiones facere in ſubditos, & quouſque.

1. Cor. 9.

Caſus in quibus licet nouas exactiones imponere.

tum, pro ſola libidine habendi,aut propter inordinatas & immoderatas
expenſas, hoc eis omnino non licet. Vnde Ioannes Baptiſta militibus ad
ſe venientibus dixit: Neminem concutiatis,neque calumniam faciatis,& *Lucæ 3.*
contenti eſtote ſtipendiis veſtris. Hæc ſunt,Illuſtris & Religioſa Domi-
na,&c. Valeat dominatio veſtra per tempora longiora. Atque hoc eſt,ni
fallor,quod Cl.V. Lipſius cap.16. ſui Louanij adumbrat, de hoc inclyto
Aquinate agens , his verbis : Familiarem fuiſſe Principibus noſtris con-
ſtat; & Aleidem (ſic ille vocat,vt & nos,non Adelheidem) viduam dicti
Henrici ad eum Pariſiis agentem ſcriptitaſſe, & conſilia vitæ dirigendæ
petiiſſe,atque accepiſſe. Tantæ ergo Principi cùm aliquamdiu (vt ſuprà
dicere cœpimus) Louanienſes fuiſſent reluctati, denique ſupplices facti
ſunt. Quo anno illud,non æquè liquet.Satis certum,non priùs quàm vi-
derent Louanienſes Henricum ſuum Cameraci ſolemni ritu Ducatum
fratri Ioanni ceſſiſſe,vbi & ſæculo eum renuntiaſſe coram Richardo Im-
peratore,iam anteà Molanus commemorauit. Miræus ceſſionem hanc

Tandem Louanienſes Aleidi magnæ heroinæ recõciliantur.

adſcribit anno 1267. his verbis velut Diuæi: Henricus Henrici III. Bra- 1267
bantiæ Ducis filius natu maximus cùm eſſet ad Imperium ineptus,agen-
te matre Aleide,9.Kal.Iunias Cameraci ceſſit Ducatum Ioanni fratri ſe-
cundo genito , præſente Richardo Cornubiæ Comite , qui Imperatoris
Romani titulum eo tempore gerebat. Henricus porrò Diuionem in Bur-
gundiam ſecedens, monaſticemque profeſſus,in Canonicorum Regula-
rium Cœnobio vitam finiit. Sic ille. Dubito tamen an eodem anno in-

Cedit Henricus fratri Ducatum ipſe Monachũ induens.

auguratus ſit Ioannes , quamquam id velit numerus in margine Diuæi
Operi adſcriptus , magiſque puto inaugurationem illam non ante an- 1268
num ſexageſimum octauum contigiſſe , tum quòd Molanus Imperio
Aleidis octennium tribuat, tum quòd ſuprà Leodienſis ponat obſidio-
nem Mechlinienſem circa principium hiemis anni ſexageſimi ſeptimi.
Quin ipſe quoque Diuæus,poſtquam de Louanienſibus dixit,Fuſi fuga-
tique pacem à Ioanne Duce & Adelheide eius matre petere coacti ſunt;
immediatè ſubiungit : Menſe Maio anni ſequentis, (quid ni ergo ſexa-
geſimi octaui ?) in Cortebergenſi Cœnobio habitis Comitiis, Adel-
heidis omnem rebellionem,ſibi,filio,fautoribuſque eius irrogatam Lo-
uanienſibus remiſit, promittentibus Ioannem ſecundum filium eius ſe
in Ducem recepturos . Aderant huic conuentui , Valterus Angiæ Do-
minus, Valterus Bertholdus Machliniæ Dominus , Arnoldus Diſthæ
Dominus , Leonius Caſtellanus Bruxellenſis, Ioannes Bryna Dominus
Lyntræ, Henricus ab Aſca Eques ; & Legati Bruxellenſium, Tillemon-
tanorum , Leuienſium , Antuerpienſium, Lyrenſium, Geldonienſium,
& Gemblacenſium. Facta poſt hæc diuiſio inter Ioannem ac Goth-
fredum

Nomina Procerum quibus præſẽtibus Louanienſes Aleidi ſunt reconciliati.

fredum fratres; Ioanni Ducatus Lotharingiæ ac Brabantiæ permansit;
Godefrido fratri Ducis assignatur dominium Arschotanum, & alia.
Gothfredo verò dominia Arschotanum, Birbachense, Sicheniense, ac
Rodiæ S. Agathæ adsignata: qui quæsito remotiore connubio, filiam
Comitis Virsonij in Biturigibus Galliæ vxorem duxit. Sed nunc quoque, quę alibi insigniora tẽpore huius Principis inciderunt, attexamus.
Anno 1261. Alexandro IV. Papa die 8. Kalend. Iunij, cùm vacasset Sedes
Vrbanus IV instituit Festũ Corporis Christi.
menses 3. Vrbanus Quartus Gallus Trecensis ex Patriarcha Ierosolymitano summus Pontifex renuntiatus est 4. Kalend. Septembris, qui præter
alia multa præclara, etiam festum Corporis Christi, cuius Officium
tum D. Thomas Aquinas composuit, solemnissimo ritu instituit. At
1262 verò anno sequenti (Meiero commemorante) grauis incidit discordia
iterùm super Comitatu Namurcensi. Balduinus Græcorum Augustus
egestate adactus, hunc Blanchæ Reginę vendiderat. Blancha autem mulier omnibus prędita virtutibus, Augusti miserata infortuniũ, eumdem
Comitatum Marthæ Augustæ reddiderat. At Henricus Lucemburgensium Princeps, iuris nescio quid in Namurcũ se habere contendens (vide
suprà ad annum 1258.) fretus fauore ciuium, victo interfectoq; Augustæ
Contendũt de Namurco Lutzenburgenses & vidua Balduini Augusti.
Prætore ciuitatẽ inuasit. Margareta Flandriæ Comes, quæ, teste orbe terrarum, potiore quàm Luceburgensis iure Namurcum asserere poterat,
nihil cunctabatur agnatæ Augustæ firma atq; expedita mittere auxilia,
Flandrorum Hannoniorumque aucta viribus. Namurcum oppidum,
atque in illo Luceburgensem Augusta potenter obsedit. Fertur remissiùs
hîc egisse, fautorque Lucemburgensi extitisse Balduinus Auenienisis, qui
Hannoniẽsibus pręerat, adeò vt auctor fuerit dandi Luceburgensi 15. dierum inducias; quæ res Campanis, qui cum Augusta venerant, vsque eò
displicuit, vt è vestigio se domum reciperent, solueretúrque in totum obsidio. Pauco tamen intercedente tempore compositæ res, dextræque
intermixtæ, & non modò fœdus, verùm & affinitas iuncta. Guido Comes Margaretæ filius id temporis cælebs Isabellam Luceburgensis filiam duxit vxorem, Comesque seu Marchio (vt vocant) Namurcensium, Augusta assentiente est salutatus. Hæc Meierus. & pergit: An-
1263 no deinde 1263. Vrbanus Quartus, genere Gallus, Carolum diui
Sicilia datur Carolo fratri sancti Ludouici Regis, & quo titulo.
Ludouici Regis fratrem, Andegauensis Phoceucisque prouinciæ Principem in Italiam accersiuit ad capessendum Regnum Siciliæ, propterea quòd Manfredus Tarenti Princeps, Frederici Augusti ex pellice filius, postquam patrem (vt rumor erat) collisis faucibus suffocasset Conradumque fratrem Siciliæ Regem veneno sustulisset, Regnum Siciliæ inuaderet, societatem cum Saracenis ex Africa adscitis
iungeret, Romanæ Ecclesiæ ditiones occuparet, exercitus Pontificios

cios funderet, vrbes caperet. Ita ille. Leodiensis verò hoc modo: Vrbanus Papa Quartus exercitus Saracenorum, quem in patrimonium Romanæ Ecclesiæ Manfredus miserat, suffragio Cruce signatorum potenter abegit; & Regnum Siciliæ, quod per violentiam occupabat Manfredus, Carolo Andegauensi Comiti sancti Ludouici Regis Franciæ fratri contulit, vt eriperet ab eodem. Et anno sequenti 1264. Cometes, qua- 1264
lis numquam, tunc apparuit ab Oriente cum magno fulgore cõsurgens, vt ad medium hemisphærij comam suam perlucidam protraheret; & tunc Vrbanus Papa cœpit protinus infirmari: quo plus tribus mensibus ægrotante, & tunc defuncto, euanuit & Cometes. Anno verò 1265. præ- *Moritur Vrbanus Papa.*
fatus Carolus pro Regno Siciliæ sibi dato, nauigio venit in Apuliam; & 1265
bello campestri Manfredum vita Regnoque priuauit, & obtinuit Siciliæ Principatum. Hoc anno Clemens Quartus in Papam eligitur. Hic natus fuit de oppido S. Ægidij in Prouincia, optimè litteratus in Iure ciuili, & optimus Aduocatus, demum Legum professor vxoratus, & gradatim ascendens, Consiliarius Regis, Archiepiscopus Narbonensis, Cardinalis Sabinensis, denique Papa sanctissimus. Hic habuit vnam filiam nomine Cæciliam, quam multi magni Nobiles ab ipso petierunt in vxorem; quos deridens dicebat, Vos non petitis Cæciliam, sed scilicet Papam. Hanc autem noluit maritare, sed mediocriter eidem prouidẽs, quamdiu vixit, voluit viuere honestè in quodam Monasterio Monialium in ciuitate Nemausensi. Nullum de suo sanguine altiùs extulit, sed de eleëmosynis suis mediocriter sustentauit eos qui indigebant. Rectus fuit adeò in omnibus, vt nulli Regi vel Principi deferret, & ideò ab omnibus diligebatur & timebatur, maximè à S. Ludouico quondam Domino suo, qui ad inuicem de sanctitate vitæ crebris exercitationibus cõsolabantur, & in bonis actibus quilibet finiuit vitam miraculis coruscando. Ita Leodiensis: sed intellige Manfredum cæsum in Februario, hoc anno more Gallico exeunte demum ad Pascha. Vnde & Miræus noster ex Ricordano eius temporis Scriptore adscribit anno sequenti, scilicet ineunti more Romano Kalendis Ianuarij. Sunt hæc eius verba: An- 1266
no 1266. Carolus Prouinciæ Comes, S. Ludouici Galliæ Regis frater, ab Vrbano IV. primùm, pòst à Clemente IIII. in Itáliam euocatus, in die Epiphaniæ iussu Clementis Papæ per duos Cardinales Legatos Romæ Rex Siciliæ & Apuliæ appellatus, Manfredum Frederici II. Imp. filium pridie Kalend. Martias, prælio ad Beneuentum commisso, interemit, & Regnum vtrumque occupauit. Mandatum est autem vt quadraginta mille aureos nouus Rex penderet quotannis Romanæ Ecclesiæ, atque ab Imperij nomine abstineret. Ricordanum in Florentina historia, huius temporis Scriptorem, consule. Hæc Miræus; ac deinde subiungit ad annum

Insigne exemplũ Clementis Papæ, de non exaltandis consanguineis.


Sicilia feudum Ecclesiæ Romanæ sub onere quadraginta millium aureorum annuorum.

num sequentem de Aleide nostra quæ suprà retulimus. Sub huius quoque Aleidis Principatu iam exeunte, aut certè Ioannis filij ineunte, nempe anno 1268. Pandocheium illud Siluæducense, hebdomadaria largissima panum distributione celeberrimum, initium habet.

IOANNES I.

FILIVS PRÆCEDENTIVM, XXXI. BRABANTIÆ PRINCEPS.

Præfuit annis viginti septem.



EDATO motu ciuili, de quo in precedente Aleide dictum est, Ioannes Dux (verba sunt Diuæi) mense Iunio
1268 vrbem ingressus, imperium totius regionis recepit: confirmataque Cortebergensi pace, ac omnibus vrbis Louaniensis priuilegiis pro rato habitis, promisit se annis singulis nouos vrbi Scabinos daturum; Iudæos quoque ac Cauuersinos (ita fœneratores tum vocabant) eodem quo Bruxellę tenerentur, loco habiturum, adhibitis testibus Valtero Bertoldo Machliniæ, Arnoldo Disthæ, Arnoldo Wesemaliæ Dominis, ac Legatis Bruxellensibus. Creatos tum lego nouos Scabinos, Ioannem ab Herent, Arnoldum à Roda, Ægidium ex Limingis, Petrum à Calstris, Ioannem Edelherum, Valterum Blancardum, Valterum cognominatum Crikensteen. Pulsi paulò pòst Louanio textorum complures, seditionem agitare conuicti; quorum exsilio nouus Dux subscripsit mense Septembri. Hactenus Diuæus. Memorabile est quod Hocsemius Leodiensis, proximus horum temporum, anno 1268. adscribit: Conradinus, inquit, ex Conrado Rege nepos Frederici cum exercitu maximo Teutonicorum, Lombardorum pariter & Tuscorum, Romam veniens, velut Imperator magno desiderio à quibusdam recipitur. Et assumpto secum Senatore Vrbis Henrico fratre Regis Castellæ, auitum Sicilię Regnum recuperare desiderans, venit in Apuliam, & cum Carolo duro campestri bello dimicans, cum Nobilibus multis capitur, eiusq; caput sententia cuiusdam Iudicis amputatur. quod factum contra ius bellicum Principibus videbatur; propter quod Guido Comes Flandriæ, qui tunc aderat, obuius fortè Iudici huic gradus ascendenti, à se percussum capite clauâ deiecit, inquiens:

Ioannes Dux rata habet Louaniensium priuilegia.

Pelluntur Louanio plures textores.

Infeliciter pugnat Côradinus nepos Frederici II. Imp. contra Carolum Siciliæ Regem constitutû.



IOANNES I. XXXI. BRAB. PRINCEPS.

inquiens: In tam nobile caput sententiam non proferes amodò tam crudele. Hæc ille; nominans tamen perperàm Guidonem pro filio eius Roberto. Meierus hoc modo: Conradinus totam Siciliam, exceptis Syracusis, Messana, & Panormo, in deditionem acceperat; sed tandem ad lacum Fuscinum memorabili prælio ab Carolo victus ipse, Duxque Austriæ (quod crudele visu) securi percussi sunt. Annum 1269. intactum transilio.

1270 Anno 1270. Dux Ioannes iterùm Louaniensium iura, pacemque Cortebergensem confirmauit mense Maio. Hæc tantùm ad annum illum Diuæus. Adscribuntur huic anno apud Leodiensem ista: Cùm sanctus Ludouicus Rex Franciæ, laboribus & captiuitate pristina non perterritus, pro recuperatione Terræ sanctæ cum multis Nobilibus & Prælatis denuò transfretasset, vnus de duobus filiis Regis, quos adduxerat, Ioannes, pestilentia, quæ circa mare vigebat, occubuit; quæ pòst Legatum Papæ, ac ipsum Regẽ Franciæ cum Nobilibus multis absumpsit, cùm iam & Carthaginem prope Tunitium manu valida occupassent, tunc frater eius Carolus Rex Siciliæ, pro quo Ludouicus miserat, superuenit: qui cùm Saracenos inciperet impugnare, Saraceni perterriti pepigerunt, & solutis expensis Rex Tunitij Regis Siciliæ tributarius est effectus. Ita Hocsemius Leodiensis. Paulò pleniùs, vt apparet, Miræus ex variis. Afflictis Syriæ rebus opem laturus S. Ludouicus Galliæ Rex cum tribus filiis Ioanne, Philippo, & Petro, itemque genero Theobaldo Vasconum & Nauarrorum Rege, Kalendis Martij soluit Massilia; primumque in Sardiniam, deinde in Africam cursu directo, Tunetum ibi aliquot menses obsessum est, ac demum expugnatum. Dumque fratrem Carolum Siciliæ Regem cum magnis copiis aduentantem Ludouicus expectat, pestis in castris exorta, primò Ioannem Ludouici filium, deinde Romani Pontificis Legatum, postremò Regem ipsum 8. Kalend. Septembris profluuio sustulit. Cum ignominia nostris ex Africa discendendum fuisset, nisi Carolus Siciliæ Rex superuentu suo eos confirmasset. Cum barbaris itaque ea lege conuentum, vt quadraginta aureorum millia ipsi Carolo & posteris quotannis penderent, quanto tributo Siculus Romanæ Ecclesiæ erat obnoxius.

S. Ludouicus Rex iterùm proficiscitur ad recuperandam Terram sanctam.

Tuneto expugnato, sanctus Rex cum pluribus aliis peste moritur.

1271 Anno 1271. referente Diuæo, cùm incolæ oppidi Hosdeniensis in ipso limite Brabantiæ ac Hollandiæ siti Boscum-Ducis infestarent, Dux eò profectus oppidum cepit. Et eodem anno obiit Arnoldus Dominus Disthæ, conditus in oppido suo, in Franciscanorum Cœnobio, quod ipse condiderat: successit ei Arnoldus filius, quem ex Elisabetha filia Ducis Brabantiæ sustulerat. Sic ille; attamen huius expeditionis Hosdeniensis nullam apud Hollandos vel Flandros Scriptores adhuc inueni memoriam. Anni

Dux noster domat Husdenses Boscoducensibus infestos.

1272 sequentis mense Augusto, Ioannes Dux permisit Louaniensibus Scabinis

binis ac Senatoribus, (sic loquitur Diuæus) vt suo arbitrio vectigalia noua indicere, vetera augere, diminuereve liceret quoties commodum foret Reipublicæ, adhibitis testibus Adelheide matre, Valtero Bertoldo Machliniæ Domino, Ægidio fratre eius, ac Henrico Domino Boutreshemi. Et sequenti anno Ioannes Dux vxorem accepit Margaretam filiam Guidonis Comitis Flandriæ; ex qua genuit Ioannem successorem suum, Gothfredum qui infans periit, Margaretam vxorem Henrici VII. Imperatoris, & Mariam Amadeo Comiti Sabaudiæ nuptam. Hæc ille. Addit Leodiensis: Anno Domini 1273. Richardus Rex moritur, & Rodulphus Dux Austriæ in Regem Alamaniæ coronatur. Sic ille, qui scripsit circa annum Domini 1335. Anno 1274. Maria soror Ducis nostri in Franciam ducta, Philippo eius nominis III. Regi nupsit, ac festo Ioannis Baptistæ in Regio sacello coronata est manu Petri Archiepiscopi Rhemorum; indignato ob id Archiepiscopo Senonum, quòd in sua diœcesi Rhemensis id præsumpsisset. Prodiêre ex eo matrimonio Ludouicus Dux Eburonum & Margareta vxor Eduardi Anglorum Regis. Eodem anno Henricus Leodij Episcopus ob simoniam in Concilio Lugdunensi depositus, Ioannem Anginũ Episcopum Tornacensem successorem accepit. Ista Diuæus. De Episcopo suo pleniùs hoc modo Hocsemius: Gregorius Decimus Pontificatus sui anno 2. Lugduni Vniuersale pro passagio Terræ sanctæ Concilium congregauit: ad quod dum fuisset Episcopus Henricus personaliter euocatus, & Leodienses, Hoyenses, Dionantenses, ac Sancti-Trudonenses hoc perpenderent, destinant ad Concilium, qui de insolentiis ipsum & deflorationibus virginum accusarent. Cùm Papa vellet procedere contra ipsum, petiit an vellet cedere, vel sententiam expectare? Qui sperans obtinere gratiam, annulum resignauit; sed inanem hunc Papa permisit abire. Hic post depositionem suam duodecim vixit annis. Huic Papa ante priuationem suam pulchram destinauit epistolam; vbi hæc inter cetera: Accepimus namque non sine multa mentis amaritudine, quòd tu Episcopali grauitate prorsus abiecta, simoniæ, incontinentiæ, aliisque variis & diuersis criminibus irretitus, voluptatibus & desideriis carnis te totaliter deputas, ita quòd tam ante promotionem tuam quàm etiam post, quamplures filios & filias procreasti, etiam in operibus mortis gloriam ponens. (& numerat Pontifex multa & valdè distincta, tamquam optimè informatus.) Ac tandem concludit: Ha Deus! cur tu sic es famæ prodigus & salutis oblitus? Exiguo debetur misericordia, sed potentes potenter tormenta patientur, & graue iudicium imminet his qui præsunt. Nam si manus hominis euaseris, ipsius tamen Dei pro tantis excessibus manus effugere non valebis. Hæc ibi inter alia. Anno sequenti 1275. narrat idem Leodiensis, castrum 1275

Idem ampla concessit priuilegia Louaniensibus.

1273 *Ducit vxorem filiam Comitis Flandriæ.*

1274

Deponitur Episcopus Leodiensis simoniacus in Concilio Lugdunensi.

Admonitoria grauissima Papæ ad dictum Episcopum.

de Falais à Duce nostro esse releuatũ, & anno sequenti Meeffiam similiter spoliatã: quæ miror à Diuæo prætermissa. Cùm, inquit, progenies castri de Belloforti fidelis Episcopo & Episcopatui fauorabilis extitisset, quia Bailliuus Condrosij Ialain villã Domini Ioannis de Gones, fratris Domini de Belloforti & Domini Rigaldi de Falais, vna vacca prædauerat, proinde discordia grauis exoritur, Episcopatui pernociua. Nam tribus prędictis fratribus Episcopatum infestantibus, Hoyenses mansiunculam dicti Ioannis in palude iuxta Tytantiam destruxerunt, castrum de Gones incendio deuastantes, castrumque de Belloforti obsidione frustrà cinxerunt. Tunc Episcopus castrum de Falais fecit per Bailliuũ Hasbaniæ obsideri; Dominus verò castri se sentiens imparẽ, castrum suum in feudum à Duce Brabantiæ releuauit. Vbi cùm Dux magnum exercitum, vt obsidionẽ solueret, congregasset, exercitus Episcopi relicta sede discessit. Tunc pariter & reliqui duo fratres castra sua receperunt in beneficium à Comite Namurcensi, terram B. Lamberti martyris relinquentes. Vnde cùm Comes Namurcensis hortatu fratrum istorum terram Episcopatus tentaret inuadere, Hoyenses, adiuncto sibi pariter agmine militari, terram Comitis igne ferroque vastarunt. Quare Comes perturbatus, Flandriæ Comitis & Ducis Brabantiæ subsidium postulans, exercitu multorum nobilium collecto, se parat in exitium terræ nostræ. Denique Comes Lutzilburgensis, qui venerat in auxilium Flandriæ Comitis, villam de Cennaco pro libito spoliauit funditus & euertit 14. Kalend. Maij, anno Domini 1276. Et in crastino 13. Kal. Maij, Dominica qua cantatur Misericordia, Dux Brabantiæ prædata Meeffia, residuum igne consumpsit. Hæc ille. Hoc eodem anno 1276. (referente Diuæo) cùm Ludouicus, maximus natu filiorum Regis Franciæ, quem ex filia Regis Arragonum sustulerat, interiisset, Petrus quidam Breschius aulicorum potentissimus, veneni suspectus, in Mariam Reginam Ducis nostri sororem, nouercam defuncti, crimen retorsit; palàm asserens, vt sui regnarent, statuisse eam omnes prioris tori liberos Regios tollere. Inquisitum in eam acerbiùs, quàm Reginæ maiestatem deceret, factione Breschij plus æquo præualente. Porrò cùm custodes etiam adhiberentur, missis ad fratrem Ducem secretissimis litteris eum in Franciam euocauit. Profectum lego Bruxella Lutetiam vno die, solo famulo & cane comitibus, eosque quoad vixit, summè dilexisse. Addunt Chronographi, Ducem simulato Franciscani habitu ad sororem intromissum, cùm eam criminis exortem verissima confessione cognouisset, mox Franciscani habitu exuto, innocentiam eius armis probare voluisse, prouocato in certamen singulare eo qui contrarium asserere vellet. Ceterùm nullo se committere auso, Breschius cùm fugam adornaret, deinde retractus vinculis adstringitur;

Ex parua scintilla maximum oritur incendium.

Dominus de Falais castrum suum à Duce nostro in feudum releuat.

1276

Spoliat Dux noster Meeffiam, & residuũ igne consumit.

Sororem suam Reginam Franciæ, falsò accusatam homicidij, liberat.

tur; mox, fatis vrgentibus, cùm & Regni ſecreta Hiſpanis prodidiſſe certiſſimis indiciis conuinceretur, quæſtioni ſubditus, dolum omnem retexit: vnde Parlamenti iudicio condemnatus, communi ſontium patibulo ſuffixus eſt, tanto Procerum gaudio, vt ipſe Dux Burgundiæ & Robertus Comes Atrebatium cum Ioanne Duce noſtro ad locum vſque ſupplicij perrexerint, vt hominem ſceleſtum ac omnibus æquè exoſum ſublimem viderent. Anno ſequenti 1277. Guilielmus Comes Iuliaci 1277 cum tribus filiis & 464. Nobilibus, & non exiguo armatorum numero, Aquaſgrani (cuius vrbis Aduocatiam veteri iure ſuam repetebat) ſub veſperum intrauit: quo comperto ciues, arreptis tumultuariè armis, in forum compulſum cum omnibus ſuis ſumma crudelitate trucidarunt. Sunt qui id factione Ducis noſtri factum adſerunt, quorum Brando addit; cùm in vltionem cæſi Comitis, Comes Limburgi copias oppido admouiſſet, Brabantinum, pulſo eo, ab Aquenſibus receptum, & oppidi Aduocatum creatū. Sed Ioannes Trithemius Abbas in Chronico Hirtzaugienſi potiùs Ducem Comitis mortem vltum eſſe ſcribere videtur, his verbis: Wilhelmo, inquit, Comite Iuliacenſi mortuo, Siphridus Archiepiſcopus Colonienſis dudum eius inimicus, Aquenſibus confœderatus, terram illius deſtitutam Principe, armata manu ingreditur, omnia ferro & igne demolitur, oppida capit, obtinet munitiones, totumque in ſuam poteſtatem redigit Comitatum. Contra quem Dux Brabantiæ auxilio conſanguineorum & amicorum Comitis occiſi, exercitum duxit; ſed parum profecit. Tandem Martino Papa Quarto vices ſuas interponente, concordia facta eſt, & Archiepiſcopus omnia quæ abſtulerat dominia, oppida, caſtra & villas reſtituit. Hæc apud Diuæum. Leodienſis hoc modo breuiter: Anno 1277. 16. Kalendas Aprilis, Comes Iuliacenſis cum duobus filiis, militibus pluribus & armigeris Marte doctiſſimis, inconſultè Aquenſium ſubeunt mœnia cum populo bellaturi; quibus pariter interemptis, Aquenſium gladios pauci euaſerunt. Sed Waleramus de Falcomonte, paternis cautus periculis, qui ſimili caſu à Colonienſibus fuerat interfectus, cùm ceteris introitum diſſuadere non poſſet, ipſos dimiſit, macellum cum eis intrare recuſans. Ita ille. Anno 1278. Rudolfus 1278 Imp. in Marchfeldenſi Auſtriæ agro vincit & cædit Odoacrum Regem Bohemiæ, Auſtriamque ſibi ſubiicit. Odoacro occiſo ſucceſſit in Regno filius eius Wenceſlaus II. Huic Rudolfus Imp. filiam ſuam Gutham ſiue Iuttam tradidit vxorem; ſororem verò Wenceſlai Regis iunxit Rudolfo filio ſuo iuniori, quem & Auſtriæ Ducem conſtituit. Is Pragæ obijt, ibidem in cathedrali Baſilica ſepultus, relicto filio Ioanne, qui apud auunculum ſuum Wenceſlaum Bohemiæ Regem manſit: Albertus autem Rudolfi Imp. filius ſenior fratri in Ducatu Auſtriæ ſucceſſit, & ex coniu-

Comes Iuliacenſis trucidatur crudeliſſimè ab Aquiſgranenſibus.

Dux noſter mortem Comitis vlciſci parat.

Rudolfus Auſtriacus Imp. vincit Regem Boemiæ. hinc paulatim aucta opes.

ge Mathilde Ducis Carinthiæ Comitiſque Tirolenſis ſorore multos vtriuſque ſexus liberos ſuſtulit. Sic Siffridus. Lubet adſcribere inſigne huius Rudolfi pietatis modeſtiæque Chriſtianæ exemplum verbis Lipſij; qui poſt alia quædam eiuſce generis commemorata ita infit: Téne ego hîc Rudolfe Auſtriace prætercam? te, qui fluctuans per diſſidia Imperium ſtabiliiſti? Quo merito? inquirere in Deum, & diuina conſulta nefas; nec facio: ſed non eſt inquiſitio quæ in aperto ſunt memorare. Tu in modica adhuc fortuna, nec niſi Comes Habeſpurgenſis, pietatis multiplex ſtudium prætuliſti: & illi ſequentem magnitudinem tuam vaticinia & diuinæ voces adſcripſerunt. Vnum videamus. Venatum fortè, vt nobilitas illa & noſtra ſolet, cum paucis in equo exiuerat. Pluuius dies erat, & viæ fractæ & ſordentes: ecce occurrit Sacerdos venerabilem & myſticam Hoſtiam, extremum ſolatium ægro laturus; & occurrit pedes. Is adſpectus pium pectus perculit. nec ſine indignatiuncula aliqua equo deſilit: &, Me vehi, te qui Seruatorem meum portas pedibus incedere? indecorum vel impium ſit; conſcende, & equum hunc cape. Iuſſio, non preces erant: paret ille, & iſte capite reuelato humilis ſequitur, ad ipſas ædes ægri deducit, ab ijſdem eodem habitu reducit. Iam domi & apud ſe Sacerdos erat, qui officio attonitus, benè abeunti dixit, & ſimul Imperium ipſi poſteriſque prædixit. Et res illa certa, & rata iſta fuit, ac fidem etiam nunc ab euentis habet. Hactenus Lipſius.

Eiuſdem Imp. exemplum memorabile pietatis ex Lipſio.

1279 Anno 1279. vndecimo die Septembris (narrante Meiero) apud Dammum Proceres Flandrici Guidonem filium Margaretæ maximum natu conſalutauerunt Comitem Flandriæ, eique iuramentum fidelitatis præſtiterunt, volente ac iubente Margareta, propterea quòd iam ætate ipſa grauis, diutiùs Principatus adminiſtrationem gerere nequiret. Ac dehinc principio Februarij, dum Gandaui eſſet Margareta, ingraueſcente indies valetudine, humanæ naturæ debitum perſoluit 10. die eiuſdem menſis, ætatis ſuæ anno circiter 76. ſepulta Felinis. Guido dehinc, vt dixi, Flandriam, Ioannes Auenienſis filius Ioannis adiit Hannoniam.

Margareta filium Guidonem Comitem Flādriæ ſalutari iubet, & non multò pòſt moritur.

1280 Anno ſequenti 1280. Rodulfus Cæſar per ſententiam imperialem declarat Aluſtanos, Waſiam, IV. Officia, inſulaſque Zelandicas ad fiſcum rediiſſe, eò quòd de ijs Guido nòn præſtitiſſet in tempore iuramentum; attribuitque Cæſar eas omnes Ioanni Auenienſi, Comiti Hannoniæ, quamuis de ijſdem terris Guido nomine matris anno 1262. in vrbe Gandauo iuraſſet in verba Cæſaris Richardi. At Guido ſentiens ſe grauatum iniuria, Romanum appellauit Pontificem; defunctoque poſt annos aliquot Rodolpho, Cæſari Alberto ſe apud Aquas-Grani iureiurando deuinxit, reuocata ſententia Rudolphi. Hæc Meierus.

Guidoni diſsidium cum Imperio, ſed quod poſteà ſublatum eſt.

1281 Anno proximo, qui eſt Chriſti 1281. Siculi, Gallorum præſidiariorum inſolentiam, luxum, faſtumque pertæſi, conſpira-

ſpiratione facta, vno tempore, ac pænè horâ, cùm ære Campano ad Veſpertinas preces in Feſto Paſchæ ſignum daretur, Gallos omnes per vniuerſam inſulam trucidant, nullo ætatis, ſexus vel ordinis diſcrimine habito. Hinc Veſperæ Siculę, in prouerbium abiere. Alij ad annum ſequentem referunt (ea credo ratione quam ad reconciliandam Chronologiam iam ſæpè produximus.) Hac verò cæde patrata, Siculi ad Petrum Aragonię Regem (cui Conſtantia, Manfredi à Carolo vita & Regno ſpoliati filia, nupſerat) deficiunt. Is nuntius Romam ad Carolum Siciliæ Regem delatus, vehementer eius animum turbauit, moxque Carolum filium in Galliam ad nepotem ſuum Philippum Regem miſit, ſubſidium ab eo poſtulatum. At Carolus neque ſuis neque alienis viribus Siciliam recuperare vmquam potuit. Iſta ex Auctario Miræi.

In Sicilia omnes Galli ab incolis ex condicto vna hora trucidantur.

Translata hinc Sicilia ad Petrum Aragonia Regem.

Anno vno 1282. referente Diuæo, Ioannes Dux edixit Louanij, vti Scabini æquè ac ceteri tributa penderent: operarij ſtatis diei horis, pulſu campanæ ad operas vocarentur: promiſit etiam Louanienſibus, ſe compulſurum exteros quoſque ad ea, quæ, Scabinis teſtibus, ciui promiſerint facere aut dare, facienda dandáve; renouaturum quoque Scabinos annis ſingulis profeſto Natalis D. Ioannis Baptiſtæ. Acta hæc menſe Septembri. Eodem anno Henricus frater Comitis Geldriæ, captum ac grauiter afflictum prope Tilemontem, Ioannem Angianum ſucceſſorem ſuum in Epiſcopatu Leodienſi reliquit pænè exanimem: qui mox reſumptis animis, Hugardiam properans, ibi defecit; ſuccedente Ioanne filio Guidonis Flandriæ Comitis: à quo obſeſſum ope Ducis noſtri Falcoburgum, expugnari non potuit. Ita Diuæus. Leodienſis Hocſemius refert paulò aliter in hunc modum de morte Ioannis Epiſcopi: (numerus anni obitus vitiatus eſt, ſed videtur ab eo adſcribi anno pręcedēti.) Cùm Henricus de Monteforti dudum Leodienſium Epiſcopus ab Epiſcopo Ioanne ſummam repeteret ſatis magnam, quam expendiſſe ſe dudum, cùm fuiſſet Epiſcopus, conuerſamque in vtilitatem Eccleſiæ aſſerebat, & hanc ſoluere Epiſcopus denegaret, tandem die ſtatuto apud Hugardis villam Epiſcopi ad tractandum de concordia conuenerunt; Epiſcopus verò parcens expenſis, cum paucis illuc venit inermis. Vbi cùm in domo quadam, dicta Brule, aqua circumcincta, in parochia natiuitatis meæ Hugardis crederet eſſe ſecurus, per ſatellites Henrici noctu capitur, & in caballo cum ſtricta ſella poſitus abducitur feſtinanter. Qui cùm pinguis eſſet, anguſtia ſellæ, & ſuccuſſoris inconſueta ventilatione deficiens, ante portam Monaſterij de Helencinis equo depoſitus, aliis recedentibus, remanſit ibidem, & in diluculo ſpiritum exhalauit anno Pontificatus ſui 7. ab Incarnatione Domini .... in Feſto B. Bartholomæi. Hęc ille. De obſeſſione tamen illa Falcoburgenſi nihil; interim Meierus eius quoque

1282

Edixit Ioannes Dux vti Louanij Scabini æquè ac ceteri tributa pendant.

Miserè perit Ioannes Angianus Episcopus Leodiensis.

 memi-

meminit his verbis: Post Angianum, inquit, hoc anno 1282. fit Episcopus Leodiensis Ioannes filius Guidonis, ex priore matrimonio, priùs Episcopus Mediomatricum, singulari vir modestia, Iurisque scientia clarus, qui statim à suscepta dignitate, cum Ioanne Duce Brabantiæ sororio suo Valkenburgensem obsedit arcem, sed expugnare nequiuit. Ita Meierus; & subdit: Anno verò 1283. Martinus IV. grauissimis censuris damnauit Petrum Arragonensem, eò quòd Siciliam & Apuliam inuaderet, quæ prouinciæ Carolo Andegauensi per summos Sacerdotes fuerant assignatæ, annoque sequente Carolus successore Carolo filio moritur. Sic ille. sed pleniùs Leodiensis: His temporibus, ait, Crux contra Petrum Regem Arragoniæ prædicatur, quam Philippus Rex Franciæ, Cor leonis dictus, contra voluntatem filiorum suorum Philippi Formosi & Caroli, tunc assumpsit, quia Petrus erat auunculus eorumdem. Rex verò profectus in Arragoniam cum infinitis Nobilibus & armigeris, de diuersis mundi partibus congregatis, penuria victualium reuertitur nihil agens, pluribus in via defunctis. Hæc Leodiensis. Diuæus noster de eadem expeditione Arragonica etiam multò copiosiùs ad annum sequentem; simulque de aliis Brabantiæ nostræ propriis, Anno 1284. (inquit) ex morte Comitis Limburgensis Henrici, grauissimum inter inferioris Germaniæ Principes bellum exoritur. Fuerat Henrico filia vnica Ermengardis, Reinaldo iuncta Geldriæ Comiti; quæ, non relictis liberis, diu ante patrem decesserat. Eius tamen morte non obstante, Reinaldus defuncto socero, quamquam iniuriâ, proximum se Limburgensi Ducatui heredem prætendebat. Propior illo Adolphus Montensis Comes, ne cum potentiore contenderet, ius suum Duci nostro Ioanni vendidit. Pulchra tum occasio Duci visa, Principatum etiam vltra Mosam proferendi: quare collecto fortissimo armatorum in Brabantia numero, Mosam transiit. Hîc verò omnes pænè eius tractus Principes, partim Gelro concitante, partim veterato odio hostes reperit; Siphridum videlicet Coloniæ Archiepiscopum, Henricum Luceburgi, Cliuiæ, Spanhemij Comites, aliosque complures; Valeranum etiam Falcoburgi Dominum exulceratum, quòd Dux ante biennium Leodiensi Episcopo Falcoburgum obsidenti auxilia misisset: ijsdem partibus Limburgenses ciues accesserant. Tantæ hostium multitudini summa virtute se Dux noster obiiciens, Limala arce priùs demolita, Aquensibus sibi deuotis forte præsidium ac commeatum intulit: Valeranum quoque Falcoburgi Dominum à Traiecto pulsum strauit; quibus peractis, cùm ad vlteriora tenderet, Philippi Regis Francorum Legatione auersus est. Hic enim, proclamatæ tum in Arragones expeditioni socium summopere cupiens Ducem, Nigellæ Dominum miserat, vt confectis indu-

Eius successor frustrà cum Ioanne nostro obsidet Valkenburgum

1283

Crux prædicatur contra Petrum Arragonium velut inuasorem patrimonij Ecclesiæ.

1284

Origo diutini belli Limburgensis.

Dux noster collecto exercitu Mosam trāsijt.

Auocatus à Rege Francorum inducias sancit.

induciis, eum in Franciam perduceret. Cui Dux ægrè acquiescens, tandem inducias cum hoste pactus, domum abscessit, Arragonicæ expeditioni se suosque apparaturus. Porrò huius belli causa fuerat, quòd Petro Arragonum Rege instigante, Siculi à Carolo Rege suo auersi, vna die omnes Francos in Sicilia repertos crudeliter interemissent, recepto post hoc tota Insula Arragone: quod factum adeò Pontifici Romano displicuerat, vt etiam Regnum Arragonum Petro oblatum, Carolo Philippi Regis fratri Comiti Valesiæ iam deberi decerneret. Hæc in Arragones mouendi Francis causa fuit. Anno sequenti 1285. expeditio inita: trans- 1285
scensis Pirenæis, Gerunda trimestri obsessa, cùm Petrus Rex tumultuaria *Interficitur*
suorum manu obsessores impetens interfectus esset, tandem cessit. Ea *Petrus Rex Arragonũ.*
capta, cùm Regem morbus inuaderet, Franci domum reuertuntur mense Octobri; quorum Rex Philippus, cùm Perpinianum aduenisset, ingruente vi morbi, eodem mense obiit. Ioannes verò Dux, ac Gothfredus Comes Virsonij frater eius, qui huic etiam bello interfuerat, fine anni in Brabantiam redierunt. Ita finiit bellum Arragonicum. Reuerso Duce, cùm induciæ expirassent, Geldri initio sequentis anni, ea quæ Brabantiæ 1286
Duces trans Mosam possident, inuasere: quo intellecto, mouit in hostes *Lacessente*
Dux, captaque Bommela cum adiacenti regione, eos Tylam quoque *Gelro, Dux*
metu relinquere coëgit; quam, exstinctis ignibus (quos illi in recessu suo *noster Bommeliam &*
iniecerant) reparatam forti præsidio muniuit: capta etiam tum Hosdena *Tylam capit.*
oppidulum, & arx quæ Mal-repas nominabatur. Tum aliò conuerso impetu, Limburgum controuersi Comitatus caput, & Mullem arcem Gelricæ ditionis captam Dux incendit. Florentius etiam Hollandiæ Comes Duci Ioanni confœderatus, Nouum fossatum Gelro ademit. Anno pro- 1287
ximo, qui fuit 1287. cùm Siphridus Archiepiscopus Coloniensis Comitatum Montensem depopularetur, Dux noster eò profectus, fœderatum, *Conspirant*
repulso Archiepiscopo, eo metu liberauit. Inita tum Falcoburgi conspi- *plures contra Ducem*
ratio de repellendo è Transmosanis Duce: in quam nomina dedere Si- *Ioannem.*
phridus Archiepiscopus, Reinaldus Gelriæ, Henricus Luceburgi cum Balduino & Valerano fratribus, Adolphus Nassauiæ, Henricus Westreburgi, Henricus Spanhemi, Murtij quoque Comites: Ioannes Dominus Limpurgi, & Valeranus Falcoburgi Dominus. Ceteri verò Transmosani Principes, Adolphus Montensis, Henricus de Windec, Valeranus & Gerardus fratres Iuliaci, Euerardus Marchiæ, & cis Mosam Arnoldus Lossensis, Comites, cum Episcopo Leodiensi, Duci nostro Ioanni cõiurauere. Porrò sequentis anni 1288. principio, cùm Principum interuentu decre- 1288
tum esset, vt Traiectum conueniretur, & controuersia, vtriusque partis *Frustrà*
Principũ arbitrio, inter Ducem & Gelrũ finiretur; Gelrus pactis stare, & *tentatur pax.*
eò venire noluit: sed paucis suæ partis Falcoburgum conuocatis, ius suum
in

in Comitatu Limburgensi controuerso Comiti Lucemburgi vendidit. Erat tum Traiecti cum exercitu Dux noster: qui comperto hostis molimine, supra modum excanduit, indictaque suis profectione, summa celeritate Falcoburgum properauit; hinc opidò dilapsum Coloniensem ad Rhenum vsque persecutus, equos suos in Rheno potari iussit: tum quoque exustis Bonnæ (quò Episcopus confugerat) suburbiis, vineta Archiepiscopi, & venatica septa, dimissis quò vellent feris, destruxit. Hæc agenti Colonienses ciues præter anni 1251. fœdus, nouo etiam fœdere iuncti sunt. Valeranus item Iuliaci, ac Adolphus Montium, Comites accessêre, auxilia fortissima in Gelrum polliciti, si Woringam arcem exscinderet, prædonum munitissimum receptaculum. Quorum ille postulatis acquiescens, hebdomadas aliquot arci assedit, maximo exercitu Brabantinorum septus, ac nouis indies eò confluentibus copiis. Ceterùm Archiepiscopus, cùm arcem obsideri intellexisset, missis ad suæ partis Principes nuntiis, auxilia vndique in Ducem ciebat. Conuenêre mox ad eum Gelrus, Luceburgensis, Nassauius, Falcoburgensis, ceterique confœderati, singuli delectissimos suorum adducentes. Nec minor erat Duci nostro, cogendis auxiliaribus diligentia; cui frater Gothfredus Comes Virsonij, & S.Pauli Comes è Francia, Arnoldus Lossensis, Euerhardus Marchiæ Comites, Valeranus Iuliacensis ac Adolphus Montensis (quibus suasoribus Woringam obsidebat) maximas copias confecêre. Quibus instructus, contempto hostium numero, Woringam mouentibus occurrit: mox iis conspectis, cùm suos oratione breui animasset, impetum fieri iussit: quem hostes summa virtute excepêre: nec ab hominum memoria in eo tractu atrociùs bellatum ferunt. Omnes enim pęnè Inferioris Germaniæ vires in eam pugnam congestæ erant. Durauit vsque ad extimum diei conflictus; tandem Brabantini sese mutuò ad fortissimè agendū cohortati, tanta vi hostibus illati sunt, vt compluribus eorum interemptis, reliquis verò in fugam coniectis, victoriam, quamquam non omnino incruentam, pepererint. Cæsi ex hostibus Henricus Luceburgensis cum Balduino, Valerano ac Ioanne fratribus, & 400. Equestris ordinis viri: capti Coloniensis, Gelrus, Nassauius, Falcoburgensis. A Brabantinis verò cecidit Valterus Bertholdus Mechliniæ Princeps, vir fortissimus, & Arnoldus à Zellem Eques. Pugnatum est 5. Idus Iunij festo Bonifacij. Post hanc victoriam Dux, capta euersaque Woringa, domum reuertit, magnam Brabanticæ virtutis opinionem in Trans-Mosanis relinquens. Porrò Gelrus, antequam eius manum euaderet, datis sacramentis, Limburgensi Comitatu cedere coactus fuit. Ita Diuæus. Commemorat eadem paucis, sed elegantissimè, lucemque simul affundens, Molanus cap. 63. Militiæ sacræ, his

Vastat Ioannes omnia vsque Bonnam.

Obsidet Woringā castrum, receptaculum prædonum.

Strenuè occurrit hosti obsidionem soluere paranti.

Vincit fortiter, etsi non sine clade.

Cogitur Geldrus cedere Comitatu Limburgensi.

his verbis: Ioannes Primus, inquit, benignè annuens precibus Comitis Montensis, Walrami Comitis Iuliacensis, & ciuium Coloniensium, obsedit Woringiam, pessimum diaboli nidum: è quo negotiatoribus & peregrinis à prædonibus, qui illic morabantur, multo tempore plurima illata fuerant damna. Archiepiscopus Coloniensis, sub quo locus erat constitutus, anno 1288. die 5. Iunij, cum horrendo exercitu, qui contra Paganismum videbatur sufficere posse, aderat: attulerant etiam compedes, manicas, & funes, quibus Brabantinos captiuos vincirent. Dux verò, tametsi decuplo plures essent hostes, obuiàm tamen eis in aciem processit, cùm acerrimè vtrimque pugnatum fuit. Vbi & Dux ipse, quasi vnus de Machabæis supra modum strenuè sese fortiterque gessit, ac post diuturniorem conflictum victor euasit, captis Archiepiscopo Siuerto, Comite Geldriæ, Domino de Valkenborch, Comite Mursensi, Comite de Nassau, qui postmodum Imperator fuit, multisque aliis Nobilibus & militibus. Ex parte Ducis pauci corruerunt, quorum præcipui fuêre, Waltherus Berthouts Dominus Mechliniæ, & Arnoldus de Zeelhem, homo probus, moribusque compositus.

Capti superiori prælio Episcopus Coloniensis, Comes Geldriæ, Mursensis, Nassouius, alij.

Hæc ille. Sic & Leodiensis eius temporis Scriptor: Comes Geldriæ ac Archiepiscopus, cum multis Nobilibus ac aliis, catenis & vinculis, quas in perniciem Ducis parauerant, constringuntur. Et exprimit, à tertia hora vsque nonam vespertinam fuisse pugnatum, cùm hostes tertia parte numero essent potiores, cæsosque ex parte Gelri duo millia & quingentos

Cæsi Gelri duo millia quingenti.

præter captos & confossos vulneribus.. Anno 1289. narrante Meiero, in 1289
Syria Tripolis insignis ciuitas à Saracenis expugnata est & direpta, pulsis occisisque Christianis. Et addit: Miserrima erant tempora. Per intestina nostrorum odia, ex ambitione maximè profecta, pessum vbique ibant omnia. Secundò verò anno post victoriam Woringanam (nempe 1290.) Dux noster Ioannes eas sanctiones edidit (verba sunt Di- 1290
uæi) quas *Land-**Kueren* vernaculè appellant: quibus pœnæ in eos statutæ sunt, qui alios maledictis lacessierint, percusserint, pulsarint, aut mutilos reddiderint; qui arma interdicta portarint, qui furtum fecerint, qui incendium fecerint, matronam virginemque violarint, pacem à Iudice indictam infregerint, terminum in agris mutarint, &c. In iisdem quoque multa ciuilium rerum iura statuta sunt, quæ in Commentariis Legum Brabanticarum requirenda sunt. Sed inter omnia dignum recensere duximus, pœnam eorum qui virginem matronámve violarint, quorum ceruicem lignea serra præcidi voluit Dux; vt & pacis infractorem quadrifariàm diuidi. Acta hæc in celeberrimo Ordinũ Conuentu, cui intererant Ioannes filius Ducis, Gothfredus frater Ducis, Gothfredus Comes Vianæ consanguineus Ducis, Ioannes Dominus de Cuyck, Domi-

* *Keuren.*

Lex Ioannis: Stupratori lignea serra ceruix præcidatur.

Dominus Disthæ, Domini Rotselariæ, Walehemi, Wesemaliæ, ab
1291 Asca, Bautreshemi, & alij. Hactenus Diuæus. Intereà anno sequenti Melesates Ægyptiorum Regis filius, ingentibus adductis copiis, cepit Ptolemaidem clarissimam vrbem, quam vnam in Syria reliquam nostri habebant, cùm de eius Principatu atque possessione miserè inter se Duces nostri dudum digladiarentur, occisisque multis Christianorum millibus, euersam reliquit. Sic Meierus. Siffridus hoc modo; additque etiam alia: Tyro, inquit, Sidone, Tripoli & Berytho à Sultano Ægypti Rege captis atque euersis, demum Ptolemais siue Acon, vrbs Syriæ maritima, ab eodem capitur, funditusque exscinditur. Sicque Christiani vniuersi, Terra sancta, ducentis ferè annis possessa, expulsi sunt. Multi ex ijs in Cyprum insulam se receperunt. Et eodem anno Rodulfus I. Imperator moritur 15. Iulij, cùm vixisset annos 73. menses 5. & regnasset annos 18. Spiræ honorifico tumulo conditus. Ista Siffridus.

Christiani vniuersa tandē Terra sancta depelluntur.

1292 Pergit Diuæus: Anno 1292. Henricus Comes Luceburgi, Henrici pugna Woringana cæsi filius, ducit filiam Ioannis Ducis nostri Margaretam. Et eodem anno Brabantini in præcedentium bellorum impensas, Duci suo, omnium bonorum vicesimam summa liberalitate contulerunt: quorum ille beneuolentiæ id gratiæ retulit, vt se successorésve numquam in futurum huiuscemodi tributum exacturos iuraret; adhibitis qui testium vice signarent chartam, Adolpho Imperatore, Ioanne Ducis filio Henrico Luceburgi Comite Ducis genero, Roberto Burgundiæ Duce, Roberto Atrebatium, Guidone Flandriæ, Ioanne Blesensi, Ioanne Hannoniæ, Roberto Niuerni, Florentio Hollandiæ, Reinaldo Gelriæ, Ottone Cliuiæ, Guidone S. Pauli, Arnoldo Lossensi, Valerano Iuliaci Comitibus, Valerano Falcoburgi Domino, Archiepiscopo Rhemorum, Episcopis Leodiensi, Tornacensi, Cameracensi, Traiectensi; quorum nomina inserimus, vt constet, à quibus iam tum aula Brabantica frequentari cœpta sit. Nec miretur quis Adolphum Imperatorem inscribi: nam Siffridus & alij (etiam Onuphrius) testantur eum hoc anno 8. Idus Ianuarij Francofurti Regem Romanorum renuntiatum. Et eodem hoc anno pridie Nonas Aprilis moriente Nicolao Quarto, Sedes Pontificia deinde vacauit annos duos, menses tres. Annum 1293. transeo intactum. At

Brabanti vicesimam omnium suorum bonorum liberaliter suo Duci concedunt, sed ea tantùm vice.

Adolphus renuntiatus Rex Romanorum.

1294 verò anno millesimo ducentesimo nonagesimo quarto post diuturnam Sedis Apostolicæ vacationem die 5. Iulij Petrus de Muriona ex Eremita Papa electus est, dictus Cælestinus V. qui singulari, & numquam antè aut pòst vsitato exemplo post quinque deinde menses Papatui renuntiauit, miraculis anteà & posteà clarus; vt in Vita eius à nobis contracta, inter Vitas Sanctorum latiùs narrauimus. Et eodem anno (verba sunt Hocsemij Leodiensis, eius sæculi Scriptoris) cùm Henricus Comes Barrensis, Eduar-

Cælestinus Quintus sponte Pontificatum abdicat.

Eduardi Regis Angliæ filiam desponsasset, cuius Regis aliam filiam Ioannes Brabantiæ Ducis Primi Ioannis filius habebat vxorem, & apud Barrum prope Lotharingiam (à quo Barrenses Comites traxerunt sui titulum Principatus) nuptiis huiusmodi fuisset solemnissima festiuitas proclamata, præfatus Dux Ioannes Primus insidens equo maximo, ludis intentus Herculeis, sponsa spectante, cum ceteris, arrepta lancea, dextrarium calcaribus perurgendo, obuiat militi, qui tunc de pari dimicat cum eodem; quibus dextrariorum cursibus collisis ad inuicem, lacerti Ducis musculo hasta militis perfosso, Dux equo depositus, 5 Nonas Maij in die Inuentionis S. Crucis, anno 1294. cum tristitia multorum diem clausit extremum. Hæc Auctor illius temporis, ne quis miretur nos hîc à Diuæi calculo recedere. Diuęus triennio tardiùs his verbis eius mortem commemorat: Eodem anno Eduardus Rex Anglorum Mariam filiam suam Henrico Comiti coniunxit; ad quas nuptias Ioannes Dux noster profectus, ludis militaribus vulnus accepit; eoque malè curato, ad quintum Idus Iunij hac vita decessit. Cuius corpus Bruxellam à suis relatum ad Franciscanos conditum est. Alij asserunt Barri id accidisse, vbi Comes Henricus hastiludia celebrabat; concurrisse ibi Ducem cum Petro à Beffro-monte, ab eoque casu interemptum. Ita Diuęus. Miræus noster ferè eodem modo; sed ad annum hunc, similiter vt nos; additque, tumulum eius nostra ætate à Caluinianis violatum. Leodiensis Scriptor hoc ei adscribit velut Epitaphium: Hic animosus, & in armis promptissimus, extra patriam suam magnificus videbatur: & quia munera donabat extraneis affluenter, & sumptus maximos faciebat, credebatur virtutis medium attigisse; sed exactio quam in subditos exercebat, metas largitatis docuit transuolasse. Sic ille. Huius Principis ætate anno 1274. Beginagium Siluæducense separatum est ab Ecclesia de Ortduno (sic tum vocabatur primaria Buscoducensium parochia) & anno 1277. in eodem oppido Nosocomium maius sumpsit initium, subseruientibus ægrotis vtriusque sexus Religiosis Ordinis sancti Augustini. Sed anno 1376. Augustiniani viri submoti sunt, si rectè supputat Gramaius.

Ioannes in hastiludio vulneratus paulò pòst moritur.

Sepelitur Bruxellæ.

Testimonium Scriptoris Leodiensis de ipso.

Nosocomium Siluæducense cōstruitur.

IOANNES II.

FILIVS SVPERIORIS,

XXXII. BRABANTIÆ PRINCEPS.

Præfuit annis octodecim.



ORTVO Ioánne Duce superiore, filiorum eius natu maximus Ioannes (loquitur Diuęus) Principatum suæ gentis excepit, gener Eduardi Anglorum Regis, ducta Margareta filia; quam matronam prudentissimam summè nostrates dilexisse, ac Brabantiam operibus aliquot decorasse ferunt: inter quæ, arcis Furanæ deambu-

1295 latorium memorant. Hic mox anno 1295. (secundùm eundem Di-

Euertit Ioannes hic Wassebergam arcem Transmosanam.

uæum, sed pręposterè inter res gestas patris eius) Wassebergam arcem Transmosanam imperata detrectantem euertit. Cœpit tum bellum atrocissimum inter Francos Flandrosque. Guido Comes auus maternus Ducis nostri, pace simulata, à Philippo Francorum Rege, cognomento Pulchro, euocatus Lutetiam, in custodiam missus est, quasi Anglorum fœdus affectasset & amicitiam, filia sua Regis filio desponsata. Ita Diuæus. Pleniùs de origine huius belli Meierus ad annum præcedentem: Guido, inquit, Princeps filiam suam Philippam posteriore ortam vxore Edouardo Walliæ Principi, Regis Anglorum Eduardi filio ac heredi

Causæ cruenti belli inter Flandros & Francos.

despondit. Siquidem cùm magnam haberet liberorum cohortem, nihil habuit prius, atque splendidè omnes elocare. Ceterùm Anglus multa ab Philippo Gallorum Rege repetens, bellum illi cœpit facere; itaque vt suam vndique firmaret factionem, mirum in modum Procerum Gallorum ambiuit amicitias. Ac deinde ad annum istum 1295. Philippo Regi valdè suspectæ erant & inuisæ Flandrorum opes: quapropter ægerrimo tulit animo, quòd, se inconsulto, filiam suam Guido Comes, Angli Regis filio despondisset. Hæc ille, aliaque eadem deinde, quę iam retulimus ex Diuæo. Sed & ista Meierus ad annum sequentem subiungit, quæ Di-

1296 uæus pręteriit: Anno, inquit, 1296. vbi in Anglia cognita est Guidonis

Pro captiuo Comite Flandriæ, Rex Angliæ in Franciam irrumpit.

captiuitas, missus statim Aymundus Eduardi frater cum exercitu in Vassates. Missi alia parte à Franco contra hos Carolus Valesius & Robertus Atrebas. Inito prælio victi fugatique Angli. Burdigala primùm, inde tota recepta Vasconia. Angli omnes expulsi: simul per Galterum Creciacum



IOANNES II. XXXII. BRAB. PRINCEPS.

ciacum pulſus Henricus Comes Ambarorum Eduardi gener, (idem vt videtur qui ſuprà Barenſis) qui in Campaniam magnos fecerat incurſus. Ita victor vtrobique Gallus. Inter hæc pacificante Romano Pontifice, ac fideiubente Amedeo Comite Sabaudię, Guido Comes cuſtodia liberatur, his legibus, vt filiam ſuam Eduardo regio iuueni deſponſam Philippo Regi obſidem traderet, nec fœdus vllum cum Anglis Regni hoſtibus pangeret, pacem anno 25. pro Ferdinando Principe factam inconcuſſam ſeruaret. Abducta igitur per regios Legatos Philippa virgo ex Flandris Lutetiam Pariſiorum; Guido vxorque domum reuertunt: nec cunctantur filiam inſtanter repetere; interceſſorem ſibi conciliant Bonifacium Papam. At ſurdas omnibus Rex prębet aures. vnde Guido tanta ira doloreque commotus eſt, vt cum Eduardo Anglorum Rege aureos illi montes pollicente, fœdus ferire non dubitauerit. Hæc Meierus: quæ à Diuęo prætermiſſa, neceſſariò ad lucem hiſtoriæ putaui inſerenda. Diuæus tantùm his verbis rem tantam perſtringit: Sequenti anno, inquit, (nempe hoc eodem 1296.) Comes Guido, tradita filia obſide, à Francis dimiſſus in Flandriam redit; vbi cùm ſæpiùs filiam incaſsùm repetiiſſet, coacto Gerardi-monte multorum Principum Concilio, fœdus cõtra Francos percuſſit cum Adolpho Imperatore, Eduardo Rege Anglorum, Ioanne filio Ducis noſtri, Henrico Comite Bari: ac Floreffiæ & Gemblaci Abbatibus in Franciam Fæcialibus miſſis, Regi bellum indixit. Hæc ille, quaſi Ioannis noſtri pater adhuc viueret. Sed rectiùs Meierus hoc modo: Fit conuentus ad oppidum Gerardimontem. Adulphus Cæſar Anglicana allectus pecunia, ſimul Eduardus Rex Angliæ, Guido Comes Flandriæ, Ioannes Dux Brabantiæ gener Eduardi, idem Guidonis ex filia nepos, Henricus Comes Barenſium Eduardi gener, Albertus Dux Auſtrię, fœdus inter ſe feriunt aduerſus Philippum Gallorum Regem, & Ioannem Comitem Hannoniæ Galli tutantem partes. Sic Meierus, & plura ſubiicit, quibus ipſe Meięrus, etſi Flander, ſatis inconſultò tamen Guidonem tantum bellum ſuſcepiſſe declarat. Inſerenda & iſta ex Hocſemio Leodienſi; quæ vel inprimis miror à Diuæo omiſſa: Anno, inquit, 1296. cùm Dux Brabantiæ in præiudicium Eccleſiæ, oppidi Traiectenſis dominium occupaſſet, & propter hoc inter Epiſcopum & Ducem fuiſſet exorta diſcordia, & demum per ipſos fuiſſet in arbitros compromiſſum, arbitri talem ſententiam protulerunt, quòd locus antiquæ villæ iuriſdictionis eſſet Epiſcopi, hoc excepto, quòd omnes incolæ loci cenſum capitalem B. Petro Louanienſi cum ſua familia ſoluentes, & cetera vltra villam veterem ampliata ad Ducis dominium pertinerent, & ſic Eccleſia per hoc arbitrium enormiter fuit læſa. nam homines loci cenſum ſoluunt quaſi communiter

Pax coit, liberato Comite, ſed data filia obſide.

Guido Comes fœdus init cum Imperatore, Rege Anglorum, & aliis.

Trãſactio de Traiecto ad Moſam; vbi per villam veterẽ intellige Wyck. nẽpe ſãctus Seruatius ſepultus traditur in medio aggeris publici.

muniter sancto Petro. Hæc Leodiensis. Pergit Diuæus: Anno 1297. 1297
Philippus Rex mota in Flandriam expeditione, omnes pænè regionis
ciuitates, quamquam fortissimis præsidiis à Guidone Comite munitas,
partim vi, partim deditione expugnauit. Et anno proximo 1298. Alber- 1298
tus Austriæ Dux Adolphum Imperatorem in agro Wormatiensi intere-
mit prœlio cruentissimo, 9. Iulij: vbi Ioannem Ducem nostrum Austrio
affuisse quidam tradunt, nescio quàm verè. Ita ille quidem: sed sanè non
video quid incommodi habeat sequens in eam rem Meieri narratio.
Anno, inquit, 1297. Philippo Rege magnam partem Flandriæ occu-
pante, Adolphus Augustus apud Coloniam Agrippinam restitit; quò
ad eum, de consilio Ioannis Hannonij, misit Pulcher Rex Iacobum
Castellionensem cum grandi pondere auri, vt sic eum à Flandria auer-
teret: simul Albertum Ducem Austriæ haud minore ære conduxit, qui
bellum illi faceret, atque in Germania ipsum distineret. Intereà pactæ
in Flandria induciæ ferè ad biennium. Quare anno proximo 1298. Al-
bertus Dux Austriæ Rodulphi superioris Augusti filius, Imperij æmu-
lus, coniurationem fecit Germanorum Procerum in Adulphum, ideò
quòd corruptus Gallici Regis auro fidem Flandro & sociis fefellisset. Ha-
buit Austricus suarum partium Brabantinum, Luceburgensem, Gel-
drensem, Albomontanum, cum multis aliis: adunatis ad 14. pugnato-
rum millibus Aquas-Grani obsedit. Adulphus ex Frisiis potissimùm &
Hungaris Bauarisque cogit copias ad 18. millia armatorum. Gallus An-
glusque Austricum iuuabant pecuniario subsidio: hic indignatus, quòd
fidem Adolphus soluisset; ille vt ambos à Guidone auerteret, simul spe
ductus, vt si Adolpho grauius quid accidisset, ad Imperij solium Ca-
rolus Valesius, vt Bonifacius Papa cupere videbatur, proueheretur. Sexto
Nonas Iulij prælium non procul ab Alzheim in agro Wormatiensi
consertum. Adulphus victus est, & occisus. Ludouicus Bauarus cum
aliis multis captus. Electus deinde in Augustum Austricus, non absque
graui inuidia Regis Gallici, quòd Carolo fratri videret Austricum præ-
latum; fuitque hæc origo inimicitiarum inter Bonifacium Papam &
Regem Pulchrum. Hæc Meierus; ac deinde ad annum 1299. In fine an- 1299
ni, postquam ad Epiphaniam Domini induciæ terminatæ sunt, Carolus
Valesius cum grandi exercitu rediit in Flandriam. Guido Comes exa-
cta vir ætate bello gerendo minimè idoneus, filio Roberto prouinciam
bellicam tradidit. Ipse Ruplemundæ valida munitione se continuit, ab
Anglis & Germanis desertus, parumque (vt rebus fieri assolet aduersis)
à suis honoratus. Ista Meierus. Progreditur Diuæus: Anno 1300. natus 1300
Duci nostro Ioanni filius nomen patris accepit. Et eodem anno Philip-
pus Rex Guidonem Flandriæ Comitem ad voluntariam deditionem

Induciæ in Flandria ad bienniū.

Dux noster auxiliarus Alberti Austriaci contra Adolphum Nassouium

Cruento prælio vincitur, & cadit Adolphus.

 coactum

coactum in Franciam abduxit, Iacobum fratrem Comitis S. Pauli summum Flandriæ præfectũ relinquens. Mechliniam quoque eodem anno *Emit Dux noster Mechliniam ab Episcopo Leodiensi.* Dux noster emit ab Hugone Leodiensi Episcopo, cùm Leodiensium iugum non ferrent. Receptus Mechliniæ Dux summo cum honore, Stapulam (est id ius commercij, quo merces aliquò illatæ transferri non possunt, nisi priùs statutis loco & tempore, ciuibus aut mercatoribus eius loci venum expositæ fuerint) auenæ, salis, & piscium, quibus ex veteri Antuerpia fruebatur priuilegio, Mechliniæ concessit, consilio Ioannis Bertoldi alterius partis Principis. *Altercatio inter Mechlinienses & Antuerpiēses de iure Stapulæ.* Quod indignè factum fremebant Antuerpienses; inter alia id asserentes, quòd Ducem nostrum, beneficiario iure ab Imperatore Antuerpiam possidentem, iura ciuitatis suo arbitrio non liceret mutare.
1301 Atque hinc anno 1301. Hugo Episcopus Leodiensis, vrgente quorumdam inuidia submotus, Bisontio Archiepiscopus datus est, subrogato Adolpho à Waldech. Et mense Iulio Guilielmus frater Ioannis Bertoldi Mechliniæ Principis, Episcopus Vltraiecti à suis
1302 prælio interemptus est. Sequenti anno 1302. plebs Flandrica Francorum *Flandriiugum Francicum excutere incipiunt.* iugum excussit; initio à Brugensibus sumpto, quos Iacobi præfecti insolentia eò adegerat. Quo repulso, interemptisque Francorum primis, Brugensium exemplo, Gandenses ceterique Regios quoque eiiciunt. Confestim duces se multitudini præbuêre Guido Namurci Comes, Guidonis Comitis capti filius, Guilielmus item à Iuliaco, Ioannes Dominus de Cuyck Brabantinus, & ex eadem gente Brabantica Gosuinus à Gossenhouia, Eques clarissimus. His in Franciam relatis, Robertus Comes Atrebatium decretæ in rebelles expeditioni ductor eligitur; quem comitabantur Rudolphus à Nella Comestabuli, Guido Comes S. Pauli, Robertus Comes Bononiæ, Gothfredus item nostri Ducis patruus, Comes Virsonis cum Ioanne filio: quibus id animi fuisse Iacobus Meierus ex fama commemorat, vt nepotem Brabantia eiicerent, si res in Flandria prosperè cessisset; ac in eum finem Teneramundæ præsidia *Franci ad Cortracum castra locant.* immissa. Mense Iulio, cùm Franci ad Cortracum castra locassent, Flandri cum omnibus copiis eò mouent. Ceterùm commissis exercitibus, Francica nobilitas superbâ temeritate ac nullo ordine in prælium ruens. omnibus suis exitio fuit. Deferbescente etenim primo furore, cùm à Flandris summa virtute exciperentur, fœdam fugam iniêre; insecuti mox Flandri, promiscua omnium cæde facta, victoriam obtinuêre. *Cæduntur turpiter Franci.* Cæsa Francorum capita Robertus Comes, Gothfredus Ducis nostri patruus cum Ioanne filio, ac Equitum Brabantinorum nobilissimi qui eum secuti fuerant, Arnoldus Wesemaliæ, Arnoldus Walehemi, Henricus Bautreshemi, Domini; Laurentius filius Domini Walhemij, Baldardus à Paruisio, Arnoldus ab Echouia cum Ioanne filio, Geldulphus

phus à Winga, Arnoldus ab Hofſtadio cum tribus nepotibus, Dominus Cranedunci, & Louanienſes Equites Henricus à Wilra & Guilielmus à Radinga. Tradunt Flandrenſium Annales, periiſſe Francos ampliùs quindecim millia. Acta hæc 11. Augusti. Conceſſère mox in Flandrorum poteſtatem Inſulæ, Duacum, Caſletum, ac poſtrema omnium Teneramunda. Hic Gothfredus Comes Virſonis duas reliquit filias, vnam Harecuriæ Comiti, alteram Loſſenſi nuptas, qui ſoceri opes Brabanticas inter ſeſe diuiſère, ille Arſchotanum Baronatum cum Birbacenſi, Loſſenſis verò Sichenas cum Rodia ſanctæ Agathæ accipientes. *Nota de Baronatu Arſchotano.* Eodem anno Adolphus Epiſcopus Leodienſis, compoſita Foſſenſium ſeditione, ac Mirua arce expugnata, Leodium reuerſus, non ſine veneni ſuſpicione interiit. Philippus verò Rex, poſt ſuorum cladem iterùm in Flandriam deſcendens, obiicientibus ſeſe cum fortiſſimo delectu Namurcenſi, ceteriſque ductoribus plebis, retroceſſit. Fine eius anni Guilielmus à Iuliaco, Ioannes Dominus de Cuyck, Henricus Dominus de Loches Limburgenſis, Flandros ad Arcas obſidendas ducentes, ab Odomarenſi præſidio afflicti ſunt. Et ecce, dum hæc fierent, ex Mechlinienſium rebellione in Brabantia nouum bellum exoritur. *Bellum Mechlinienſe, eiúſque cauſa.* Hi etenim, cæſo quodam è Ducis familia, cùm ad interfectores puniendos Dux eò contẽderet, recepta in ſeſe paucorum ſontium cauſa, oppidum clauſere. Ob quam iniuriam cõmotus Dux, primo vere oppidum maximis Brabantinorum viribus, & aſſumpto Ioanne Bertoldo, circumſedit. (nempe eodem illo anno, non ante Paſcha, more Gallico tunc recepto, exeunte.) Çœpta initio Martij obſidio, cùm ad finem eius menſis duraſſet; Prædicatores quidam ac Franciſcani in caſtra egreſſi, reuerentiâ proximorum feſtorum Paſchalium inducias impetrauere, vt intereà de pacis conditionibus ageretur. Ea pacis ſpes effecit vt excubiis minùs inuigilarent noſtri. *Erumpunt ſtrenuè Mechlinienſes in caſtra Antuerpienſiũ & Lyranorum.* Quod conſpicati Mechlinienſes, ad omnes occaſiones intenti, in Antuerpienſium ac Lyranorum caſtra ferociùs eruperunt: quorum plurimis trucidatis, ſumma tamen virtute in oppidum repulſi ſunt, etiamſi Dux, Dilia fluuio dirimente, ſuis adeſſe non poſſet. Inter cæſos eminebant Gerardus Vorſelariæ Dominus, & Gothfredus à Lyra, Equites fortiſſimi. In hac obſidione inter Louanienſes ac Antuerpienſes de Lyranis controuertebatur; quos ſub Louanienſium ſignis militare ſolitos, Valterus Folcardus eorum ductor tum ad Antuerpienſium caſtra trahere auſus fuerat. Vnde non mediocriter offenſi Louanienſes vix Ducis interceſſu placati ſunt, ne Folcardo manus inferrent; interim quoque, vt dictum eſt, Lyrani, clade accepta à Mechlinienſibus, pœnas dederant, quòd vetera ſigna reliquiſſent. Repulſis porrò in oppidum Mechlinienſibus, præciſa omni ſpe pacis, obſidio arctiùs vrgebatur, & *Obſidio Mechlinienſis arctiùs vrgetur.*
 vigiliæ

1303 vigiliæ maiore diligentia agebantur. Intereà anno sequenti 1303. mense Maio Ioannes Dux ob auxilia in bellum Mechliniense, multa suis Brabantis concessit priuilegia; inter quæ Louaniensibus, Ne de ciue, alibi quàm in vrbe iudicetur; néve ciuis alibi vinclis constringatur. Acta hæc mense Maio in castris, adhibitis testibus Gothfredo Comite Vianæ, Ioanne Domino de Cuyck, Gerardo Rochelariæ, Arnoldo Walehemi, Gerardo Disthę, Arnoldo Wesemalio Bergæ, Dominis; Daniele à Bouchauda, Iuano à Meldert Equitibus, Gothfredo ab Hellebeca Senescallo Brabantiæ. Porrò Mechlinienses famis metu sæpè egressi, vt commeatum è vicinis agris vrbi inferrent, cùm à nostris graui semper clade affecti, ac plerumque, interceptis iis quæ congesserant, prohiberentur, aliud inuentum excogitarunt: constructis siquidem nauibus bellicis Diliâ in Scaldim vecti, ex opposita Flandriæ ora aliquamdiu esui necessariis fouebantur; donec obiecta pari numero Ducis classe ad Replemondam nauali prælio superati, cæsis, captis mersísve omnibus pęnè suis ad extremas compulsi angustias, deditionem facerent, ea lege, vt porta Bruxellensis, ac muri propinqui deiicerentur: quod ne fieret, ingenti auri vi à Duce redemêre. Acta hæc mense Septembri. Eodem mense Ioannes Dux, cùm in Ioannem Hollandiæ ac Hannoniæ Comitem, Flandris confœderatus, bellum appararet, à suis opem expostulans, non antè impetrauit, quàm id gratuitum fore, nec ex vlla obedientiæ necessitate deberi profiteretur: cuius professionis caussam nos chartæ insertam vidimus, videlicet; quia non Reip. causa id bellum susciperetur, sed in Flandrorum solummodò gratiam. Etenim Flandri non contenti prioribus bellis, multa maiora animo complexi Atrebatibus simul ac Zelandis, à diuersissimo limite vicinis suis, vno eodemque tempore arma intulerunt. Et quidem cessit non improsperè vtrumque bellum: Atrebaticum quidem, capta Teruana, aliisque ignobilioribus oppidis, Philippum Regem ad inducias à Kalendis Octobris vsque principium proximè insequentis Maij perpulit; per quas dimissus, datis obsidibus filiis, & vt in carcerem rediret, nisi intra tempus induciarum pax coïret, Guido Comes in Flandriam venit; Zelandicum verò, capto ante eius reditum Middelburgo, posteà in Hollandiam quoque translatum est, anno videlicet insequenti 1304. Vbi capta Leida, Del-
1304 phis, ac omni præter Harlemum vlteriori Hollandia, ductu Guidonis iunioris filij Guidonis Comitis Namurcensis; in citeriori verò captis Seuenberga, & Gertrudis-Berga, Dordracum Dux noster obsidebat. Vnde virtute Nicolai Puteani discedere coactus, omnia pari, qua ceperat celeritate, amisit, in reditu quoque non modica clade affectus à persequentibus vsque Boscum Hollandis: cui oppido ignem tum iniectum ferunt. Pari

Mechlinienses structis nauibus bellicis aliquãdiu obsidionem tolerant, sed tandem se dedunt.

Flandri auxiliante Duce nostro duplex simul suscipiunt bellum.

Potiuntur Flandri maiori parte Zelandiæ & Hollandiæ.

Pari virtute eiecti eo anno etiam tota Hollandia Flandri, & Guido Namurcensis in Zelandia captus est. Ita Diuæus. Posteriora hoc modo Meierus: Eodem tempore meridianam Hollandiam Ioannes Dux Brabantiæ inuadit, omniumque oppidorum adeptus est deditionem præter Dordracum. Eam ciuitatem 10. dies obsidet, maioremque eius partem per ignita missilia incendit. Tandem Dordracenses, Duce Nicolao à Puteo forti ac nobili viro, magnis viribus erumpunt, ac retrocedere singulari virtute Brabantos cogunt, totaque Zuythollandia expellunt. Nec his contenti, vsque ad Buscumducis insectantur, ferro incendioque omnia deformantes, adeò vt Bosco etiam Ducis firmo oppido ignem iniicerent per inflammatas sagittas; reuersi dehinc cum diuite præda per Fanum D. Gertrudis, vnde & Brabantos eiecerunt. Sic ille. Porrò finitis induciis, ait Diuæus, Guido senior Comes, vti pactus erat, iterùm in Francorum vincula abiit. At Philippus Rex, maioribus quàm vmquam anteà copijs, in Flandriam descendens, cum Flandris dubio Marte congressus, Insulas primarium oppidum obsedit, Maria Regis nouerca, cui charus erat Dux noster, Ioanne item Duce ipso, & Amadeo Sabaudiæ Comite multùm interim laborantibus, vt pax coiret. Conuentum tandem in hoc, vt summâ pecuniæ (quæ tamen 800000. librarum nō excederet) mulctæ loco persolutâ, Comes Comitatum reciperet, Flandris sua libertas maneret; Duaco interim ac Insulis Regi arrhę stitis: insuper octo arbitri, vtrimq; videlicet quatuor, legerentur, qui reliqua componerent: quibus peractis, Guido Comes Compendij in Francia obiit. Lecti mox arbitri à Francorum parte, Ludouicus Comes Eburonum, Robertus Dux Burgundiæ, Amadeus Comes Sabaudiæ, Ioannes Comes Druidum; à Flandris, Ioannes Dominus de Cuyck Brabantus genere, Ioannes à Gaura Dominus Scornacij, Gerardus Maurus Burggrauius Gandensis, & Gerardus Sotteghemi Dominus. Hæc Diuæus; quibus ista Meierus adiicit: Rex principio Octobris cum gaudio domum regressus, statuit Lutetiæ ad B. Virginis ædem statuam equestrem sui periculi monumentum, quod in Pabula adiit. Apud Cortracum multi ex Gallis suorum corpora inuestigauerunt. Guido Princeps obiit Compendij in custodia Nonis Martij, octogesimum ætatis annum transgressus. Pace composita, sæpè dixisse narratur, Nūc securus morior, liberata Republica. Pergit Diuæus: Mense Iunio anni sequentis, Achiaci ad fluuium Oringiam pax anni prioris maxima sui parte commutata est, his addi- 1305
„ tis: Ne à Comite Nobilibúsve Flandriæ contra Francos fœdus iniri lice-
„ ret, Comitatu in fiscum redigendo, si secùs fieret: Insula, Duacum, Or-
„ chiacum, Casletum, Curtracum vsque 20000. nummûm assignatio-
„ nē arrhæ stent: Gandaui, Brugæ, Hipræ, Insulæ, Duaci muros Regi demoliri

Iterùm eiiciuntur.

Ioannes Dux oster frustrà Dordracū obsidet.

Pax tentatur inter Francum & Flandrum.

Tandem coit pax.

Guido Comes moritur etsi in carcere adhuc, tamen lætatus iam factā pacem.

Pax eadem grauatur iniquis cõditionibus. moliri liceret. Hæc aliaque complura Robertus maior Guidonis filius iurare compulſus eſt, priuſquam vinculis eximeretur. Signatam lego hanc pacem à Ioanne Duce noſtro, Henrico Comite Luceburgi, ac Nobilibus Flandriæ pænè omnibus. Addit Meierus: Per hoc fœdus iniquitatis (ita enim id Flandri nominabant) Robertus Comes, & fratres eius, omneſque captiui vtrimque redempti ſunt. Magno verò in periculo fuerunt procuratores, qui illud ſignis ſuis roborarant, fuiſſentque proculdubiò interfecti, ſi palàm denuntiare illud, vt erat, tentaſſent. Siquidem nullam illis factam poteſtatem ciuitates dixerunt, niſi de mulcta illa quæ octingenta millia nummûm non excederet, alias pacis conditiones in caſtris expoſitas & lectas eſſe, quarum ipſi probum haberent exemplar. Hæc Meierus. *Sedes Pontificia migrat in Gallias.* Hoc anno Clemens Quintus Gallus ſedem Pontificiam Româ Auenionem vrbem Galliæ tranſtulit, de quo vide pleniùs infrà ad annum huius ſęculi ſeptuageſimum octauum, cùm iterùm tandem poſtliminiò Romam reſtituta eſt. Pergit Diuæus:

1306 Sequenti anno 1306. ſeditionibus in Brabantia laborari cœpit, plebe in nobilitatem inſurgente, & maximè Bruxellæ; *Bruxellæ plebs in Nobilitatem inſurgit.* vbi ignobile vulgus in vnum collectum, pulſis Patriciis, domos eorum funditus demoliebatur, fruſtrà, ne id fieret, vxore Ducis deprecante. Quo intellecto, Dux noſter coacto exercitu, primùm Furas, inde Viluordiam conceſſit. At perduelles, comperto Ducem Furæ conſiſtere, prima die Maij extentis ſignis eò properant. Diſceptabatur tum in Ducis conſilio, obuiámne multitudini eundum eſſet, quibuſdam aſſerentibus eam aduenire pacis impetrandæ cauſa. Placuit tandem militem Viluordia educi, cùm interim neque Legatis miſſis, neque caduceatoribus, Bruxellenſes quid peterent, ſignificarent. Occurrêre alteri alteris in latiſſimis Viluordianis pratis, vbi vtrimq; explicatis ordinibus, cùm aliquamdiu dimicatum eſſet, Bruxellenſes ceſſêre: quorum multis cæſis, reliqui in deditionem venêre. *Victi Bruxellenſes trepidi Ducem recipiunt.* His Bruxellam renuntiatis, trepida vrbs Ducem muris recepit. Qui abolitis iis, quæ in Nobilitatis perniciem excogitarant plebeij, Magiſtratibuſq; plebeijs depoſitis, Patricios priſtino honori reſtituit, Edicto promulgato; cuius capita præcipua hęc fuêre: *Leges à Duce Bruxellenſibus præſcriptæ.* « Vt ſingulis annis octiduo ante Natalem Baptiſtæ, ex ſeptem Patriciorum familiis, eorum videlicet, qui Sherhuychs, Leones, à Rodebeca, Sher-roeloffs, è Via ſtrata, à Frigido monte, & ab Aquis, eorumq; qui ad eas pertinent, ſeptem Scabini deligantur; ſinguli videlicet è ſingulis familiis. Vt electio hæc ab iis qui prioris anni Scabinatu defunguntur fiat. Vt electos reijcere Duci integrum ſit, alios ex eadem familia ſurrogando. *Inter cæteras, Opifices à Duce iuſſi arma tradant.* Ne ab opificum collegiis conuenticula, vel tributorum collationes, inuito Senatu fiant. Opificum ſinguli à Duce iuſſi arma tradant; Priuilegia à Duce plebi

„ plebi ab anno 1303. vſque nunc tradita obſoleſcant. Vt gubernacula
„ Xenodochij S.Nicolai penes Scabinos ſint; prouentibus verò eiuſdem,
„ inopes Patricij ſolùm generis ſuſtenentur. Ne opifici alterius gratiâ
„ conciuis arma liceat ſumere, niſi conſanguinei. Vt textores fulloneſque
„ motus auctores vrbe excedant. Vt Prætor ſeu Amptmannus vrbis Patri-
„ ciis deinceps auxilio ſit, ſi quem à plebe motum fieri contingat. Eo ne-
„ gante opem, Patriciis liceat ſuo arbitrio ſeditionem coërcere. Edictum hoc obſignarunt Ioannes Dux, Gerardus Comes Iuliaci, Arnoldus Comes Loſſenſis, Ioannes Dominus de Cuyck, Florentius Bertoldus Dominus Berlariæ, Raſo Dominus Lydekercke & Bredæ, Gerardus Diſthę, Gerardus Weſemalius Dominus Bergæ & Woudæ, Gerardus Dominus Rochelariæ, Arnol. D. Weſemaliæ Marſcallus Brabantiæ, Otto à Cuyck D. Zalehemi, Ioannes à Louanio D. Harſtalli; Ægidius Bertoldus D. Mechliniæ, Daniel à Bochouda, Henricus à Wanga Seneſcallus Brabantiæ Iwanus à Meldert, Valterus à Wineghemo. Acta hæc menſe Iunio. Menſe Septembri eiuſdem anni Ioannes Dux Louanienſibus ſimiliter quædam iura conceſſit; inter cetera, vt omnem motum cōtra Rempubl. ortum Senatui coërcere liceat. Obſignarunt tum plerique ex ſuprà nominatis, tum præterea Luceburgi, Namurci, Loſſenſis, Iuliaci Comites, Falcoburgi Dominus, Heuerlæ Dominus, & rurſum Ioannes à Louanio, titulo duplici, Dominus Herſtalli & Gaſebecæ. Menſe Ianuario anni ſequentis celebratæ nuptiæ Eduardi iunioris Regis Anglorum & Iſabellæ filiæ Philippi Pulchri Regis Franciæ: quibus etiam Ioannem Ducem noſtrum interfuiſſe tradunt. Ex eo matrimonio prodiens Eduardus Tertius Rex, poſt aliquot annos Francorum Regnum, mortuis auunculis, cum maxima Francorum ſtrage poſtulauit. Kalendis Maij anni proximi 1308. Albertus Imperator haud procul Rinfelda, inſidiis Ioannis patruelis ſui periit. Cui à Principibus Germaniæ Henricus Luceburgi Comes, Ducis noſtri Ioannis ſororius, ſuffectus eſt, ſpreto Philippo Francorum Rege, qui ſummo labore Imperium ambiebat. Coronatus Henricus Aquiſgrani Epiphaniæ feſto ſequenti, frequentiſſimo Principum Conuentu, mox in Italiam iter adparauit. Obiit eo anno Ioannes Dominus de Cuyck Brabantinus, vir tam re militari quàm prudentia excellentiſſimus, quique Flandris fortiſſimus Francico bello ductor exſtiterat; ſucceſſit huic Ioannes filius. Anno 1309. Antuerpienſes Stapulam auenæ, ſalis, ac piſcium ab Henrico Imperatore recuperarunt, datis ea de re litteris 29. Octobris. Colluuies hominum ex inferiori Germania ac Francia, prætextâ cauſâ belli Saracenici, Iudæis hoc anno magnam cladem intulit; quos bonis ſpoliatos, pecudum more iugulabant. Quare veritus Dux noſter, ne conſumptis Iudæis, aliò horum efferatorum

Viri illuſtres eo tempore.

Licere Louanij Senatui omnem motū Reip. per ſe coërcere.

1307

1308

Alberto Imp. cæſo ſuccedit Henricus Lutzemburgius.

1309

Recuperant Antuerpienſes Stapulam pridem Mechlinienſibus conceſſam.

rum hominum impetus verteretur, Genapiam Iudęis in Brabantia commorantibus præsidio concessit; iisque mox à Cruce signatis obsessis opitulatus, magnam obsidentium copiam interfecit. Cuius victoriæ exemplo reliquis dispersis, insanus hic furor consenuit. Ita Diuæus. Leodiensis hoc modo: Eodem tempore quidam ex lasciuia Cruce signati, de diuersis mundi partibus conuenerunt, & Iudæos interficiebant vbique; & propter eorum insolentiam magna pars eorum fuit apud Genapiam villam Ducis Brabantiæ interempta; qui tandē Auenionem quasi 30. millium numero peruenerunt; & cùm transfretare tentassent, dispersi sunt, & cum penuria reuertuntur. Pergit Diuæus: Anno millesimo trecentesimo decimo Theobaldus Episcopus Leodiensis venditionem Mechliniæ ab Hugone Episcopo Duci nostro factam reuocans, in curia Romana obtinuit Itaque Dux noster decennio solo huius oppidi fruitione gauisus est. Hæc Diuæus; sed quàm solidè, nondum video. Nam Hocsemius Leodiensis Scriptor huius sæculi, cùm multa hoc ipso anno & aliis annis de Theobaldo hoc scribat, nusquam tamen huius rei meminit. Placentius nostræ ætatis Auctor etiam hæc tantùm commemorat: Theobaldus, inquit, Leodium aduenien, omnia perturbata inuenit; lites quippe suscitatæ fuerant inter Ioannem patriæ Inter-Regem & Ducem Brabantiæ. Vnde vtrimque incursantes pagos combusserunt, & se mutuò occiderunt; quæ sua industria statim composuit. Hæc ille. Eodem anno, inquit Diuæus, Imperator, misso Ioanne filio ad Regnum Boëmiæ occupandum, per se Italicam expeditionem iniit, vbi Margaretam vxorem Genuæ amisit, Ioannis Primi Brabantiæ Ducis filiam, è qua Ioannem sustulerat hunc Boëmiæ Regem. Ita Diuæus. Lubet de iisdem paulò pleniùs & distinctiùs adscribere ex Hocsemio eius sęculi Scriptore. Anno, inquit, Domini 1310. Rex Boëmiæ moritur, vnica filia herede relicta, quam Henricus Rex Ioanni filio suo matrimonio copulauit, eumque fratri suo Archiepiscopo Treuirensi commendās, cum Principibus, Theobaldo Episcopo, Lupoldo Austriæ, Ludouico Bauariæ Ducibus, Waleramo fratre ipsius Regis, Guidone & Henrico fratribus Comitis Namurcensis, Ioanne de Agimont, ac multis aliis Nobilibus, & cum Regina vxore meritò charissima transalpinat, vt in vrbe tandem Imperiali coronaretur. Cumque peruenisset Mediolanum, eodem anno corona ferrea, vt moris est, coronatur ibidem. Inde tendens Brixiam, vt rebellionem retunderet, per* Ianuam transiens, re & nomine Regina peroptima, & dominus Ioannes de Agimont frater Comitis Lossensis, de medio sunt sublati. Inde procedēs vlteriùs, Brixiam obsidione vallauit. Denique cùm diu in vacuum laborassent, tandem ira permoti, insultum facientes Brixiam capiunt violenter. Anno verò Domini 1311. Rex muros

Iudæi à furore plebis interuentu Ducis nostri liberantur.

1310

Disputatur, an hoc tempore Leodienses recuperarint Mechliniam.

Regnum Boëmiæ filio Lutzenburgij nuptiis obtingit.

Rex Germaniæ Henricus Lutzenburgius in Italiam tendit.

* Genuam

1311

ros Brixiæ diruit, rebellionis auctores faciens decollari. Intereà Rex Siciliæ Robertus Ioannem fratrem suum præmiserat, vt Cæsaris introitum in vrbem Romam impediret: qui Ioannes pro parte Vrsinorum partem Vrbis maiorem occupabat; Columpnenses verò monte Gibelini, fauentes Henrico, solum pontem Molli, armatorum castris vallatum, ad Regis transitum obseruabant. Annus iam inchoatus erat 1312. & commissæ erant aliquot pugnæ, in quarum vna Theobaldus Episcopus multis confossus vulneribus reddidit se captiuum, & captiuus intra triduum diem clausit extremum, anno Domini 1312. die 13. Maij. Tunc Rex videns quòd apud S. Petrum maiorem Ecclesiam propter inimicorum potentiam suæ consequi non posset insignia dignitatis, apud Ecclesiam S. Petri ad Vincula in contrata Columpnensium per Cardinales ad hoc Legatos Papę, quos secum adduxerat Imperator, solemniter consecratur. Sic ille. Facta hæc coronatio iuxta Onuphrium 3. Kalend. Iulij. Eodem anno, mense Septembri (verba sunt Diuæi) Ioannes Dux noster, cùm ægritudine grauari inciperet, celeberrimum nobilitatis ac populi Brabantini Concilium conuocauit; quo præsente, hæc salutaria Reip. iura ac priuilegia concessit, promisitque pro se posterisque suis in

Rex Siciliæ & alij se ei opponunt.

1312

Tandem tamen coronatur Henricus Imperator.

,, perpetuum: Nullum deinceps tributum exigendum, nisi Ducem, fi-
,, liósve suos Equestri ordini adscribi, coniugium inire, aut bello capi con-
,, tingat. Singulis subiectorum Brabantiæ ius ex æquo ac priuilegiorum
,, forma dicendum. Chartas priuilegiorum inconsultis Ordinibus non
,, mutandas. Singulas vrbes in sua libertate conseruandas. Eligendos à
,, Duce cum communi consilio patriæ ex Equestri ordine quatuor, popu-
,, lares decem; videlicet à Louanio tres, Bruxella totidem; Antuerpia,
,, Thenis, Leuia, Boscho, vnum. Ab his post vigesimum quemque diem
,, Cortebergam conueniendum, corrigendumque si quid iniuria ab ali-
,, quo fieri probatum fuerit, decernendum demum quidquid Reipubli-
,, cæ vtile inuenerint. Eorum sententiæ non solùm potentissimo cuique,
,, verùm & Duci ipsi acquiescendum; ab iisdem sacramentum exigen-
,, dum, sese pauperi & diuiti æquè iudicium facturos. Qui Conuentus
,, Cortebergensis decretis non obediet, pro perduelli habendum, &c. Pri-

Priuilegia concessa Brabantis à Ioanne Duce.

Electis à Duce cum consilio patriæ, etiam Ducem ipsum in controuersiis debere parere.

uilegium hoc sigillis suis ratum fecerunt, Feria quarta ante Bauonis, anno Domini 1312. Dux ipse Ioannes, Comites Iuliaci & Lossensis, Equites triginta quinque, Proceres alij viginti & vnus, & Legati ciuitatum hoc ordine; Louanij, Bruxellæ, Antuerpiæ, Boschi, Thenarum, Leuiæ, Niuellæ, Geldoniæ, Genapiæ, Lyræ, Herendalsti, Turnohoudæ, Hannuti, Viluordiæ, Furæ, Ischæ, Merchteniæ, & Capellæ. Inter Proceres, præter illos iam sæpè suprà nominatos, sunt & hi; Huluenhoudæ, Keerbergæ, Sombreffæ, Quacbecæ Domini, Ioannes Menius frater Ducis,

En quatuor primaria ciuitates Brabantiæ eadem quæ nunc.

Dominus Wauriæ & Dongelberghæ, item Equites à Boulerio, à Gora, à Dorna, à Boſco, à Meldert, ab Ophema, à Gentinis, Domini Marbeſij, Iauchiæ, à Barlamonte, Dominus Bruuiriarum, à Berchemo, & alij.

Moritur Ioannes Dux, conditus Bruxellæ ad D. Gudilæ.

Quibus peractis, Ioannes Dux, inualeſcente vi morbi (innato veſicæ calculo, ait Barlandus) Furæ hac vita deceſſit hoc eodem anno 1312. ſexto Kalend. Nouembris. Corpus Bruxellam delatum, in Baſilica D. Gudilæ conditũ eſt, in medio Chori. Hæc Diuæus. Gallicus Angianus iſta adnectit: Et anno proximo obiit Imperator Henricus Lutzenburgius, qui vicerat & domuerat omnem terram vſq; Romam. Huius Ioannis tempore anno 1301. Sichena oppidum muniri cœptum eſt, cùm anteà ibi arx tantùm eſſet. Et anno 1304. pomœrium Antuerpienſe iterùm prolatum, incluſis Kipdorpenſi vico & Croneburgico; & eodem anno iuxta Bruxellam Eremitagium erectum eſt Viridis vallis, poſteà anno 1344. factum Cœnobium Canonicorum Regularium, eodemque anno ibi templum eſt conſecratum.

Opera publica eius æuo constructa.

IOANNES III.

FILIVS PRÆCEDENTIS,

XXXIII. BRABANTIÆ PRINCEPS.

Præfuit annis quadragintatribus.

1312 

IOANNE Secundo, inquit Diuæus, è viuis ſublato, cùm Ioannes Tertius duodecimum annum ætatis necdum expleuiſſet, ex Rectorum eius licentia non parua calamitate Reſp. afflicta eſt. Ij etenim theſauros à patre eius collectos, vt externis negotiatoribus (qui Reip. ingentes pecunias crediderant) ſatisfieret, in rem ſuam vertentes, effecêre, vt negotiatores noſtrates in vicinas regiones commercij cauſa profecti, vbique à Reip. creditoribus, vinclis aſtringi iuberentur: quam rei indignitatem in ſequentem annum 1313. tulit Brabantia, neque diutiùs.

Brabanti vbique à creditoribus Reipublicæ detinentur.

1313 Tum enim Rectores vrbium in vnum collocuti, cùm diu remedium huic incommodo diligentiùs inquiſiſſent, decreuere tandem, vt partim tributo viritim collecto, partim auro ex ærariis publicis ſuppleto, externi pacarentur. Cenſus verò ac vectigalia, quæ Ducali fiſco ab vrbibus debebantur, eatenus non penderentur, donec de auro creditoribus

Ducis



IOANNES III. XXXIII. BRAB. PRINCEPS.

Tandem huic malo remedium inuentum, ne quidquam frementibus Quæstoribus Ducalibus. Ducis persoluto, vrbibus compensatio facta foret. Additum itidem, vt prouentus redditusque omnes Ducalis Fisci in eamdem compensationem traherentur. Vtque hæc diligentiùs maiorique cum fide agerentur, è singulis vrbium Quæstor vnus delectus, quem defunctum Quæstura necessarium foret rationem Conuentui Ordinum dicere; magna Quæstorum Ducalium indignatione, cupientium, vt antè factum fuerat, è Prouincialium visceribus expleri. His peractis, liberata graui curâ Respublica, & negotiatoribus tutò quóuis proficisci licuit. Mense Iulio eiusdem anni Louanienses & Bruxellenses fœdus inter se percusserunt, cuius *Louanienses & Bruxellenses se mutuo fœdere deuinciunt.* præcipuæ conditiones hæ fuêre: Si ciues aliquos vtriusque vrbis inter se controuerti contingeret, per vtriusque Senatum compescendos fore. Vtramque vrbem alteri, defendendis contra quemlibet iuribus ac Priuilegiis auxilio fore. Si iura alterius à Duce imminui contingat, omnibus viribus alteram id prohibituram. Neutram admissuram, vt terminis
1314 Brabantiæ quidquam adimatur, &c. Anno proximo 1314. mense Iunio Ioannes Princeps, iam pubertatem attingens, Louanij totius Brabantiæ Ducatum accepit, iuratus more maiorum vniuersæ gentis priuilegia rata firmaque se habiturum. *Inauguratur Princeps Ioannes, adiectis etiam aliis priuilegiis.* Ad hæc promisit, se nusquam nisi in vrbibus nummum signaturum. Reparaturum se, si quemquam ob debitum suum parentúmve suorum capi contigerit. Præturam aut apparitoris officia ad vitam nemini daturum. Quæstoribus anno priori electis omnium prouentuum suorum receptionem permissurum. Quæstorem suum singulis annis ad rationes dandas coacturum, &c. Obsignarunt hęc Gerardus Iuliacensis, Arnoldus Lossensis, Comites; Dominus Falcoburgi & Monioy, D. Mechliniæ, D. Disthæ, D. Wesemaliæ, Philippus à Liedekerca Dominus Bredæ, &c. Hæc Diuæus, quem miror tam confusè dicere Ioannem tum pubertatem attigisse: imò eo tempore duxerat vxorem, ni fallor. Nam hoc est in præambulis eiusdem priuilegij à Diuæo *Vxor Ioannis nostri filia Comitis Ebroicensis, filij Regis Francorum.* citati inter cetera: Volumus & ordinamus de consilio & voluntate dilecti & chari Domini & patris nostri Domini Ludouici filij Regis Franciæ, Comitis Ebroïcensis, & aliorum Consiliariorum nostrorum, pro nobis & nostris successoribus, quatenus omnes articuli infrascripti perpetuò firmi permaneant. Sic ibi. Et sunt articuli iam à Diuæo relati. & infrà: Datū anno gratiæ MCCC. & XIV. die Veneris post Octauas Petri *Duo Imperatores in schismate.* & Pauli. Hoc eodem anno Ludouicus Bauarus Rudolfi I. Imp. ex filia nepos, 18. Octobris Imperator à quibusdam Germaniæ Proceribus designatur; & eodem die ijsdemq; Comitijs ab alijs Germanię Principibus Fredericus Austriacus Imp. salutatur: qui quidem inter se annos 13. de Imperio acriter contenderunt. Obiit eo anno 3. Kal. Decembris Philippus Pulcher Francię Rex, succedente Ludouico Huttino. A mense Maio

anni

anni inſequentis milleſimi treceteſimi decimiquinti, referente Diuæo, 1315
pluuia per decem menſes continuos durauit, adeò vt nec fruges nec ceteri
fructus eo anno ad maturitatem peruenirent. Subſecuta hinc annonæ
caritas extrema, & quâ maiorem totâ Europâ numquam fuiſſe conſta-
bat. Hæc maximam mortalitatem humano generi inuexit, mendicis
paſſim in Baſilicarum ac ædium veſtibulis, in plateis, in agris præ inedia
efflantibus: quorum corpora cùm rariùs defoderentur, orta hinc peſtis
acerbiſſima multas hominum myriades ſuſtulit. Antuerpiæ hoc tem- *Magna Antuerpiæ & alibi annonæ caritas ſimul & peſtis.*
pore trientem modij frumenti 60. groſſis Turonicis veniiſſe proditum
eſt; Louanij verò modium nouem florenis. Sic Diuæus. De calamitate
hac ſcribit Hocſemius Leodienſis tunc viuens in hunc modum: Hoc an-
no vſque ad Auguſtum ſequentem tanta fuit mortalitas & cariſtia, quòd
modius ſiliginis menſuræ Thenenſis (quorum quinque modij quatuor
tantùm menſuræ Leodienſium adæquant) decem florenis aureis vende-
batur, & de Hoſpitali in Louanio, biga bis vel ter in die onerata ſex vel
octo cadaueribus mortuorum, extra villam in nouo facto cœmeterio,
miſeranda corpuſcula continuò deportabat: quæ cùm tranſiret quotidie
ante domum, quâ tunc morari cœperam, fœtore cogente, conduxi mihi
domum in ſuburbiis iuxta campos. Et idem in villis ceteris continge-
bat; & tamen bladis granaria erant plena, ſed ad loca maritima, vbi ma-
ior erat cariſtia, portabantur: anno verò ſequenti, minori quàm vnius flo-
reni pretio modiús vendebatur. Ita ille. Pergit Diuæus: Paulò pòſt (An-
gianus adſcribit annum 1316.) Otto Burenæ Comes Bruxellam venit, 1316
vbi veteri (neſcio vnde) reuocatâ controuerſiâ quadam, cùm à Conſilio
Ducis reiiceretur, vt graui iniuria offenſus, domum properauit; & Ty-
lam Brabantici tum iuris oppidum (ſuperatis qui ad eum propellendum *Quomodo Tyla ad Brabantũ venerit, vide ad annum 1286.*
egreſſi erant ciuibus) vnà cum victis ingreſſus occupauit, præda inde
auecta non mediocri. Quo in Brabantiam relato, ardentem id vlciſci è
iuuenili ferocia Ducem, vix proximorum conſilium ſalubre cohibuit,
Guilielmum Hollandiæ Comitem Bureni ex filia notha ſocerum offen-
di metuentium. Miſſa tamen in Hollandiam Legatio de iniuriis con-
queſta effecit, vt Hoochſtrati paci conciliandæ indiceretur. Vbi id a- *Comes Burenus ſeſe in captiuitatem Brabanticam dans, mox dimittitur.*
ctum eſt, vt Burenus ſeſe in captiuitatem Brabanticam daret, donec de
iniuria ſatisfactum foret, quem mox in ſoceri gratiam noſtri dimiſêre.
Anno 1317. menſe Aprili Phalæ textorum (Hallam vocant) Louanij
ſtrui cœptæ, in quibus pereunte poſtmodum lanificio, Theologia, Ius 1317
ac Medicina hucuſque docentur. Sic Diuæus. Splendidiùs & paulò co-
pioſiùs Cl. V. Lipſius in ſuo Louanio cap. 4. libri tertij: Eſt, inquit, publi- *Phalæ ſeu Hallæ, nunc Auditoriũ publicum, Louanij ædificantur.*
cus locus, vbi tres primariæ ſcientiæ docentur, Theologia, Iuriſpru-
dentia, Medicina: prima inferiùs, ſupernè duæ reliquæ: & ſunt Audi-

toria in vniuerſum quinque. Ædificium vetus eſt, nec huic vſui primò ſtructum: ſtructum autem lanificibus, cùm ij in flore eſſent, anno M.CCC.XVII. quod duplex inſcriptio parietibus inſerta docet. Vocant Halas, vt ſolent iſta hominum aut mercium receptacula: liceret Baſilicas dixiſſe; vt autem nunc vſus eſt, Athenæum appellemus. Proſequitur Diuæus: Anno ſequenti 1318. Ioannes Dux noſter primùm arma cinxit hac de cauſa. Gerardus Iuliaci Comes poſt diuturnas conflictationes, Reinaldum Falcoburgi Dominum captum in arce Niderga arctiſſimè cuſtodiebat. Qui tandem promiſsâ ingenti pecuniæ ſummâ dimiſſus, ſuos primùm, mox & externos in agro ſuo prædia poſſidentes immenſo tributo onerabat. Id indignum rati Traiectenſes, querelam Ducis Concilio deferunt. Legati, qui ablata Traiectenſibus reſtitui, ac vi deinceps abſtineri iuberent, ad Reinaldum miſſi. Nihil ille Legatorum monitione mollitus, at peiora multò auſus, Traiectenſes bello vrgere cœpit. Quo comperto, hoſtis iudicatus, & bellum contra eum decretum, ſeueriſſimo delectu toti Brabantiæ imperato. Denique menſe Iulio Ioannes Dux comitatus omni pænè nobilitate, Moſam tranſgreſſus, vaſtato Falcoburgenſi agro, Sitterium oppidum, cui incolæ regionis fortunas reſque ſuas intulerant, obſidione cinxit. Inerat huic oppido præſidium fortiſſimum, duces item expertiſſimi, à quibus oppugnatores ſæpiùs repulſi. Accidit interim Kal. Auguſti, vt Louanienſes propugnaculum vnum aggreſſi, eo potirentur; quorum æmulatione Antuerpienſes cum Mechlinienſibus aliud vicinum oppugnantes aliquamdiu, licet à Bredanis iuuarentur, tamen cum cæde reiecti ſunt. Ita vi vrbem expugnari poſſe diffiſus Dux, exſtrui machinas altitudinis immenſæ iuſſit; quibus ſublatiùs erectis, turribus ac muris propugnatores ſagittis arcerentur. Quæ conſpicati illi, pauidique à futura fame, deditionem fecêre, vitam ſolam incolumem pacti. Acta hæc feſto diui Laurentij. Horum exemplum Harlenſes ſecuti ſunt. Et eodem pænè tempore Adolphus Epiſcopus Leodienſis, ob ſuos itidem tributis preſſos Reinaldo infeſtus, ſimiliter Haram arcem Traiecto vicinam cæſis præſidiariis euertit. Porrò Reinaldus à Duce paulò pòſt in gratiam receptus, à Traiectenſium iniuria ſe deſtiturum promiſit, multatis primùm Sitterio ac Harlâ oppidis. Nec tamen vlla iuramenti reuerentia, poſt Brabantini diſceſſum, à Traiectenſibus vexandis contineri potuit. Vnde bello iterùm petitus, cùm voluntariam deditionem feciſſet, Louanij in arce cuſtodiæ traditus eſt: ea tamen libertate, vt manè exeuntem ad veſperum redire oporteret. Inter hæc Ioannes Bohemiæ Rex, idem Comes Luceburgi (qui Henrico Imperatore ac Margareta filia Ioannis primi Ducis prodierat) Bruxellam venit; vbi in Concilium

1318

Cauſa belli Falcoburgenſis.

Vaſtato agro Falcoburgenſi, Brabanti Sitterium obſident.

Dedunt ſe Sitterienſes, item Harlenſes.

Falcenburgius nō quieſcens iterùm bello petitur, ac tandē ſponte ſe captiuum tradit

lium Ducis admiſſus, partem ſibi Ducatus Brabantiæ deberi palàm aſ-
ſeruit. Cui per Rogerium à Leſdalia Cancellarium, virum diſertiſ-
ſimum, reſponſum eſt; iniquam Duci Proceribuſque videri Regis
poſtulationem, cùm id ab omni memoria inter Brabantinos obſer-
uatum ſit, ne maſculo ſuperſtite, fæminis in Ducatu ſucceſſionis ius
detur: interim offerre Ducem, vt Procerum Brabantiæ ac Iuriſpruden-
tum ſententiæ ea de re mos geratur. Quo intellecto, Rex ad minas con-
uerſus, & ſe, quod Iuris diſceptatione non daretur, armis experturum
dictitans, ſtatim Bruxellâ diſceſſit, odium in Brabantinos altiſſimo
corde premens, erupturum poſt aliquot annos maximo vtriuſque partis
damno. Hæc ſubodoratus Reinaldus, clandeſtinam Louanio fugam
meditabatur. Verùm proditus, Genappiam miſſus, arctiſſimè ibi toto
biennio ſeruatus eſt; donec Leodienſi, Gelro, Hollando, vadibus datis,
vt ſi ad certam non regrederetur, 21. mille libras argenti ſoluturum, eua-
ſit. Acta hæc circa annum ſalutis 1326. Sic Diuæus, tranſiliens integros
ſeptem annos medios; quos tentemus, vt aliunde vtcumque ſaltem ad-
ornemus. Hocſemius Leodienſis ad annum 1318. cùm itidem narraſſet
turrem de Harne fortiſſimam, quæ à Domino de Falcomont tenebatur,
interfectis cuſtodibus per Epiſcopum, ſimul (addit ille) & Ducem Bra-
bantiæ, captam & funditus deſtructam, iſta ſubiungit: Eodē anno Epi-
ſcopus terram Regis Bohemiæ cum exercitu magno vaſtauit in Comi-
tatu ſuo Lutzilburgenſi, poſt triduum reuertendo. Et anno Domini 1319.
Inter Dionantenſes & Bouiniēſes ortâ diſcordiâ circa Natalem Domini,
bellatores plures à Comite Namurcenſi Bouinienſibus in adiutorium
tranſmittuntur, quorum aliqui in armis periti iuxta Dionantum ve- 1319
niunt, quaſi pauci cum multis vellent petulanter dimicare. Quod vi-
dentes Dionantenſes, illuc properant animosè; ſed aduerſarij ſe fugere
ſimulantes, Bouiniam appropinquant. Tunc exeuntes qui Bouiniam
recèns miſſi fuerant, Dionantenſes fatuè ſequentes alios incluſerunt:
quorum aliquibus interfectis, triginta (ſicut Dionantenſes aſſerunt) ca-
piuntur, & in craſtino, ligatis illorum vulneribus, mortui reperiuntur in
campis; quos adhuc hodie interfectos in carcere conqueruntur, ſed Na-
murcenſes hos aſſerunt bellando necatos. Hac immanitate Dionanten-
ſes nimiùm prouocati, Leodienſes infeſtare non ceſſant, ab ipſis adiu-
torium tamquam à fratribus flagitando: vnde anno Domini 1320. in
Aprili, clamore Dionantenſium ciuitas prouocata, Epiſcopum inui- 1320
tum quaſi prouocat ad vindictam. Quocircà terram Comitis Na-
murcenſis intrat Epiſcopus cum exercitu generali, ipſam igne concre-
mando; deinde treugæ ad biennium ſtatuuntur. Sed ecce intereà Dio-
nantenſes turrim erigere fortiſſimam inceperunt, vnde machinis erectis

Ioannes Bohemiæ Rex minabūdus petit in Brabantia velut hereditatem maternam.

Falcenburgius tandē fuga euadit

Episcopus Leodienſis vaſtat terram Regis Bohemiæ in Comitatu Lutzenburgenſi.

Dionātenſes ſtratagemate Bouiniæ clauſi & caſi.

Dionantēſes, turri exſtructa Bouiniēſes fatigant.

per Bouiniam lapides iacere possint, domos oppidi diruendo; & in hieme, stringente gelu, aquâ calidâ calcem sabulo commiscebant. Bouinienses itaque hac nouitate turbati, turrim ipsam, treugis durantibus, impugnare machinis inceperunt, vt conatus Dionantensium impedirent. Qua præsumptione cõmotus Episcopus, anno Domini 1321. post
1321 festum B. Ioannis, adiuncto sibi consanguineo suo Comite de Montibus, cum 33. militibus, & equitibus plusquam centum galeatis, 41. diebus Bouiniam obsidione vallauit, muros arietibus quatiendo. Sed intereà die 3. Augusti, Comes Namurcensis sentiens Hasbaniam hominibus vacuatam, adiuncto sibi in quingentis galeis supplemento de Flandria & Hannonia militari, cum sex millibus terræ suæ peditum vastaturus intrauit. Quod sentientes Dominus Iacobus de Leut & Amelius de Bouegnistier, tunc Bailliuus Capituli, quos Episcopus pro custodia terræ retrò dimiserat, cum 140. tantùm equitibus, pulsatis campanis, & sequentibus peditibus, inimicos inuadunt, & pluribus interfectis, omnes ferè reliquos capiunt. Hîc idem Amelius miles efficitur: huic etiam Capitulum, cùm diues non esset, in remunerationem probitatis huiusmodi, quinquaginta modios speltæ annuæ pensionis donauit ad vitam. In crastinum verò Bouiniensiũ obsidio est soluta. His temporibus iterùm Episcopus contra Regem Bohemiæ, & Comitem Namurcensem, habuit magnam guerram. Anno verò 1322. Iudæi per Franciam
1322 vna die vniuersaliter capiuntur. Et eodẽ anno Cennacenses locum suum muris, portis muniunt & fossatis. Comes quoq; Namurcensis à Brugensibus in quodã conflictu capitur, qui tandem euasit subtiliter per cloacam. Anno verò 1323. Fredericus Dux Austrogothiæ, qui se pro Rege gerebat,
1323 à Ludouico Bauaro Aquis coronato, campestri bello (succurrente, cùm Ludouicus pænè defecisset, Rege Bohemiæ) vincitur, captiuatur; & tandem pacificati sunt ad inuicem, ita quòd Reges ambo se mutuò nominabant. Anno verò Domini 1324. Carolus Rex Franciæ (mortua vxore sua,
1324 filia scilicet Regis Bohemiæ, quam anno duxerat præcedenti) patrui sui Ludouici Comitis Ebroïcensis filiam, sororem vxoris Ducis Brabantiæ, dispensatiuè sibi matrimonialiter copulauit. Hinc anno Domini 1325.
1325 Dominica in crastino Bartholomæi, progenies de Warfesees & de Warous contra domum de Awans in campis prope Doumartin infaustè pugnauerunt, de suo genere pluribus interemptis strenuis. Nam Henricus de Hermalle, Ioannes de Landris, Ioannes de Ceruo, Lambertus de Herduemont, & ampliùs 40. suæ partis de melioribus ibi gladio ceciderunt, ceteris fuga lapsis. Ex parte verò Castellani, militis nuper facti, Arnoldus de Iehaigne miles, & Butoir, fratres eius, cum 12. ibidem armigeris interfectis, treugis tamen existentibus inter ipsos; propter quod (secundùm

Episcopus Leodiensis obsidet Bouiniam.

Interim Namurcenses incursant Hasbaniã, sed malè excipiuntur.

Prælium inter Fredericum Austricum & Bauarum Impp.

Contentio cruenta apud Leodiẽses inter nobiles de Warfesees & de Avvans.

cundùm legem patriæ) vtriuſque partis honor & corpora in manus Epiſcopi ceciderunt. Sed parti victæ, mediantibus quibuſdam pactionibus, delictum per Epiſcopum condonatur. Ciuitas verò victores, quorumdam decepta fraudibus, ipſos ne caſtigare poſſet Epiſcopus, tuebatur. Propter quod Epiſcopus circa Remigij contra Leodienſes prope Creſtengnes maximum exercitum congregauit; in quo ſui generis 11. habebat Comites, & Regem Bohemiæ, cum magno militum apparatu: ſed Rege Bohemiæ & quibuſdam aliis non ex corde iuuantibus, receſſerunt: ſed paulò pòſt pars Caſtellani, mediantibus quibuſdam pactionibus, fecit pacem cum Epiſcopo. Hæc omnia Leodienſis, eius temporis Scriptor.

Vix tandem dicta controuerſia componitur.

Redeo iam ad Diuæum. Acta, inquit, hæc circa annum ſalutis 1326. Et ſubdit: Recrudeſcebat tum Bohemi cum Duce noſtro diſſidium, Colonienſis ac multorum Transrhenanorum fœdere adaucto Bohemo: quibus fiſus Reinaldus Falcoburgi Dominus, falſa fide, ac deluſis qui pro eo fideiuſſerant, rurſum Traiectenſium fines incurſare cœpit. Nec ſegnior in ijs vindicandis, quàm olim Dux noſter, ingentem belli apparatum mouens, tranſito Moſa, perduellem ipſum Falcoburgi concluſit: cumque nouem hebdomadibus oppido aſſediſſet, nullo obſeſſis ſuppetias ferente, ad obſidionales conuerſus artes, nouo commento, aggere è ceſpitibus ac materia congeſto, Geualiæ fluminis alueum infra oppidum obſtruxit. Vnde effectum, vt fluuius ſolitùm meare prohibitus, ac retrouerſus omnia oppidi plana exundans tegeret, incolis omnibus in arcem confugientibus: quam multitudinis hominum non capacem, mox in poteſtatem venturam conſtabat, niſi Bohemus callidis technis auertiſſet. Erat tum Gerardus Iuliaci Comes, amicorum Ducis integerrimus, ac plurimorum in Brabantia poſſeſſor. Hunc pacis interceſſorem parauit: quo agente, præſtituta die colloquio Rodæ conuentum eſt, decretumque ibi, vt Falcoburgi muri diruerentur, inter Bohemum ac Ducem pax concors eſſet; cetera arbitrio Bohemi inter Ducem ac Reinaldum componerentur. Ita quaſi firmatâ iam amicitiâ, Bohemus Ducem Bruxellam comitatus, filium illi natum menſe Octobri è ſacro Fonte ſuſcepit; rogatus tamen vt Reinaldi cauſæ finem faceret, otium excuſans, domum rediit. Eodem menſe Dux noſter priuilegium dedit Bruxellenſibus: Ne ciuem, bonáve eius, niſi Scabinorum iudicio conuictum, arrhæ ſiſti liceat. Ne de ciue Bruxellenſi, niſi clara luce, ſupplicium ſumatur. Ne ciuis Bruxellenſis alibi quàm in hac vrbe cuſtodiæ tradatur. Ne quis ciui manum immittat, niſi Amptmannus, eiúſve apparitores. Ne extraneum, à creditore ſuo Bruxellenſi arrhæ ſiſti inuitum, eximi liceat, niſi Scabinorum iudicio aut creditoris conſenſu liber declaretur. Ne parentum bona ob liberorum delicta Fiſco addi-

1326

Falcoburgū iterùm à Duce noſtro obſidetur.

Pax tandem, ea lege vt Falcoburgi muri diruerentur.

Priuilegium quoddam datum Bruxellenſibus.

addicantur, &c. Signatum ab Ottone Domino de Cuyck, Rogerio à Leuedalia, Domino Orſcoti & Parci, Ioanne à Radeshouia, Nicolao ab Harlaria, Rudolfo Pipepoio Seneſcalco Brabantiæ, Equitibus. Inſequentis anni 1327. menſe Nouembri Dux noſter conceſſit hæc Priuilegia Louanienſibus: Si ciuem ab aliquo accuſari contingat, vt ſolis Scabinis eam accuſationem prodat Prætor, eorumque ſententiâ accuſatum capiat, ſupplicio dedat. Ne ciuis in cuſtodiam extra vrbem abducatur. Ne ciuem cuſtodiæ tradi liceat, qui in iudicium ſiſti, fideiuſſore dato, poſſit. Ne Prætoris apparitores tabernariam exerceant. Ne quis lanificium intra ſecundum ab vrbe milliarium exerceat, &c. Signatum tum à ſuprà nominatis in proximo Diplomate, tum etiam à Domino Mechliniæ, Domino Diſthæ, Burggrauio Antuerpiæ. Eodem anno Eduardus iunior Rex Angliæ, indicto ſibi à Roberto Scotorum Rege bello, auxilia ex inferiori Germania conuocauit; inter quæ fuiſſe reperio Ducem Ioannem, cui aderant Brabantici Equites, Theodoricus à Valecuria, Raſo à Grauia, Henricus Bertoldus Dominus Duffle, Ioannes à Gaſebeca, Ioannes cognomento Ferrum teli, Valterus ab Huldeberga, Guilielmus à Courtellis. Ita Diuæus. Meierus Ducem noſtrum non recenſet, ſed tantùm Brabantinos illos Equites, dicitque Ioannem Hannoniæ Comitis fratrem Belgicorum auxiliorum fuiſſe caput. Et ſubdit: Ioannes Maior, qui de rebus Scotorum ſcribit, octo millia refert fuiſſe equitum, triginta millia peditum, ac ſagittariorum millia viginti quatuor. Tale in pueritia ſua Eduardus magnitudinis ſpecimen præbuit. Scoti, vbi ſe longè inferiores eſſe viderunt, pacem per matrimonium ordinauerunt. Dauid Roberti Regis filius ſororem Eduardi Ioannam duxit vxorem. Eodem anno Eduardus Rex captiuus, Eduardi Tertij pater, per Iſabellam vxorem & adulterum eius Mortimerium necatus eſt in carcere à cuſtodibus illi datis. Sed tandem & Iſabella à filio Eduardo necata eſt in carcere, poſtquam ex Mortimerio grauida eſſet facta. Mortimerius verò, deſectis genitalibus eius, magnoque igni in conſpectu eius crematis, capite plexus, inque partes quaternas diuiſus. Hæc inſerta ex Meiero.

1327 — *Priuilegiũ aliud conceſſum Louanienſibus.* — *Brabanti Equites militantes Anglo contra Scotum.* — *Immania ſcelera Iſabellæ Angliæ Reginæ eiúſque amaſij iuſtè tandem punita.*

1328 Proſequitur narrationem ſuam Diuæus: Anno, inquit, 1328. bellum Tranſmoſanum renouatũ eſt. Ioannes Bohemiæ Rex arbitrium finiendæ inter Ducem noſtrum & Reinaldum Falcoburgium controuerſiæ in ſeſe receperat. Porrò Duce accelerationem ſententiæ grauiter vrgente, Niuellæ colloquium habuêre. Hîc Bohemus, antequam pacis Leges proferre vellet, muros Falcoburgi inſtaurari poſtulauit. Tam iniqua Regis petitione commoto Duce, infeſtiores vtrimque diſceſſerunt, acerba ſibi mutuò minitati, mox bellum, miſſis Fecialibus, indicentes. Dux noſter, curatis ea hieme expeditioni neceſſariis, primo vere Moſam tranſ-

Recrudeſcit bellum Falcoburgenſe

transmisit. Primum impetum Falcoburgum excepit, quod celeriùs re-
paratum Valerano filio Reinaldus commiserat cum 300. fortissimis
equitibus. His per nouem hebdomadas obsessis, nullum quietis tem-
pus concessêre Brabantini, interdiu oppugnationibus, noctu missili
igni fatigatis. Mensis Maij anni 1329. die nona, vigiliis continuis pæ- 1329
nè enecati Falcoburgenses, licet commeatu supplente, vitam ac oppi-
dum incolumia pacti, sese potestati Ducis permisêre; quibus peractis,
Dux, dirutâ arce, domum suos reduxit. Boëmus intereà in Franciam
profectus, Regem variis sollicitationibus in Ducem commouebat:
ceterùm nihil promouens, vt pacis intercessor misero Reinaldo esset,
rogabat. Missi tum à Rege Legati, vt tota controuersia eius arbitrio
committeretur, à Duce postulaturi. Qui benignè accepti, remissique
mox, ac vnà cum iis è Ducis familia viri prudentissimi, qui Regem
edocerent, quo in statu bellum esset: quòd, non cupiditate aliena inua-
dendi, sed suorum tutandorum causa, aduersus diuersorum sacramen-
torum infractorem arma sumpsisset. Id tamen cùm partim Boëmi, par-
tim aliorum Principum precibus depositurus esset, se variis Boëmi dila-
tionibus primùm ludibrio habitum, mox conspexisse se Conuentu Ni-
uellensi, quàm inimico in se Boëmus animo foret: quare orare Regem,
vt bellum, quod ad finem pænè perduxerat, prosequi se sineret. Ea Lega-
tione facilè persuasum Regi, ne hostibus vllam opem ferret, donec no-
ua ex causa Duci nostro hostis efficeretur, vt pòst dicemus. Hæc Diuæus.
Anno 1330. Frederico Austrio 13. Ianuarij defuncto, solus imperat Lu- 1330
douicus Bauarus. & nihilominùs Nicolaus Antipapa Ludouici coactus
abdicat 8. Kalend. Septembris. Ita Onuphrius. De eodem Antipapa Leo-
diensis Scriptor hoc modo: Eodem anno 1330. Idibus Septembris Pe-
trus de Corbario Ordinis Fratrũ Minorum, qui se Papam creari per Lu-
douicum Bauarum & Cardinales fecerat, & multos suis beneficiis &
dignitatibus priuauerat, ac aliis contulerat, vbi Bauarus regnabat, venit
ad misericordiam sponte, sicut Papa dicebat, aliis asserentibus quòd
coactus. Sic ille. Redeo ad Diuæum: Robertus Atrebas vir fortissi-
mus, Franciâ profugit hac de causa. Erant Roberto II. Comiti Atre-
batium, qui ad Curtracum ceciderat, liberi duo, Philippus & Ma-
thildis; quorum Philippus ante patrem mortuus hunc Robertum re-
liquit, qui adultus litem Mathildæ amitæ mouerat de Comitatu Atre-
batium, quem sibi deberi contendebat. Cumque diu hæc quæstio in
Curia Parisiensi agitata fuisset, tandem anno huius sæculi trigesimo
secundùm Mathildam iudicatum est. Vnde ille quasi iniuriâ sibi
factâ efferatus, ad Ioannem Namurci Comitem consanguineum
suum, moxque inde anno sequenti 1331. metu ne Regi dederetur, Na- 1331
murco

Iterùm Falcoburgum Duci deditur.

Frustrà nititur Boëmus Regem Franciæ contra Ducem nostrũ commouere.

Antipapa Bauari abdicat, sponte an coactus, variant sententiæ.

Robertus Atrebas Franciâ profugit.

Vide etiam Meierum.

murco in Brabantiam confugit: vbi à Duce ſumma cum gratulatione, vt conſobrinus (erat enim ex auia paterna filia Henrici Ducis Brabantiæ) Louanij plerumque morabatur. Quo in Franciam relato, Philippus Rex, miſſis Legatis, Atrebatem vt Regni Francici perduellem dedi expetiit. Non paruit Dux, nempe nulla clientela Regi obſtrictus; verùm Atrebatem deinceps etiam multò honeſtiùs habuit. Quare Rex, deſtinatis ad Boëmum, ceteroſque Brabantini hoſtes, multis auri talentis, vt bello Brabantiæ fines vrgerent, mandabat. Coiêre tum fœdere, Ioannes Rex Boëmiæ, Archiepiſcopus Treuirorum eius frater, Henricus Archiepiſcopus Coloniæ, Adolphus Epiſcopus Leodij, Reinaldus Dux Geldriæ, Gerardus Iuliaci, Ioannes Namurci, Ludouicus Loſſenſis Comites, Eduardus Dux Bari, Comites Marcæ & de Catzenelnbogen, Rainaldus Dominus Falcoburgi, Valeranus eius frater, Ioannes frater Comitis Hannoniæ & Hollandiæ, Theodoricus Dominus Hensbergæ. Litteras, ait Diuæus, penes me habeo, quibus Eduardus Dux Bari, bellum Louanienſibus indixit, eò quòd Atrebatem vrbe ſuâ recepiſſent, datas in Ianuario anni 1331. (nempe anno illo tunc more Gallico non ante Paſcha

Parat Rex Franciæ bellum contra Ducem noſtrum vt receptatorem ſui hoſtis.

1332 exeunte.) Itaque ſequenti anno 1332. confœderati Principes adiuncto ſibi quoque Comite Vgelli (qui Francorum Regis Comes ſtabuli erat) Trudonenſe oppidum petunt, Brabantiam inde inuaſuri. Porrò Dux noſter, licet hoſtium numero longè impar, impauidus tamen, aſſumptis ſecum Brabantinorum fortiſſimis, ad Hasbanicum limen hoſti obuiàm prodiit, & munitâ contra omnem impetum Leuiâ, Helishemi concedit: quę Abbatia à Thenis in Hasbaniam vergit, paruo à Trudonenſi oppido ſpatio diſſita. Guilielmus intereà Hollandiæ Comes, veritus, ne exercitus vtrimque maxima cum ſanguinis effuſione committi poſſent (licet ob ſenium lecticâ veheretur) in Ducis caſtra ſe contulit: quem cùm pacis cupidum cognouiſſet, inde ad hoſtem paria perſuaſurus diſceſſit. At horum animos pacem omnino aſpernari inueniens, ad Ducem reuerſus, eo monito, vt impetum tantæ multitudinis fortiter exciperet, ſi fortè cominus concertandum foret, ad ſua dolens reuertit. Hoſtes verò poſt eius diſceſſum, Brabantiam Gallicam ingreſſi, exuſtis vicis, ac Hanuto oppidulo, magnam huic regioni vaſtitatem intulerunt: quorum tergis inſiſtens Dux noſter, miſſis Fecialibus, poſtulabat, ne inertium hominum more terras deprædarentur; ſed ſi viri eſſent, paratum ſe collatis exercitibus acie decernere. Ceterùm illi Brabantinorum ſæpiùs vires experti, auribus hæc ſurdis ſpernebant. Hollandus verò iterùm, aſſumpto pacis perſuadendæ onere, nihil præter ſex hebdomadum inducias impetrare potuit à 12. Maij cœpturas. Hactenus Diuæus, cui conſonat etiam quoad temporis rationem Hocſemius Leodienſis; qui poſtquam multis verbis conatus

Impauidus occurrit Regi noſter Ioannes.

Fruſtrà ſuadet Hollandus ea quæ pacis.

Franci Brabantiã vaſtant, ſed confligere non audent.

conatus est causam Atrebatensis improbare, recensitis confœderatorum contra Ducem nostrum nominibus (vt suprà) hoc modo concludit: Hi & plures alij Ducem Brabantiæ vnanimiter diffidarunt: Comes Barrensis & Conestabliarius, ex illa causa quòd Dux Regem ipsorũ Dominum ostendisset; ceteri omnes, quòd Dux in bonis eorũ, iuribus & iurisdictionibus suis iniuriabatur iisdem: qui omnes, excepto Archiepiscopo & Comite Barrensi, apud Fexhe villam Episcopi, cum bonarum villarum consilio, tractatu habito, cum multitudine armatorum Hannutum villam Ducis cum quibusdam aliis circumiacentibus combusserunt, anno Domini 1332. nono Kalend. Maij. Hæc ille. Prosequitur sua Diuæus: Durantibus induciis Legati inter Philippum Regem & Ioannem Ducem nostrum assiduè commeantes, de conciliandis his Principibus multùm laborarunt. Guilielmus verò Hollandiæ ac Hannoniæ Comes, missa Philippa coniuge sorore Regis, peruicit vt colloquio dies præscriberetur. Perductus tum Dux noster à Senonum ac Teruanæ Episcopis in Franciam, à Rege Compendij exceptus est summo honore, præsente etiam Philippo Nauarræ Rege, & Duce Eburonicum, Ducis consanguineo. Ludouicus enim auus Philippi prodierat è coniugio Philippi III. Regis & Mariæ filiæ Henrici Tertij. Inde Lutetiam vnà profecti, pace inter sese firmata, affinitatem inierunt: Maria filia Regis, Ioannis Ducis filio desponsata. Eodem tempore Bohemiæ Rex in Franciam veniens, vt Regem à pace diuerteret, nihil præstare potuit, Nauarro ceterisque Ducis consanguineis obstantibus. Mense Octobri decreta expeditio in Syriam, cui nomina dedêre Philippus Frãciæ, Ioannes Bohemiæ, Philippus Nauarræ, Reges: Ioannes Dux noster, Otto Dux Burgundiæ, ac complures alij. Ibidem cùm Bohemus, vt pacem cum Duce iniret, multorum precibus sollicitaretur, numquam euinci potuit. His peractis reuersus domum Dux, filiũ pulchro comitatu in Franciam misit; quem mortua ante nuptias sponsa, Rex multis honoratum muneribus patri remisit. De Roberto verò Atrebate quid tum actũ sit, non reperio; crediderim, audita pace Regis cum Duce, in Angliam profugisse. Interim anno proximo, qui est eius sæculi trigesimus tertius, Mechlinia nouum veteribus Ducis nostri inimicis Ludouicum Flandriæ Comitem socium adiunxit. Emerat hic vtramque Mechliniæ partem, vnam ab Adolpho Leodiensi Episcopo, alteram à Reinaldo Gelriæ Duce, qui vnicam Florentij Bertoldi filiam Sophiam vxorem habebat: quorum vterque per Consiliarios suos mandarat Mechliniensibus, vt sacramenta tamquam legitimo Principi Comiti Flandriæ præstarent. Porrò Mechlinienses aspernati Flandrorum imperium, eiectis iis qui sacramenta pro Flandro expetitum venerant; Legatis missis ad Ducem, defendi se ab eo, cui beneficia-

Hannutum vastatur.

Tandẽ pax sancitur filia Regis filio Ducis nostri desponsata.

Moritur sponsa ante nuptias.

1333

Emit Comes Flandria Mechliniam, ex quo nouum bellum.

rio iure ſubiecti erant, poſtulabant. Et ſanè venditio ipſa ſummo Iure (vti videtur) nulla erat, cùm feuda, inconſulto domino, vaſallum alienare non liceat. Hęc verò ſola ratio videbatur ſufficere patrocinio Mechlinienſium ſuſcipiendo. Receptus igitur ſumma ciuium congratulatione, ſingulos ſacramento ſibi deuinxit. Quod cùm Ludouicus Comes intellexiſſet, Mechlinienſium bonis, quæ in Flandria poſſidebant, fiſco ſuo applicatis, veteres omnes Brabantinorum hoſtes Valentianas pellexit, adſcito etiam in ſocietatem Guilielmo Comite Hollandię & Hanoniæ. Ita Diuæus, cuius verbis conſultò inſerui clauſulam (vti videtur.) Nam in hunc modum narrat Hocſemius Canonicus Leodienſis tunc viuens: Comite Flandrenſi in Cameraco tunc pręſente, Conſiliarij Leodienſis Epiſcopi, cum quibuſdam de Collegio noſtro, eidem Comiti oppidum Mechlinienſe, ſi placeret Capitulo, pro centum millibus regalium vendiderunt, octo vnciis ad marcham, & marcha ad quinquaginta quinque regales, & quinque florenis de Florentia ad quatuor regales computatis: quibus reuerſis, poſt multos tractatus venditio per Capitulum confirmatur tali conditione, quòd Comes ipſam in feudum ab Eccleſia releuaret, nec à Comitatu ſuo in perpetuum alienatione qualibet ſepararet, quod & fecit de Gramont & de Bochem, antiqua Eccleſiæ feuda pariter releuando. Satisfacto verò de pretio, miſſis de Collegio noſtro Canonicis cum Procuratoribus Comitis, Mechliniæ, in quantum tunc fieri poterat, poſſeſſio traditur; Scabini & Villicus deponuntur; Gubernatores, vt Comiti obediant, requiruntur; quibus dilationem petentibus, ea non obtenta, præfati Canonici cum Procuratoribus Comitis receſſerunt anno Domini 1333. menſis Iulij die 14. Hac occaſione Dux Brabantiæ, cui diſplicebat iſte contractus (ex eo quòd Mechlinienſes cum eo contra quoſlibet, & contra Dominum ſuum Leodienſem Epiſcopum rebellando bellare conſueuerant) poſt multa verborum ſubterfugia ſe cum Mechlinienſibus fœderauit; quod Comes ſentiens, diffidauit eumdem. Sic ille. Pergit Diuæus: Tunc coiêre in fœdus Ioannes Bohemiæ Rex, Coloniæ Treuirorumque Archiepiſcopi, Gelrus, Iuliacenſis, Leodienſis, Namurcenſis, Falcoburgēſis, Monioyus, Hensbergenſis, Loſſenſis; Flander verò & Hollandus totius erant negotij caput. Decretum hîc, vt quilibet à ſuo limite Brabantiam inuaderet; néve quis confœderatorum, reliquis inſciis, pacem cum Duce iniret. Flander verò tantum ſe bellum à ſua parte illaturum ſpopondit, vt Dux omnem Tranſ-Moſanarum rerum memoriam penitus abiicere cogeretur. His peractis, Duci Furæ tum exiſtenti per Feciales ſinguli vno tempore bellum indixerunt. Primi omnium Flandri à Teneramonda exorſi, Malgam Lippeloumque cum Affligimenſi cœnobio exuſſere, Bruxellam

Venditum Mechliniæ dimidium centum millibus regalium.

Accipit Dux noſter Mechlinienſes in tutelam.

Varios ſimul accipit Brabantus hoſtes.

Primus omnium Flander Brabantiam populatur.

Iam fugientibus Monachis. Noſter verò Dux, productis Aſca cohortibus, peruaſtato Teneramondam vſque agro Aloſtano, Bruxellam reuertit. Ita agrorum villarumque vtrimque diſpendiis certatum, nec vmquam cominus dimicatum, niſi quòd 500. Flandros equites, Bruxellam vſque excurrentes, Philippus Comes Vianæ, Dominus Grimbergæ, Theodoricus à Valecuria, Ioannes à Leuedalia, Gisbertus à Weſemalia, Valterus ab Huldeberga, Hermannus ab Oſſa, coniuncti Eduardo Duci Barenſi (is enim tunc Duci noſtro militabat) in inſidias protractos loco qui Helleken dicitur, profligarunt; vbi compluribus trucidatis, capti 150. Louanij & Furæ cuſtodiæ traditi ſunt, vno ſolùm Bruxellenſium deſiderato. Dum hæc in Brabantiæ parte geruntur, in Tranſmoſanis Rodam validiſſimis hoſtium exercitibus circumuallatam adfertur; eoque rem deductam, vt preſſis inopiâ neceſſariorum præſidiariis, Ioannes ab Orſtruilra & Dominus Steuordæ præſidij Præfecti, compulſi fuerint paciſci, niſi ante finem menſis ſubueniretur, oppidum ſe dedituros. Quo nuntio nequaquam perculſus Dux ſedulò prouidendum ſtatuit, ne quid in ea parte offenderetur. Mandata itaque Baronibus Brabantiæ Flandrici limitis cura, cùm Nauarræum Regem è Francia ſibi auxilio aduenire, ac iam Hannoniæ fines attigiſſe, impediri verò tranſitum à Guilielmo Comite comperiſſet, aſſumpto ſecum Barenſi ac 400. equitum cataphractorum, Niuellam vſque progreſſus, Guilielmum Comitem Francis tranſitum dare, metu coëgit. Inde maturato in Tranſmoſanos itinere, Comitatum Loſſenſem (Comite prohibere non auſo) permenſus, Traiectum peruenit. Prægreſſus tum aduentus eius rumor non parum hoſtes perterruit, miraculo adſcribentes, eum ijs in finibus videri, quem vix in Brabantia tutum æſtimarant: itaque nihil iam ſpei reliquum erat, niſi Leodienſem à tergo reditum ei præcluſurum. Porrò Dux, tranſito Moſa, calcata hoſtili terra, commeatum ad ſatiem vſque inuenit, fugientibus paſſim incolis, ac villas omni genere neceſſariorum refertas præ celeritate relinquentibus, ac alterius diei ſummo manè ad Rodam venit. Exierat iam dies præfixa deditioni, & oppidum traditum fortiſſimo milite hoſtes munierant. Vnde acceſſu eius Dux prohibitus, nec obſidionali apparatu inſtructus, Theodericum à Valecuria, Ioannem ab Orſtruilra ad hoſtes miſit, edicturos, adueniſſe ſe iam, vt cominus conſertis manibus de Rodæ poſſeſſione decernerent. At illi, dimiſſis Legatis, ac ſpreta in præſens præliandi conditione, id ſolùm moliebantur, vt Duce variis ibi dilationibus diſtento, Loſſenſi ac Leodienſi tempus foret iter prohibendi. Illi etenim, deiectis Moſæ pontibus, omnem huic rei operam impendebant. Reuerſis Legatis, Dux toto die, etſi pluuioſo, ſuos in armis continuit. Altero verò diluculo, compertis

Flandri plures trucidati, capti 150.

Inſtant & Tranſmoſani hoſtes, Roda arce obſeſſa.

Celerrimè proficiſcitur Dux cum exercitu vltra Moſam, & tamen tardius.

Agunt hoſtes vt Duci iter redituro præcludant, ſed fruſtrà.

pertis ijs quæ Leodienſes cum Loſſenſibus meditari dicebantur, Traiectum iter vertit: hinc eluſo hoſtium conatu, vſtoque Loſſenſi Comitatu, in Brabantiam reuertit. Sed hoc incommodi accidit, quòd Duce ad Rodam ſedente, Præfectus Sitterij, cùm prælio Ducem cum hoſtibus decertaturum ſperaſſet, cum omni pænè præſidio ad eum profectus eſt:

Interim Sitteriēſes abſentibus præſidiariis, Falcoburgio iterùm ſe tradunt.

moxque ea occaſione Sitterienſes vſi, filios Reinaldi Falcoburgenſis ad ſe vocatos, oppido recepêre. Reuerſus in Brabantiam Dux, Francis, qui iam Niuellam venerant, occurrit: cum quibus de tranſmittendo iterùm Moſa varia conſilia habuit. Illi verò, qui magis paci componendæ quàm bello aduenerant, omne medium pacificandis Principibus quærebant; verùm præter inducias nihil concludi potuit: quibus durantibus, Legati Philippi Franciæ Regis inter vtroſque commeantes, effecêre, vt controuerſiam vtrimque arbitrio committerent, ſequentis anni initio ęqua ſententia finiendam. Hæc eo anno Brabantini ab hoſtibus vndique cincti fortiter egêre. Conceſſit eo anno Dux noſter Louanienſibus piſcatum in Dylia communem, venationem item ad Orientalem Dyliæ partem omnium ferarum, præter ceruorum, hinnulorum, aprorum. Actum hoc

Confirmata charta Cortebergenſis, eiq́ etiam quædam addita.

menſe Septembri, cùm menſe Auguſto confirmatæ chartæ Cortebergenſi etiam addidiſſet, vt ex Antuerpia duos ad eum Conuentum mitti liceret; vnum item à Niuella: promiſit etiam, ſę ſingulis annis in omnes Iudices Officiarióſve quoſcumque inquiſitionem communi Ordinum conſilio facturum, qua recténe an ſecùs officio functi fuerint, rationem

1334 reddere compellantur. Initio ſequentis anni 1334. cùm Philippus Rex ſententiam pacis proferre deberet, vſque in Septembrem diſtulit, induciis eouſque prorogatis: quo tempore, quamquam Brabantiæ nihil neceſſariorum inueheretur, omnibus circùm hoſtilibus, omnia tamen meliori ibi pretio væniiſſe, quàm alibi ferunt; id quoque miraculo adſcribunt, quòd Hollandi Flandríve nihil toto eo tempore halecum ceperint, quaſi ipſis elementis Brabantiæ fauentibus. Menſe Septembri has pacis

Variis affinitatibus promiſsis, & aliis Dux noſter vtcumque hoſtes ſuos pacat.

leges Rex edixit: Ioannes filius Ducis filiam Hollandi, Henricus filius “ ſecundus Gelri filiam, filius Iuliacenſis filiam Ducis vxorem, ducerent: “ Hollandum ac Iuliacenſem auri ſummâ Dux donaret, vt & Bohemum “ & Leodienſem: Tiliam verò Gelro ipſe, viciſſim ipſi Gelrus quoſdam “ Hoſdenæ propinquos pagos concederet: Mechliniam Rex eatenus ma- “ nu teneret, donec de Ducis ac Flandri iure penitus edoceretur: ea pace “ fœdera omnia contra Brabantinum inita diſſoluerentur. His peractis “ Fredericum à Picquino Rex, qui Mechliniam ſuo nomine cuſtodiret, miſit. Connubia quoque hæc aliqua, etſi multò pòſt, firmata ſunt. Eo-

Contentio de dominio Hoſdenſi.

dem anno 1334. cùm Ioannes Hoſdenæ Dominus viuis exceſſiſſet, de Principatu eius contendi cœpit. Vendiderat hunc, conſilio Ioannis ab

Elsbau-

Elsbaudia Equitis ac Domini à Cranedunca Duci noſtro, cuius beneficio multò antè poſſidebatur. Ceterùm, eo defuncto, Comes Saffebergæ, qui ſororem eius vnicam vxorem habebat, Bruxellam veniens, dominio Hoſdenæ inueſtiri cupiebat. Non recipiente Duce, verùm ad ſe eum Principatum pertinere aſſerente, triſtis domum abſceſſit. Vbi coacto haud magno armatorum globo, Turnohoudam vſque excurrit: quo incenſo, magnam prædam abduxit, Comitis Hollandiæ Guilielmi ſubſidio fretus, cui necdum amico penitus in Ducem animo Hoſdenam vendiderat; cuius tamen ille potiri non potuit, arce valido Brabantinorum præſidio munita. Sed non multò pòſt, ſedata ea diſcordia, aſſignati ſunt Saffebergenſi ex ærario Boſcenſi recipiendi annui 300. regales aurei, ac Hoſdena Duci permanſit.

Venditur Hoſdena Comiti Hollandiæ, nihilominùs manet ea Brabantiæ Duci.

Anno 1335. cùm inter Louanienſes ac Antuerpienſes de ſeptemdecim vicis Santhouianæ iuriſdictionis controuerteretur, ſub quorum ſignis militarent, Dux noſter ſecundùm Louanienſes iudicauit menſe Februario. Et eodem anno bellum illud, omnium quæ vmquam ab homine nato geſta ſunt, maximum cruentiſſimumque, originem ſumpſit; quod inter Anglos Francoſque etiam poſt multa tempora necdum ſedari potuit. Regnabat tum Anglis Eduardus Tertius eo nomine, filius Eduardi & Iſabellæ filiæ Philippi Pulchri Francorum: de quorum connubio ad annum 1307. diximus.

1335

Initium & cauſa cruentiſſimi & longiſſimi belli inter Anglũ & Francum.

Hic à patre malorum conſiliis deditiſſimo, cum Iſabella matre pulſus Angliâ, poſtquam diu in Francia egiſſet, Ioannis Comitis Bellemontani (qui frater erat Guilielmi Hannoniæ Comitis & Hollandiæ) Hannoniorum, Brabantinorum, Flandrorum ac Hollandorum virtute in patriam reſtitutus, patre aduerſariiſque in poteſtatem redactis, Regnum obtinuerat anno 1327. mox in continentem tranſmittens, Philippo Valeſio nouo Francorum Regi Vaſalli-iuramentum de Aquitania præſtiterat. Hunc Robertus Atrebas (vt antè retulimus) è Brabantia in Angliam profugus, incitare indies non deſinebat, vt Regnum Francorum iure materno ſuum, à Philippo Valeſio, quem longę cognationis propinquitate antecedebat, armis repeteret.

En quid poſſit vnus profugus.

Rex ſæpiùs hanc rem apud ſe deliberatam priori anno ad Concilium retulerat. Placuit Principibus in continentem mitti, qui inferioris Germaniæ Principes in ſocietatem alliceret, Lincolniæ Epiſcopum. Hic in continentem nauigans, Hannoniam petit: vbi Guilielmo Comiti Regis ſocero collocutus, cùm is vicinos Principes, Colonienſem, Brabantinum, Gelrum, Iuliacenſem, Falcoburgenſem ſollicitandos cenſuiſſet, in Angliam reuertit. Remiſſus mox cum maximo Nobilium comitatu, Ducem primùm Brabantiæ, mox Gelrum, Iuliacenſem, Colonienſem, Falcoburgenſem, Arnoldum à Blanckenhemo, Guilielmum à Duueuorda in ſocietatem pertraxit, promittente Duce ſe mille equites Regi

Sollicitat Rex Anglorũ primùm Comitẽ Hannoniæ, deinde & alios.

gi adductùrum, quàm primùm in continentem appuliſſet. Flandri verò
Comiti ſuo auerſi, Iacobi Arteuillç hortatu, etiam vltrò amicitiam An-
glorum appetebant. Hæc eo anno Anglus in inferiori Germania pere-
1336 git. Sequenti anno 1336. claſſis Anglorum Comite Derbij ac Valtero à
Manniaco Hannonio Ducibus præmiſſa, Cadſandiam inſulam, profli-
gata Nobilitate Flandrica, in poteſtatem redactam exuſſit, atque in An-
gliam renauigauit. Et eodem anno pridie Kal. Aprilis Dux noſter ac
Comes Flandriæ conuenêre, vt Mechliniam pariter poſſiderent, alter in
clientela alterius: vectigalia æqualiter partirentur: Schultetum & Quæ-
ſtorem ſimul conſtituerent: qui ad Nekerſpolam morantur ciues, Duci;
qui ad Blidebergam, Flandro ſubeſſent. Neutri, inuito altero, munitio-
nes conſtruere liceret. Inde anno 1337. Guilielmus Comes Hanoniæ

Pãctum q.'atenus Dux noſter & Flandriæ Comes pari iure Mechliniam tenerent.

1337 obiit, ſucceſſore Guilielmo, qui Ioannam filiam Ducis noſtri vxorem
habebat. Hoc anno menſe Iunio vxorem Ludouici Imperatoris Loua-
nij fuiſſe reperio, & donatam à Senatu vaſis aliquot vini Rhenani, iti-
dem purpureis pannis & vno ſturione. Eodem anno Iacobus Arteuilla
factioſiſſimus homo, Ludouicum Comitem, Anglicum fœdus adſper-
nantem, Flandriâ pepulit. Et in fine huius anni Eduardus Rex in vere
Antuerpiam appulit. Anni 1338. initio Dux noſter, Reinaldus Geldriæ

Arteuilla factioſius homo Comitẽ ſuum Flandriâ pellit.

1338 Dux, Gerardus Iuliaci Marchio, Ioannes Comes Bellimontis Antuer-
piam veniunt; vbi de ratione belli conſultato, promiſſoque ſe ad Iulij
menſis medium cum exercitibus aduenturos, ſinguli domos ſuas reuer-
tuntur. Dux noſter, miſſo Ludouico à Tranegena in Franciam, Regem
orabat, ne quid ſiniſtri ob Anglum receptum de ſe ſuſpicaretur; eum
etenim, quòd conſanguineus eſſet, iuſtè terris ſuis prohibere non potuiſ-
ſe. Cùm præſtituta dies adueniret, nec Tranſmoſani mouerent, Ducem
noſtrum quieſcere prætexentes, vrgebat eum Angliæ Rex, vt ſecundùm
promiſſa ad præſcriptum adeſſe non moraretur, ne ſua dilatione reliquis
deſciſcendi anſam daret. Ille benignè acceptis Legatis, confœderatos
Principes Hallas euocauit. Vbi diutiùs collocuti Anglo, vt Imperatoris
fœdus expeteret, perſuaſere: quo impetrato, iuſtiorem ipſis in Francos
belligerandi cauſam fore, tamquam iuſſu Imperatoris: nec id difficile fo-
re, quòd Cameracum Franci vetuſtum Imperij oppidum occupaſſent.

Excuſat ſe Dux noſter apud Franciæ Regem.

Cùm hoc placuiſſet, miſſus in Germaniam Guilielmus Iuliaci Marchio,
omnia pro votis retulit: quo redeunte, Conuentu Harcæ Loſſenſis Co-
mitatus oppidulo celebrato, publicatæ Imperatoris litteræ; quibus E-
duardo Vicaria Imperij, & poteſtas nomine Imperatoris auri ſignan-
di conceſſa eſt, iuſſique omnes Imperij Principes eidem Vicario tam-
quam Imperatori obedire: quibus peractis, decretoque vt Camera-
cum ſequenti anno aggrederentur, ſinguli domos ſuas remearunt.

Angliæ Rex Vicarius Imperij declaratur, quò tutiùs Dux noſter & alij eius partes ſequantur.

Eduar-

Eduardus verò Rex tota ea hieme in arce Louanienſi moram fecit, vxore ab Anglia eò venire iuſſa. Pecuniam quoque ea hieme Antuerpiæ cudi iuſſit, imagine ſua & Imperatoris ſignatam. Initio anni ſequentis 1339. textorum magna copia, ob ſeditionem motam, Louanio pulſa eſt. Et eiuſdem anni menſe Iunio Eduardus Rex Louanio Viluordiam profectus, Anglicas copias, quas iamdudum euocarat, excepit. Inde Mechliniæ celebrato ſuæ partis Principum colloquio, per Bruxellam, Niuellam, ac Valentianas, verſus Cameracum perrexit. Paulò pòſt Germaniæ Principes aduenêre, Dux Gelriæ, Comites Montium, Salinæ; Arnoldus à Blanckenhemo, Reinaldus Dominus Falcoburgi, Comes item Hannoniæ & Hollandiæ cum Ioanne patruo. Sexto pòſt die, Ioannes Dux noſter nongentos cataphractos apprimè inſtructos adduxit, miſſoque caduceatore (quod antè diſtulerat) Franco bellum indixit: quod adeò Legato eius in Francia diſplicuit, vt mœrore ſolueretur. Ita clauſi vndique Cameracenſes; ſed quamquam ſæpiùs oppugnarentur, fortiſſimè tamen ſe defenderunt. Quare Angliæ Rex, nullo ferè incommodo ab obſidentibus illato, cùm Francum Peronæ ſuos colligere comperiſſet, ſolutâ obſidione cum omnibus copiis eò contendit: cumque in conſpectu exercitus vtrimque conſtitiſſent, cùm in Anglicis caſtris dubitaretur, Ioanne Duce noſtro tamen prælio contendendum cenſente, miſſus in aduerſa caſtra caduceator, tertiam inde diem prælio indictam attulit. Cuius diei ſummo diluculo vtrimque acies ordinatæ. Eduardus Germanos in prima acie poſuit, Reinaldum videlicet Gelriæ Ducem, Comitem Naſſouiæ, Montium, Salinæ; Reinaldum Dominum Falcoburgi, Ludouicum Marchionem Brandeburgi, Ioannem Comitem Bellimontis, Arnoldum à Blankenhemo, Guilielmum à Duueuorda. Brabantini verò cum ſuo Duce ſecundam aciem obtinebant; Otto videlicet Dominus de Cuyck, Henricus de Boutreſ-hemo Dominus Bergarũ, Ioannes de Pollana Dominus Bredæ, Dominus Rodę, Gerardus Dominus Vorſelariæ, Bernardus D. Borneuallis, Reinaldus D. Scoonuorſtij, Ioannes Dominus Withemi, Gisbertus ab Apcouda Dominus Gaſebecæ, Hẽricus Bertoldus D. Dufflę, Theodoricus à Valecurio, Raſo à Grauia, Ioannes à Gaſebeca, Ægidius à Quaderibba, Walterus ab Huldeberga, & Flandri aliquot. Tertiam aciẽ Anglica Nobilitas explebat. Totidem aciebus Franci diſpoſiti: in quorum caſtris variabant eo die ſententiæ, multis aſſerentibus inſipientiſſimum fore, ſi Franci cum Anglis in ipſo limite Regni decernerent: nam ſi vincerẽtur, proculdubiò hoſtem Regnum nullo reſiſtente perrepturum. Altera porrò die, cùm itidem Franci non mouerent, Eduardus Rex cum Duce noſtro Auennas retrouertit: vbi dimiſſis Germanorum auxiliis, ambo Bruxellam

1339

Magna multitudo textorum ob ſeditionem Louanio pellitur.

Cameracenſes obſeſſi ſtrenuè ſe defendunt.

Dies prælio dicitur.

Acies inſtruunt, & nihilominùs res in fumum abit.

 con-

contendunt. Eò vocatum Iacobum Arteuillam, Rex Anglus variis
modis ſollicitabat, vt Flandros ſuos fœderi aſſociaret: quod tamen ægrè
impetrari potuit, grauioribus ſacramentis, pecuniariis etiam multis
deuinctis Flandris, ne contra Francos quidquam molirentur. Sed po-
ſtremò, cùm Arteuillæ callido conſilio Eduardus Franciæ Regis ti-
tulum, vt iure materno ſibi debitum, aſſumeret, Gandaui Conuentu

Aſtu Arteuillæ Flandri Anglo ſe iungunt.

indicto, Flandri (quaſi ſacramento Philippo Regi Francorum præſtito
ſoluti) libentiſſimè partes eius ſuſcepere; promittentes inſuper, ſe ſuis
impenſis Inſulas Duacumque Francis erepturos. Ibidem fœdus ictum
eſt inter Brabantiæ Ducem & Comitem Flandriæ, nec non vtriuſque

Pactum quomodo eo tempore controuerſiæ ſine armis ſopirentur.

Prouinciæ ciuitates, menſe Decembri, die tertia; in quo fœdere hæc inter
alia ſancita: Quòd ſi fortè alterutri ab alteris læſos ſe proclament, tam «
Dux quàm Comes præſcripti, eligent ſinguli duos ex ſuo Conſilio, & «
tres ciuitates primariæ vtriuſque prouinciæ ſingulæ vnum Scabinum; «
qui decem, ad ciuitatem vnam primariam viciniorem loco, vbi iniuria «
facta prætenditur, conuenientes, plenam auctoritatem hoc ipſo habebũt «
controuerſiæ decidendæ: neque ex dicta ciuitate quiſquam eorum diſce- «
dere permittetur, niſi controuerſiâ priùs omnino ſopitâ. Ita hoc fœdus. «
Porrò Eduardus Rex eo anno Antuerpiâ in Angliam enauigauit, ſup-
plendo militi, ac auro colligendo operam nauaturus. Menſe Martio Dux
noſter ſtatuit, Ne quis aurum, officij alicuius gratia redimendi, expo- «
nat. Homicidæ, ſi exſilij gratia fiat, ſimul vt bona ſua reſtituantur. Vt «
Senatui populoque Louanienſi vrbem ſuo arbitrio, etiam inconſulto «
Duce, munire liceat. Signata ab Ottone Domino de Cuyck conſangui- «
neo Ducis, Ægidio à Quaderibba, Domino Bergæ, Ioanne à Carsbeca,
1340 Hermanno ab Oſſa, Equitibus. Initio anni proximi 1340. Ioannes Nort-
manniæ Dux à patre Rege Philippo in Hannoniam miſſus, tota regione
fœdè deuaſtata, Thynum obſedit. Accurrunt mox ſubſidio Guiliel-

Rex Franciæ in Hãnoniam irrumpit.

mus Comes Hannoniæ cum Ioanne patruo, Ioannes Dux noſter cum
600. equitibus, Reinaldus Dux Geldriæ, Ioannes Comes Namurci, Co-
mes Montium, Reinaldus Dominus Falcoburgi, & cum 6000. Flandro-
rum Iacobus Arteuilla. Ceterùm & hinc ſine prælio diſceſſum, conſu-
lente Duce noſtro, vſque ad Eduardi Regis aduentum differri. Is inter-
eà, profligata in Sluſano portu Francica claſſe, cùm in Flandriam appu-
liſſet, rectà Gandauum contendit. Eódem, ſoluta Thynæ obſidione, con-

Obſidet Anglus cum ſuis, inter quos & Dux noſter, Tornacũ.

fœderati Principes properarunt. Inde Viluordiæ habito Conuentu, de-
cretum eſt, vt menſe Iulio ſinguli cum exercitibus Tornacum conueni-
rent: quo cognito, Franci fortiſſimum præſidium immiſere. Nihilomi-
nùs ad præſtitutam diem Anglus eiuſque confœderati, moto procinctu,
validiſſimis copiis oppidum cinxere. Rex Anglus Martiniana porta,
Dux

Dux noster cum Brabantinis ad Valencenatem in Abbatia S. Nicolai, ad alteram ripam Scaldis porta Fontis; Germani his proximi versus Hannoniam consedere. Vrbe vndique clausa, obsessi eruptionibus sæpiùs non infeliciter tentatis, oppugnationes hostium partim virtute, partim variis artibus eludebant. Obsessores autem castris sæpenumerò egressi, è vicinis agris ingentem prædam castris inferebant. Inter quos Comes Hannoniæ Orchiam & S. Amandum Francis ademit. Germani verò Anglo militantes variè cum Philippi Regis Francorum milite conflictabant; qui Philippus Rex obsidionem prohibiturus, ad pontem Bouinum castra locarat. Erat Fontanellæ Cœnobio Ioanna Regis Philippi soror, eadem Guilielmi Comitis Hannoniæ mater: quæ inter vtrosque Reges sæpiùs commeans, tantum effecit, vt spe pacis, induciæ annuæ fierent. *Datis inducijs, de pace agi cœptum, sed frustrà.* Lecti vtrimque, quorum arbitrio pacis leges conficerentur; ab Anglo, Ioannes Dux noster, Reinaldus Gelriæ Dux, Episcopus Lincolniæ, Guilielmus Marchio Iuliaci, Ioannis patruus Comitis Hannoniæ; à Franco, Ioannes Rex Bohemię, Carolus Comes Alenzonij, Adolphus Episcopus Leodij, Ludouicus Comes Flandriæ, & Comes Armeniacus. Ab his tamen nihil concludi potuit. Anno sequenti 1341. Lilloum pagus 1341 Scaldi propinquus, qui ante aliquot annos inundatione fluminis arenis tectus fuerat, structis aggeribus à vi fluminis vindicatus fuit, impensis Alarei Præpositi Louaniensis, Reddituarij Brabantiæ. Hæc tantùm hoc anno Diuæus. *Pagus Lilloo à vi fluminis vindicatur.* Adiicit ista Meierus: Rex Eduardus cum maximo bellatorum numero applicat in Britanniam Gallicam. Vix perscribi posset, quàm durum quamque calamitosum bellum hoc Britannicum fuerit. Quàm autem cruentè à Gallis sit gestum, hinc videas. Ad castellum, quòd nomen habet Vallum Granarij, ducenti Britones, Francos ducentos ad pugnam prouocabant, ea conditione, vt si Britones vincerent, Franci obsidionem Castelli relinquerent; sin vincerentur, in victorum forent potestate. Accepta conditione Franci vicerunt, Britonesque omnes prælio interfecerunt, præter triginta quos captiuos acceperunt. At Ioannes Dux Nortmanniæ cruentus carnifex, in Nannetensi obsidione omnes illos triginta decollauit, capitaque per murum in vrbem proiecit. *Cruento duello ducenti Britones contra ducentos Francos concurrunt.* Eodem anno saccos lanæ ampliùs mille misit Eduardus Rex in Flandriam, vnde quæstus bonus, læta tempora, grandisque lætitia vbique orta. Hæc Meierus. Pergit Diuæus, & adscribit anno sequenti 1342. bellum Hoyensium, quibus opem tulerit Dux noster; sed illud non contigisse ante annum 1343. ex Hocsemio eius temporis Scriptore patet: qui cùm de incendio Mechliniensi eodem hoc anno cum Diuæo narrasset, non nisi sequenti commemorat de Hoyensibus. Sunt hæc eius verba: Anno Domini 1342. die 25. Aprilis obiit Dominus 1342

minus Benedictus XII. & electus est die 7. mensis sequentis dictus Clemens VI. Et eodem anno mensis Maij die antepænultima Vigilia Sacramenti, circa horam nonam, igne fortuito fuit Mechlinia conflagrata.

Mechlinia conflagrat.

1343 Anno verò Domini 1343. resumuntur & aggrauantur processus Apostolici contra Dominum de Heinsburg. Et ex tunc inter Episcopū & Commune Hoyense magna dissensio est exorta. Hæc Leodiensis Hocsemius, eademque pluribus prosequitur; nobis sufficiet verbis Diuæi ea commemorasse. Dux, inquit, noster Hoyanis ab Episcopo Leodiensi iniuria affectis opem tulit; quorum oppidò receptus, arcem immisso præsidio à vi Episcopi tutatus est. Vnde orto bello, cùm Episcopus propulsando Duci militem aggregaret, Leuiæ in Brabantia controuersia composita: deducto Hoyo præsidio, ciues ab Episcopo gratiam commeruere. Anno 1344. cùm Philippus Rex Francorum Haricuriæ Comitem, aliosque Nortmanniæ Nobiles proditionis insimulatos necasset, Gothfredus ab Haricuria vir fortissimus, metu, ne ob consanguinitatem Comitis pari sorte inuolueretur, in Brabantiam confugit; vbi multas possessiones habebat: nam ex Gothfredi Comitis Virsonij filia prodierat. Porrò Dux noster cùm Regis gratiam summo labore Gothfredo conciliare niteretur, nihil effecit. Vnde ille in Francum efferatus, in Angliam profugit, belli fax altera. Annum proximum Diuæus intactum relinquit; sed operæpretium duco ista ex Meiero adscribere: Anno 1345. inquit, Teneramundani rebellionem mouerunt contra Tripolim (nempe contra Flandriæ regimen tribus ciuitatibus ab Arteuelda turbatore tributum) causa erat, quòd in lanificio Gandenses illis nouas vellent præscribere leges, quibus solito angustiores minorisque pretij pannos suos conficere deberent. Eam ob rem auxiliarem sibi Ludouicum Comitem adsciscunt, ac mœnibus recipiunt. Et Ioannes Dux Brabantiæ studiosè dat operam, vt fracto Tripolitano fœdere pax in solidum componatur, totaque Flandria Comitem suum recipiat. Tandem Arteuelda Gandaui tumultu populari occiditur, finditur ei securi caput, mensis Iulij die 17. Nihilominùs Teneramunda obsessa est; tota Flandria, multisque Anglis illuc ad eam obsidendam confluentibus. Quare Comes, cognita hostium multitudine, priusquam vndique concluderetur, cum Domino Ambasiensi, cuius tunc Teneramunda erat, vt habet Historia Atrebatensis, retrò abiit in Brabantiam. Tandem Dux Brabantiæ, petentibus suppliciter ciuibus, intercessorem se præbet; illiusque arbitrio controuersia decidenda committitur. Facta oppidanis potestas, vt pannos conficerent veteri consuetudine, sed quinque dumtaxat Quartis latos; in mœnibus autem suis Flandriam versus tria coacti facere foramina, spatio pedum quadraginta, quæ numquam claudi possent, nisi de Gan-

Bellum iterum cum Leodiensibus, sed mox sopitum.

1344

Haricurius belli Anglicani fax altera.

1345

Arteuella occiso nihilo fit Flandria pacatior.

Obsidio Teneramondana intercessu Ducis nostri soluitur.

Gandensium, Brugensium, & Hyprensium consensu; quieuitque dehinc Flandria adusque Natalem D. Ioannis Baptistæ insequentis anni. Comes autem inter hæc pacem omnibus quæsiuit modis, sed adeò erant Flandrorũ animi agglutinati Anglis, vt auelli ab illis non possent. Quare anno sequenti 1346. Mechliniam Ioanni Duci Brabantiæ Ludouicus 1346

Comes totam cessit pro 85. millibus aureorum regalium, iuramento à Clemente Pontifice solutus, quo tenebatur id oppidum numquam alienare. Sed priusquam Ioannes numeraret, Ludouicus in viuis esse desiit. Ita Meierus. Diuæus hoc modo: Mense Iunio Dux noster cum Ludouico Comite Flandriæ conuenit, vt persolutis Comiti 85000. regalibus, totam Mechliniam obtineret, impetraretque sacramenti eius, quo iurauerat Leodiensibus, Mechliniense oppidum numquam à reliqua Flandria auulsum iri, absolutionem.

Dux noster emit Mechliniæ reliquũ à Comite Flandriæ 85000 regalibus.

Porrò id ne fieret, Leodienses apud Clementem Pontificem summopere obnitebantur, vt vix intercessu Philippi Regis Comes religione iurisiurandi liberaretur. Eodem anno Eduardus Angliæ Rex, instigante Gothfredo ab Haricuria, in Nortmanniam classe venit, quam totam pænè permensus, vrgente à tergo Philippo Rege, cùm ad Creciacum Picardiæ vicum peruenisset, assumpto ex necessitate animo, paruis copiis ingentem Francorum strauit exercitum: à quorum parte desiderati Ioannes Bohemiæ Rex, Rudolfus Dux Lotharingiæ, Ludouicus Comes Flandriæ, aliique innumeri. Commissum hoc prælium, teste Meiero, qui & de eo pleniùs, postridie D. Bartholomæi, die 26. Augusti.

Vincit Anglus Francum ad Creciacum, vbi & cæsus Ioannes Bohemiæ Rex, Co. Flandriæ, & alij.

Post eam victoriam Eduardus Caleto copias admouit; quod, tutantibus fortissimè Francorum nobilissimis, vix sequenti anno obtinuit: sollicitatis interim Brabantiæ vrbibus, vt in societate contra Francum perstarent.

Caletũ ab Anglo obsidetur.

Intereà Ludouico Comiti Ludouicus filius successit; quem sibi generum adsciscere, Eduardus Rex & Dux noster Ioannes æquè contendebant. Erat alienior ab Anglicâ Ludouicus, quòd patris interfectorem socerum nollet. Nec ob id tamen Eduardus apud plebem Flandricam (etiamsi apud eam Angli amor, cæso paulò antè Arteuilla, multùm deferbuisset) incitare desinebat, quatenus Comitem ad filiæ suæ nuptias perpellerent: si id fieret, Insulam, Duacum, & Betuniam se suis impensis recuperaturum; idque Flandris ob lanæ Anglicæ commercium plurimum vtile fore spopondit. Quibus permota plebs, Comitem, vellet nollet, ad affinitatem Angli adeundam compellebat. Qui necessitati obsecundans, habitis cum Anglo Caletum obsidente colloquiis, cùm se totum huic rei affectum commonstraret, minùs cautè obseruantibus suis, simulato aucupio in Franciam confugit.

Multis lenociniis Anglus sibi Flandriam & Comitẽ deuincire studet.

At verò Ioannes Dux noster maiore compendio negotium suum curarat. Etenim, cùm ob sanguinis propinquitatem, nullius pænè Franciæ aut inferioris Germaniæ Prin-

Principum affinitatem quærere posset sine Romani Pontificis venia, Philippus Francorum Rex, necdum penitus placatus Duci, vehementer in Curia Romana obstabat, ne Duci filios filiásve suas nuptum dare volenti, sanguinis venia daretur. Quare Duci opus fuit, amicitiam Regis, missis suorum primis, iterùm expetere; hoc inter alia promisso, si Comes filiam suam acciperet, effecturum se, vt abiecto Anglico fœdere, Flandri in futurum Francis concordes essent. Re ad Regium Senatum delata, placuit Brabantinæ cum Flandro connubium. Quo per Legatos suos relato, Dux, missis ad Ludouicum Comitem litteris, eum facilè ad id quod volebat attraxit. Acta hæc eo tempore, quo de Anglico matrimonio tractabatur, paulò antequam Comes in Franciam confugeret. Durante hac obsidione, Eduardus Rex Reinaldum filium Reinaldi Ducis Geldriæ ad nuptias filiæ Iuliacensis propellere volebat; qui memor pacti anni millesimi trecentesimi trigesimi quarti, & iussionis paternæ, qua adegerat eum moriens, vt filiam Brabantini sibi pactam duceret, in præsenti parêre se simulans, capta opportunitate ad Ducem Antuerpiam confugit, & filiam eius Mariam se ducturum recepit. Ineunte verò anno proximo 1347. Dux noster in Franciam profectus est, vt de filiæ suæ cum Comite Flandriæ Ludouico matrimonio cum Rege colloqueretur. Habitus tum Conuentus in sancto Quintino Veromanduorum oppido: vbi sponsalia confecta Henrici filij maioris Ducis Brabantiæ cum filia Ioannis Ducis Nortmanniæ; Gothfredi secundi filij cum filia Ducis Burbonij; Ioannæ filiæ cum Wenceslao Duce Luceburgensi filio Ioannis Regis Bohemiæ; Margaretæ cum Ludouico Comite Flandriæ, & Mariæ cum Reinaldo Duce Geldriæ nuptiæ comprobatæ. Ibidem Ludouicus Comes Mechliniam vniuersam socero concessit, facta gratia octoginta quinque millium regalium præcedenti anno promissorum. Acta hæc mense Iunio. Et eodem mense nuptias Ludouici Comitis, & Reginaldi Geldriæ Ducis Viluordiæ Dux noster celebrauit. Porrò eiusdem anni mense Augusto, præsidiarij, qui Caleto inerant, inedia, vigiliisque fracti oppidum Regi Eduardo dedidere: qui pulsis veteribus incolis, Anglorum colonias eò deduxit. Eodem quoque anno Leodienses victoria anni præcedentis (qua fuso Engelberti à Marka Episcopi sui exercitu Reinaldum Falcoburgi Dominum interceperant) elati, ductore quodam molitore, Nobilium domos passim demoliebantur. Itaque cum Arcantellam, ripis Mosæ inhærentem arcem (cuius Dominus Reinerius nomine, Ducis nostri beneficiarius erat) obsiderent, profugus is Reinerius in Brabantiam, à Duce auxilia postulauit. Qui tota Brabantia coacto milite, in Leodiensium terram profecturus, Reinaldum Geldriæ Ducem & Theodoricum ab Hensberga Comitem Lossensem eódem

Econtrà multo artificio Dux noster eumdem Flandriæ Comitem generũ habere laborat.

Item nititur Anglus sibi Geldrũ & Iuliacẽsem obnoxios facere.

1347

Magnis affinitatibus Dux noster liberos suos elocat.

Caleto Anglus potitur, pulsisq; Francis, colonos Anglos illuc traducit.

dem exciuit. Porrò Leodienses, diruta Arcantella, ad 3000. hominum nostris obuiàm effusi, cùm Gelros impeterent, irruentibus à tergo Brabantinis, vsque ad mille quingentos cecidêre; inde reliquis in fugam coniectis, diruta arce Malcni, quam in Brabantinorum perniciem excitarant, coactisque pacem suscipere Trudonensibus, Episcopum Leodio Dux noster restituit. Claruit eo prælio Henrici filij Ioannis Ducis virtus, quem Limburgi Ducatu & Mechlinia pater donarat, & eo prælio Equitem crearat. Erat eo bello ductor Louaniensium Valterus à Maloponte Eques, ab obsidione Caleti (vbi cum Louaniensibus aliquot Anglo militabat) euocatus. Ceterùm anno proximo 1348. Petrus Couterellus homo factiosus Prætor Louaniensibus datus est; cui nihil prius fuit, quàm discordias inter Patricios ac plebem, item inter eosdem ac Ducem discordias serere. Erat tum Louaniensibus non modica cum Duce cõtrouersia, eò quòd census ac vectigalia Ducis Senatus arrhæ stiterat, donec merces ciuium ob Ducis debita in Francia detentæ liberarentur, idque ex veteri priuilegio, cuius anno 1314. meminimus. Hanc rem Couterellus in peius exaggeratam Duci detulerat, Duce acerbiùs concitato, ita vt vrbi bellum indiceret. Sed toto pænè Senatu Bruxellam eunte, Ordinum precibus Dux placatus est, ne quid durius in Louanienses statueret. Mense Nouembri eiusdem anni Henricus Dux Limburgi fatis concessit, vir fortissimus, ac Imperatori summè dilectus, & Regi Franciæ. Hæc Diuæus, postremis illis verbis, credo, signans Henricum filium Ducis; de quo bis anno præcedenti. Sed illud miror quomodo ibidem eum vocet maiorem filium Ducis, cùm anteà anno 1332. meminerit alterius filij, Ioannis nomine, iam tum ducturi Mariam filiam Regis Franciæ, neque vspiam tradat de eius morte; nisi quòd suspicor Ioannem illum filium primogenitum obiisse anno huius sæculi quadragesimo quinto, id colligens ex verbis Meieri, licet deprauatis, illi anno adscriptis, & quòd hac ratione Henricus iam vocetur à Diuæo maior natu. Pergit Diuæus: Sequenti anno 1349. Flagellatores primùm visi. Pestis sæuiit, & Iudæi impietatis rei suppliciis affecti sunt, & Margareta Brabantica vxor Ludouici Comitis tunc primùm à Flandris excepta. Sic ille breuiter. De iisdem Radulphus de Riuo Leodiensis hoc modo: Magna per vniuersum orbem pestilentia anno salutis 1348. grassata fuit. Ab India siquidem ortum habens, sensimque per omnes prouincias, maximè Alemanniam, Galliam, Angliam, Flandriam irrepens, mediam ferè partem hominum absumpsit. Cuius calamitatis causa Iudæis à plerisque fuit adscripta, quòd fontes & aërem veneno infecissent, qui idcircò in diuersis mundi regionibus partim gladio cæsi, partim submersi, & tandem in Brabantia toto ferè biennio igne vitam finierunt.

Victis ad Arcantellam Leodiensibus, Dux noster Episcopum sedi restituit.

1348

Couterellus quidam factiosus pænè discordiam excitarat inter Louanienses & Ducem.

Nodus quidam in Diuæo soluitur.

1349

Pestis sæuissima penè per totum orbem grassatur.

Hanc plagam sanguinis excepit profluuium, inaudito cruciatus genere infinitos enecans: denique sacri ignis adustio carnem ad ossa vsque consumens. His cladibus afflicti plerique mortales, publicam peccatorum pœnitentiam agebant, precibus, lacrymis, flagris sibi inflictis Dei misericordiam implorantes. A quibus exorta fuit secta Flagellantium, breui tempore per orbem Christianum longè lateque diffusa. Hi sine legitimi Superioris ductu seminudi incedentes, cruces manibus portabant, capita caputio & pileo, pudenda lineo operiebant, flagellis in cuspide tres nodos aculeatos habentibus semetipsos publicè intra & extra Ecclesiam ad cruorem vsque cædebant; carmina quædam fidei partim contraria, partim suspecta cantabant, post triginta tres dies horasque duodecim ab huiusmodi flagellatione reuelatum sibi ab Angelo asserentes, mundatos se à peccatis non secùs ac si nouo Baptismatis Sacramento abluti essent. Clemens VI. Pontifex horum hæresim persequens, pertinaces sæculari brachio tradi iussit; quare circa nostras & Mosellæ partes non diu visi fuerunt. Anno verò 1350. moritur Philippus Rex Francorũ, cuius filius Ioannes 26. Septembris Rhemis coronatur. Et eodem anno Clemens Pontifex Iubileum Bonifacij Octaui propter breuitatem humanæ vitæ ad quinquagesimum quemque annum reduxit. Hæc Leodiensis seu Tongrensis à Riuo. Hoc item anno, teste Diuæo, Couterellus Louaniensium Prætor conspirauit in Senatum, collecto factiosissimo quoque textorum, ob id Patriciis infestorum, quòd ex officio complures seditionem agitantes, Senatus ante decennium in exsilium expulerat: inquisito tamen in eam conspirationem, nihil cõperiri potuit de auctoribus. Obiit eo anno Raso à Grauia Eques fortissimus, cuius etiam exteri Chronographi meminere in bellis Anglicis. Et fine eius anni die 15. Aprilis nata est Ludouico Comiti Flandriæ filia Margareta, omnium inferioris Germaniæ Principatuum heredes ex Philippo Burgundo suo tempore productura. Anni sequentis 1351. fine orta lis Louanij inter Ioannem Herzium & Henricum à Boutreshemo Equites; quorum vterque ea in vrbe potentissimos consanguineos habebat; & vix sedari potuit, ne armis in foro concurrerent. Eo quoque anno mense Martio obiit Valterus à Netenis Eques Louaniensis, conditusq; in Cœnobio Augustinianorũ. Ita Diuæus, Louaniensia tantùm huic anno adscribens. Sed lubet etiam alia non parui momenti (tamen paucis) adiicere. Anno 1351. inquit Meierus, Ioannes Franciæ Rex Lutetiæ in æde diui Audoëni Ordinem Stellæ instituit; Eduardus autem Rex apud suos Ordinem Garterij, id quod ligaculum sonat tibiale virile aut muliebre. Hoc eodem anno Hollandia Zelandiaque grauibus bellis quatiuntur. Quarto die Iulij pugna naualis in amne Mosa inter matrem Margaretam

Hinc præpostera Flagellantium pœnitentia & secta exorta.

1350

Reducitur Iubileum sacrum ad annum quinquagesimum.

Nascitur Comiti Flandriæ ex filia Ducis nostri filia Margareta.

1351

Instituuntur Ordo Stellæ in Francia & Ordo Garterij in Anglia.

tam Ludouici Imp. viduam & filium Guilielmum, qui Hollãdiam, Zelandiamq; cum Hannonia, viua matre (quæ fratri in eos Comitatus iure ſucceſſerat) ſibi vendicabat. Hîc Coſtus Reneſſius, Florentius Hamſteda, multique alij Nobiles & numeroſum ſine nomine vulgus, Angli item multi auxilio miſſi interierunt. Victa Auguſta in Angliam ad ſororem Reginam fugit. Re dehinc vtcumque pacificata, Hanoniam ſibi Auguſta in vita retinuit. Iſta Meierus. Annos duos ſequentes Diuæus his item verbis tranſmittit: Anno 1352. Valterus à Maloponte Eques, ductor Louanienſium, obiit, cuius locum Bernardus Dominus Borneuallis, Eques fortiſſimus, menſe Februario anni ſequentis iniit; cuius inferiùs abundè mentio fiet. Sic ille. Sed cur non & illud ex Meiero adiiciam, poſteris, ſi ſapiant, inſigne documentum? Ludouicus, inquit, Princeps, cùm eſſet in flore ætatis ſuæ, ad omnem ſe voluptatem ac delicias (proh pudor!) conuertit. Quidquid libitum erat, licere ſibi putabat. Annus erat 1353. ſecuta res triſtis & probroſa. Profectus in Galliam, gratioſam quamdam puellam ex ſe grauidam reliquit; deque prole honorificè baptizanda, puerperaque iuuanda, negotium dedit. Verùm vbi primùm reſciuit Margareta eius vxor, dolo ad ſe vocatæ puellæ nares detruncat, vnde intra dies ternos prępropero partu gemellos maſculos enixa, ſtatim vnà cum infantibus obiit. Incredibile memoratu eſt, quanto dolore ſimul & ira ob hæc permotus Ludouicus fuerit. Hæc Meierus. Pergit Diuæus: Anno 1354. cùm Ioannes Dux in ægritudinem incidiſſet, Louanij conuentu Ordinum diu deliberatum eſt, cui imperium regionis, ſi cum mori contingeret, deferretur, filiis eius paulò antè elatis. Tandem communibus omnium animis Wenceſlaus, Ioannæ filiæ maioris maritus, Gelro & Flandro prælatus eſt. Et ſequenti anno 1355. Ioannes Dux, cùm ſe morti iam proximum cerneret, demandata Wenceſlao Republica, commonitiſque Ordinibus, vt ei vxorique fidi deinceps eſſent, Nonis Decembris fatis conceſſit, ætatis anno quinquageſimo quinto, ſuſcepto, vt Trithemius ſcribit, habitu Benedictino. Corpus in Abbatiam Villarienſem elatum eſt. Ita Diuæus, & adſtipulatur Tongrenſis de Riuo, his verbis obitum eius commemorans: Anno 1355. obiit Ioannes Dux Brabantiæ, qui locum & gentem ſuam ſumma tranquillitate rexit, ſepultus in Monaſterio Villarienſi, habitu Ordinis Ciſtercienſis. Habuit Dux iſte tres filias, Margaretam nuptam Comiti Flandriæ, Mariam nuptam Reinaldo Duci Geldriæ, & Ioannam primogenitam, nuptam primùm Wilhelmo Comiti Hollandiæ, & poſt eius obitum Wenceſlao Duci Lutzemburgenſi: quod ita curauerat pater, futurum ſperans, vt amicitia magnorum Principum, quibus ſanguine iunctus erat Wenceſlaus, longam ſuis relinqueret pacem; quod non ita euenit. Hæc ille.

Prælium cruentum inter matrem & filium Hollandiæ Comites.

1352

1353

En fructus præpoſteræ libidinis.

1354

1355

Moritur Dux Ioannes, demandata Republica Wenceſlao marito Ioannæ filiæ.

O ſpes hominum incertas!

ille. De filiis quoque eius tribus, sed ante eum mortuis, vide suprà ad annum 1332. & 1347. Sub hoc Principe Grammaius cœptũ vult Palatium Bruxellense, sed quod deinde splendidiùs adornatum constat à Philippo Bono sub annum Christi 1452. ac demum splendidissimè auctum à successoribus. Sub eodem quoque Principe anno 1312. ex eleemosynis piorum, agente quodam Fratre Gerardo, initiũ habet Cœnobium Sororum Pœnitentium Antuerpiæ, quæ Albæ vocantur; & anno 1320. Carthusia, dicta Vallis S. Catharinæ, in vico Kiela iuxta Antuerpiam, auctore quodam vrbis Dancardo, vt idem loquitur, voti reo: quæ quidem Carthusia anno 1542. impetu exercitus Rossemiani destructa, Lyram migrauit. Anno verò deinde 1350. institutum fuit iuxta eamdem vrbem celebre Hospitale à quodam Falcone de Lampage, vbi non multò pòst Cœnobium Virginum Regularium coaluit, quæ Facontinæ vocantur. Et ad idem tempus ortum suum quoque referunt ibidem Tertiatiæ Sorores, domo à quodam Sudermannio iis coëmpta.

Cœnobia quatuor huius tempore Antuerpiæ & in suburbio ædificata.

WENCESLAVS
CVM IOANNA,
FILIA PRÆCEDENTIS,
XXXIV. BRABANTIÆ PRINCEPS.

Præfuit in vniuersum annis quadraginta nouem.



IOANNI Duci iustis persolutis, Wenceslaus Dux, qui Ioannam maiorem natu eius filiam vxorem habebat, cum vxore Louanium profectus, mox die tertia Ianua-
1355 rij anni 1355. more Gallico ad proximum Pascha exeuntis, Principatum gentis Brabantiæ ibi suscepit; excepti à Senatu ac populo summo honore Duces, sex pannis purpureis, sex item bobus, ac totidem vini plaustris donati sunt. Iurati de more omnia se Reipublicæ iura conseruaturos; præter hoc, promiserunt ea quæ sequuntur: Chartas omnes priuilegiorum Reipublicæ, « Louanij sese condituros, tribus clauibus confectis, quarum vna in Du- « cum, secunda in Louaniensium, tertia in Bruxellensium potestate foret. « Rempublicam nullis debitis obligationibúsve, inuitis vrbibus, onera- « turos.

Priuilegia à Wenceslao & vxore iurata.



WENCESLAVS ET IOANNA XXXIV. BRAB. PRINC.

turos. Neminem ad arcana Reipub. conſilia, qui Brabantinus non ſit, admiſſuros. Ducatum Limburgi, Dalhemum, Spremontem, Rodam, Carpos, Waſſebergam & Hoſdenam cum Brabantiæ reliquæ corpore vnituros. Nullum in iiſdem oppidis præſidio poſituros, qui non cis Moſam de fide ritè cauerit. Communem pacem, quæ *Landt-vrede* inter inferiores Germanos appellatur, conſeruaturos. Fœdera cum Leodienſibus ac Flandris rata habituros. Bellum, niſi cum Ordinibus deliberato, non aggreſſuros. Præturas apparitionéſve vendi aut elocari non paſſuros. Brabantiâ neminem in captiuitatem auehi iuſſuros. Aurum argentúmve, inconſultis Ordinibus, non ſignaturos. Magiſtratus ſingulis annis renouaturos. Nothos ſpurioſque ab omni Magiſtratu prohibituros. Magiſtratus quoſuis officio defunctos, geſtorum rationem vt dicant, coacturos; propoſito per parochias Edicto, quo cuilibet de Magiſtratus iniuriâ Inquiſitoribus conqueri liceat. Curaturos item, vt ſingulis annis Louanij vel Bruxellæ Inquiſitores collecti de Magiſtratibus inquirant; ſontibus multam indicant, inſonteſque officio reſtituant. Homicidam, niſi placatis cæſi conſanguineis, patriæ ſe non reſtituturos. Si Brabantinus Brabantinum extra Brabantiam in ius vocet (extra cauſam teſtamentariam, dotiũ, vel piè legatorum) in caput eius & fortunas animaduerſuros. Exules ob ſeditiones, homicidia, furta, ſtupra, Brabantiâ non recepturos. Quæcumque oppida, arces, terráſve generali expeditione ſubigendas Brabantiæ annexuros. Omnium Cœnobiorum priuilegia rata ſeruaturos. Hominibus ſancti Petri Louanienſis ſuum ius non imminuturos. Qui metu, ne cauſam perdat, ius ſuum Eccleſiaſtico alicui vendet, qui ad aliud quàm ad patrium tribunal illam trahat, in caput ac fortunas eius ſe animaduerſuros. Omnibus, vt prædia frugéſve aduerſus ferarum vaſtationem canibus tueantur, conceſſuros. Leporum vulpiúmque, etiam venationem ceterarum ferarum ſolis Nobilibus extra viuaria liberam conceſſuros. Bailliuum Gallobrabantiæ cum apparitoribus ex ſolis Brabantinis conſtituturos. Acta hæc menſis die Ianuarij tertia anni 1355. exeuntis more Gallico demum ad Paſcha, vt dictum eſt. Vnde & quidam ſcilicet annum quinquageſimum ſextum adſcribunt, à Kalendis Ianuariis computu Romano annum auſpicantes. Signata verò ſunt à Theodorico ab Horna Domino Paruwiſij & Craneburgi, Henrico Bertoldo Domino Dufflæ & Ghelæ, Gerardo Domino Vorſelariæ Burggrauio Geldoniæ, Ioanne Domino Bouchoudæ, Bernardo Domino Borneuallis Seneſcallo Brabantiæ, Equitibus. At verò deinde Louanio Duces Bruxellam atque inde Antuerpiam profecti, ius Stapulæ Antuerpienſibus confirmarunt. Intereà Ludouicus Flandriæ Comes, quòd Venceſlaum à Loua-

Bellum, niſi cum Ordinibus deliberato, non aggreſſuros.

Brabantũ extra Brabantiam in ius non vocandum, niſi in tribus cauſis.

Modus cõciliandæ Chronologiæ in multis.

Confirmãt Duces ius Stapulæ Antuerpienſibus.

Louanienſibus Ducem acceptum cognouiſſet, ſe verò (licet Margaretam Ioannæ ſororem duxiſſet) in vniuerſum Brabantiâ excludi, miſſis Legatis, aliquam Brabantiæ partem doti vxoris adſcribi poſtulauit. Legatis benignè habitis, reſponſum datum, vti Comes Mechliniam conueniret, vbi cum Duce controuerſiam componeret. Ceterùm cùm hinc ſine vlla pacificatione diſcedendum videretur, Comes, ſollicitatis Mechlinienſium animis, promiſſiſque iis nouis priuilegiis, & in iis Stapula trium mercium, de qua aliquoties dictum, tantum effecit, vt ibidem gratiſſimus haberetur. Vnde quaſi proclamato bello, cùm Mechliniam Comes validis præſidiis impleuiſſet, Dux econtrà arces aliquot Mechliniæ propinquas, & limitem Flandricum muniuit. Mox Comes Montanus, Germanorũ aliquot auxiliaribus adductis, Mechlinienſes grauiter afflixit; Bruxellenſes verò permixti Antuerpienſibus, Waſiam Gandauum vſq; incurſionibus variis exurebant. Ita Diuæus. Paulò aliter Meierus, in hunc qui ſequitur modum, ad annum huius ſæculi quinquageſimum ſextum: Belli, inquit, Brabantini duæ erant cauſæ: 1356
Mechlinia empta à patre Ludouici; ſed poſt eius mortem perſuaſione Philippi Gallorum Regis alienata, vt ſuprà relatum eſt. Altera, quòd decem annua millia nummûm Florentinorum dotem Margaretæ Principis à Ioanne Duce promiſſam Venceſlaus Dux pendere recuſaret. Armat itaque Ludouicus omnem Flandricam iuuentutem. Adfuere Gandenſes, Brugenſes & Hyprenſes, & ceteræ Flandriæ Præfecturæ. Mechlinia timore perterrita, in deditionem venit. Priuilegia illi confirmata: nundinæ piſcium, ſalis & auenæ, conceſſæ. Inde occurrit Venceſlaus cum magnis copiis. Prælium factum iuxta Bruccellam ad Scotam arborem (vbi nunc Carthuſienſe Cœnobium) ibi Flandri egregiè vicerunt. Fugatus Venceſlaus, occiſi permulti Brabantini; capta nullo ferè negotio Bruccella, & direpta, partimque incenſa: capta quoque Louanium, Niuella, Fura, Leucacum, Tilmontium, aliaque loca. Hæc 17. die Auguſti. Ita Meierus; quæ eadem Diuæus etiam pluribus proſequitur. Dum hæc fierent, inquit, Venceſlaus Traiectum ad Moſam profectus, cum Carolo fratre Imperatore, eius nominis Quarto, fœdus pepigit his
» legibus: Vt Venceſlaus ac Ioanna Ducatum Lotharingiæ, Brabantiæ ac
» Lemburgi, quoad viuerent, perinde poſſiderent; Venceſlao tamen nihil
» ex iis, inuita vxore, alienare liceret. Si Ioannam ſine liberis priorem mo-
» ri contingeret, ipſi Venceſlao Ducatus permaneret. Si Ioanna Venceſlao
» ſine liberis mortuo rurſum nuberet, proles ex eo connubio ſuccederet.
» Si ambo ſine liberis decederent, Ducatuum dictorum ſucceſſio penes
» Carolum aut alium quemuis proximum Luceburgenſis familiæ heredẽ foret. Acta hæc fine anni 1355. & à Legatis Vrbium Brabantiæ confirmata.

Belli inter Brabantos & Flandros initia.

Eadem clarius à Meiero relata.

Bellum Flandricũ ſummatim narratur, ſed mox etiam plenius cõmemorandum.

O ignauos tunc vrbium Legatos!

mata. Hęc Diuæus; quæ permisisse Ioannam scribit Dinterus, quòd sorori suæ Margaretæ eiusque marito Ludouico Comiti grauissimè esset offensa. Pergit Diuęus: Initio anni sequentis, Ludouicus, intellectis iis quę Traiecti agebantur, cum magno armatorum numero Brabantiam ingressus, Bruxellam vsque villas agrosque passim exussit. Quo comperto Louanienses, delectu suis imperato, cum cohortibus aliquot, ductore Bernardo Borneuallis Domino Equite, Bruxellam properarunt: vbi habito cum Bruxellensibus colloquio, persuasisque iis, vt vnà in Flandriam irent, quamquam à prudentioribus monerentur, ne se potentiori Flandro obiicerent; spreto eorum consilio, Bruxellâ mouent. Adiunxit se iis Comes Montanus cum Germanicis cohortibus. Consederat tum Ludouicus Comes ad Scotam pagum Carthusia celebrem, magno Flandrorum exercitu stipatus; facto in eos impetu, Brabantini summa virtute excipiuntur: Comes Montanus perrupta aduersa acie Flandros à tergo cędens, nostris victoriam peperisset, nisi Aschæ Dominus Brabantinorum Vexillifer, fœdè abiecto signo, suos in fugam attraxisset. Cæsi tum magno numero Brabantini, reliqui fugam partim Bruxellam, partim Louanium iniere. Percepta hæc clades in Augusto, vbi captus inter ceteros Ioannes Dominus Ardui-Montis. Comes Flandriæ Ludouicus mox cum suis progressus, Bruxellam metu consternatam sine vllo negotio occupauit: vbi in Curia erecto signo Flandrico, mutatisque Magistratibus, & ciuibus in verba sua adactis, Sigirum ab Heitfelda Equitem Amptmannum creauit; nullaque deinceps vi vsus, suos necessaria etiam auro redimere à ciuibus coëgit. Inde, præsidio ibi relicto, Louanium (capta in itinere Fura arce) concessit; vbi, omnibus summo terrore fractis admissus, Senatum populumque in forum, vt fidelitatis sacramenta facerent, vocauit. Paruit iussis maxima Senatus pars; sed plebs Flandro auersa, (si vera sunt quæ tradunt Chronographi Brabantini vernaculi) Guilielmi Sadelarij Monachi è S. Gertrudis Cœnobio oratione permota, ne à genuinis Ducibus descisсerent, domum suam quisq; defluxit. Addunt iidem Chronologi, eo viso Comitem, quasi paruæ adessent ad compescendum vires, confestim relicta vrbe, Bruxellam, atque inde Mechliniam rediisse. Sed verisimilius est, ait Diuæus, quod Flandri tradunt, post victoriam ad Scotam, Bruxellam, Louanium, Niuellam, Tillemontem, Leuiamque pariter Comiti fidem præstitisse. Id enim Guilielmi Hollandiæ Comitis Tabulæ de pace, de quibus posteà, apertissimè confirmant, vbi has vrbes omnes Flandro iurasse fidem scribitur. Et ego (verba sunt Diuæi) chartulas penes me habeo, 21. Septembris Mechliniæ hoc anno confectas, quibus Comes Valterum Caynogam Louaniensibus Prætorem constituit, eiusdem sigillo munitas: quod Comitem

Brabanti à Flandris ad Scotam iuxta Bruxellam cæduntur.

Occupat Comes Flandriæ Bruxellã. mox etiam Louaniũ.

Frustrà extenuant hanc victoriã Chronologi vernaculi.

Comes Flandriæ nouum Prætorem Louanij constituit.

mitem minimè factùrum fuiſſe credo, ſi tam ſubitò Louanio diſceſſiſſet. Porrò concordant omnes menſe Auguſto hanc cladem accidiſſe. Interim eodem pęnè tempore Valterus Herenmaſius Eques, Louanio in Angliam miſſus, à Moranto pirata Flandro interceptus, magna auri ſumma à Louanienſibus redemptus eſt. Dum hęc fierent, Venceſlaus Dux Germanorum auxilia Traiecti colligebat. Erat in comitatu eius Euerardus quidam cognomento Sheren Claes, Patricius Bruxellenſis: qui patriam à Flandris occupatam indignè ferens, communicato cum familiaribus conſilio, clanculùm Bruxellam properat; admonitis per ſecretiſſimos nuntios conſanguineis ſuis in vrbe, quid agendum foret: cumque in eum locum, qui Claræ-paludes dicitur, perueniſſet, noctu admotis ſcalis cum aliquot ſuorum muros tranſcendit: mox, ſociatis ſibi, quot poterat, conſanguineis, Curiam inuaſit; eiectoque Flandrico, Ducis ſui ſignum extulit. Confluxu mox ciuium aliquorum Flandros in extremam vrbis partem coniecit: vbi illi, portarum vnâ præſidio firmatâ, ne exitus præcluderetur, mox omnes præcipiti fuga in Flandriam abiere. Ita præter ſpem recuperata patria, Euerardus Ducem de rebus geſtis certiorem fecit: qui cum maximis Germanorum copiis Bruxellam reuerſus, meritis honoribus affectum, ac Equitem creatum, in proximorum numerum adſciuit; vnde Sherenclaſiorum familia apud poſteros ſemper plurimùm eminuit; quamquam etiam anteà illuſtres viros protuliſſet, ac in his Ioannem huius Euerardi fratrem, Cameraci Epiſcopum. Erant Germanorum primi, qui eo tempore Venceſlao militabant, Comes Montanus, Loſſenſis, Cattinnelobocius, Ioannes Comes Meghemi, Daniel Dominus Meruwedæ, Gerardus D. Iſelſtein, Ioannes D. Arduimontis, Dominus Brederodę, Dominus Amerzoiæ, D. Warluzij, Theodoricus à Billichouia, Gerardus Roſtochius, Ioannes ab Hamalia, Reinerus & Henricus ab Arcantella, Theodoricus à Rupeforti, aliique viri nobilitate inſignes. Reuerſo Duce, rurſum inter Brabantinos ac Flandros ad Santfletum dimicatum lego, aduerſa noſtris fortuna, & Philippo à Wedergrota Equite capto. Namurcum etiam à Duce obſeſſum menſe Nouembri. Eodem bello Louanienſes primùm bombardis vſos, eaſque duodecim numero tum coëmiſſe in Annalibus noſtris reperio, quas *Donder-buſſen* appellabant. Hæc Diuæus hoc anno quinquageſimo ſexto; vbi aliquando mirabar quid ſibi vellet de Namurco à Duce noſtro tunc obſeſſo, cùm vix ſua tueri, vt vidimus, poſſet. Tandem lucem mihi attulit de Riuo Leodienſis Chronographus, res geſtas huius anni ita commemorans: Igitur acri certamine inito, tandemque Domino de Aſſche, hereditario Brabantiæ Vexillifero, Flandrorum armis in fugam acto, Wenceſlai quoque copioſo exercitu, quem ex Germania duxerat, partim fuſo, partim

Sherenclaſius, admotis noctu ſcalis, Flãdros Bruxellâ eijcit.

Nobiles Germani Wenceſlao tunc militantes.

Bombardæ hoc tempore primùm Louanienſibus in vſu.

partim fugato, victoria Flandro cessit. Hac non infeliciter vsus Comes, Bruxellense suburbium flammis donat, vrbs ipsa se dedit. Mox eius exemplo Mechlinia, Louanium, & alia minora oppida imperium eius agnoscunt. Solum Buscumducis Wenceslao paret; ad quod ille Ioannaque illius vxor refugit. Wenceslaus interim impigrè amicos aduocans, extemplò iustum cogit exercitum, Flandrosque magna celeritate aggressus, Bruxellas, Louanium, ceteraque oppida in suam potestatem redigit, sola Mechlinia Comiti Flandriæ parente. Nec ideò animos demittit Flander, vocatis in auxilium Comite Namurcensi nepote suo, & Engelberto Leodiensi Episcopo. Mittuntur viri strenui, rei militaris periti: hi Brabantiæ partem aggressi, Landen oppidum vicosque circumquaque adiacentes populantur, & ferro flammaque vastant. His auditis, Brabantinę acies accurrunt; acriter hinc inde concurritur; magna vtrimque hominum strages editur. Habebant tunc Brabantini captiuos non paucos Leodienses; quos Lambertus de Vpey miles cum parua peditum manu, magno vitæ suæ discrimine, ex hostium manibus eripuit. Hæc ille inter alia. Annectit huic anno etiam ista Meierus: Tota hieme per varios vtrimque incursus continuatum bellum: Lembeca, Gaesbeca, Anderlecht, Lombeca, Hellebeca, & Affliginia incensa. Pugna quoque Pictauica in Galliis pugnata fuit 13. Kalend. Octobris, vincentibus Anglis, vbi millia Gallorum circiter septem occisa; capti viri nobiles ad mille septingentos: inter quos & ipse Rex Ioannes, & filius eius natu minimus Philippus, dictus Audax, Comites septemdecim, plurimique alij Nobiles. Qui quidem Philippus paulò pòst Dux Burgundiæ & Comes Flandriæ cur id cognomentū acceperit, ita narrat idem Meierus ad annum sequentem: Quodam prandio, inquit, in Anglia, dum recumbentibus Regibus, Philippus filius patri, & Anglus quidā Nobilis Regi suo ministrarent, & Anglus prior Eduardo Regi ministraret, Philippus iratus colaphum illi impegit, Ministrabis (inquiens) tu prior Regi Angliæ, vbi simul accumbit Franciæ Rex? Et quidem minister cæsus vlcisci se ferro parabat, sed acriter Eduardus Rex prohibuit, & collaudato Philippi facto, Gallicè adiecit: *Vous estes Philippe le hardy*; factumque est vt ex ea die id cognominis retineret, vt Philippus Audax vel Animosus diceretur. Hactenus Meierus. Initio anni sequentis quinquagesimi septimi (prosequente Diuæo) commeante inter vtrosque Principes, Ducem Venceslaum & Comitem Ludouicum, Guilielmo Comite Hollandiæ & Hannoniæ, tandem de pace agi cœpit: quæ Ati Hannoniæ oppido his conditionibus clausa est: Pax inter vtrosque esset perpetua; & captiui " vtriusque sine pretio dimitterentur, exceptis ijs qui pretium exsoluerant, " aut vadibus datis ad certam diem spoponderant. Bonis pulsi tempore " belli

Buscumducis receptaculum Wenceslai & vxoris.

Namurcenses & Leodienses auxiliares Flandrorū item Brabantiam populātur.

Tota hieme continuatur bellum.

Cæsi ab Anglis Franci 7000. capti 1700. inter quos & Rex, & filius, paulò pòst dictus Audax.

Vnde Philippus Burgundus dictus sit Audax.

1357

Tandem pax sancitur inter Brabantū & Flandrum.

» belli restituerentur. Comes præsidium Affligemio deduceret, & Mona-
» chos restitueret. Vt Ludouicus Comes vrbes Brabantiæ à sacramento
» illi præstito absolueret. Louanienses, Bruxellenses, Niuellenses cum
» Thenensibus, singulis annis Comiti, dum viueret, earum vrbium im-
» pensis per senas hebdomadas militarēt, singuli propriis vexillis, numero
» verò 25. virorum. (Meierus habet, cum 25. cataphractis sub singulis ip-
» sorum militaribus signis.) Comiti, quoad viueret, Ducis Brabantiæ ti-
» tulo, Baronum vrbiumque consilio assumpto, vti liceret. Eidem Duces
» nostri Mechliniam pro belli impensis cederent. Margaretæ Comi-
» tis vxori Antuerpia, cum vicis, Houa, Wilrica, Berchemo, Ordris, Vil-
» merdonga, Scadebrouca, Lilloa, Berendraco, Burgfleto, Sandtfleto,
» Seilla, Dorna, & Wineghemo, doti assignarentur, ea tamen lege, ne quid
» de priuilegiis Antuerpiensium mutet minuátve Comes. Beneficio
» Ducum Brabantinorum hæc Comes possideret. Marchiæ sacri Im-
» perij titulus tamen penes Duces remaneret. Munitiones à Comite in
» Ascana terra structæ diruerentur. Hosdenam Duces Guilielmo Co-
» miti huius pacis arbitro concederent. Acta hæc quarta Iunij secun-

Comiti Flandriæ titulus Ducis Brabantiæ conceditur, itémque Antuerpia, & alia.

Hosdena permissa Hollando.

dùm Diuæum, secundùm Meierum tertia sequentis mensis Iulij. Ma-
riæ alteri sorori Ioannæ, vxori Reinaldi Geldriæ Ducis, doti data erat à
Ioanne patre terra Turnhoudana, comprehendens Turnohoudam,
Wechelam, Ghierlam, Lillam, Berzeum, Vorselariam, Stagnum Marci
(vulgò *Marx-plas*) Arendongam, Weldam, Poppelam, Rauelsiam; qua
ille contentus, nihil omnino Ioannam Wenceslaumque mouebat. Por-
rò his peractis, profecti Antuerpiam Ludouicus & Margareta, sacra-
menta à ciuibus exegerunt. Interim Mechlinienses Comitem vrgebant,
vt promissas initio belli Stapulas ipsis concederet. Obstabant summo-
pere Antuerpienses, asserebantque Comitem iure feudali Antuerpiæ
Dominum, nihil se de iure eorum immutaturum Atensi pace promi-
sisse: prætereà se has Stapulas & Imperatoris & Ducis nostri priuilegio
pacificè dudum possedisse, cùm in Comitis potestatem concederent:
quare iniustum fore, si priuilegio tam veteri priuarentur. Comes verò
contemptim, spretis iis quæ allegabant, armata manu vrbem ingressus,
abductis primoribus, compulit (si obsides suos recipere vellent) eos suæ
voluntati obsecundare, chartasque omnes, quas in Archiuis oppidi con-
diderant, de eo priuilegio Comiti tradere, lectas inspectasque redditu-
rum se spondenti. Verùm contra omne ius, falsa fide, Stapulæ ius Mech-
liniensibus donauit, sic remisis Antuerpiam obsidibus. Anno proximo,
qui est Christi 1358. Louanienses fossas ac mœnia exteriora vrbis fodere 1358
exorsi, quarto pòst anno perfecēre. Ista nec plura hoc anno Diuæus. Lu-
bet insigne hoc adiicere ex Meiero: Eodem anno, inquit, mense Aprili,
feriis

Limites terræ Turnhoudanæ, dos Brabanticæ nuptæ Geldro.

Comes Flandriæ vi & fraude Antuerpiá Mechliniam ius Stapulæ transfert.

Comes Hollandiæ incidit in phrenesim

feriis diui Georgij martyris, Guilielmus Bauarus Comes Hanoniæ & Hollandiæ phrenesim & amentiam incurrit, ita vt claudi ac seruari per totam reliquam vitam deberet; eoque statu perseuerauit per annos triginta ad vltimum vsque vitæ diem. Vitio diuina fuisse putatur, propterea quòd tam asper, durus ac rebellis fuisset matri suæ Margaretæ Augustę. (vide suprà ad annum 1351.) Hæc Meierus. Progreditur Diuæus: Anno

1359 insequenti (nempe 1359.) Eduardus Rex Anglorum cum Ioanne Rege Francorum captiuo suo (de quo ante triennium) pacem variis conditionibus pactus, quòd eæ à Concilio Parisiensi non reciperentur, rursum in continentem ex Anglia transmisit, Francos vi armata ad recipiendas conditiones coacturus. Præmiserat fidissimos suorum, qui stipendiarios ex inferiori Germania conducerent.

Anglus cũ auxiliis Brabanticis & aliis rursum Franciam inuadit.

Meruêre tum stipendia Regi ex Brabantinis Henricus à Bautreshemo Dominus Bergarum, Gerardus ab Harda, Franco ab Halis, omnium suæ ætatis Brabantinorum habitus fortissimus; quique Eduardo Regi in Aquitanicis, Britannicis, Nortmannicis, Hispanicisq; bellis fortem sæpiùs operam nauauit. Porrò Eduardus Rex à Caleto Picardiam permensus, Rhemos obsedit. Inde obsidione soluta, perusto omni agro interiacenti, Carnutes processit. Erat in expeditione Valterus quidam cognomento ab Hochstrata Patricius Bruxellensis: hic, aggregatis Brabantinorum aliquot, aliorumque Regi merentium expeditissimis, Ribeboisam arcem inter Moduntam ac Lutetiam sitam occupauit: vnde annis aliquot variis excursionibus peruastatâ vicinâ terrâ, numquam inde pelli potuit, nisi aureorum mul-

1360 tis millibus Regi Franco extortis, vt suo loco dicemus. Anno sequenti 1360. pax inter Anglos & Francos Carnutibus coiit, dimissusque Francus Rex, datis obsidibus nobilissimis Francorum. Leges pacis his verbis breuiter describit de Riuo Tongrensis seu Leodiensis: Anno 1360. inter

Leges pacis inter Anglum & Francum, agente Innocentio Papa.

"hos summos Principes pax auctoritate Innocentij Papæ inita est; cuius summa fuit, vt Anglus Franco cederet omni iure quod in Franciæ Regnum, in Nortmanniam, in Andegauenses, & Cenomanos haberet. At obtineret Aquitaniam his finibus, ad quos iungerentur Vascones, Pictones, Xantones, Petragorij, Cadurci, Lemouices, Engolismenses, Caleti, Guiarum & Ponticum Comitatus; ipseq; nullum deinceps vectigal vel iusiurandũ daret Franco. Francus verò redemptionis nomine ad certam diem tricies centena millia aureorum persolueret; & intereà datis obsidibus, liber rediret in Galliã." Sic ille, itemq; Meierus. Pergit Diuæus:

Initia tumultuum Louaniensium, ex re quasi nihili.

Hoc eodẽ anno Petrus Couterellus Prætor Louaniensium cùm odium in Patricios altò corde premens, nocendi aliquam materiem diu quæsiisset, tandem voti compos fit hac occasione: Rusticum quemdam, qui carrum piscibus onustum luto inhærentem, alligato ex vicinis pascuis equo, extra-

extraxerat, in vincula coniecit: mox furti causam dicere coactum, licet Scabini insontem iudicarent, dimittere noluit. Erant tum in Scabinorum officio, Ioannes à Calstris, Radulphus à Radingis, Equites; Ioannes à Berthema, Valterus Eueloga, Hartliebus Puzius, Franco Edelherus, & Ioannes à Radeshouio: qui pertinaciam hominis indignati, absoluto reo, iurisdictionem Prætori interdixerunt. Quamobrem supra modum incandescens, Furam proficiscitur; reque ad Concilium Ducis delata, eaque in maius exaggerata, quasi non sibi, verùm ipsi Duci iniuria facta esset, Ducem multùm in Louanienses exacerbauit. Erant in Concilio Ducis permulti, non minùs quàm ipse Couterellus, Patriciis infesti, eorumq; præcipuus Reginhartus dictus Schonevorsta. Hic cùm res in deliberationem deduceretur, Duci persuadere conabatur, vt plebi Patricios committeret seu obiiceret: si id fieret, facilè Patriciorum libertatem opprimi posse; qui iam eò proteruiæ processissent, vt & Duci ipsi præscribere leges tentarent. Quod cùm agi Couterellus subolfecisset, non exspectato Ducis responso, Louanium rediit, venenum omne, quod dudum animo conceperat, euomiturus. Plebe etenim in forum excita, cùm pauca de iniuria sua præfatus esset, mox mutata orationis forma, de Patriciorum duro in eos imperio, quantis vectigalium oneribus premerentur; porrò quàm indignè ab omni Magistratu honoribusque arcerentur, disseruit; nisi viros se præstent, omnem mox libertatem plebis pessum ituram: offerri nunc occasionem libertatis vendicandæ, conniuente ipso Duce. Et persuasit facilè. Itaque sumptis armis, ad magnum forum, tota ea nocte ante Falam consedêre; & Patricij, prodito per ancillam cuiusdam è suis plebis motu, Curiam occuparant. Erat tum Louanij Gerardus à Vorselaria Eques fortissimus: qui crebrò inter vtrosque commeans, pacem summo labore plebi persuadere conabatur. Ceterùm plebe obdurata, Patriciis consuluit, vt per Curiam erumperent, se in omnibus adfore pollicitus: quod ijs tentare non ausis, indignabundè abscessit. Exoriente itaque Sole, Couterellus ad Curiam cum suis perrexit. Tum Patricij metu pauidi, rogare, quid ita, quamque ob causam cum armis in publicum procederent. Respondere illi, se nullius exitio aduenisse; verùm statum vrbis ac diuitias scire velle, & rationes à Quæstoribus exigere; quibus editis, confestim se ab armis discessuros. Quo audito Patricij, conscientia à Quæstoribus rei benè gestæ freti, Couterellum in Curiam admisere. Ceterùm is confestim claues vrbis tradere eos compulit, & ipsos in arcis custodiam misit. Renouati mox de plebe Magistratus. Creati Consules N. ex Patriciis, Ioannes à Cumptich ex plebe. Scabini verò ex Patriciis quatuor, ex plebe tres, Couterello Rempublicam pro libito gubernante. Quibus ita ex sententia gestis, Coute-

En quid possit inuidia & æmulatio.

Concitat Couterellus Prætor plebem contra Patricios.

Inuadit is Curiam.

Mutat totam faciem Reipublicæ.

Couterellus Reynardum Dominum Schonevorstæ de omnibus certiorem fecit, eique ac Duci immensam pecuniam addixit, vt à plebe acta confirmarentur. Captiui intereà ex Patriciis, veriti ne quid durius in eos statueretur, persolutâ Couterello ingenti pecuniâ, liberati, vrbe profugerant. Fuêre eorum nobilissimi, Ioannes à Bornevalle, filius Bernardi Ductoris Louaniensium, Gobhelmus, à Calstris, Maurellus, à Wilra, Radulphus, à Radingis, ex Limingis, Herengodeuaerts, à Maloponte, Herzius, Platvoet, Herenmaes, à Borchouiis, omnes Equites; armigerorum verò ingens numerus: quibus arma adempta Couterellus suis distribuit. Aberat tum Wenceslaus in Leucos seu Lucemburgios profectus. Quare Ioanna Dux, re ad consilium suum delata, Legatis Louanium missis, Patricios recipi postulabat. Petiêre seditiosi, Parcum (Cœnobium est iuxta Louanium) mitti aliquos è Ducali Consilio, cum quibus de pace ageretur. Quo facto, cùm Boutreshemi & Heuerlæ Domini, Gerardus ab Elsta, Henricus à Delbrouca, Bertrandus à Lara, Ludouicus Martellus, Equites, negotio se intermiscerent, pax confecta, sed mox rursum infracta est. Vnde effectum, vt seditio vsque in annum sequentem duraret. Simili modo & Bruxella eo anno concussa est. Plebs è suo corpore mediam Senatus partem creari volens, ante biennium, metu maioris motus, Patriciis permittentibus, votis potita fuerat; nec inde modestior, hoc anno sublatis penitus Patriciis, omnes Magistratus inuadere sperans, in res nouas insurrexit. Patricij verò, hoc cognito, in vnum coëuntes, & iungente se iis Gerardo à Vorselaria, qui Louanio illuc aduenerat, ne id malum remotiùs serperet, Decuriones singulorum officiorum in Curiam vocarunt, vt de causa seditionis inquireretur. Lanij suos mittere abnuentes, vim Patriciis pararunt. At illi, coacto non modico clientum suorum manu, portam lapideam obstruxerunt, ne Cappellensis parochiæ incolæ laniis se iungerent. Hinc in forum Intestinorum progressi, occurrentes lanios profugant; moxque, ædibus eorum effractis, omnes in custodiam mittunt. Quo facto, antequam fama eius cladis latiùs spargeretur, versus lapideam portam perrexêre; qua effracta, Cappellenses expectabant. Iam in forum irrumpere nitebantur; Patricij verò ante Curiam consistentes, partem suorum per posticum mœnium versus Cappellam miserant, qui vicum Fullonum incenderent. Præmissi etiam ad Sabulum, qui conspecto igne, classicum sonantes, Cappellenses à tergo inuaderent. Quo, vt constitutum erat, facto, Cappellenses, quò fugerent nescij, multi cæsi, complures verò capti pœnas suæ temeritatis variis suppliciis dedêre. Hic finis seditionis
1361 Bruxellæ. Sequenti anno 1361. durante adhuc seditione Louaniensi, Couterellus, ceterique coniurati, veriti ne Patriciorum instantia permotus

Mittit Louanium Legatos Ioanna Dux.

Conficitur pax, sed haud diuturna.

Item Bruxellæ fœdè tumultuätur.

Seditiosi multi cæsi, alij capti similiter pœnas luunt.

tus Dux vrbi copias admoueret, ferendæ propulsandæque obsidioni congrua prouidebant, pecuniæ in primis conficiendæ insudantes; quam, centesima bonorum ciuibus indicta, ingentem conflarunt. Curarat tum Couterellus eligi Consules Henricum Papam Patricium, ac Henricum Andream ex plebe. Interim Wenceslaus componendæ huius discordiæ causa coacto exercitu, Louanio haut procul castra locauit mense Octobri. Vnde metu consternati Couterellus ac reliqui eius factionis, de pace Legatos misêre; promittentes se Patricios non solùm in vrbem recepturos, verùm etiam de omnibus iniuriis satisfacturos. Re ad Consilium Principis delata, præscriptæ hæ pacis leges: Vt „inter Patricios plebeiosque iniuriarum obliuio esset. Ij, qui seditionis „auctores fuerant, Duci occurrentes nudis capitibus, ac in genua pro„uoluti pacem expeterent. Senatus deinceps ex Patriciis & plebe deli„geretur. Scabini videlicet quatuor ex Patriciis, tres ex plebe, vnde„cim vtrimque Iurati; ex quibus duo Consules essent Patricij. Qui pe„cuniariam multam seditionis tempore indictam necdum exsoluissent, „immunes essent. Charta Priuilegij à Ducibus, cùm Louanij Principa„tum exciperent, condita, redderetur. Arma ferre plebeij deinceps veta„rentur. Si in Senatus electione dissidium fieri contingat, Prædicatorum, „Franciscanorum, Augustinianorum arbitrio decidatur. Signata hæc à Wenceslao ac Ioanna Ducibus, Guilielmo Duce Iuliaci, Roberto Namurcensi, Ioanne Comite Salinæ, Arnoldo Domino Rumenæ & Quacbecæ consanguineis Ducis; Reinardo Domino Schoonuorstij, Henrico à Bautreshemo Domino Bergarum, & aliis, 19. Octobris. Postera die ingressus Wenceslaus Dux, summo honore exceptus est. Lecti tum Scabini, quibus toto eo anno vrbs caruerat; à Radingis, à Netenis, Couterellus (Prætura, vt credo, abrogata) & Kersmaker Patricij; Monetarius, Sisayna, Gerlachus, ex plebe. Mox tamen hæc conciliatio, metu à plebeiis extorta, nouas subinde discordiâs inuexit; Patriciis impotentiùs ferentibus plebem honoribus sibi æquatam, & Couterello omnia ad se trahente. Cuius potentiam eò creuisse legi, vt sumpto vrbis sigillo, diuersarum regionum hominibus redditus vitales diuenderet, pecunia inde prodeunte in suam suorumque rem versa. Quam indignitatem non ferentes Patriciorum optimi quique, rursum vrbe secessêre. Hinc anno insequenti 1362. mense Iunio Couterellus se ac Gedulphum Roggam Consules; Scabinos verò Godertoium, à Dormala, Papam, Meningum, Pistorem, Andream ac Herthalsium creari curauit: ac memor casuum humanorum, fortuna iam secunda afflante, suæ sortis non oblitus, sibi suisque litteras obligatorias complures obsignauit; vt si actorum ratio reddenda aliquando foret, vnà ablatis iis ad longinqua confugerent.

Coacto exercitu mouet Wenceslaus in Louanienses.

Pax tandem seditiosis datur, nec ista diuturna.

Toto anno Louanium fuerat sine Scabinis.

1362

Iterùm sibi omnia arrogat Couterellus plebeijs innixus.

Interim Patricij apud Ducem instare non desinebant, vt coërcita Couterelli plebisque insania, eos in patriam reduceret: quorum precibus, rursum magno Nobilium militumque numero stipatus Bancum procedens (quod Cœnobium est vrbi propinquum) tantum metum incussit, vt sine mora Couterellus suique, pacta incolumitate, ad eum egrederentur, imperata se facturos, ac Patricios vrbe recepturos polliciti. Tum Dux confirmatæ paci prioris anni addidit, vt Patricij, plebeiorumque officiorum Decuriones se in perpetuum eam seruaturos iurarent. Patricij duodecim, plebs 40. obsides darent. Acta hæc 8. Februarij, adhibitis testibus Ioanne à Pollano Domino Leccæ, Henrico à Boutreshemo Domino Bergarum, Dominis Bouchoudæ, Withemi, Borneuallis, & Ioanne à Luceburgo Sigillifero. His peractis, Patricij omnes in vrbem maxima lætitia rediêre, numero vltra centum; quos & singulos Diuæus nominat, plures, etiam iam semel atque iterùm nominatos, & addit: Tanto Nobilium numero Louanium ea tempestate florebat. Confecta pace, promissa Duci viginti octo millia aureorum, qui *Moutons* patria lingua appellabantur; Domino Schoonvorstæ tria millia, Domino Bergarum mille, Duci Iuliacensi tria millia sexcenti, aliæque summæ aliis, sicque Dux Furam se contulit. Quò profectus Couterellus, cùm se parum gratum Duci Nobilitatique conspiceret, mali quid ominatus, Louanium reuertit: vbi collectis fortunis suis, assumptisque iis litteris, quas eum sibi suisque sigillo vrbis dudum obsignasse diximus, vrbe abcessit, multos seditiosorum secum trahens. Suffectus mox in Consulatu Ioannes à Calstris Eques, in Prætura verò Arnoldus à Wilra. Hæc Diuæus.

Rursum tendit in Louanienses Wenceslaus.

Pace constituta patricij Louanium redeunt.

Couterellus collectis fortunis cum multis seditiosis Louanio discedit.

Eodem anno, inquit de Riuo Leodiensis huius temporis Scriptor, mense Septembri obiit Innocentius Sextus, & electus est Grimardus Abbas sancti Victoris Massiliensis in Italia eo tempore agens; quo ego quoque qui hæc scribo (nota ætatem Scriptoris) istic eram. Hic ex Italia Auenionem rediens, coronatus Dominica die sancto Leonardo sacra, Vrbani Quinti nomen assumpsit, & anno Pontificatus sui quarto Auenione relicta, Italiam repetiit. Ecclesiam Lateranensem, Ecclesiam B. Benedicti in monte Cassino, aliasque plures vetustate collapsas statim restituit, vitęque sanctimonia tam celebre nomen breui tempore consecutus fuit, vt sicut nuper in Auenione, Rex Franciæ Ioãnes cum Regina Regnique Proceribus eum veluti Sanctum magna veneratione prosecuti fuerant, ita in Vrbe Imperator Carolus, Imperator quoq; Constantinopolitanus & alij Principes viri præcipuo honore haberent. Hac tempestate Ioannes Wiclefus hæresiarcha, quia non potuit consequi Episcopatum Vigorniensem, cœpit deprauata sua dogmata per Angliam spargere, scriptis plusquam 200. librorum voluminibus, quibus non suis tantùm, sed & Mar-

Vrbanus V. Auenione parat Romam Sedem Pontificiam reducere.

Wiclefus fit hæresiarcha ob non adeptum Episcopatum.

Marcionis & Manichæorum à pluribus retrò sæculis damnatis ab Ecclesia hæresibus, Angliam, Scotiam, & vicina loca infecit. Hæc de Riuo tunc viuens. Sed intelligendum est Vrbanum cœpisse, quod successor scilicet eius Gregorius II. perfecit: nempe vt is decimosexto hinc anno ex Auenione Romam Sedem Pontificiam omnino restituerit, anno septuagesimo tertio postquam inde abfuisset, tumultuante dudum vndique Italia. De quo & idem Auctor paulò pòst pleniùs: Anno 1363. 1363
mense Maio Dux Wenceslaus Louanium venit (verba sunt Diuæi) vbi summa omnium congratulatione exceptus, compositoque vrbis statu, Nouem viros constituit, sex Patricios, tres plebeios; quorum arbitrio Particiis id omne quod pro sui redemptione biennio antè exsoluere coacti fuerant, restitueretur. Acta hæc Kalend. Maij. Erat eo tempore Wenceslao Duci cum Gelris bellum hac de causa: Reinaldus primus Dux Gelriæ, mortuâ Sophiâ, filia Florentij Bertoldi Mechliniæ Domini, ex sorore Eduardi Regis Angliæ Reinaldum ac Eduardum protulerat. Inter hos, defuncto parente, multis annis conflictatum fuit, vtrisque potentissimis in Geldria factionibus subnixis. Reinaldo Heckerlingi, aliis Heeckheri; Eduardo verò Bronchorstij fauebant: quorum ope biennio antè Eduardus fratrem Reinaldum ceperat, ac in arcem munitissimam coniecerat. Erat Reinaldo nupta Maria Ioannæ Ducis nostræ soror, quæ in Brabantiam profuga, Wenceslaum permouit in Gelriam ducere: vbi is, rebus fortiter gestis, Bommelæ Werdam Eduardo ademit. Hinc bello vtrimque exsuscitato, cùm Eduardus Bommelam recuperasset, Dux noster, collecto exercitu, Gelriam ingressus immensam prædam reduxit. Paria meditante Eduardo, quorumdam Principum intercessione dextræ mixtæ 1369. Reinaldo tamen in vinculis permanente. Sequentis anni 1364. initio, cùm Couterellus, 1364
suique, litterarum vigore (quarum antè meminimus) mercatores aliosq; ciues variis in locis detinerent, statutum à Duce, vt Couterellus, Ioannes Hannemannus, eorumque socij ad 41. in perpetuum exsules essent, proposito præmio 400. aureorum, qui Couterellum viuum mortuúmve adduxisset; qui aliquem de ceteris, 25. Acta hæc 13. Maij, signata à Dominis Bredæ, Bergarum, Vorselariæ, Bouchoudæ, & Borneuallis. Eodem anno, mortuo Ioanne Rege Francorum, Carolus filius eius mense Maio Rhemis coronatus est. Huic coronationi Wenceslaus Dux, noui Regis auunculus, interfuit: nam soror eius Bona, Ioannis defuncti Regis vxor fuerat. Inde reuersus Rauastenum obsedit ad ripam Mosæ situm oppidum, à Domino Falcoburgi tum possessum; quod tamen expugnare nequiuit. Eodem anno colluuies hominum perditissimorum, qui Regibus Franciæ & Angliæ meruerant, in vnum collecta, totâ Galliâ va-

Initia & causa belli Geldrici.

Mouet Wẽceslaus in Geldrum Eduardũ, qui Reinaldũ fratrem maritum sororis Ioannæ nostræ in vinculis habebat.

400. aurei constituuntur in caput seditiosi Couterelli.

Obsidet Wẽceslaus Rauastenum, sed nullo effectu.

gabatur: qui cùm infinita ſcelera patraſſent, diuerſis in locis carptim occiſi fuerunt: quorum non parua manu in Leucis fuſa, Dux noſter Meſelinum Paruum, Ducem eorum, Luceburgi ſupplicio affecit. Eodem anno Rex Cypri, cùm totam pænè Europam peragraſſet, vt Principes Christianos in Turcas concitaret, Bruxellam venit, vbi liberaliter exceptus eſt. Sub idem tempus Valterus ab Hoochſtrata, cuius & ſuprà meminimus, qui occupatam Ribeboiſam arcem Meduntæ viciná quinquennio ſumma mercatorum iactura tenuerat, cùm nullis commentis inde pelli poſſet, auro emptus eſt; & acceptis à Bertrando Geſquinate Francorum Comiteſtabuli ſex millibus Francorum aureorum, Bruxellam rediit. Hoc quoque anno Couterellus, collecta non modica ſuorum manu, eaque turmatim præmiſſa, vrbi Louanienſi inſidias tendebat, ſperans eorum ope, quos fidos in vrbe habebat, eam in poteſtatem redigere: ſed conſpiratione detecta, punitiſque conſortibus, totus hic dolus euanuit. Sequenti anno 1365. Carolus Imperator Wenceſlaum fratrem Alſatiæ Præfectum, ac viarum publicarum defenſorem conſtituit, vt ab incurſu Linfarorũ itinera obſidentium negotiatores viatoreſq; tueretur; quod ille munus non ſegniter obiuit. Anno proximo 1366. Dux Hamersbachiam arcem, cuius incolæ mercatorum maximi ſpoliatores erant, obſidione fatigatam diruit. Suberat Hamersbachia Faſterado à Meroda puero, cuius tutores hæc inde fieri permittebant. Hæc Diuæus, quibus pauca addere lubet ex Meiero: Renatum, inquit, hoc anno bellum, prædęque ac latrocinia, cum grandi mercatorum præcipuè diſpendio, inter Flandriam & Hanoniam. Cauſam ex eo natam lego, quòd Ioannem Angienſem Ludouici Flandriæ Comitis cognatum Albertus Bauarus Procurator Hanoniæ capite truncaſſet apud Quercetum. Ceterùm pacificatum tandem lego, cædemque Angiani ab Alberto maxima pecunia expiatam ac redemptam. Hollandi fatentur Angianum ſui vindices habuiſſe ſex fortiſſimos fratres. Eodem anno Petrus Rex Cypri de Saracenis victoriam retulit, & cum Sultano Ægypti inducias pepigit; itemq; Eduardus Princeps Walliæ profectus in Hiſpaniam Petrum Regem Caſtellæ, qui ad ipſum pro auxilio in Vaſconiam refugerat, victis Gallis, pulſoque Henrico notho, in Regnum reſtituit. Verùm cùm Petrus Rex pacta pro milite ſtipendia non ſolueret, nihil ampliùs auxilij à Principe Walliæ accepit. Quapropter anno inſequenti 1367. Henricus germanus eius ille nothus auxilio Gallorum rediit, victumq; fratrem ac in poteſtatem redactum ſecuri percuſſit, & Regnum occupauit. Menſe Decembri ad ferias D. Nicaſij per noctem tanta inhorruit tempeſtas ac furor ventorum, vt dies mundi nouiſſimus adeſſe videretur. Orta ad hæc peſtilentia magnum extinxit mortalium numerum

Rex Cypri fruſtrà conatur Chriſtianos in Turcas concitare.

1365 *Carolus Imperator Wenceſlaũ fratrem creat Præfectum Alſatiæ.*

1366

Prædæ inter Flãdros & Hannones.

1367 *Henricus nothus occupat Regnum Caſtellæ, Petro fratre ſecuri percuſſo.*

rum apud Flandros & Brabantos, eorumque vicinos. Ita Meierus. Hoc eodem anno, referente Radulpho de Riuo Decano Tongrensi, qui tum viuebat, Ioannes Mandeuilius natione Anglus, vir ingenio & arte medendi eminens, qui toto ferè terrarum orbe peragrato, tribus linguis peregrinationem suam doctissimè conscripsit, in alium orbem nullis finibus clausum, longeque hoc quietiorem & beatiorem, migrauit 17. Nouembris, sepultus in Ecclesia Wilhelmitarum, non procul à mœnibus ciuitatis Leodiensis. Hæc ille. Anno 1368. narrante Diuæo, Margareta vxor Ludouici Comitis Flandriæ Ioannæ nostræ soror viuis excessit, filia vnica relicta, nomine item Margareta, quam Philippo fratri suo iungi Carolus Rex Francorum omni modo cupiebat. Quamobrem Tornacum profectus, Wenceslaum Ducem, Albertum Comitem Hannoniæ & Hollandiæ, & Ludouicum eò exciuit. Ludouicus, excusata valetudine, in Flandria remansit, instantibus vehementiùs Flandriæ vrbibus, vt nisi receptis Insula, Duaco, & Orchia, in id coniugium non consentiret. Porrò mater Comitis, virilis animi mulier, cùm sibi mamillam abscindere minaretur qua eum lactarat, euicit, vt regiis postulatis acquiesceret. Anno insequenti 1369. Petrus Couterellus se vrbi Louaniensi numquam controuersiam moturum spopondit de 1400. veteribus scutatis, quos sibi ad vitam suam deberi sigillo vrbis, vti diximus, falsò obsignarat; nec se suosque vmquam ijs aut consimilibus litteris vsuros. Acta hæc mense Martio, adhibitis vadibus qui cum Couterello tabulas huius pacti obsignarent, Ioanne Domino Bouchoudæ, Valtero Domino Heuerlæ, Equitibus; & Henrico à Cuyck. Eiusdem anni 13. Kalend. Iulij, Gandaui nuptiæ celebratæ inter Philippum Ducem Burgundiæ & Margaretam filiam Comitis Flandriæ magna pompa; quibus & Wenceslaus cum Ioanna intererat. Hæc tantùm Diuæus. Meierus inter alia etiam hæc adiicit: Mense Iulio Angli, Belgæ, & Germani, duce Ioanne Lancástrio Eduardi Regis filio Calesiam magno numero applicant, Ghisnenses, omnesque Atrebates miris modis vexant, omnia ruinis & incendiis vastant. Contra eas grassationes exercitus Gallorum, Duce Philippo Audace, quamuis nouello marito, Somonam fluuium transit, atque ad Monstrolium oppidum descendit: Angli in valle Toruahemensi castrametati sunt, Dux Burgundiæ montem Toruehanicum occupauit. Magna erat prælij expectatio. Priores Regis nutu abierunt Galli, ignominiosè quidem, sed fructuosè, & Angli postero die similiter Calesiam se receperunt. Hoc anno mense Iunio Iudæi Bruxellæ venerabile Corpus Christi pugionibus & gladiis transfixerunt, vnde cruor copiosè effluxit; quod ob scelus eodem in oppido viui fuère concremati. Ista Meierus: confirmanturque eadem ex Archi-

1368

Moritur Comitissa Flandriæ, Ioannæ nostræ soror, vnica filia relicta.

Margareta Flandrica despōdetur Philippo Audaci fratri Regis Francorum

1369

Eorumdem nuptiæ celebrantur magna pompa.

Venerabile Corpus Christi Bruxellæ à Iudæis confossum cruore aspergitur.

Archiuis ratiociniorum Brabantiæ, vbi hæc inter cetera etiamnum leguntur: Item recepta ex venditis bonis Iudæorum, postquam exusti sunt circa Ascensionis Domini anno 1370. qui delati fuerant, & condemnati vt viui exurerentur, eò quòd pugionibus transfixerant sanctum Sacramentum Altaris, furtim ex Cappella S. Catharinæ Bruxellēsis sublatum, quatenus eadem bona venerunt ad manum Receptoris: primùm, per
1370 manum Reineri Hollants Collectoris Bruxellensis. Anno 1370. Ordo S. Brigidæ virorum & mulierum, ab eadem sancta femina paulò antè institutus, confirmatur: & eodem anno 14. Kalend. Ianuarij Vrbanus Quintus Papa obiit. Ita Onuphrius. Nihilominùs de Riuo tunc viuens tradit eum defunctum anno præcedenti; qui & hæc addit: 19. Decembris Feria 5. moritur Vrbanus Quintus SS. memoriæ Pontifex, in Ecclesia Auenionensi primò sepulturæ traditus, vbi statim multis cœpit miraculis coruscare; inde translatus Marsiliam in Monasterium S. Victoris, vbi priùs Abbas fuerat: successit Gregorius Vndecimus, de quo vide dicta & anticipata ex eodem hoc Auctore suprà ante annos octo, itemque dicenda annis octo pòst.

Vrbanus Papa moritur, & mox miraculis claret.

1371 Anni 1371. mense Maio (verba sunt Diuæi) Ioannes futurus Dux Burgundiæ & Comes Flandriæ natus est, ex Philippo & Margareta progenitus. Gestum eo anno bellum Iuliacense à Wenceslao Duce infeliciter. Id ortum habuit hac de causa: Prædones aliquot, exspoliatis mercatoribus, in Iuliacensem terram receptum habere dicebantur. Quo ad Ducem nostrum delato, missa Legatione ad Iuliacensem Marchionem Guilielmum, monebat, vt mercatoribus iacturam resarciri, & in maleficos animaduerti curaret. Ceterùm Iuliacensis, illiberaliter habitis Legatis, eius sententiæ responsum dedit, vt bellum quàm pacem cum Duce malle videretur. Reuersis Legatis, bellum in Iuliam decretum; conscriptisque in Brabantia equitum peditumque numerosis copiis, auxilia etiam non modica, Francia, Flandria, Lucemburgo, ac Alsatia vicinisque regionibus exciuit. Parata expeditione, Bruxellâ per Louanium Traiectum Mosæ Brabantinorum exercitus processit. Huc etiam auxiliares confluxere. Recensito ibi milite, in Iuliam Dux progressus, obuium hostem habuit. De modo pugnæ variatur. Frossardus Gallicus Historicus, scribit exploratores à nostris præmissos, nihil certi retulisse; hostes verò nostrorum dispositionem longè antè edoctos, alterius diei summa luce, nostris tam improuisò superuenisse, vt Duci ad Missæ solemnia eunti de eorum aduentu trepidè nuntiaretur. Inde magis trepidè ordines dispositos, mox à custodibus corporis Ducis Ioanne Falcone, Balduino à Belloforti, Roberto Coloniensi, & Gerardo Biesio, disiectum in fronte aciei ferocientem Bruxellensium equitatum: porrò intellecta ea nostrorum trepidatione, hostes, facto impetu, strata con-

Nascitur Ioannes filius Audacis.

Bellum cū Iuliacensibus ob mercatores spoliatos.

Variè refertur de hac pugna.

confestim prima acie, quam Guido Comes S. Pauli & Valeranus F. ductabant, reliquos pari impetu disiecisse, trucidatisque compluribus, maximum captiuorum numerum fuisse. Nostri verò Chronographi asserunt Brabantos prima congressione victores, cæso Eduardo Geldriæ Duce, capto quoque per Ioannem à Dighemo Bruxellensem Guilielmo Marchione, sub vesperam quieuisse, moxque omnis metus securos à reliquiis exercitus Iuliacensis repentino incursu superatos. Interim omnes concinunt captum Ducem nostrum; cæsum ab altera parte Geldrum; vtrimque desideratam non modicam multitudinem, à nostris verò maiorem cæsorum cladem & captiuorum. Cæsorum ex nostris illustriores fuêre, Henricus à Cuyck, Valterus à Geldonia, Ioannes à Calstris, Franco Sueuus, Valterus Pipenpoius, Guilielmus à Glymis, Equites; Ioannes à Redelghemo Prætor Bruxellensium; ex auxiliaribus Guido à Ligniaco Comes S. Pauli, Ludouicus à Sanpya, Gerlacus à Boulandia, Georgius à Visbacho, Vynricus à Waieberga, Equites. Captiuorum numerus iniri non potuit. Pugnatum est hoc prælium 13. Kal. Septembris. Ita Diuæus, apud quem, qui volet, etiam legere poterit prolixum catalogum omnium Nobilium qui huic expeditioni interfuerunt. Scriptor Leodiensis seu Tongrensis, Radulphus de Riuo aliquoties citatus, qui tunc viuebat, his verbis bellum istud commemorat: Anno, inquit, à Christo nato 1371. Octaua Assumptionis B. Mariæ Virginis, ex parua scintilla magnum, vti assolet, inter Wenceslaum Brabantiæ Ducem & Guilhelmum Iuliacensem Marchionem exarsit belli incendium, quòd ille diceret suos Brabantinos negotiatores in agris Iuliæ, magno sui contemptu, fuisse spoliatos. Igitur ea re mirum in modum commotus, magnum vndique conflauit exercitum. Erant in eo plerique omnes Nobiles viri Brabantini, Leodienses, Namurcenses, & inprimis Lambertus de Vpey Magister militiæ patriæ Leodiensis, Robertus & Lodouicus fratres Comitis Namurcensis, & alij harum Prouinciarum heroës præcipui: Marchionis verò castra sequebantur Dux Geldriæ, Comes de Monte, & alij primarij Alemanniæ milites. Cùm ad arma ventum est, dudum incerto Marte congressum, donec victoria in partes Marchionis inclinauit. Capti sunt in eo certamine Petrus de Barro D. de Seranio, & alij perplures exercitus Brabantini viri primores: Dux ipse multorum telis expositus, tamen incolumis captus, Iuliacum primò, deinde in Nynderke castrum munitissimum ductus est. Sed nec Iuliacenses sine cæde congresi sunt. Nam & Eduardus Dux Geldriæ telo in facie ictus post triduum obiit; cuius mortem diuturna & atrocia pro Ducatu Geldriæ secuta sunt certamina. Anno verò sequente 1372. Carolus IV. Imperator, fratris sui
Wenceslai captiuitatem dolens venit Aquisgranum, vel pacem acturus, 1372
vel

Interim constat Ducem Wenceslaum victum & captum.

Idem bellum, vt commemoratur à Scriptore eius temporis.

Dudum incerto Marte pugnatum: postea victoria ad Iuliacensem inclinauit, sed cruenta, cæso inter alios etiam Duce Geldriæ.

vel Marchioni bellum illaturus. Igitur Episcopo Leodiensi, Imperatore, Ducissa Brabantiæ, & pluribus aliis Proceribus interuentoribus, vtrimque auditis partibus, pax coiit, hac cum aliis conditione adiecta, vt Dux Brabantiæ liber gratis dimitteretur; quod extemplò factum fuit. Sic Auctor ille, res sui temporis describens. Diuæus narrationem suam hoc modo prosequitur: Perlato in Brabantiam huius cladis nuntio, Ioanna vxor Ducis grauiter consternata, consilio Regis Franciæ Confluentes profecta est ad Carolum fratrem Wenceslai Imperatorem Romanum; à quo benignè accepta, remissaque cum spe mariti paulò pòst recipiendi, domum rediit. Initio itaque sequentis anni Carolus Imperator, proscripto Iuliacensi, totam pænè Germaniam in eum concitabat, nisi Archiepiscopi Rheni, Episcopus Leodiensis, & Albertus Comes Hollandiæ & Hannoniæ cum Ottone fratre Duce Baioariæ cohibuissent: quorum consilio vocatus Aquas-Grani Iuliacensis, missis ad eum Alberto ac Ottone, libertati restitutum Wenceslaum vnà adduxit. Confirmata eo Conuentu pax inter Ducem ac Iuliacensem; ac captiui omnes, qui cum detinentibus nondum pacti fuerant, sine pretio dimissi. Reuerso in Brabantiam Duce, multis vectigalibus Respublica onerata est, vt externis Nobilibus, qui vnà cum Duce capti fuerant, de damnis, quæ eo bello perpessi erant, satisfieret. Censarum familiarum capita in Brabantia fuêre 100000. quibus singulis indicti duo aurei montones, cum vno quadrante, vt ego in manuscripto codice deprehendi. Eodem anno status Reipublicę Louaniensis mutatus est à Duce, decreto, vt Senatus deinceps totus pænè ex Patriciis eligeretur: septem videlicet Scabini, 19. Iurati, & ex his duo Consules; sex Censores Lanificij; ex plebe duo Iurati, & Censores totidem. Credo ademptum à Duce plebi Magistratus gerendi priuilegium, ob auxilia in Iuliacense bellum denegata. Renouatum seu reuocatum potiùs ad vsum fuit eo anno inquisitionis decretum à Wenceslao ac Ioanna Ducibus pridem constitutum; videlicet vt inquisitio fieret in omnes qui ab anno 1351. vsque ad annum hunc Magistratum gessissent: qua facta, ac per Inquisitores ad Censores huic negotio deputatos delata, secundùm cuiusque malefacti conditionem, à Censoribus pecuniaria vel alia maior in eos qui Magistratum iniquè gessissent, indiceretur pœna. Quæstores præterea deligerentur, qui mulctarum pecuniariarum receptionem haberent. Lecti tum Inquisitores, ex militari Ordine Molebesia, Pijlijser, Equites; ex vrbibus Eueloga, & Absalonis, Louanienses; à Frigido monte, & à Sponta, Bruxellenses; Leonius à Bosco; à Wanga Thenensis; Medegemus Leuiensis; Blancus Niuellensis. Similiter lecti alij Censores & Quæstores, & capitalis pœna indicta ijs, qui Inquisitorum Censorúmve actis obsisterent. Con-

Satagit Ioanna nostra pro Wenceslao marito captiuo.

Agente Imperatore & alijs, Wẽceslaus liber dimittitur.

Respublica Louaniensis tota ferè iterùm ad Patricios transfertur.

Constituũtur Inquisitores & Censores in eos qui Magistratum non benè administrarunt.

Confirmata item à Duce charta Cortebergensis anno 1312. à Ioanne Secundo Duce concessa, additumque vt non solùm Cortebergæ, verùm vbicumque Conuentus ageretur, vtque in locum Antuerpiæ (quæ iam Comiti Flandriæ parebat) Lyra Senatorem vnum ad eum Conuentum mitteret. Obsignata hæc à Ducibus Wenceslao ac Ioanna; quibus testes accessère Guilielmus à Flandria Comes Namurci, Dominus Slusę, Guilielmus filius eius, Ludouicus à Namurco Dominus Pitteghemi, Theodoricus ab Hornis Dominus Paruwisij ac Dufflæ, Suederus ab Apcouda Dominus Gasebecæ, Henricus Dominus Disthæ, D. Wesemaliæ, D. Petreshemi, & alij. Sequenti anno 1373. Duci modica controuersia incidit cum vrbibus Brabantiæ. Erat priori anno indictum vectigal frumētarium; quo vt minùs profuturo, aliud tributum in singulas familias exegerat, vt antè dictum est. In hoc ea lege vrbes consenserant, si Clerus quoque contribueret, & Quæstores noui illi colligendo decernerentur, ne à Ducalis Fisci administratoribus collecta diffueret. Quod proximorum instigatione ægriùs Dux ferens, Bruxella Genappam indignabundus concessit. Et quidem initio anni proximi 1374. Dux Genappa progressus, Niuellense territorium incursare cœpit. Ceterùm, ne hæc controuersia ingentis alicuius mali origo fieret, Ioannes ab Arkel Episcopus Leodiensis, ac vrbes eius diœceseos prohibuerunt: ipsi etenim seduli inter vtrosque euntes redeuntesque effecerunt, vt Braniæ vico Brabantiæ conuenirent. Vbi pax coiit his conditionibus: „Vt obliuio omnium iniuriarum hinc inde esset. Fœdus, quod capto Duce vrbes oppidaque inierant rescinderetur, Diplomatibus, quæcumque ea de re conscripta erant, abolitis. Sexaginta millia aureorum Ordines Duci exsoluerent; atque ex iis 20000. Clerus; his adderentur à duobus Ordinibus, ab vrbibus 25000. à Nobilitate 15000. Quibus colligendis Quæstores ab Ordinibus deligerentur, duobus à Duce additis. Quod præter hanc summam captiuis redimendis deesset, è Fisco Ducali suppleretur; prouideretque Dux ne quid ex mora detrimenti Resp. caperet: alioqui id impendio eius resarciendum fore, &c." Sequenti anno 1375. Mechlinia ex incendio grauissimum damnum accepit: & Viluordiæ Dux Wenceslaus arcem exstruere cœpit; quod oppidum muris ab eo cinctum quidam asserunt. Hæc Diuæus. Addit ista Meierus: Brugis conuenerunt Legati de pace inter Reges componenda: sed nihil pactum est præter inducias prolatas adusq; Natalem D. Ioannis Baptistæ anni 1376. Et habebat Magister equitum exercitum in finibus Flandriæ Occidentalis, perinde ac Ludouico Comiti parum Galli fiderent: siquidem & Ludouicus numquam ad Conuentus istos Brugenses accedere voluit, sed alibi in Flandria cum cognato suo Ioanne Duce

Dum Antuerpia Flandro paret, Lyra vnum Senatorem ad Comitia Brabantica mittit.

1373

Dissidium inter Ducē & Ordines super tributo colligendo.

1374

Conciliantur inuicē, agente ab Arkel Episcopo Leodiensi.

1375

Extruit Wēceslaus arcem Viluordiæ.

Duce Britanniæ maximis ſumptibus ætatem tranſegit, nulli parcens auro. Similiter Dux Burgundiæ, ceteraque tum Galliæ tum Angliæ nobilitas Brugis regalia inter ſe agitabant conuiuia, plenumque erat oppidum nobilium virorum magnificentia. Egit autem Britannus annum totum apud Ludouicum in Flandria, & Legati vtriuſque Regis totam item Brugis agebant hiemem. Ita Meierus. Pergit Diuæus: Anno ſequenti 1376. cùm Arnoldo à Wilra Prætura defuncto Dux Guilielmum à Wilra Equitem aut Ioannem Album ſucceſſorem dare vellet, obſtitere Louanienſes, veteri priuilegio innixi, ne, qui Scabini Magiſtratum in ea vrbe egiſſet, Præturam obiret. Vnde non parum commoto Duce, tamen alius Prætor datus eſt Nicolaus à S. Gaugerico Eques Bruxellenſis. Menſe Ianuario obiit Eques clariſſimus Bernardus Dominus Borneuallis, Ductor Louanienſium, cõditus in Franciſcanorum Cœnobio, ad dextram partem Chori: ſucceſſit ei Ioannes filius, cuius poſteà ampla mentio fiet. Menſe Septembri anni proximi 1377. Ioannes Dominus Grousfeldæ, cùm oppidulum in Tranſmoſanis nomine Woutvucht emiſſet, iuſſu Wenceſlai Ducis, in Leodienſium odium incidit. Egreſſi etenim magna multitudine Grousfeldam obſidio cinxêre. Cuius controuerſiæ cauſa, quamuis ſæpiſſimè conuentum ſit de pace, difficulter tamen componi potuit. Eodem anno Carolus Imp. cum Wenceſlao filio Ducem Wenceſlaum in Brabantia inuiſit; quem ſummo officio à Louanienſibus muneratum lego. Electi deinde à Duce ſedecim viri partim ex Patriciis, partim ex plebe, Louanienſibus; qui inſpectis vrbis rationibus, ærario ab ingenti debitorum onere liberando conſulerent, eò quòd ciues ab vrbis creditoribus vbiuis in vincula ducerentur. Initio anni ſequentis 1378. Dux noſter cum Carolo fratre Imperatore in Franciam profectus eſt, perturbatiſſimo iam vrbis Louanienſis ſtatu. Plebs etenim, ſemel deguſtatis honoribus, omnem his recuperandis operam impendebat. Vnde abſentiam Ducis nacta, concitata iterùm ſeditione, ſumptoque alborum capitiorum inſigni, Patricios vrbe pepulere: qui duce Ioanne à Calſtris Equite Arſcotũ profugerunt. Reuocatus tum in Brabantiam Dux nouũ de Magiſtratibus gerendis Edictum propoſuit: Vt ſingulis annis Iuratorum vndecim, Scabinorum tres, Cenſorum quatuor ex plebe; vnus vtrimq; Conſul deligerentur. Ferunt à plebe ob hoc Edictum 9000. aureorum Ducem extorſiſſe. Lecti Conſules, Ioannes Suarterius Eques, & Valterus à Leyda, homo in plebe præpotens. Maxima poſt hæc Patriciorum pars vrbe abſtinuit; ſolis iis, qui plebeiam factionem non omnino aſpernabantur, in vrbem reuertentibus. Quare propoſita lege, vt omnes Patricij, qui extra vrbem commorabantur, domum ſub exſilij pœna redirent, miſſa Capitiatorum manus Arſcotum, vt

Agitantur Brugis tota hieme Regalia conuiuia.

1376

Louanienſium priuilegiũ: Qui Scabinus fuit, Prætor non ſit.

1377

Carolus Imp. cum filio VVenceſlao, magno honore Louanij excipitur.

1378

Wenceſlao noſtro cum fratre Imp. in Franciã profecto, iterùm Louanienſes tumultuantur.

vt Ioannem à Castris, ceterosque violenta manu reducerent, fortiter repulsi sunt. Renatum posteà bellum à Leodio, quo Leodienses in Brabantiam excurrentes, Landinum ac Hannutum exussêre; sed mediante Ludouico Comite Flandriæ in inducias desiit. (causam belli mox ex Leodiensi narrabimus.) Mense Decembri Ioannes à Schoonvorsta, Dominus Monijoyæ, Senescallus Brabantiæ creatus est. Mox orta inter Guilielmum Dominum Wesemaliæ ac Louanienses controuersia: cùm is Louaniensium ciues Westerloæ in vincla coniecisset, hi vicissim armata vi egressi multos Wesemaliensium captiuos Louanium abduxêre. Hinc inter Patricios ac plebem Louanienses cædibus ac incendiis agi cœpit, cùm plebs Patricios perpetuo exsilio multaret, Patricij apprehensos quoscumque poterant ex plebe neci dederent. Ista Diuæus. Scriptor Tongrensis de Riuo addit, causam belli Leodiensis fuisse schisma tam vniuersalis quàm Leodiensis Ecclesiæ, narratque in hunc modum res sui temporis: Hoc tempore, inquit, cœpit schisma in Ecclesia, quo neque temporis diuturnitate maius, neque calamitatum fertilius extitit. Clemens Quintus circa annum Domini 1305. Sedem Pontificiam ab vrbe Roma in Auenionem Galliæ vrbem transtulerat, eò quòd Romæ existentes seditiones Italicas, quæ tunc frequentes erant, sedare non posset; manseratque deinceps istic Sedes ad hæc vsque tempora per annos septuaginta tres, cùm anno præcedenti 1377. mense Ianuario Gregorius Vndecimus eam Romæ restituit, mansitq; ipse ibi vsque ad obitum, assistentibus sibi Cardinalibus sedecim, Citramontanis duodecim, Italis quatuor. Obiit is Gregorius hoc anno 1378. die 27. Martij, sepultusque est Romæ in Ecclesia S. Mariæ Nouæ. Decimo à morte die Cardinales intrantes Cõclaue, cùm Citramontani in electione Pontificis difficulter conuenirent, quibusdam etiam metum, vt ferebatur, iniicientibus, quòd ciues Romani Conclaue armati circumirent, Romanum postulantes, tandem declaratus est Pontifex non ex præsentibus quispiam, sed Bartholomæus Archiepiscopus Barensium absens, patria Neapolitanus, dictus Vrbanus Sextus. Electione facta, populus existimans electum Romanum non esse, irruit in Conclaue; quo furore perculsi Cardinales fingunt Franciscum tit. S. Sabinæ Cardinalem esse electum: quo audito, populus furore deposito, eo nomine illum salutauit & adorauit. Interim fugiunt Cardinales, aliqui in castrum S. Angeli, alij extra Vrbem ad arces & munitiora loca. Rebus paulò pòst, vt gestæ erant, cognitis, Cardinales omnes ad electum Vrbanum Sextum Pontificem redeunt, & ipsum primo Paschatis festo, quod in 19. Aprilis incidit, de more coronant. Quin etiam ad primarios orbis Principes de electione Vrbani litteras destinant; liberè inter se & cum Pontifice conuersantur, omnis generis

Leodienses Landinum ac Hannutũ exurũt: causam vide sub finẽ huius anni.

Causæ cur ante annos septuaginta tres Sedes Põtificia in Gallias fuit translata.

Oritur Romæ perniciosũ (nempe 40. ferè annorum) schisma.

Cõsecratur Vrbanus Sextus, nullusq; ei contradicit integris mensibus quinque.

actus iurisdictionales cum Vrbano veluti Summo Pontifice quinque amplius mensibus exercent. Intereà Vrbanus omnem operam restituendæ disciplinæ Ecclesiasticæ impendit, imperat Cardinalibus vt pompam minuant, omnem Simoniæ labem restitutione eluant, &c. Hinc Cardinales Galli numero octo frendere, capita conferre; tandem freti fauore Ioannæ Neapolitanæ Reginæ & Regis Galliæ, Anagniam & Fundos clanculùm petunt, factaque turpissima secessione, electionem Vrbani coactam fuisse prætexentes, alium sibi ex suo corpore Summum (vt dicebant) Pontificem creant. Is erat Robertus Cardinalis Gebennensis, Comitis Gebennæ filius. Hunc mense Septembri electum, tandem Kalend. Nouembris coronauerunt, Clementem Septimum appellantes. Atque hoc est initium perniciosi schismatis, quod per annos ferè quadraginta durauit, Europa tota animis studiisque discissa; Francia, Hispania, Scotia, Sabaudia, cum adiacentibus, Clementi adhærentibus; Italia verò, Alemannia, Anglia, Flandria, Hungaria, Bohemia, partibusq; vicinis sub Vrbani obedientia permanentibus. Non deerant tamen, qui se Neutrales dicerēt, donec Concilio generali res tota decideretur. Hac ergo occasione à Leodiensibus hoc anno electus Persandus à Clemente perperàm confirmatur: quod intelligens Vrbanus, Dominum Arnoldum de Hory sub id tempus in Curia existentem ad Episcopatum Leodiensem prouehit, qui & receptus est; Persando frustrà auxiliis Brabantiæ & Cliuiæ Ducum Episcopatum occupare conante. Hæc Auctor, ea omnia ante oculos habēs. Redeo ad Diuæum: Anno 1379. inquit ille, Duce Wenceslao Luceburgum profecto, omnia in peius versa sunt. Louaniensium exemplo, plebeij vbique in Magistratum insurgebant; Louanij verò in Nicolaum à S. Gaugerico Prætorem absentem acerbiùs tumultuatum: mox à Capitiatis vi effractum Parcense Cœnobium, quòd exsulum Patriciorum aliquot ibi delitescere dicerentur: cessit denique Prætura Nicolaus à S. Gaugerico, suffecto Ioāne Burggrauio Montenace, Equite; & dum hæc fierent, lecti noui Coss. Simon ab Ouerbrouca, Valterus Saxo. Intereà Valterus à Leida Exconsul plebeius Bruxellam profectus mense Decembri, noctu interfectus est Patriciorum conspiratione ibi commorantium: quo Louanium relato, plebs immane quantum in Patricios efferbuit. Missi mox Bruxellam Legati Simon Cos. Ioannes Quinque, Guilielmus à veteri Heuerla, vt de interfectoribus supplicium sumeretur, Ioannam Ducem, Senatumque Bruxellæ monituri: quorum non exspectato reditu, efferata factio Capitiatorum, Patriciorum quotquot eius facinoris vel leuissima suspicio alligabat, in Curiam venire compulsos, firma sagittariorum cohorte custodiri iusserunt. Porrò Ioanna Dux, remissis Legatis, litteras ad plebem dedit, postulans ne quid in captiuos acer-

Tandem Cardinales octo clamāt electionem eius fuisse coactam.

Itaque Antipapā Clementem eligunt dictū Septimum.

Hinc & schisma in Ecclesia Leodiensi; Duce nostro fouente simul constitutum à Clemente.

1379

Casus Bruxellæ per insidias Ex-Consul Louaniēsis plebeius: hinc plebs, si vmquam antè, furit.

Conatur Ioāna pacare plebem, sed frustra.

acerbiùs statueretur; se mox Louanium venturam, ac cædem Valteri à Leyda non vulgariter vindicaturam. Eodem tempore superuenêre & Ludouici Comitis Flandriæ litteræ, quibus ille Henricum à Velpa Patricium, hospitem quondam suum, vinclis eximeretur, petebat. Non negatum id Comiti. Ceterùm ne Ioanna Dux Louanium veniens ceteros manibus eorum eriperet metuentes, armis sumptis in forum ruunt: vbi cõstipata, ne quis elaberetur, Curia, sagittarios captiuorum custodes vinctos omnes fenestris eiicere cogunt, exceptosque hastis, fœda dilaniatione crudelissimè conficiunt. Erat captiuorum illustrissimus Ioannes Planipes (*Platvoet* vernaculè) Eques; quem sagittariorum vnus miseratione tanti viri affectus, sub scamno latere permiserat: sed re detecta, ambo, vt ceteri, præcipites dati. Patrato eo facinore, Capitiati innocentium cruore toto corpore conspersi domos quisque suas confluxêre. Cæsorum Patriciorum nominatos reperio Ioannem Planipedem, Ioannem Album, Rudolfum ex Limingis, Ludouicum Caynogam, Alardum Sadelarium. ad 17. fuisse ferunt, alij 13. His peractis, oppida suæ iurisdictionis, mox Leodiensis quoque diœceseos, Louanium conuocarunt. Venêre Senatus Thenensis, Leuiensis, Distanus, Halensis, Arscotanus, Lyranus, & Geldoniensis. Quibus post multam deliberationem in mandatis datum, vt Bruxellam profecti Ioannam commonefacerent, vt de Leydæ interfectoribus supplicium maturaret; de cæde verò quæ in Patricios patrata erat (quòd ea in iustam vltionem accidisset) non magnopere angeretur. Missus quoque ad Ducem Lutetiam (quò à Luceburgo aberat) Legatus, qui edoctum eum de ordine gestorum, vt domum quamprimùm maturaret, oraret. Rediit is mense Ianuario, oppidorum Legatis etiamnum Bruxellæ agentibus; quos Louanium misit, iussos Louaniensibus edicere, se confestim eò venturum, ac in vtriusq; cædis auctores æquo iudicio animaduersurum. Quo responso accepto, non parum Ducem veriti, Leodiensium, Tungrorum, Trudonensiumq; Legatis exoratis, vt vnà cum Thenensibus, Leuiensibus, Niuellensibus ac Prętore Louaniensium Bruxellam proficiscerentur, vt Ducem quoquo modo placarent, expetiere: offerentes se ex Ducis ac omni bonorum arbitrio satisfactionem subituros, si Conuentu Banci vel Parci indicto, Dux eò proximorum suorum aliquot mitteret. Quod tum impetrari non potuit: mox, cùm Bruxellenses ac Louanienses secretò quædam agere Dux comperisset, ademptis plebi armis, claues etiam portarum ad se deferri iussit. Porrò in fine anni, pertinacibus Leodiensibus, vt Conuentus Banci vel Parci indiceretur, Dux cessit. Præscripta tamen dies Bancum conueniendi, incertum qua de causa, diffluxit: res Furam translata; missi eò, Prætor Louaniensis,

Patricij fenestris eiecti infestis hastis à plebe lacerantur.

Patriciorũ nomina & numerus.

Obserua impudentiam furentis plebis.

Seditiosi territi responso Ducis, intercessores ad eum mittunt.

Fit Conuentus Furæ, sed sine effectu.

 Ioan-

Ioannes à Borchouiis, Guilielmus à veteri Heuerla, Consules. Summa eorum quæ Louanienses offerebant, hæc erat: Vt iis, qui manum Patriciis trucidandis immiserant, in transmarinam peregrinationem damnatis, reliqui nulla pœna afficerentur. Dum hæc agerentur, à Tungris Louanium nuntius aduenit, armatos indies in suis ac Hasbaniæ finibus videri; non dubia opinione in Louanienses quidquam moliendi. Fama hæc comprobata, iisdem armatis mox circa Louanium conspectis: quare excubiæ tota vrbe agi cœpere. Porrò Conuentus Furanus, cùm ea quæ Louanienses offerebant, pro modo delicti exigua viderentur, dissolutus
1380 est. Mense Aprili sequentis anni 1380. nouus Banci Conuentus actus: vbi fida Bruxellensium opera effectum, vt voto Louaniensium pax" concluderetur; videlicet sola pœna transmarinæ peregrinationis homi-" cidis indicta; iis verò qui Leidanum interfecerant perpetuo exsilio pu-" nitis; eo addito, vt ex ærario publico cum cæsorum Patriciorum liberis" veteri iure componeretur. Acta hæc mense Maio. Ea expiatione cetero-" rum Patriciorum consanguinei pacati fuêre, præter Petrum Planipedem Ioannis ac Ioannem Ioannis Albi filios. Ita Diuæus. Eadem breuiùs, & pro parte distinctiùs Cl. V. Lipsius in suo Louanio lib.2. cap. 11. in hûc modum: Periere hac rabie ad septemdecim; additusque vnus è plebe, quòd is Platuotium, misertus veteris patroni, scamnis abditum veste contexerat. Hæc facta 16. Kal. Decembris: & qui Patrum reliqui domi reperti sunt, in custodiam dati. Post factum, frigus & mox pœnitentia aut metus subiit. Nam quomodo Principem hæc laturum? qui breui rediturus, pœnas de sontibus insontibusque caperet. Itaque deprecatores parant Lewenses, Tillemontanos, Diesthemienses, Liranos, Bruxellenses, Eburones quoque & Tungros: & citiùs, ecce, opinione Wenceslaus Bruxellam venit. Arma & machinas ille parabat, vltioni intentus; cùm Legati à prædictis ciuitatibus adsunt, & veniam suppliciter petunt, expiationem cædis, quam vellet, offerentes. Tandem, diu deliberato, præscriptum, vt quatuordecim è plebe, præcipui auctores, in Cyprum relegarentur; agnatis cæsorum certa pecuniæ summa daretur. Mitis transactio, & intra magnitudinem noxæ omnibus visa: tum illud turpe, quòd ipsis relegatis pecunia in viaticum quasi Legatis à Republica attribueretur. Itaque non fuit animis placandis. Nam Patriciorum iuuentus fremebat, sanguinem parentum vænalem non habere, nec modica ista pecunia redimendum. Iamque vicinis locis aut arcibus occupatis, bellum in suos ipsi ciues gerebant, & prædas vndique agebant. Nec cessare etiam plebeij: quin vim & maleficia reponere, vel augere; & denique longiùs ire, & contra Principem etiam occulta fœdera cum Gandensibus (qui arma in Comitem tunc habebant, & tota

Tandem apud Bancum res transigitur.

Eadem, vt narrantur à Cl. Viro Lipsio.

Multa peccata in transactione tanta noxa.

Hinc cruēti iterùm tumultus.

& tota pænè Flandria dominabantur) ferire. Denique post mutuas vtrimque cædes, doctus tandem Wenceslaus frustrà & temerè plebi indultum, arma cepit, vrbemque assedit. Ista Lipsius; sed postrema hæc obsidio non nisi biennio pòst. De Gandensium ista tumultuatione hæc Meierus ad annum septuagesimum nonum: Ortum bellum Flandricum septem annorum, quod tamen bellum dici non debet, sed seditio ciuilis, gentis insania, pestis Reipublicæ, & Numinis flagellum propter nimiam morum corruptionem irati. Periuria, adulteria, cædes, latrocinia, taliaque alia tam multiplicia vbique locorum regnabant, vt à nemine satis valeant enarrari. Prima autem malorum occasio ipsum (proh dolor!) Comitem habuit auctorem. Semel, iterùm ac tertiùm exhaustum ærarium Flandria subleuarat. Tandem Gandenses, qui primas tenere solent in collationibus concedendis, conferre ampliùs grauabantur. Sic Meierus. De eo & de Riuo Scriptor eius temporis sæpè productus: Incidit, inquit, in hunc annum origo cruenti & diuturni Gandensium tumultus, qui à paruis (vt solet) initiis ortus, in septem annos, hoc est ad annum 1385. quo scribere desij, protractus fuit, & supra ducenta hominum millia absumpsit. Sic ille. Sed redeamus ad Diuæum. Confecta, inquit ille, pace parum duratura, missi Leodium Ioannes à Borchouijs, Arnoldus Godertoius, Senatores; ab Episcopo impetrarunt vt Interdictum sacrorum (quod Episcopus ob cædem Patriciorum aliquot qui tonsurati erant, induxerat) remitteretur. Eodem tempore cùm Gandauenses sæuissimo bello cum Comite suo conflictarentur, Ioannes cognomento Lossensis, ciuis Louaniensis, perpetuo multatus est exsilio, quòd Louanienses Gandensibus sagittariorum ac bombardarum opem laturos, temerè effutiisset. Per idem tempus Ioanni Suarterio Consuli & Equiti exsilium indictum, suffecto in reliquum anni Arnoldo Godertoio. Fine eius anni Petrus Planipes ac Ioannes Albus, Ioannem ab Holara ciuem Louaniensem Capitiatorum vnum crudeliter interemerunt Mechliniæ; Ludouicum quoque Ægidium in necem Ioannis cognomento Flandri subornasse dicebantur Gerardus à Radingis, Gothfredus ex Limingis, Henricus, Ludouicus ac Valterus fratres Pinnocci. Hinc noui belli seminarium. Louanienses, missis Bruxellam Mechliniamque Legatis, de cædibus horum inquiri à Duce & Senatu Mechliniensi flagitabant. Initio anni sequentis 1381. Gerardus à Radingis ac Pinoc- 1381
ci fratres Louanium vocati, vt cædem Ioannis Flandri eluerent, cùm non adessent, prædia eorum iussu Louaniensium vsta sunt; missique in Hasbaniam Henricus à Schora cum sagittariorum cohorte, vt hos, Planipedem ac Album, conquirerent, ac in vrbem pertraherent. Valterum Caynogam & Valterum ex Porta, Patricios, in oppidulo Los-

Eodẽ tempore & Gandenses contra Comitem suũ tumultuãtur.

Tumultu Gandensi per annos septem supra ducenta hominum millia absumpta.

Quidam ob solam sparsam seditionis famam exsilio mulctatur.

Varia vtrimque apud Louanienses latrocinia & vastationes.

ſenſis Comitatus, quod Harca dicitur, in vincla duci iuſſerunt. At illi, implorato iure ciuitatis, concita plebe, Henricum à Schora, captis quatuor ſuorum, Halas vſque fugarunt; vixque impetrari potuit, ne quatuor captiui ſupplicio dederentur. Eodem anno Ioannem à Grauio ciuem, Patricij aliquot Dornæ captum pedibus manibuſque mutilatum Louanium remiſere; ij tamen Louanienſium diligentia à Guilielmo ab Horrino Balliuo Hasbaniæ mox capti, capite luerunt. Leuia quoque ciuitas eodem anno ſeditione concuſſa. Menſe Iunio anni proximi 1382.

1382

Plebeij Louanienſes pagũ Lyndam, Patricij vice verſa prædia in Erpa exurunt.

Valterus Saxo plebeiorum Louanij potentiſſimus, Puttæ à Ludouico Crickſteen, Pinnoccis fratribus, & Gothfredo ex Limingis captus auectuſque eſt. Mox Louanienſes Lyndam pagum Ioannis à Calſtris exuſſere; hic verò cum Ludouico Crickſteen in vltionem, prædia Ægidij Mariæ in Erpa pago vaſtauit. Inde euenitt,v Dux Patriciorum cauſam defendendam ſuſciperet. Etenim Louanienſes, miſſis ad eum Legatis, Saxonem liberari, & Mariæ iacturam ſarciri volueranт, ſe in exurendis prædiis Ioannis à Calſtris nihil peccaſſe aſſerentes, quòd in vltionem intercepti Conſulis id factum eſſet. Vnde is commotus, comperto etiam cum vicinis oppidis indies ſecreta colloquia agitari, miſſis in Hollandiam Gelriamque nuntiis, exercitum refrenandæ huic licentiæ cogere cœpit. Econtrà non mediocriter conſternati vrbis Louanienſis Rectores, Nobiles, ceteraſque vrbes ac oppida enixè orabant, ne quas copias in eorum perniciem reciperent, aut bellum è ſuis ciuitatibus Louanio inferri paterentur. Porrò Dux, paratis expeditioni congruis, menſe Octobri, Genapiam Ordinibus conuocatis, Louanienſium proteruiam ſe compeſcere velle exponit, vt ad præſcriptam diem cum iuſto armatorum numero adeſſent præcipiens. Quo comperto, Louanienſes muniendæ vrbi omnem operam impendentes, propugnacula erigere, commeatum inferre, ceteraque obſidioni tolerandæ agitare cœperunt, creatis Capitaneis, Valtero Repardo, Ioanne à Molebeca, & Matthia Woutermanno. Tertio Nonas Decembris Dux maximo armatorum exercitu ſtipatus, è Fura Bancum profectus, propiùs vrbem caſtra locauit. In finem Ianuarij durauit obſidio: quo temporis ſpatio leuibus aliquando præliis certatum eſt, vrbs verò numquam oppugnata, quòd Arnoldus ab Horna Leodienſis Epiſcopus cum eius diœceſios vrbibus omne medium paci quærerent. Vix tamen multitudini perſuadere potuerunt, vt Ducem muris reciperent. Fine Ianuarij pax firmata eſt his legibus: Vt Duci vrbem ingredienti populus omnis ſupplex, nudis capite pedibuſque occurreret; ac prouolutus veniam rebellionis humiliter expeterent. Munitiones vrbis diruerentur. Patricij, qui aliquot antè annis exſulabant, reciperentur. Auctores rebellionis exſilio multarentur. Murorum pars dirue-

Cogit Wenceſlaus copias Louanienſibus domandis.

Satagunt & Louanienſes obſidioni toleranda.

Tandem pax interceſſore Epiſcopo Leodienſi ſancitur.

„ dirueretur, qua Dux vrbem ingressurus esset, &c. Obsignarunt leges pacis Wenceslaus ac Ioanna Duces, Arnoldus ab Horna Episcopus Leodiensis, Reinaldus à Falcoburgo, Dominus Sittterij & Bornæ, Suederus ab Apcouda Dominus Gasbecæ, Ioannes Dominus Wesemaliæ & Falesiæ, Marscalcus Brabantiæ, Henricus Dominus Disthæ, Burchgrauius Antuerpiæ, Ioannes Dominus Leccæ & Bredæ, & alij. His peractis, Dux in oppidum admissus, eiecto seditiosissimo quoque, Ioannem Suarterium Equitem gladio feriri iussit. Mox, eo Bruxellam reuerso, textores seditionem nouam moliri comperti, arma in publicum conferre coacti sunt. Ioannes verò à Calstris, Eques clarissimus, ductor Louaniensium effectus est, qui tum Ioannis Clutingi Equitis Bruxellensis filiam Mariam vxorem habebat. Initio anni sequentis 1383 (nempe à Paschate, vti sæpè monuimus, illum auspicando) exsules Louanienses coniuncti cum ceteris exsulibus Brabantinis, Leodiensibus, aliarumque regionum, Leuiam intercepere mense Maio: in quos post triduum irruens Razo Dominus Lintræ cum tumultuaria suorum manu, compluribus eorum trucidatis, oppidum recuperauit; residui eorum capti, ac Louanium adducti pœnas dedere. Exinde ceteri exsules Brabantia profugi, in Hasbania latebant: vbi, missis aliquot suorum, cum Petro Siluano Gandensium factiosorum duce fœdus iniere; cuius ope adiuti, diuersis itineribus properantes Louanium interciperent. Captus tum eorum vnus Filuordiæ; qui portam vnam eius oppidi adaperturum se Guilielmo Repardo exsulum ductori receperat; estque is supplicio addictus. Quo comperto, exsules ex Hasbania per Campiniam in Hollandiam properantes, cùm à Ducibus nostris Wenceslao & Ioanna Alberto Hollandiæ Comiti signa quibus agnoscerentur, prodita intellexissent; Gandauum sese, quanta poterant celeritate, proripuerunt. Anno sequenti 1384. exsulum colluuies in vnum collecta (qui partim Louanio, Thenis, Leuia, S. Trudone, vicinisque oppidis eiecti erant) Apros se nominabant, ac infinitis malis Brabantiam affligebant; ita vt profligandæ huic multitudini, armatos ruratim ad pulsum campanæ colligi necesse fuerit: ita plures eorum variis in locis capti; inter quos Franco eminebat nomine Sigerius, Hugardiæ capite cæsus. Porrò Dux noster Wenceslaus Luceburgum hoc anno profectus mense Decembri, fatis concessit, nulla prole relicta; cuius corpus ab eius regionis Nobilitate in Oriuallensi Cœnobio conditum est. Ita quidem Diuæus; atqui Wenceslaum anno superiori defunctum, Miræus certò astruit. Sunt hęc eius verba ad annum pręcedentem: Wenceslaus Luceburgi Dux primus à fratre Carolo IV. Imperatore creatus, idemque iure vxorio Brabantiæ & Limburgi Dux, hoc anno, pridie Conceptionis Deiparę, nulla prole relicta moritur, vt ex Epitaphio mihi

Initia noui tumultus, sed citò repressa.

1383

Nihilominùs exsules Louanienses Gandensibus se iungunt.

1384

Colluuies exsulum, qui se Apros nominabant.

Moritur Dux Wenceslaus.

constat, quod in Aureæ vallis apud Leucos Monasterio legitur. Hæc Miræus, & adstipulatur etiam Meierus.

Wenceslao, vt diximus, viuis exempto (pergit Diuæus) Ioanna sola Remp. administrare cœpit, renascente tum Gelrico bello. Non parum tamen è coniugis amantissimi morte consternata, morbo grauissimo aliquamdiu conflictata est. Vnde conualescens, partium suarum firmum præsidium fore rata, si Philippi Burgundiæ Ducis liberis connubia prouideret, (vtpote ad quos Brabantiam deuolui necessarium foret, si humanitus sibi quid accideret) Albertum Bauarum Comitem Hollandiæ & Hannoniæ vehementiùs vrgebat, vt Margaretam filiam Ioanni Philippi Ducis filio, Guilielmum verò filium Margaretæ filiæ Philippi coniungeret. Renuit primùm Bauarus, vno tempore binas cum Burgundo affinitates inutiles fore iudicans: posteà tamen, pensatis diligentiùs prudentissimæ feminæ postulatis, acquieuit. Quinto itaque

Agente Ioanna nostra, duplices nuptiæ inter Burgundi & Hollandi liberos coëunt.

1385 Idus Aprilis anni 1385. Cameraci vtrorumque nuptiis celebratis interfuere Carolus Rex Francorum, Duces præterea, Burgundiæ, Borbonij, & Bauariæ, Albertus Comes, & Ioanna Princeps nostra. Durantibus his nuptiis, exsules Louanienses, Gandensium ope, Louanio rursus mali aliquid moliebantur: verùm, detecto dolo, Gasbecano agro peruastato in Flandriam redeunt: & Ioannes à Dyntra vir nobilis chartulas Louanij valuis ædium affigi fecit, quibus vrbi bellum indicebat. Reuersa in patriam Ioanna, ingens tributum à suis exigebat, vt Ducatum Limburgi oppignoratum redimeret. Extinctum eodem anno bellum Flandricum, quod septennio toto Gandenses in Ludouicum Comitem sustinuerant. Pacis diligentissima mediatrix Princeps nostra, non impensis, non itineris labori, non sanitati suæ parcebat, quò motum hunc sopiret. Conuentum conclusumq. de pace Tornaci in S. Martini Cœnobio 18. Decembris. Renata mox inter Antuerpienses ac Mechlinienses Stapularum controuersia. Ista tantùm hoc anno Diuæus; sed explicanda magis posteriora ex Meiero. Habet ille dudum ad annum octogesimum tertium ista verba: Incidit contentio inter Ludouicum Flandriæ Comitem & Ioannem Biturigem; eoque discordiæ controuersia processit, vt pugionem suum Biturix Ludouico in pectus proiiceret. Accidit id die festo Epiphaniæ Domini, eoque ex vulnere tertio pòst die Ludouicus obiit, sepultus Insulæ ad D. Petri magnifico mausoleo & amplissimis exequiis. Et ad annum sequentem 1384. post iusta Ludouico patri honorificentissimè facta, Margareta Princeps cum Philippo marito Duce Burgundiæ Principatui Flandrico inauguratur in oppido Brugensi, 26. die Aprilis. Capta mox de Gandauensibus Aldernarda per Arnulphum Toparchum Scornacensem: & anno denique proximo 1385. die

Eiusdem industriâ tumultus Gandensis post septennium quoque extinctus.

Ludouicus Co. Flādriæ pugione traiectus, tertio deinde die moritur.

octauo

octauo post Pascha, hoc est quinto Idus Aprilis, Ioannes filius Ducis Audacis vxorem ducit Margaretam filiam Alberti Bauari Comitis Hannoniæ, Hollandiæ & Zelandiæ; simul Guilielmus filius Bauari ducit vxorem Margaretam filiam Audacis. Hæ nuptiæ apud Cameracum maxima Nobilitatis frequentia celebrantur. Dotem dedit vterque pater filiæ suæ centum millia francorum. Hoc anno in fine Nouembris tandem cum Gandensibus pactæ induciæ in Kalend. Ianuarias. Denique pax Tornaci coiit, quamuis difficillimè. Etenim Gandauenses Legati adeò superbi & obstinati fuêre, teste Philippo Wilandio, vt procumbere Duci ad pedes mordicus detrectarent, dicentes id se non habere in mandatis à ciuitate: quæ res Duci valdè displicuit: sed consilio Alberti Hannonij, Ioanna Brabātina & Margareta Niuernensis, nomine Gandauensium, sese Duci ad pedes proiiciunt: quod cernens Princeps Margareta, à latere eius surgens pariter ante eum procubuit, deprecata pro sua ciuitate Gandauensi. Igitur condonata tandem delicta omnia & maleficia. Leges, consuetudines, iura & priuilegia omnia comprobata. Facta omnium exsulum & fugitiuorum reductio. Captiui vtrimque redditi. Rescissum à Gandauensibus fœdus Anglicum. Nouis Principibus iurata perpetua fides. Fractoribus pacis lex sancita, vt vita bonisque priuentur. Actum Tornaci in Cœnobio D. Martini 18. die Decembris: atque is terminus fuit septennali bello Flandrico, in quo millia hominum ampliùs ducenta periisse traduntur. Hæc Meierus. Prosequitur sua Diuæus: Initio sequentis anni 1386. Gelriæ Dux Guilielmus Iuliacensis, Ioanni à Grousfelda Equiti Transmosano infestus, quòd Vuchtam, Gangellam, ac Millam nullis conditionibus ab eo redimere posset, omnem perdendi hominis occasionem quærebat. Tandem disseminato inter eum ac Reinaldum Dominum Schonvorstæ odio, voto suo potitus est. Hic etenim, immissis percussoribus, eum paruo comitatu properantem trucidauit. Cuius morte grauiter in Reinaldum sunt affecti Brabantini, quòd hominem fidei singularis, ipse è primis Brabantiæ iugulari iussisset. Vrgebat intereà Transmosanarum trium arcium restitutionem Gelrus; at frustrà. Quare missis Bruxellam fecialibus, bellum Brabantinis indixit. Cui propulsando Ioanna, Ioannem Dominum Withemi cum valido præsidio Bosco immisit, cui maximè timebatur à Grauia Mosæ ciuitate, Gelrorum copiis insessa. Hanc à veteribus Principibus de Cuyck olim possessam constat. Porrò Principum horum familiam Comitum titulo insignitam, antè retulimus; donec Hermannus ob cædem N. Comitis Hollandiæ iudicio Lotharij II. Imperatoris eo titulo priuaretur. Peruenit tandem hic Principatus ad Henricum fratrem Henrici Primi, cuius in gestis anni 1202. meminimus. Huic successit Ioannes, deinde Ioan-

Confirmatur superius narrata, ex Meiero.

1386

Causa noui belli Geldrici.

Geldrus Brabantis bellum indicit.

Series Comitum seu Dominorum de Cuyck.

Ioannes II. qui bello Flandrico clarus obiit anno 1308. post eum Ioannes III. qui tempore Ioannis III. Ducis defunctus, Ottonem Dominum à Cuyck, & Heuerlæ, & Ioannem Dominum Hoochstrati liberos reliquit. Porrò Grauiam anteà liberâ clientelæ Ioannis III. Ducis, acceptis ab eo aliquot aureorum millibus, commisit. Successores Ottonis Ioannes IV. & post eũ Ioannes V. beneficiarios se Wenceslao Duci recognouerunt; quo defuncto, inter Vedemarum fratrem & Ioannem ex Henrico fratre maiore nepotem, controuersum est de Principatu. Vedemarus ipso iure potior, occupata Grauia, beneficiarium itidem Ioannæ Principis se professus est. Hunc paulò pòst Ioanni Domino Withemi, nomine Brabantinorum Grauiam tradere volentem, Ioannes filius, gener Guilielmi Ducis Gelriæ ex filia notha, socero vinctum tradidit: moxque soceri viribus occupato Principatu, Grauiam Gelrico præsidio custodiri permisit, quod post mortem Wenceslai Ducis actum fuerat. Ita Brabantinis Bosco, Gelris Grauia excurrentibus, intersitus ager miserè affligebatur. Ceterùm Brabantini Grauiam sibi ereptam frementes, mense Septembri huius anni, magno belli apparatu, oppidum circumdedere. Miserant singulæ vrbes in eam expeditionem suorum præstantissimos. Louaniensium ductores erant Ioannes à Calstris Eques, Henricus Pijlijser, Gothfredus ex Limingis, Ludouicus Pinnocus, Stephanus Smachtus; Bruxellensium Euerardus Sherclaes, Nicolaus Sueuus, Theodoricus ab Heetvelda, Equites. Quibus multitudinem animantibus, sæpiùs fortiter oppugnatum oppidum, multò fortiùs defendebatur. Vna oppugnatione Theodoricus ab Heetvelda vir fortissimus, propulsatis defensoribus, in murorum pinnas euaserat, oppidumque eo die captum fuisset, nisi reliqui, eo ignauè deserto, retrocessissent. Mox ille, reuersis hostibus ad propugnacula, à muro in fossã deiectus, vix à suis neci eripi potuit. Ita reuocata obsidione Brabantini deinceps in castris quieuêre, fame oppidum euinci posse rati. At Geldrus hoc veritus, Albertum Bauarum crebris litteris orabat, vt pacis inter se ac Brabãtinos medius fieret. Qui Boscum ad Ioannam profectus, hincque iterùm ad Geldrum properans, eos composuit ea conditione, vt Grauia Brabantinis reddita, captiui vtrimque dimitterentur. Sed præcipites in reddendis, quos ipsi ceperant, captiuis, Brabantini Geldro fidem fallendi ansam obiecere. Is etenim, occupata iterùm Grauia, pulsisque inde Brabantinis, captiuos etiam suos retinuit. Quod factum indignè ferentibus Brabantinis, rursum miscentibus se negotio Franco Rege ac Philippo Duce Burgundiæ, Cameraci, Antuerpiæ, Bergæ D. Gertrudis, item Bosci de pace componenda variè deliberato, Geldro verò omnem pacem aspernante, bellum vtrimque renouatum est. Anno sequenti 1387. cùm de bello

Narratio prolixa, quomodo Grauiam feudũ Brabantiæ Geldrus ad se traxerit.

Grauia oppugnata fortiter, fortiùs defenditur.

Pax inter Brabantos & Gelros facta, sed mox iterũ rupta.

1387

bello Geldrico conſultaretur, Sigerus ab Apcouda Dominus Gaſe-
becæ immane facinus admiſit. Eſt in iuriſdictione Bruxellenſium 1387
Roda pagus latæ iuriſdictionis, cuius aliquot villas Gaſebecanæ di-
tioni attribui apud Ioannam Ducem inſtabat Segerus. Intercedebant
Bruxellæ Senatores, quidquid Gaſebecanæ ditioni adiiceretur, ſuæ
detrahi non ignorantes: atque horum omnium acerrimus Gaſebe-
cani hoſtis erat Euerardus Sherclaes, erepta olim Flandris patria cla-
rus, Scabinus tum vrbis. Ita eliſo conatu ſuo, Gaſebecanus, recondi-
to paululùm odio, Euerardo Lennocam Gaſebecanæ ditionis pagum,
vbi prædia poſſidebat, properanti Bailliuum ſuum immiſit, qui
hominem lingua exſecta, pedeque mutilatum Bruxellam remiſit.
Tam horrendo facinore commota vrbs, edicta expeditione, ea ipſa
die magnum armatorum agmen Vleſenbecam duxit, miſſis ad om-
nes Brabantiæ vrbes litteris, vt confeſtim ſcelus id vlturi, cum fortiſſi-
mis ſuorum cohortibus Gaſebecam accurrerent. Interim altera die,
quæ erat Veneris ſancta, Bruxellenſes caſtra Gaſebecæ appoſuere. Tum
verò initio ſequentis anni 1388. Euerardus interiit, 9. videlicet Apri- 1388
lis, & Louanienſes ac ceterarum vrbium populi (exceptis Boſcenſibus
Gelrico bello impeditis) magnis copiis Gaſebecam confluxerunt. Erant
tum Louanienſium primi, Valterus à Maloponte Eques, Ludouicus
Pinnoccus, Gothfredus ex Limingis. Porrò Ioanna Dux, miſſis Loua-
nium litteris, Sigerum ab ea cæde excuſare nitebatur, quaſi non eo iu-
bente facta: cui illi reſpondêre, excuſationem eam ſe ſine aliarum vr-
bium conſilio admittere non poſſe. Ita continuata toto eo menſe obſi-
dione, arx tandem dedita ac diruta eſt, Sigero interim conſanguineorum
auxilia circa Diſtham fruſtrà colligente. His peractis bellum in Gel-
riam totis viribus verſum. Menſe Maio inita expeditio, ducibus Ioanne
Domino Borneuallis, Razone Domino Lintræ, Ioanne Domino Leccæ
& Bredæ, Ioanne Domino Witheimi Seneſcallo, & aliis. Petita prima
omnium Grauia belli fax, eaque arctiſſimè concluſa. Porrò Gelrus, fal-
lentibus Anglorum auxiliis, obſidioni ſoluendæ impar erat; nec du-
bium erat, oppidum tum Brabantinis ceſſurum, niſi fortunam ſuam in-
ſigni temeritate commaculaſſent. Moſæ etenim ponte ad Rauaſtenum
(venia Domini Hornæ, cuius id oppidum erat) tranſito, vſque ad 1000.
in Gelriam effuſi prædas agere cœperunt, reliqua parte exercitus ad ob-
ſidionem relicta. Quo Neomagum relato, Gelrus primùm pauidus,
mox reſumpto animo, ſuos quamquam paucos oppido eduxit, comi-
tantibus Domino Gheſmæ, Domino Hucelemi, Ottone Domino Haſ-
præ, Domino Hensbergæ, factoque in Brabantinos impetu, diſiectis eo-
rum ordinibus, in fugam coniecere, multis trucidatis: capti Domini Bor-
neuallis

Immane facinus Domini Gaſbecani.

Sherclaſium Bruxellenſium liberatorem lingua & pede mutilari curat.

Gasbeca obſeſſa, nititur Dux Ioanna Gaſbecanum excuſare, ſed fruſtra.

Reſumpto bello Geldrico iterū Grauia obſidetur.

Brabanti ad prædas effuſi cæduntur.

neuallis & Lintræ, & Ludouicus Pinnoccus Louanienſis; reliqui variò effugere. Ea clade in caſtra allata, fit mox omnium, qui ad obſidionem remanſerant, præceps fuga; quibus nihil ſalutarius, quàm Gelros, qui Grauiæ inerant, ſuorum victoriam non antè reſciiſſe. Gelrus Neomagum reuerſus, captiuorum ſpolia diuæ Virgini dedicauit. Paulò ante Grauiæ obſidionem Dux Ioanna Dominum Borneuallis, Dominum Ioannem ab Ophemo Equitem, Nicolaum à Monioya, Ioannem à Grauia Legatos in Franciam miſerat, à Rege Carolo ac Philippo Burgundiæ Duce auxilia poſtulaturos. Hi, repertis Rege ac Duce Rotomagi, expoſita Legatione impetrarunt, vt Guilielmus à Tremolia ac Geruaſius Miranda, cum 400. equitibus, præmitterentur, qui trium arcium præſidio diſpoſiti, Stralam oppidulum Gelris ademerant. Interim Burgundus Rege ac Nobilitate in Gelriam deducendo ſedulò laborabat: ſeriùs tamen, quàm vellet, expeditio iniri potuit, multis Principum tam procul Regno proficiſci, præſertim metu Britannici belli ingruente, diſſuadentibus. Vicit tamen pertinax Ducis labor, vt paulò pòſt dicemus. Porrò hoc eodem anno Gelrus, conſternatis adhuc è priori clade noſtris, Moſam tranſgreſſus, tota Campinia latè vaſtata, Oſtreuicam, Geſtellam, Becam, inſignes pagos exuſſit, ingentique præda abacta, per Horniam domum reuertit. Ferunt, tum Colonienſem, Monaſterienſem, Bremenſem, Traiectenſem, Antiſtites; Ducem Cliuiæ, Comitem Murſij, Abbatem Prumiæ Gelro adfuiſſe. Acta hæc in Auguſto. Poſt eius diſceſſum, delecti in Brabantia 1200. equites, & 4000. ſagittariorum, qui Oſſe, Littæ, Herpæ, aliiſque obiectis Gelriæ munitionibus impoſiti ſunt. Intereà Carolus Rex Francorum, compoſitis rebus Britannicis, expeditionem Gelricam iniit, præmiſſis in Brabantiam, qui iter exercitui apparari iuberent. Sed vrbibus Brabanticis tantæ hominum multitudini tranſitum denegantibus, per Arduennam itum eſt, præeunte exercitum Engerrano Cociaci Domino cum mille equitibus ac magna operariorum copia, qui arboribus eius ſiluæ conciſis, viam Regi aperirent. Rege Arduennam ingreſſo, Ioanna Dux noſtra illuc profecta, aſſumptis ſecum Comite Salinæ, Ioāne Domino Rotſelariæ, N. Domino Bocquehoudæ, Baſtoniæ, eius aduentum expectauit: cui, Ducique Burgundiæ aliquamdiu collocuta, domum reuertit. Guilielmus verò Iuliæ Dux, Gelri pater, tam propinquo Rege, ſummo metu concuſſus, Arnoldum ab Horna Epiſcopum Leodienſem præmittens, eo interceſſore, via Regem accedendi parata, ei in ipſo Iuliæ limite occurrit, data fide ſpondens, ſe filium ad bonam rationem adducturum. Remiſſus ergo vnà cum Colonienſi & Leodienſi Neomagum, filium multis perſuaſionibus, quamquam ægrè, euictum ad Regem deduxit. Vbi is confeſſus temerè ſe tanto

Soluitur Grauiæ obſidio.

Strala oppidulum Gedris adimitur.

Geldrus flammis vaſtat Brabantiæ pagos Oſtreuicam, Becam, & alios.

Auxilia ingentia Francorum pro Brabantis in Geldriam tendunt.

Agentibus Colonienſi & Leodienſi Epiſcopis bellum Geldricum componitur.

Regi

Regi bellum indixiſſe, iuratuſque ſe Brabantinos deinceps non vexatu-
rum, in gratiam receptus eſt. Porrò Francos, dum hæc fierent, Ruremon-
dam vſque excurriſſe aiunt; vnde, metu aucto, Gelrum faciliùs ad pa-
cem reductum credo. His celeriùs ſperato confectis, Rex fine Octobris
Rhemos rediit. Sequenti anno 1389. Arnoldus ab Horna Epiſcopus Leo- 1389
dienſis obiit; Suederus ab Abcouda Gaſebecam reſtaurare ab vrbibus
prohibetur; ad hoc, Dominus Hensbergæ eo anno è Brabantia prædas
egit, ſed mox oppido à Leodienſibus obſeſſo, domum redire compulſus
eſt. Hæc tantùm hoc anno Diuæus; quibus iſta lubet adiicere ex Meie-
ro: Hoc anno, inquit, inſtitutæ feriæ Viſitationis beatæ Mariæ ab Vr-
bano Papa, vt ipſa Virgo Deipara intercedere dignetur pro pace & con-
cordia Eccleſiæ. Item apud Diuionem Burgundiæ Dux Audax & eius
filius Ioannes, Regem & Biturigem, fratremque Regis Ludouicum Au-
relianum, & alios magnificè accipiunt. Inde ſimul omnes Auenionem
profecti Antipapam inuiſunt; qui horum omnium propinquis & fa-
miliaribus per expectatiuas ſuas omnia pinguia toto Regno ſacerdotia
accumulauit, vt ita Regem & ſatrapas ineſcaret, atque in gratia & ami-
citia contineret. Hinc maximæ querelæ proborum virorum, qui littera-
rum ſtudiis nauantes operam, ad nullos honores potuêre pertingere. Sub
Kalend. Nouembris Romæ obiit Papa Vrbanus, ſuccedente mox in lo-
cum eius Bonifacio Nono; manſitque eodem, quo fuit, ſtatu Gallorum
ſchiſma. Obiit eodem anno quoque Lutetiæ Epiſcopus Tornacenſis
Petrus ab Auxeio, qui per totam Flandriam propter ſchiſma quòd Cle-
mentinus eſſet, nihil habuit obedientiæ, factuſque poſt eum Epiſco-
pus Conſiliarius Philippi Ducis Ludouicus Trimolus, iuxtà atque ille
Clementinus. Iſta Meierus. Pergit Diuæus: Menſe Maio anni proxi-
mi 1390. Ioannes filius Alberti Comitis Hannoniæ & Hollandiæ ele- 1390
ctus Epiſcopus, Leodium magno comitatu ingreſſus eſt. Pax inter
Gelros ac Brabantinos confirmata menſe Octobri. Eodem anno En-
gelbertus à Marca Eques, adiunctus Domino Iauchiæ, Iſcam pagum
Bruxellenſium iuriſdictionis ſubita inuaſione percurrit; ac eo exuſto,
prædiſque abactis, præter Geldoniam, domum reuertitur. Hæc Di-
uæus; adiicimus iſta ex Meiero. Flandros, inquit, variis modis Phi-
lippus conatur ad ſectam traducere Pſeudopapæ Clementis; ſed nu-
merant illi ſexaginta millia nummûm, eamque moleſtiam ita redi-
munt, tacetque Dux illa de re ad tempus. Simul de moneta Ludo-
uici Comitis prohibita murmurant, & grauiter queruntur. Nec mi-
nor querela de noua arce Sluſana à Gallis inſeſſa; petuntque vt ea Flan-
dricæ ſit omnino ditionis, atque à Flandris non Gallis cuſtodiatur,
eamque rem tandem obtinent. Anno proximo 1391. idem Philippus 1391

Hensberganus prædas agit de Brabantia.

Rex Franciæ & Burgundus Antipapam Auenione inuiſunt, non ſine magno proborum ſcandalo.

Flandri magno redimũt ne cogantur obedire Antipapæ Clementi.

Audax terrore sui nominis multa agit quæ Flandri nolint. Burgundus auctoritate sua ac terrore nominis multos in Flandria à Romani Pontificis obedientia in suam trahit factionem. Hinc discordia grauis & seditio inter populares orta: alij Vrbanistæ, alij vocabantur Clementini. Hi non plus communicationis inter se habebant, quàm olim Iudæi & Samaritani. Multis locis cessatum etiam ab omni diuino cultu. Sed Gandauenses, quidquid Philippus ageret, constanter in obedientia Vrbani eiusque successoris perstiterunt. Pauci erant Nobiles qui non essent Clementini; sed maxima longè pars multitudinis Vrbanistæ erant. Hactenus Meierus. Diuæus ista tantùm huic anno adscribit: *Louanij 200. floreni in singula capita exsulum constituuntur.* Anno 1391. edictum à Louaniensibus, Thenensibus, ac Leuiensibus, vt qui exsulem interficeret, 200. florenis Hollandicis præmij vice donaretur: cuius lucri cupidine tres adolescentes Guilielmum Repardum Louaniensium exsulum ductorem interemere. Idem annum proximum intactum relinquit; ad quem Meierus sua prosequens, ista

1392 commemorat: Anno, inquit, 1392. non cessat Dux Audax auctoritate, gratia, minis, potentia, allicere, trahere, cogere Flandros in suam prauam opinionem, vt ex Vrbanistis Clementini fierent & schismatici, multosque ad hoc perducit: quapropter complures ex sacerdotio, multique ex *Multi Flandri aliò commigrant, ne cogantur esse schismatici.* laicis, relictis Brugis sacerdotiis ac bonis suis, Coloniam, Leodium, aliasque in ciuitates commigrant, moti maximè concionibus & assertionibus Ioannis van Waes Pastoris diuæ Walburgis, & Iacobi ab Ostburgo presbyteri. Eos concionatores si comprehendere Audax potuisset, haud dubiè necasset; sed clàm fugerunt Gandauum, & inde Leodium, spretis quæ Brugis habebant sacerdotiis. Domesticus item motus Brugis ortus ob eam Philippi persecutionem, captusque ab eo Petrus Rollariensis ciuis Brugensis celebris ac primarius, portatusque Insulam, ac capite ibi truncatus est. *Multa turba in Flandria, magnaque constantia Catholicorum.* Ioannes quoque Heyla laudatissimus ille Eques ob eamdem causam Insulæ in custodiam datus est, in qua obiit. Magna pars Brugensium in fine ieiuniorum instante Pascha Gandauum petunt, ibique peccata confitentur, & sacram ineunt Communionem; Brugis autem Dominicis Festisque diebus vacua stabant templa, nolentibus illa subire ciuibus, ideò quòd sacerdotes essent Clementini, coacti scilicet per Principem ac Nobilitatem. Hæc Meierus. Causam cur plerique Flandri tam constanter Vrbano adhæserint, præter alias, istam inuenio apud *Cur Flãdri tam strenuè Comiti suo Antipapistæ restiterint, insigne documentũ Scriptoris eius temporis.* Radulphum de Riuo eius sæculi Scriptorem Leodiensem seu Tongrensem, in Ioanne de Arckel cap. 12. vbi de initio huius schismatis, & Ludouico Flandriæ Comite socero Audacis agit: Multa, inquit, in Vrbani electione Ludouicum confirmabant; maximè quòd ipse Cardinalis Gebennensis, qui se modò Clementem Pontificem dicit, statim post Vrbani electionem scripserat ipsi Ludouico, Vrbanum iustè ac legitimè

fuisse

fuiſſe electum. Idcircò Comes familiaribus dicere ſolebat: Iſte Clemens cùm Morinorum priùs ac inde Cameracenſium eſſet Epiſcopus, familiaritate ac amicitia mihi coniunctus fuit: tantoque illi libentiùs adhærerem, niſi proprio ſuo teſtimonio hiſce ad me litteris ſuam ipſe damnaret cauſam. Scribit enim, vt videtis (aiebat) Vrbanum rectè & legitimè eſſe creatum. Si igitur (inquit) Vrbani legitima eſt electio, iuſtus ipſe Pontifex, Clemenſque Pſeudopropheta ſit oportet; non enim duos ſummos Sacerdotes capit orbis. Hæc & plura in eam ſententiam Auctor tunc viuens. Cui parti Brabantini adhæſerint, ex iis vtcumque colligo quæ commemorat Meierus ad annum ſequentem 1393. Ad Pentecoſten, inquit, venit Dux Audax Brugas, cum Epiſcopo Tornacenſi Clementino, qui nouos Sacerdotes cupiuit creare Brugis. Sed poſtquam vidiſſet vacuas ſtare Eccleſias, Sluſam ſunt profecti. Hìc conuocato Conuentu Philippus perfecit, vt Sluſani verbotenus Vrbani obedientiæ renuntiarent. Idem quoque feciſſe dicuntur Hyprenſes cum infernatibus Flandris. Brugenſes autem dubij titubabant. Gandauenſes, cùm idem Ducis nomine quidam proponerent, motum conciuerunt, ad quem ſedandum Ioannes de Wilde Poëta & Orator eloquentiſſimus, producto in forum venerabili Corpore Chriſti, orationem ibi habuit ad populum, grauem, piam & vtilem Reipub. cuius initium erat: Hic eſt Deus Deus noſter. qua quidem oratione populi ſeditionem compeſcuit. Plurimi his diebus (nota) ex Flandria in Brabantiam, Leodium, Traiectumque migrauerunt. Omnes ferè Carthuſienſes cum aliis multis Eccleſiaſticis Flandriam reliquerunt. Gerardus cognomento de Zipa, Doctor ſacræ Theologiæ & Abbas in Boudeloo, Abbatiam ſuam, ſicut plures alij, reliquit, & petiit Brabantiam. Gandauenſes tamen, quidquid Dux Audax & Epiſcopi molirentur, ad finem vſque immobiles & conſtantes in Vrbani obedientia perſtiterunt. Ita Meierus. Hui! Et quidem ſi tunc tanta paſſi pro vitando ſchiſmate, quid poſteà debuiſſent pro vitanda hæreſi? Anno proximo 1394. (commemorante Diuæo) inter Albertum Comitem Hollandiæ ac Guilielmum filium contentio orta, hac de cauſa, quòd Guilielmus concubinam Patris Aleidam occidi curaſſet. Dicebantur eius facti conſcij Philippus Burggrauius Leydę, Ioannes Dominus Leccę & Bredæ, ac eius familiæ complures, quos armis grauiter hoc anno Albertus perſecutus eſt. Paulò pòſt etiam Ioanne Domino Leccæ mortuo, de filiæ eius (quam vnicam reliquit) tutela, inter Henricum patruum eius ac Henricum à Bergis Equites controuerti cœpit: quorum ille teſtamento fratris potior erat; hic verò, Steenberga ac Roſedallia occupatis, vt tutorem ſe gerere cœpit. Hoc eodem anno Michaël à Ligniaco Hannonius Brabantiæ ter-

Inueſtigatur cui partitunc inhæſerint Brabanti. 1393

Gandenſes conſtantiſſimi tunc Catholicorum.

Catholici etiam Brabanti.

1394

Contentio inter Albertũ Hollandiæ Comitẽ eiuſque filium oritur.

minos incurrens, multos Niuellensium ac Bruxellensium mercatores abduxit. Hæc Diuæus. Quin adiiciam & ista ex Meiero? Postquam, inquit, per Galliam ob Regis morbum (phrenesim intelligit) publico edicto prohibita essent omnia ludorum genera, præter arcum ballistarium & manuarium, Tornacenses ludos fecerunt ballistariorum; conueneruntque Tornacum oppida quadraginta, quæ principio mensis Iulij, sortibus ductis, iaculari cœperunt hoc ordine: (& enumerat singula, nos tantùm Belgica ponemus:) Vrsigundus, hoc est Fanum Gisleni in Hannonia viris sex, Niuella Brabantiæ quatuor, Vilfordium septem, Hallæ septem, Melbodium septem, Dixmuda quinque, Basseia sex, Fanum Amandi decem, Betunea decem, Atrebatum decẽ, Atha Hannoniæ decem, Mechlinia decem, Quercetum Comitis septem, Doacum sex, Hypra decem, Bruxella decem, Mons castrorum decem, Cheruia decem, Aldernarda decem, Gerardimons decem, Binchium octo, Cameracum decẽ, Angia septem, Condatum octo, Huesda septem, Antuerpia decẽ, Lyra sex, Auennæ sex, Brugæ decem, Insula Flandriæ decem, Namurcum quatuordecim, Valentianæ decẽ, Cortracum decem, Fanum Odomari decem, Slusa quatuor. Toto numero 387. ballistarij (nempe simul Franciæ oppidis, quæ hîc non sunt, computatis.) Ad hos ludos maxima pompa venêre Brugenses, ciues mercatoresque opulentissimi, bysso, holoserico, Damascenoque vestiti, aureis torquibus magnis ac pretiosis ornati, vnde primam laudem præmiumque de pulcherrimo ingressu reportarunt. Lutetia verò Parisiorum remotissima erat ciuitas omnium venientium, indeque suum habuit præmium. Hyprenses ex iaculatione primas tulerunt, duas argenteas amphoras deauratas decem marcharum argenti, & vnius vnciæ. Doacenses post hos secundas tulerunt duas amphoras argenteas deauratas sex marcharum cum vna vncia. Tertias tulit Dixmuda, duos scyphos argenteos deauratos trium marcharum ac paulò ampliùs. Quartas meruit Bruxella, duos vrseolos argenteos deauratos duarum marcharum cum dimidia. Ad 8. diem Augusti domum omnes à Tornaco reuerterunt. Anno sequen-

Ludus ballistariorũ solemnis Tornaci.

Qui & quanti ex Belgis ibi comparuerint?

Præmia Brugensiũ, Iprensium, & aliorũ.

1395 ti 1395. Carolus Galliæ & Richardus Angliæ Reges conueniunt iuxta Fanum D. Odomari fixis ibi tentoriis in patenti campo. Signa amicitiæ permulta & magna inter eos ostenduntur. Isabella filia Caroli septem annorum puella tradita Richardo in coniugium qui annum agebat ætatis 30. Induciæ factæ in annos 30. sed fide Punica. Indictus Lutetiæ Conuentus de adulterino Papa tollendo, sanciendaque Ecclesiæ vnione. Quippe Carolus Rex morbo suo aliisque incommodis & certis flagellis admonitus, manum Dei timere tandem cœpit. At Petrus Luna, qui anno superiori Clementi Antipapæ suffectus erat, dictus Benedictus

Medius sponsalibus, induciæ sanciuntur inter Anglũ & Francum, sed fide Punica.

dictus homo callidus rogatus, vt concordiæ gratia cederet Pontificatu suo, mirum in modum tergiuersatus toti Concilio illusit, & vt Regem deliniret, attribuit ei per vniuersum Galliarũ Regnum Ecclesiarum decimas, ad suppetias ferendas Hungariæ Regi contra Turcas. Hæc Meierus; & prosequitur anno sequenti 1396. prolixè de eodem bello Hungarico; sed sufficiet nobis illud paucis verbis cum Molano Militiæ sacræ capite 67. attingere. Cùm, inquit ille, Sigismundo Hungariæ Regi necesse fuit bellum parare contra Pazaitem (aliis Baiazetem) Turcarum Imperatorem, habuit voluntarios belli socios ex Gallia Angliaque non paucos, illustri loco natos. Tum Philippus Audax, qui Carolo sexto Rege phrenetico instar Regis erat, Gallis præfecit filium suum Ioannem iuuenem annorum circiter 25. præclaræ indolis, & omni Nobilitati gratissimum. Ceterùm dum ad Nicopolim Galli primam aciem sibi expetunt auidiùs, (imò rapiunt, ait Meierus,) inchoata pugna, priusquam omnis acies explicaretur, turpiter succubuerunt, quamquam plures ex Barbaris quàm ex nostris ea pugna ceciderint, anno 1396. quarto Kalend. Octobris. Capti hoc bello fuere Nobiles plùs minùs trecenti, qui fœda morte à Tyranno necati sunt. Inter quos Henricus Antoniensis frater Hugonis Procomitis Gandensis, Ioannes verò Burgundio cum 25. Nobilibus ægrè redemptus est ducentis millibus ducatorum, fide & virtute Ioannis Helliaci, Equitis Atrebatis, qui paulò antè Pazaitæ ministrauerat. Ad quam redemptionem Gandauenses quinquaginta millia florenorum contulerunt. Hæc Molanus ex Meiero & aliis. Diuæus ista commemorat tantùm hoc anno: Rursum, inquit, Geldrici belli initia apparebant, cùm Reinardum Dominũ Schoonvorstæ ac Sichenarum Geldrus bello impeteret, Schoonvorsta obsidione cincta; à qua tamen, Ioanne Episcopo Leodiensi accurrente, discedere coactus est. Ioannæ verò Duci nostræ, Viluordiæ, Oyæ, ac Traiecti monetam signanti, obstitêre primariæ vrbes, veteri Priuilegio innixæ, quo nisi in iis vrbibus aurum argentúmve signare Ducibus liceat; ac euicere, vt Monetariis, qui in antedictis locis cudere inceperant, otium indiceretur. Actum eodem anno de Legatis in Hannoniam mittendis, qui contra fœdera factum quererentur, quòd Michaël à Ligniaco ex oppidis Hannoniæ Brabantiam incurrere permissus esset. Fine anni Ioannes à Calstris Eques ob dotem vxoris, quæ Henrici à Bautreshemo Domini Bergarum filia erat, cum Henrico nouo Bergarum Domino sororio suo non parum dissidebat. Anno insequenti 1397. Antuerpia ac Bergæ incendio afflictæ, & bellum Geldricum rursum erupit. Erat inter Transmosanos Nobiles Arnoldus Hoymenus Eques, qui priori bello Geldrico pro Brabantinis militauerat. Hic denegato sibi, quod deberi asserebat, stipendij

Frustrà agitur de tollendo schismate Ecclesiæ.

1396

Philippus Audax Flandriæ Comes apud Francos est instar Regis.

Infelix pugna nostrorum cõtra Turcam.

Monetam Brabanticam cudere non licere, nisi in primariis vrbibus.

1397

Antuerpia & Bergæ incendio afflictæ.

dij ſupplemento, ad Geldrum ſe contulit. Præter hoc, Guilielmum Transſ-Rhenanum è familia Geldri Boſcenſes ſupplicio addixerant, quòd motum in eo oppido concitaſſet. Meierus dicit, ob cędem in ebrietate ſua ibi factam. Hæc erant in cauſa, vt Colonienſis Archiepiſcopus ac Gelrus partim Hoymenum, partim Tranſ-Rhenanum vindicaturi, Brabantinis bellum indicerent. A quibus cùm Boſco timeretur, miſit eò Ioanna Dux noſtra Seneſcallum Brabantiæ Henricum Dominum Diſthæ, Henricum ab Horna Dominum Paruwiſij, Ioannem Dominum Weſemaliæ. Hi Gelro obuiàm procedere non auſi, quòd ciuibus ipſis Boſcum, tamquam Gelro non malè fauentibus, tuendum non crederent, eo oppido ſe continuere, præmiſſis Endouiam 300. armatis, vt eos ab hoſte tuerentur. Erat tum Gelrus Oſtreuicæ; ad quem, miſſo Caduceatore, Ioanna prælium obtulit, vbicumque vellet committendum; pollicita interim ſe centum vini plauſtra ac trecentos boues ad eum deſtinaturam, vt à prædanda Campania abſtineret. Spreta ille conditione, eadem nocte iter domum facere cœpit pauidus, quòd maximas Brabantinorum copias circa Herendalſtum conuenire intelligeret. Inſecuti abeuntem noſtri, Moſa Traiecti tranſmiſſo, Iuliam ac Gelriam cæde incendioque depopulati ſunt, Vlitinga ac Aldenhouia captis. Fine eius anni Philippus Dux Burgundiæ Valeranum Comitem ſancti Pauli in Brabantiam miſit, petiturum ab Ordinibus, vt Mechliniam ad Ducem publici negotij ergô conuenirent. Erat huius Conuentus cauſa, vt Ducatus Brabantiæ, quamquam viua etiamnum Ioanna, liberis eius, ſacramentis trium Ordinum addiceretur. Miſêre Mechliniam Legationes

Colonienſes & Geldrus, bellũ Brabantis indicunt.

Turpiter fugientibus Geldris Brabanti Geldriam & Iuliam flamma ferroq; vaſtant.

1398 ſuas vrbes ſingulæ. Inde anni proximi 1398. initio reſponſum eſt ab Ordinibus; cùm Ioannæ Principi humanitus quid acciderit, facturos ſe liberis eius quod fas foret. Ita diſſoluto eo Conuentu, toti in belli Gelrici rationibus noſtri vertuntur. Initum mox Diſthæ fœdus cum Leodienſibus, vt pari exitu hoſtis mox peteretur. Intereà Ioannes Gunderius Littæ arcis cuſtos, Dromelam & Brachtum Gelrica præſidia incendit: Gelrus verò Grauia egreſſus, Littam, alioſque aliquot pagos. Menſe Iunio Barones Brabantiæ, Ioannes Weſemaliæ, Henricus à Bautreshemo Bergarum, Ioannes Rotſelarię, Ioannes Seneſcallus Withemi Domini, Henricus à Lecca, Iacobus à Glymis Equites Traiectum mouent; eódem cum delectu ſuorum Louanienſes, & Bruxellenſes: aderat etiam Valeranus Comes S. Pauli cum Burgundicis auxiliis. Tanto apparatu 25. Iunij Traiecto profecti, verſus Nouam ciuitatem proceſſere. Inerat huic Gelrus, qui murorum firmitati diffiſus, iniecto igne, aliò profugit. Inde noſtri coniuncti Leodienſibus (quorum ductores erant Ioannes Bauarus Epiſcopus & Henricus Dominus Paruwiſij) Ruremondam circumualla-

Confœderantur & Leodienſes Brabantis contra Geldros.

uallarunt; noſtri vltra Ruram, Leodienſes inter hunc & Moſam caſtra locantes. Non erant quorumdam Leodienſium, ac maximè Epiſcopi, à Gelro auerſi animi. Ab his itaque ſeorſum, inſciis noſtris, cum Gelro pax compoſita, ac deductus Leodienſium miles. Cuius diſceſſu noſtri potiundæ Ruremondæ diffiſi, conclamatis vaſis, metu inopiæ Lennicam petiere, iam ab incolis inuadente terrore deſertam; vbi inuenta vini ad ſatiem copia, panis penuria non parum affligebantur. Diruto hoc oppido, Aquas properatum, omnibus in itinere igne conſumptis. Dum hîc eſſent, Valeranum Comitem cupido inceſſit, patrem ſuum, Iuliacenſi pridem bello anno 1371. interfectum, vindicandi: omnes Brabantinorum copias Iuliacum duxit: vnde incolæ, audito hoſtium aduentu, iam fugam aduerſa porta faciebant. Quos inſecutus Valeranus, multis eorum captis, trium millium aureorum pretio captiuos, ac oppidum, ne incenderetur, redimere compulit. His confectis, conuerſo Aquas itinere, oratis Aquenſibus, vt rerum neceſſariarum forum exhiberent, cùm nihil efficerent, verùm etiam miſſo vnico plauſtro panis deriſui haberentur, exuſto oppidi ſuburbano, atque villis finitimis vſque ad Saluatoris montem, die 18. Iulij ad Gulpam caſtra locarunt, altera verò die die Traiectum omnes rediere. Eiſdem temporibus inter varios Brabantinos Nobiles diſſenſiones oriri cœperunt; vnde pòſt aliquot prouenere excurſiones mutuæ; ad ciuilia bella progreſſuræ, niſi ſano quorumdam conſilio interuentum fuiſſet. Boſcenſes tum in oppido ſuo diſſidebant inter ſeſe; Bergenſes in Principem moti erant; Ioannes à Calſtris Louanienſium ductor Eques Arnoldum à Peda virum Bruxellæ Nobilem in certamen prouocarat. At de his aliiſque paulò pòſt. Menſe Octobri Geldrus Campaniam vaſtabundè ingreſſus, cùm noſtros contrà tendere nuntiaretur, Hezeuica Dinteraque vſtis, retroceſſit, de induciis Legatos mittens, quas vſque ad ſequentis veris initium noſtri conceſſère. Hæc Diuæus. Apud Meierum iſta præterea huic anno adſcripta ſunt: Coit rurſum Concilium Gallicanæ Eccleſiæ apud Lutetiam Pariſiorum; cui Concilio Epiſcopos Rhemenſem, Rotomagenſem, Senonenſem, Pariſienſem, Bellouacenſem, propter accepta ab Antipapa immenſa beneficia mordicus nimis Clementinæ factioni adhærentes, Rex intereſſe non eſt paſſus. Hinc poſt longam altercationem, operam dante maximam ſchola Pariſienſi, quæ ſemper in veritate perſtiterat inuicta, decretum, vt Antipapa Pontificatu ſe abdicet, ſicut ante electionem ſe facturum concordiæ gratiâ promiſerat: quod ſi recuſaſſet, armis eum eſſe cogendum. Miſſi ad eum Petrus Aliacenſis, & Ioannes Maingrius, qui & Buſſicaudus, vir militaris. Reſpondet Antichriſtus ille, ſe Papam eſſe, & Papam moriturum: eaque in reſponſione obſtinatus perſtat. Tum ſeceſſio

Obſident ſimul Ruremondam, ſed nullo effectu, fallentibus Leodienſibus.

Brabanti Iuliacum obtinent, & ne incendant, tria millia aureorum accipiunt.

Gliſcunt multa diſſidia domeſtica inter Brabantos.

Decretum Pariſiis, Antipapa ſponte abdicet, vel armis cogatur.

 tandem

tandem à Gallis ab illo facta: expectatiuæ gratiæ damnatæ; ſacra beneficia à collatoribus accepta: obſeſſus in Auenione à magno Regis exercitu duce Buſſicaudo; donec tandem furtim (vt refert Ganguinus) eductus eſt operâ Petri Braquemontis. Hoc anno Maria ſoror Ioannæ Brabantinę, vidua Reginaldi Ducis Gelriæ, pia & religioſa mulier ſine liberis Bruccellæ obiit, tumulata ad Franciſcanos. Guilielmus Oſtrouandius Alberti Comitis Hollandiæ filius ducit rurſus exercitum in Friſios: Staueram oppidum capit, Friſiamque totam imperata facere cogit. Hactenus Meierus. Progreditur Diuæus: Finientibus induciis vere anni 1399. Brabantinæ vrbes Legationes ad Philippum Burgundiæ Ducem miſêre, petituros, vt tanta auxilia Ioannæ Principi præſtaret, quò tandem aliquando Gelrorum metus Brabantiâ diſpelleretur. Sed apparante eas copias Duce, vt finem huic bello facturus videretur; ecce Legati à Gelro in Brabantiam venere, æquas pacis conditiones offerentes; & menſe Iunio Rauaſteni Moſæ oppido pax concluſa eſt, non ſine offenſione Philippi, quòd multa iam in belli apparatum expendiſſet. Boſcum eo anno grauiſſima ſeditione concuſſum eſt. Exſul eius vrbis Hoochſtrati captus, tortuſque, ſontes complures in vrbe nominabat: quos pars populi puniri, pars dimitti volebat. Quibus inter ſeſe contendentibus, commota vrbe, in eo tumultu Dominus Veræ Zelandus in vincla coniectus eſt. Quo in Hollandiam relato, Albertus Comes, Baronis ſui captiuitatem immodicè ferens, cùm nullis litteris Boſco eripere quiret, Louanienſium, Bruxellenſium, ac Diſtenſium lanas in Zelandia detineri iuſſit. Excuſabant illi, ſolùm id Boſcenſium facinus, non omnium Brabantinorum commune eſſe: non tamen ob id merces Zelandiâ euehi potuere. Quare ſummopere eo anno laboratum eſt, vt ſopito motu Boſcenſium, Veræ Dominus dimitteretur. Miſcuit ſe Dux Burgundiæ, conſiliariis ſuis Louanium miſſis; nec minore diligentia res Bergenſium cum Principe ſuo agitata: verùm ob pertinaciam partium nihil pacificari potuit. Nouus mox turbo exortus inter Henricum Diſthæ Dominum, & Reinaldum Schoonvorſtæ ac Sichenarum Dominum, quorum vterque potentiſſimos in Brabantia fautores erat habiturus. Reinaldus Henricum è magna auri ſumma debitorem ſuum ad dandos vades compulerat: indignum id Henrico viſum, à ſe peti, quod ab ijs qui ſoluendo non ſunt, exigi ſolet: hæc diſſidiorum cauſa. Initio anni ſequentis ſæcularis milleſimi quadringenteſimi, cùm Seneſcallus Brabantiæ Venloniam (an Venrodiam?) arcem Pauli ab Haſtricht Equitis Boſcenſis obſideret, grauiùs vrgeri cauſa Boſcenſium cœpit: ſed illi in ſeditione pertinaces, nec Herendalſti, nec Lyræ ab Ordinibus acta, vt pax ijs cum Ioanna Duce foret, admittere voluere. Eiecti tum vrbe

Moritur ſoror Ioannæ noſtræ vidua Geldriæ.

1399

Pax inter Brabantios & Geldros ſancitur.

Belli initia cum Hollandis ob detentum Buſciducis Veræ Dominum.

Item alius motus inter Diſthæ ac Sichenarū regulos.

1400

be Patricij viri boni, Henricus Dicbier, Gerardus à Bercla, & alij complures. Eodem anno Domini Houfalizæ & Bolantliæ, cum Valtero à Prelez, è Namurcensi ac Leodiensi terra Brabantiam infestarunt. Legati Namurcum ac Leodium missi, qui fœdus confractum quererentur. Namurcensis Comes mense Octobri Bruxellam veniens se de Bolandio purgauit, quòd (quamquam subiectum suum) cohibere non posset. Impositum à Brabantinis Hanuto præsidium. Crescentibus quoque in Brabantiam malis intestinis, Guilielmus à Meldert & Oliuerius à Binchemo Equites territorij Thenensis arma vterque in alterum mouebant; & Guilielmo multos auxiliares è Bruxella per Louanium aduenisse lego: Ioannes etiam à Glymis Eques, & Razo à Grauio Dominus Maleuiæ, in Gallo-Brabantia conflictabantur. Ad hæc Bruxellæ Theodoricus ab Heetvelda Eques dolo quorumdam trucidatus est, vir per omnia fortissimus; & pari sorte Arnoldus Bauius Mechliniæ periit. Ista Diuæus, quibus operæpretium pauca ex Meiero adiicere. Motus, inquit, hoc anno Imperio est ob intolerabilem ignauiam Wenceslaus Imperator, electusque in eius locum Robertus Dux Bauariæ, Palatinus idem Rheni, cui statim Coloniensis Pontifex Imperialem tiaram imposuit. Multati grauibus incendiis & ruinis Aquenses & Geldrenses, noui Principis rudimento rebellare ausi. Palæologus Imperator Græcus Lutetiam venit Parisiorum ad Regem, atque inde transmisit in Angliam, vt discordiis Regum compositis, tandem Turcis posset resisti. At inanem sumpsit laborem. Anno sequenti 1401. Ludouicus Aurelianus, patruo suo Duci Audaci omnibus modis negotium facessit. Lucceburgensis ditionis administrationem à Rege Bohemiæ impetrat, fœdusque cum Guilielmo iungit Duce Gelriæ, vt patruum bello aggrediatur. Gelrium cum quingentis equitibus in Parisios secum adducit. In agro Parisiaco hinc nepos, inde patruus, copias adunant ad præliandum: sed Biturix frater Audacis, nepotis temeritatem castigat, pacificatorque intercedit. Et firma rataque futura sperabatur ea reconciliatio, sed breui tamen tempore perseuerauit. Reuersus domum Gelrius diem suum obiit sine liberis 14. Kal. Martias, tumulatus cum Catherina vxore apud Munichusam, succedente illi in Iuliacum, Gelriam & Zutphaniam, Raynoldo fratre Quarto eius nominis. Hucusque Meierus. Eodem anno, commemorante Diuæo, mense Maio Dominus Hensbergæ Boscensium agrum infestabat: quo metu depulso, Boscenses, conuocatis Ostreuicam ceteris vrbibus, exposita causa dissidij, eaque in exsulum perfidiam reiecta, orabant, vt paci inter eos ac Principem conciliandæ studerent. Reuersi vrbium Legati ab Ostreuica Bruxellam, Ioannam ad pacem Boscensibus dandam inclinarunt; Boscenses tamen nulla ratione induci potuerunt, vt

Prætereà Namurcenses quidam & Leodienses de Brabantis prædas agunt.

Quin & Bruxellæ Mechliniæque singuli Equites fœdè trucidantur.

1401

Initia simultatum inter Aurelianum, eiusque patruũ Audacem.

Buscoducenses vix tandem à tumultu discedunt.

vt veniam antè actorum peterent. Mense Septembri Dux Burgundiæ, adducto Bruxellam Antonio filio, vt eum Ducem Ordines cooptarent, idem ac pridem anno 1398. responsum tulit. Laboratum interim quoque Disthæ ac Sichenarum Toparchis pacificandis; sed Distensis controuersiam Ordinum arbitrio committere noluit. Itaque varij Conuentus ea de re frustrà habiti. Sequenti anno 1402. Attrebati celebratæ nuptiæ Antonij, futuri Ducis nostri, & Ioannæ filiæ Valerani Comitis S. Pauli. Reformata Respublica Thenensium à Louaniensibus ac Bruxellensibus; eiectique qui repetundarum accusabantur, Ioannes ab Halla, Henricus ab Oudeuorda, Franco Oliuerij. Redditus vitales, quibus ærarium pænè oppressum erat, in hereditarios mutari fuit necessarium, vt annuis redditiuum solutionibus minùs grauaretur, non sine graui incommodo: iis etenim redditibus etiamnum ciuitas obnoxia est, qui sine hac mutatione, morte eorum qui eas percipiebant, perituri fuerant; sed tum rebus afflictis non aliud remedium dabatur. Reinaldus Dominus Schoonvorstæ variis Conuentibus nihil inter se ac Distensem agi perpendens, ex arce Louaniensi (cuius ipse custos erat) trans Mosam concessit, amicorum suorum viribus iniuriam sibi factam vindicaturus: nam paulò antè quoque Gelriæ Dux, Comes Blanckenhemi, & Abbas Prumiæ rescripserant Louaniensibus, vti Schoonvorstio satisfieret: nam Distensem ab iis facilè cogi posse, qui ciuis eorum esset. Eodem etiam pænè tempore Dominus Calidi-montis, auxilio Domini Husalizæ, armata manu ingressus Gallo-Brabantiam, Bossutum exussit, priuatam ob causam Ioanni Domino Bossuti discors. Hoc anno mense Octobri Henricus à Lecca Eques, Dominus Hezeuicæ, Boscensium exsulum fotor maximus, Bosci, complurimis suorum cæsis, captus est, licet incolumitate pacta eò vocatus esset. Cui liberando quamquam Nobilitas omnis insudaret, non tamen nisi sacramentis viro nobili indignis obstrictum Boscēses dimiserunt. Vnde Nobilitas, indicto ei oppido bello, ciues vbicumque inuentos vinclis compingebant, occidebantque etiam nonnullos. Maximus ob eam rē hostis Boscensium erat Dominus à Meghem; sed controuersia mense Ianuario Bruxellæ sopita est. Fine eius anni Henricus Eueloga, Valterus Eueloga cum Henrico filio, Henricus & Walterus Wittemanni Cunradum Dominum Elsboæ fratrem Reynaldi, Domini Schoonvorstæ & Sichenarum, Louanij interemerunt, in ædibus Ioannis ab Huffla Senatoris cubantem noctu insidiis aggressi 7. Martij. Inquisitum in auctores facinoris, & Henricus Eueloga captus capite luit. Nihilominùs Cunradus filius, & Reinardus frater Cunradi, nec non Henricus Comes Salinæ ex sorore nepos, confestim missis Louanium fecialibus, aqua & igni oppido interdixere: moxque, coacto arma-

Laboratum item Distensi ac Sichenēsi pacificandis, sed in vanum.

1402

Sichenensis armis se vindicare parat.

Boscoducum obsidetur à Nobilitate, ob cæsos Hezevvicanos, captumq; Hezevvicæ Dominum.

Fœdum latrociniū Louanij commissū magnas dat turbas.

armatorum numero, Mosam transgressi per Lossensem Comitatum Sichenas versus processêre. Misêre Legatos obuiàm Louanienses, bellum deprecantes, deque facinore vrbem excusantes, quod à peruersissimis quibusdam patratum, sibi non minùs quàm consanguineis displiceret: nam se & de quibusdam auctoribus supplicium sumpsisse, & sedulò curare, vt in ceteros pariter animaduerteretur. Placati iis excusationibus, vt rationi consonis, Schoonvorstij omnem in Louanienses iram deposuere. Hæc Diuæus. Eodem hoc anno (teste Meiero) Rex Galliæ Carolus Sextus, recepta vtcumque sanitate, fratrem suum Ludouicum Aurelianum Vicarium sibi constituit. Is statim nouam collationem indicit, & neque Ecclesiæ ministros immunes esse sinit: qui inter se discordes magnam conciunt turbam. Guido Pontifex Rhemorum cum suis pendere detrectat; econtrà Archiepiscopus Senonum iis qui contribuere recusarent, aqua & igni interdicit. Rex in morbum suum recidit. Aurelianum Magnates tamquam per ætatem imprudentem & minimè idoneum rerum procuratione mouent, eamque Burgundioni Philippo Audaci eius patruo reddunt; qui vel ipse nouam collectam cogere conatur; sed Rhemensis nimis obstat. A Gallis quoque Henrico Anglorum Regi bellum indicitur, quòd Richardum suum Regem ac Dominum per summum scelus prodidisset & occidisset, Reginamque bonis suis spoliasset; pridie Kalend. Martias natalis Caroli, posteà Septimi Gallorum Regis. Ista Meierus. Progreditur Diuæus ad annum sequentem 1403. Initio, inquit, anni proximi Bruxellæ ob cædem Theodorici Heetveldij Equitis tumultuari cœptum. Filij etenim eius, Ioannes, Guilielmus & Valterus Equites, quòd Dominum Nicolaum Sueuum Equitem & Wenceslaum cognomento Ducem eius facti insimularent, ab iis ad singulare certamen prouocabantur; quod ne fieret, maximè Reipublicæ Bruxellensium intererat, cùm vtrimque maximum consanguineorum numerum in partes attracturi forent, si res certamini committeretur. Louanienses plurimùm his conciliandis studuere, suo malo edocti, quantum ex huiusmodi ciuilibus discordiis incendium sæpiùs oriatur. Composita est eodem anno Niuellensium causa, qui quòd Henricum à Lecca Senescallum, quemdam ciuem suum vrbe educentem, vi armata prohibuerant, in offensam Ioannæ Ducis reciderant. Hoc quoque anno Engelbertus Comes Nassauiæ filiam Ioannis Domini Leccæ & Bredæ vxorem duxit. Erat illi genus ab Adolpho Imp. deductum: Adolphus Ottonem, Otto Henricum, Henricus Ottonem alterum, hic Ioannem, Ioannes Engelbertum hunc genuerat. Porrò Philippus Dux Burgundiæ, quamquam Antonium filium eius secundogenitum Dux nostra Ioanna diu antè adoptasset, veritus tamen, ne ea mortua, illi obstaculum

Magnæ itē turbæ in Francia ratione exactionum etiam Ecclesiasticis ab Aureliano impositarum.

A Gallis Henrico Anglorum Regi bellum indicitur.

1403

Niuellenses in gratiam recipiuntur pro eo quòd ciuem suū educi armis prohibuissent.

ſtaculum aliquod in adipiſcendo Lotharingiæ, Brabantiæ, ac Limburgi Ducatu oriretur, plurimùm nitebatur Antonio, viua adhuc Ioanna, Principatum confirmari; pollicitus Ordinibus Brabantiæ, ſi id fieret, Antuerpiam Mechliniamque perpetuò Brabantiæ connexurum; Teneramundam verò eatenus Brabantinorum poteſtati conceſſurum, donec terram de Cuyck & Grauiam ſuis ſumptibus recuperaſſet. Ceterùm fruſtrà hæc; cùm Brabantini nihil de Ducatus ſucceſſione, viua Principe, agere velle reſponderent. Venerant non multò pòſt à Wenceſlao Eximperatore Rege Bohemorum Legati, Ducatum ſuo Regi ſecundùm conuenta anni milleſimi trecenteſimi quinquageſimi ſexti poſtulantes: quibus idem quod Burgundo reſponſum datum eſt. Nec ob id propoſito Dux Burgundus deſiſtebat, verùm Nobiles Brabantiæ aggreſſus, paulatim complures eorum partim pollicitationibus humanioribus, partim donis in ſuam voluntatem pertraxit. Quorum opera, conciliatis ſibi vrbium Senatoribus, fine huius anni Bruxellam venit; vbi in celeberrimo Ordinum cœtu Antonio filio eius in præſens gubernacula Ducatus tradita ſunt, ita tamen vt Ducis nomine adhuc abſtineret. Ita Diuæus; quibus lubet pauca ex Meiero attexere. Hoc anno, inquit ille, in mari Hollandico tum admodum procelloſo & alto capta mulier marina, nuda & muta, portata in oppidum Edam, & inde Harlem, veſtita eſt, didicitque edere panem & lactaria, & vixit annos multos ſemper muta. Didicit item nere, & honorem exhibuit ſanctæ Cruci, quamuis muta. Hæc ille, adſtipulaturque Chronicon Hollandicum. Redeo ad Diuæum. Initio anni ſequentis 1404.

Multa offert Audax Brabantis vt filium Antonium recipiant, ſed nondum obtinet.

Item inſtat pro Brabãtiæ ſucceſſione Rex Bohemiæ.

Stipenda quædam, de muliere marina in Hollandia capta.

1404 nicon Hollandicum. Redeo ad Diuæum. Initio anni ſequentis 1404.
Dux Philippus Bruxella digreſſus Hallis Hannoniæ obiit 6. Kal. Maij. Mox Ioanna Duce Ducatu ſe abdicante, eumque Antonio, pacto certæ aureorum ſummæ intercedente, tradente, Ordines Antonium Rectorem Brabantiæ crearunt. Iurauit is omnia Brabantiæ iura ſe rata habiturum, menſe Iunio, in celeberrimo Ordinum Conuentu. Exinde Ducis Limburgi nomine aſſumpto, edixit ne quis Nobilis aliquem (niſi domeſticus eſſet) inſignibus ſuis veſtiret. Inſequenti anno 1405. Antonius

Antonius Burgundus creatur Brabantiæ Rector.

1405 noſter, Limburgi Dux Bochoudam obſedit, Bruxellenſibus ac Louanienſibus caſtra ſequi detrectantibus hac occaſione. Erat tum Amtmannus Bruxellenſis Ioannes à Grimberga Dominus Aſchæ: qui, quòd Ioannem Diſthemum Prætorem Boſcenſem, ob ſupplicium de ciue Bruxellenſe, quamquam interdicente Senatu Bruxellenſe, ſumptum, perpetuo exſilio multaſſet, (quaſi vltra modum poteſtatis excurrens) à Duce captus ac Genappam miſſus erat: hæc obſequia detrectandi cauſa. Eodem anno Ioannes Dux nouus Burgundiæ & Comes Flandriæ cum Antonio ac Philippo fratribus, Ioannes Epiſcopus Leodienſis, Ioannes

Mortuo Audace, eius filij & alij in Aurelianũ mouent.

Ioannes Comes Cliuiæ, Lutetiam mouerunt, vt Ludouicum Aureliani Ducem Parisiis pellerent. Cœperat iam inter Burgundos ac Aurelianos bellum intestinum, Philippo Duce etiamnum viuo, vt suprà diximus. Porrò hac vice etiam certatum non est, pace quorumdam enixo studio specie tenus conciliata: quæ simultas, maximo Franciæ malo, in acerbas tandem dissensiones erupit. Ita Burgundus Picardiam, Aurelianus Aquitaniam, ab Anglis tutaturi petunt. Ineunte anno proximo 1406. Dux Limburgi Antonius in Brabantiam reuersus, Ioannem à Noua platea Equitem, Razoni à Grauia Prætorem Louaniensium substituit. Intereà Bruxellenses indignè ferentes Ioannem Duschenum, de quo dictum est, (mirū, nam suprà vocatur Disthenus) liberè Prætura Boscensi fungi, Ascanum verò Genappæ custodiri, Simonem Tremillium familiarem Ducis in vincula coniecerunt. Quo Dux intellecto, Viluordiam profectus, copias colligere cœpit, vt agrum Bruxellensem inuaderet. Porrò Louanienses veriti Bruxellensibus, multis precibus à Duce obtinuere, vt Louanij de conditionibus, quibus in gratiam reciperentur, deliberaretur. Statutum ibi, vt persolutis octo millibus aureorum, Scarebecam vsque Duci supplices occurrerent. Hinc Kal. Decembris Ioanna Princeps nostra viuis excessit, cùm Ducatum Lotharingiæ, Brabantiæ ac Limburgi quinquaginta & vno annis, minùs diebus triginta tribus, possedisset. Cuius corpus Bruxellæ in Carmelitarum choro conditum est: ac penes eam iacet filius Guilielmus, quem ex Guilielmo Comite Hannoniæ ac Hollandiæ sublatum infantem amiserat. Hucusque Diuæus. Mortem eius Meierus commemorat his verbis & laudibus: Kalend. Decembris Ioanna Dux Brabantiæ, vidua Wenceslai, multo confecta senio, post alterum & quinquagesimum Imperij sui annum sine liberis moritur. Apud fratres Carmelitas Bruccellæ sepelitur, mulier sancta & omnium virtutum genere referta: quæ nocere nemini & prodesse multis semper studuit, chara suis popularibus, omnique Nobilitati venerabilis. Antonio fratri Ducis Ioannis Burgundi iuxta voluntatem patris Philippi Brabantia obuenit, ideò quòd defuncta hæc Ioanna soror esset eius auiæ maternæ, seu magna matertera. Sic ille. Illustres & clari sub hac Principe in Brabantia præter suprà nominatos reperiuntur tum in expeditione illa anni 1371. contra Geldros, tum in signandis quibusdam publicis tabulis ex Louaniensibus, à Wilra, à Callstris, à Wecselia, Suarterius, à Maloponte, à Limingis, à Wanroda: ex Bruxellensibus, à Selleca, ab Hamma, à Berthemo, à Tumbis, ab Ascha, à Lathemo, ab Hellebeca, à Melderio, ab Ada, ab Elsta, à Mera, Pipenpoij: ex Gallo-Brabantia, à Mariansarte, à Glimis, de Molebesia, à Trasiniis, à Iauchia, à Dongelberga, à Fontanis, à Melino: ex Marchia Antuer-

Coit pax, sed parum duratura.

1406

Moritur Ioanna nostra, Bruxellæ ad Carmelitas sepulta.

Encomium eius ex Meiero.

Illustriores huius temporis in præcipuis vrbibus.

Illustres tunc Marchiæ Antuerpiensis. piensi, ab Immerzela, à Sompeca, à Berchemo, à Craienhema; Dominus Grobbendongæ, à Noua platea, à Pollana, à Ligno, à Scadenbrouca, à Nouoburgo, à Renissa, à Ransto, à Ketza, à Bergis: ex iurisdictione Boscensi, à Geldorpa, à* Goura, Dicbier, à Boxtella, Cocus: ex Præfectura Thenensi, ab Eleshemo, à Carsbeca, à Melderia, à Durato, à Winga, à Winthemo. Adderem plures, sed quando finis?

* Goera,

ANTONIVS BVRGVNDVS

NEPOS SVPERIORIS, XXXV. BRABANTIÆ PRINCEPS.

Præfuit annis nouem.

1406 *Antonius Louanij inauguratur, ac deinceps in aliis vrbibus.*



CVRATO Ioannæ Ducis funere, Antonius cum amplissimo Nobilium comitatu (verba sunt Diuæi) Louanium profectus, Principatum gentis ibidem de more suscepit 18. die Decembris anno huius sæculi sexto. Florebat tum nobilitate Brabantia, nisi quòd dominiorum magna pars ad exterorum potestatem peruenerat. Louanio profectus Dux Antonius, Bruxellæ 21. Decembris, &
1407 Antuerpiæ 2. Ianuarij inauguratus est. Mense Iunio anni sequentis 1407. Dux noster Razonem à Grauio Dominum Maleuiæ Louaniensibus Prætorem dedit. Obiit eo anno 12. Augusti Ioanna coniunx Ducis, filia Valerani Comitis S. Pauli, quam Furæ condi iussit. Eodem anno Ioannes Dux Burgundiæ frater Antonij Ludouicum Aureliani Comitem, cuius aliquoties suprà meminimus, interfici iussit Lutetiæ, conducta ad id sicariorum manu haut magna; vt Francorum Historiis latiùs proditur. Ita Diuæus. Chronographus Leodiensis in Ioanne Bauaro his verbis narrat: Hoc anno Ludouicus Dux Aurelianensis, frater Caroli Sexti Francorum Regis, conduxerat quemdam, vt Ioannem Burgundum proditoriè perderet. Resciuit hoc ille, & ait: Perde illum qui te misit, & conduplicabo mercedem tuam; & factum est ita 22. Nouembris feria 3. Parisiis post cœnam, cuius occasione plus decies centena millia hominum periisse leguntur. Sic ibi. Interim Dux noster, ait Diuęus, apparabat bello Transmosano necessaria, vt Reynaldum Gelriæ Ducem clientelam causa Grauiæ oppiduli profiteri armis cogeret, simulque vt Traiecten-

Ioannes Burgundus Antonij frater Aurelianum Parisiis trucidandum curat.



ANTONIVS BVRGVNDVS, XXXV. BRAB. PRINCEPS.

Traiectenses subigeret, Leodiensium instinctu obsequia denegantes. Leodienses Ioanni Bauaro Episcopo tum discordes, eo pulso, Theodoricum ab Horna filium Henrici Domini Paruwisij Episcopum elegerant. Quare Bauarus ad fratrem Guilielmum Hannoniæ Comitem

Mouet Antonius noster contra Geldros & Traiectenses.

profugus, eius ope Leodienses incursionibus paulò antè lacessierat. Porrò Traiectenses, nuntiis in Brabantiam missis, differri aduentum Ducis postulabant, donec inter se deliberarent, num tutò Duci sacramenta præstituri forent, cùm Bauaro, vt Episcopo Leodiensi, paulò antè fidem dedissent. Qua excusatione spreta vt friuola, nihilominùs profectus est Dux noster, comitante Philippo fratre Comite Niuerni, Valerano socero, Comite Namurci, Dominis S. Georgij & Croiaci, ac Brabantiæ Nobilibus aliquot. Louanienses enim ac Bruxellenses palàm auxilia denegarant;

Negantibus Louaniensibus, Bruxellensibus ac aliis auxilia, nihilominùs expeditio procedit.

ad quos à Leodiensibus litteras ac nuntios clandestinos missos lego, qui eos à præstanda Duci ope auerterent. Dum iter ingrederetur, Ducem vexillum vrbis suæ efferri volentem Louanienses prohibuere, apudque ceteras vrbes idem fieri effecere. Vnde irarum ille plenus, tamen ne exteri auxiliares diffluerent, per terras Leodiensium processit. Quo comperto, Leodienses ad 20000. hominum Traiectum mouerunt, volentes Theodoricum Episcopum suum simul cum Duce ibi inaugurari. Potentia tamen eorum qui cum Duce venerant, ne quid acerbius tentarent, obstitit.

Traiectenses Duci sacramentum dicunt.

At Traiectenses summo honore excepto Duci sacramenta fecere, Leodiensibus, pactis cum Duce induciis, iam dilapsis. Quibus peractis Dux, transito Mosa, Gelrum ad obsequium redegit. Hic etenim ferox initio, ac Roberti Imperatoris fœdere tumidus, Ducis copias nihili fecerat. Nam Robertus Imperator, missis ad Antonium minacibus litteris, Brabantia cederet, aut sibi beneficiarij fide adstringeretur, edicebat. Sed Duce iam Falcoburgum progresso, & Imperator

Item Geldrus.

cum iis quas Gelri subsidio parabat copiis recesserat, & Gelrus in castra Brabantica veniens fidem Duci iurauit. His peractis, Dux Orscotum, dimisso exercitu, venit, irâ in vrbes Brabantiæ, ob negata auxilia exæstuans. Itaque nullam earum ingressus præter Antuerpiam, in Franciam ea hieme discessit, demandata cura Reipub. Senescallo Brabantiæ, & Petro à Cranedonga Cancellario. Initio anni sequen-

1408 tis 1408. Traiectenses, qui recepto Duce nostro, ac Theodorico nouo Leodiensium Electo repulso, non parum Leodienses commouerant, Bauarum oppido suo recepere.

Leodienses Bauarum Episcopum suum eiectum obsident Traiecti.

Quod factum, præter veteres iniurias, ita tumultuatricem gentem concitauit, vt sine mora, sumptis armis, ad oppidi obsidionem accurrerent. Non latebant hæc Ioannem Ducem Burgundiæ Bauari sororium, etsi Lutetiæ negotiis implicitum arduis, vtpote accusatione in Aurelianum proposita, qua iustè

iuſtè eum interfectum commonſtrare nitebatur: quam proculdubiò, eo diſcedente, non parum æſtimationis perdituram conſtabat, Principibus omnibus pænè Francici Regni aut hoſtibus ſuis, aut non niſi ſimulatè amicis. Poſtpoſita tamen ea manendi neceſſitate, vt conſanguineo & affini ſubueniret, è Francia in Flandriam conceſſit; vbi Guilielmo Bauaro Comiti Hannoniæ & Hollandiæ collocutus, in Leodienſes, ſimul cum Philippo Ducis fratre, Guilielmo Namurcenſi, Petro Luceburgẽſi, Couuerſanæ Comite, ac Angiæ Domino Engelberto Angiano mouet. Cui Leodienſes, relicta Traiecti obſidione, ad 50000. hominum haud procul Leodio occurrerunt, ductore nouo Epiſcopo ac patre eius Henrico. Collatis ſignis victi ad internecionem ſunt Leodienſes, cæſis Theodorico Electo cum Henrico patre & alio fratre; redactiſque mox in poteſtatem Bauari omnibus diœceſeos ciuitatibus, Ioannes Burgundus in Franciam rediit. Non erat tamen, teſte Meiero, incruenta Burgundo hæc victoria, amiſſis pugnatoribus ſcilicet paulò minùs ſexcentis. Eo prælio, ait ipſum Chronicon Leodienſe recèns editum, triginta ſex millia Leodienſium extincta fuiſſe ſcribunt. Abſtinuerant ſe ab hoc bello Antonius Dux noſter, ac Valeranus Comes S. Pauli, pactorum, vt ferebatur, gnari, quibus Bauarus Theodorico Hornano Epiſcopatum ſe ceſſurum promiſiſſet. Eodem hoc anno quærebatur Duci noſtro Antonio noua coniunx Eliſabeth filia Ioannis Luceburgenſis, Ducis Gorlitij in Auſtria; qui frater erat Wenceſlai Eximperatoris Regis Bohemiæ, & Sigiſmundi tunc Hungariæ Regis, poſteà Imperatoris, filius verò Caroli Quarti Imperatoris. Doti dixit huic puellæ Wenceſlaus patruus Ducatum Luceburgi, Comitatum Ciniaci, & Aduocatiam Alſatiæ, quæ Wenceſlaus olim Dux noſter ex patrimonio poſſederat; ac ſimul inducta ſunt ſeu obliterata pacta anni milleſimi trecenteſimi quinquageſimi ſexti, cum Carolo Imperatore à Brabantinis inita, Antonium iuſtè Brabantiam poſſidere declarato. Obſtare nitebatur huic connubio Robertus Imperator, ne Wenceſlao deceſſori ſuo vires accreſcerent, ſed fruſtrà. Porrò maturanti in Brabantiam ſponſæ Dux Antonius Engelbertum Naſſouium Dominum Bredæ, & Epiſcopum Catalunenſem obuiàm miſit. Anni proximi 1409. menſe Iunio (an Iulio?) ſponſa Louanium ve- 1409
nit, donata ab Senatu vrbis argenteis aliquot amphoris, tribus vini vaſis, ac pannis aliquot Louanienſibus: inde Bruxellam profecta 17. Kalend. Auguſti Duci coniuncta eſt. Aderant huic ſolemnitati fratres Ducis, Comites Hollandiæ, Namurci, aliique complures. Compoſita eſt paulò pòſt à Burgundo inter Ducem noſtrum Antonium ac Guilielmum Hollandiæ & Hannoniæ Comitem controuerſia ex dote, quæ Ioannæ Duci olim noſtræ ex priori connubio debebatur: ſoluitque Guilielmus

Ioannes Burgundus Bauari ſororius copias contrahit, Bauaro liberando.

Cæſi Leodienſes ad triginta ampliùs millia.

Ducit Antonius noſter ſecundam coniugem cui dos Lutzenburgum.

Celebrantur nuptiæ Bruxellæ.

ex arbitrio Burgundi Duci noſtro ſeptuaginta millia ſcutatorum veterum. Quibus peractis, circa finem anni Burgundus Ducem noſtrum ſecum in Franciam abduxit. Anno proximo 1410. menſis Iunij die 11. coniunx Antonij Ducis noſtri filium peperit, maximo cum omnium gaudio. Misêre eò vrbes Legationes frequentiſſimas, quæ Baptiſmo infantis intereſſent. Lego Louanio miſſos ad ſexaginta. Ioannes Epiſcopus Leodienſis & Dominus Hensbergæ infantem à Fonte ſuſceperunt. Creſcentibus tum in Francia Aurelianæ factionis fœderatis, Dux Burgundiæ Ioannes, verſo in ſuam factionem Rege Carolo, immenſum exercitum in Franciam conuocat, quaſi Regi à coniuratis tutando. Reuerſus in Brabantiam Dux noſter, menſe Auguſto, maximo delectu habito, pulcherrimas copias fratri Pariſios adduxit. Nam ſagittariorum cohortes ab vrbibus miſſas lego. Haud procul Lutetiâ aberant Aurelianæ factionis Principes. Sed dum certamen ab omnibus expectatur, Duce noſtro Antonio & Duce Biturigum annitentibus, Vinceſtriæ pax ſecunda huius inteſtinæ diſcordiæ parum duratura coiit. Etenim Burgundiæ ac Biturigum Duces ea pace gubernaculis Reip. amoti, dum quiſque ea repetit, pacem turbauêre. Eodem anno inter Antuerpienſes ac Mechlinienſes vetus Stapularum renata controuerſia. His Ioannes Burgundiæ Dux & Flandriæ Comes, illis Antonius noſter eius frater, fauebant; eo ardore, vt aliquanto tempore inimicitias inter ſe gererent. Antuerpienſes ſtructo ad Rumſtam caſtello, Mechlinienſes non paruis damnis afficiebant. Initio anni ſequentis 1411. turbata pace Vinceſtriæ, cùm Armeniaci (ita Aurelianæ factioni tunc nomen) indicto Duci Burgundiæ Ioanni bello, Lutetiam tentaſſent; Ioannes Dux, collectis totius Flandriæ viribus, adſcitoque Antonio noſtro fratre, Ioanne Bauaro Leodienſi Epiſcopo, eiuſque fratre Guilielmo Hannoniæ & Hollandiæ Comite, in Verumanduos iter fecit: vbi captis Hana, Nigella, Roya, Chaumaco, cùm deinde Mondiderio aſſideret, facta à Flandris fœda diſceſſione, domum reuerti compellitur. Hinc Armeniaci, quaſi eo fugiente, cornua efferre: ſed ille rurſus Pariſios profectus, effecit, vt Armeniaci proſcripti à Regio Senatu, etiam ſacris ab Vrbano Pontifice mouerentur: dein variis ciuitatibus eos expulit. Porrò Dux noſter Antonius menſe Octobri in Brabantiam reuerſus, ſubſidia à ſuis petiit, quatenus Nobiles quoſdam Leucorum ſeu Luceburgenſium ſibi rebelles domaret; moxque in Leucos mouens, Luceburgi aliiſq; eius Regionis oppidis ſumma gratulatione exceptus eſt. Reſiſtebat Huardus Elternæ Dominus, quem Ludouicus Aurelianus Dux, demandatâ ſibi olim à Wenceſlao Bohemiæ Rege Leucorum curâ, Præfectum ibi conſtituerat. Itaque ille (licet mortuo Aureliano) vt perpetuam Præfecturam prætendens, cùm à Duce obſideri

Margin notes: 1410 — *Parit Eliſabetha Duciſſa filium, maximo omnium gaudio.* — *Parat Antonius expeditionem in Franciam.* — *Renaſcitur inter Antuerpienſes & Mechlinienſes vetus Stapularum controuerſia.* — 1411 — *Varia fortuna Antonij noſtri & fratris in Francia.* — *Luceburgēſes quoſdam rebelles Antonius domat*

ri vereretur, Clunetum cognomento Brabantum, Armeniacorum fortissimum ductorem auxilio exciuerat. Venit Clunetus Mommediam cum validis copiis: in quem facto impetu Brabantini, non parua clade afficiunt: elapsus ille Leucis profugit: Huardus verò, desperata ope, Elternis Ducem recepit; moxque Mommedia, Danuillerium, Orchimons Duci cessêre: quibus peractis Dux in Brabantiam rediit. Sequenti an-
no 1412. Duce nostro Antonio in Bateburgi obsidionem copias colli- 1412
gente, vrbes delectum ciuium fieri nolebant, agitabantque secreta inter sese consilia, vt vi prohiberent, si quid ob hoc Dux moliretur. Proinde Legatos Leuiensium ac Thenensium Louanium euntes Dux intercepit, paria in Bruxellenses meditatus, nisi missa Louanio sagittariorum manus Bruxellam saluos deduxisset. Euocati mox Ordines Viluordiam: vbi Dux in frequenti Principum Conuentu de vrbium proteruia multa conquerebatur. Aderant è singulis vrbibus Senatores aliquot: qui benè defensâ Reip. suæ causâ, nihil à se proterue actum excusabant; verùm singularum vrbium iura malè à Duce defendi, assiduis Francorum bellis implicito, vt se abundè commonstrare posse affirmabant, si è Ducis consilio aliqui delegantur, qui per singulas vrbes profecti omnium querelas perciperent. Datum mox id negotij Henrico à Bergis Senescallo Grimbergæ Domino, Enghelberto à Marca, Arnoldo à Craienhemo, Guilielmo Bontio Equitibus, & Ægidio à Viue-monte, Duce interim Turnohoudæ commorante. Profecti ergo Louanium, Bruxellam, Thenas, Niuellam, Leuiam, auditis singulorum querelis, Turnohoudam detulerunt. Querebantur sanè Louanienses ac Bruxellenses, iudicia Scabinorum suorum à Lyranis sperni, ceterisque qui iurisdictioni Antuerpiensium subiacent. Louanienses item suorum Scabinorum iudicia à Leuiensibus in eorum territorio prohiberi; Thenenses ac Leuienses Legatorum suorum captiuitatem: omnes verò hæc pariter, terram Cuyckensem, Grauiamque adhuc in manibus Gelrorum consistere; arces Transmosanas oppignoratas non redimi; Boscenses non vindicari, quibus paulò antè Guilielmus Gentius Eques, subita inuasione occupata vrbe, ingens damnum intulerat. His visis, auditisque Dux, dimissis Leuiensium ac Thenensium captiuis, iura cuiusque vrbis se in posterum defensurum spopondit; moxque redintegrata amicitia, mense Aprili Bruxellam rediit. Obiit hoc anno Henricus à Bautreshemo Dominus Bergarum, relictis Ioanna ac Oda filiabus, quarum illa Ioanni Domino Glymarum, Oda verò Florentio à Borselo nu-
psérant. Insequenti anno 1413. Ioannes à Schoonvorsta Dominus Mo- 1413
nioyæ ac Cranedungæ, cum Hornæ Domino conflixit in finibus Campaniæ Brabanticæ. Bruxellenses Guilielmum ab Asca Prætorem suum

Detrectant Brabanti Antonio in exteros dare auxilia.

Ordines palàm protestantur iura vrbium malè à Duce defendi, & probationem offerunt.

Missi Legati ad omnes vrbes, varias querelas attulerunt.

Auditis querelis Dux se omnia correcturum spondet, sicque amicitia redintegratur.

Bruxellenses Pratorem suum proscribũt, nequidquam indignante Duce

exsilio multant summa cum indignatione Ducis, eiusq; exsilium à ceteris vrbibus Viluordiæ confirmatum est. Ioannes à Glymis & Florentius à Borsela suprà nominati, generi Henrici Domini Bergarum, de soceri hereditate contendentes, hac lege pacati sunt, vt Florentius, perceptis aliquot aureorum millibus, Ioanni Bergas cederet. Ineunte anno 1414.
1414 cùm Dux noster ingens tributum à Brabantinis postularet, decretum ab Ordinibus Louanij congregatis, ne Duci acquiescerent, nisi singularum vrbium defectus, vt Turnohoudæ nuper promiserat, restauraret. Agebatur eo anno summo labore de Thoma Disthæ Domino Duci reconciliando. Erat causa eius eiuscemodi: Disthenses se ab eo iniustis vectigalibus onerari Duci questi fuerant: illi edicto Ducis iussus nihil vltra debita onera ciuibus suis extorquere, Henricum Papam oppidi Scabinum ad Palatium suum euocatum occidi curarat, acerrimum ciuium propugnatorem. Tulit hoc Dux Antonius grauissimè, vt & quod Sichenas à Schoonvorstæ Domino emisset in Ioannis Schoonvorstij Monioyæ Domini præiudicium, ad quem, mortuo Schoonvorstio, eæ rediturae erant. Thoma itaque Distha pulso, Ioannem Sueuum Patricium Bruxellæ oppido præfecit, Ægidio à Monte Quæstore addito, mutatisque eius oppidi Magistratibus. Thomas Louanium profugerat; vbi cùm iure ciuium eius vrbis, quo neminem inauditum bonis pelli licebat, sese tueretur, ab Ordinibus ac præcipuè Louaniensibus de reconciliatione eius sedulò agitabatur. Verùm obfirmatus aduersum hæc Dux, numquam tot hominum precibus molliri potuit. Erat Thomæ frater Episcopus Argentinæ, qui iussu Sigismundi Imperatoris in Brabantiam veniens in mandatis habebat, sollicitare Ducem, vti Thomam in gratiam reciperet; si is refragaretur, opem ab Imperatore polliceri. At Thomas, vt erat homo perduellionis omnis ac perfidiæ hostis maximus, fratri respondit, malle se patria laribusq; exactũ, quoad viueret, exsulem agere, quàm receptis in Principem suũ externis auxiliis perfidię crimine conspurcari. Qua eius responsione ad Palatium relata, Dux, patefactis postulationi Ordinum auribus, Thomæ ignouit, coronatorũ tamen septem millibus multato, antequam patrimonium restitueretur: simul etiam pax inter eum ac ciues suos reformata est, eiectis in exsilium Popæ (an Papæ?) interfectoribus. Paulò antequam hæc fierent, Carolo Rege Francorum in Armeniacam factionem nomen dare cõpulso (erat enim is iam multis annis maxima anni parte insania oppressus) bellum in Burgundiæ Ducem Ioannem proclamatũ fuerat, omnium pænè Francię Procerum conspiratione. Suasu itaque Armeniacorum Rex Lutetia exercitu producto, Compendium, Suessiones, Laudunũ, omniaq; vsque ad Atrebatum in potestatem redigit. Obsessi Atrebates arctissimè. Tandem Antonius Dux noster cum Mar-

Noua difficultas à Thoma Disthæ Domino.

Dudum Louanienses frustrà laborant Thomam Duci reconciliare.

Tandem ipsius Thomæ quædã probitas euicit iram Ducis.

Obsidetur Atrebatum a Rege Franciæ.

Margareta sorore vxore Comitis Hannoniæ & Hollādiæ in castra Regia profectus, summo labore persuaso Rege, pacis Atrebatensis auctor fuit; quæ mense Februario Lutetiæ in magna festiuitate omnium Principum sacramentis fuit confirmata. Eodem anno Valeranus Comes S. Pauli, quem Antonius Dux noster vniuerso Luceburgensium Ducatui præfecerat, Nouam-villam Mosæ oppidum à Ioannis Domini Orchimontis præsidio insessum expugnauit. Hoc quoque anno variæ Legationes missæ, ad controuersiam inter Ducem nostrum ac Sigismundum Imperatorem, quæ de Luceburgensi Ducatu intercesserat, dirimendam. Placuit tandem, vt mutuo colloquio rem disceptarent, quod aliam ob causam irritum fuit. Anno insequenti 1415. pridie Idus Aprilis Valeranus Comes sancti Pauli Iuodij Leucorum seu Luceburgensium oppido decessit; ex cuius filia Ioanna Dux noster Antonius Ioannem ac Philippum filios habebat, qui auo in Comitatu S. Pauli ac ceteris eius opibus successere, sicut & patri posteà in Brabantiæ Ducatu. Finitis tum induciis inter Anglum ac Francum, cùm Franciam suum domesticum malum abundè grauaret, Angli præterea cruentissimum bellum excitauere. Non contentus etenim Henricus Angliæ Rex Catharina filia Regis Caroli, quæ sponte offerebatur, Aquitaniam omnem Nortmanniamq; doti constitui volebat. Ita Legatis vtrorumque sine vlla spe pacis discedentibus, Henricus Rex omnem in continentem transmittendi apparatum adornabat. Porrò Dux noster sub ipso belli rumore Brabantiam repetens, mense Aprili varia cum suis consilia habuit. Quibus bello abstinere eum, vt superuacaneo, nec è re Brabantica, suadentibus, cùm obstinatum eum ad iter comperissent, sagittariorum opem denegarunt. Mense Octobri Dux Louanium venit; vbi filiis suis Ordinum curæ commendatis, clàm noctu Franciam versus perrexit, paucis Nobilium Brabantiæ eum comitantibus, idque celeritate quanta poterat maxima. Angli etenim, captis fortissimis Nortmanniæ ciuitatibus, in Morinorum fines peruenerant: quos pænè consecuti Franci, ne interiora Galliæ peruaderent, arcebant. Necessitate itaque vrgente Angli, quamquam decuplo inferiores, Francos summa virtute (ipso die SS. Crispini & Crispiniani 25. Octobris in campis Blangianis, inquit Leodiensis, prope Asincuriam) attriuerunt, cæsis eorum nobilissimis, Antonio Duce nostro, Philippo Comite Niuerni eius fratre, Eduardo Duce Bari, Comite Alenzonij, Carolo Albreto Comite stabuli, aliisque compluribus; & ex Brabantinis, qui Antonium secuti fuerant, à Lidekerka, à Castregata, ab Heetvelda, à Fontanis; captis verò Carolo Duce Aureliani, Ioanne Duce Borbonij aliisque infinitis; & è nostris Domino Rotselariæ, Cornelio à Lidekerka, à Glymis, à S. Gaugerico. Engerannus apud Meierum decem millia Francorum

Controuersia inter Ducem nostrum & Sigismundum Imp. de Lutzenburgensi Ducatu.

1415

Iterùm adornatur bellum inter Francum & Gallum.

Frustrà dissuadetur Duci nostro Antonio Francicum bellum.

Angli vincunt Francos, cæso inter plures etiam nostro Antonio.

rum occubuisse commemorat, certè numeratos ad sepulturam in eodem loco quinque millia & octingentos, prȩter asportatos, & longiùs dispersos, idem testatur. Inuentum tertia pòst die Ducis nostri Antonij corpus, per oppidum S. Pauli, Tornacum & Hallas, atque inde Bruxellam delatum est; vbi exequiæ magna pompa perfectæ sunt, quibus interfuere Thomas Dominus Disthæ, Dominus Wesemaliæ, Comes Leynæ, Dominus Rodij S. Agathæ, alijq; Equites & Nobiles complures, itemque Legati vrbium. Hinc corpore Ducis Furæ condito, consultatum, quibus conditionibus nouus Dux reciperetur. Deducta Turnhoudâ Viluordiam vidua Ducis Elisabeth, vbi graui morbo laborauerat. Actum de arcibus Transmosanis ab Hensbergæ Domini ceterorumque oppignoratione eximendis; Legatis eorum Traiectum vocatis, cum quibus tum nihil conueniri potuit. Reuersi intereà ex Anglorum captiuitate Ioannes Rotselariæ Dominus, Ioannes à Glymis Eques, ceteríque Brabantiæ Nobiles. Statutum ob Ordinibus, Ioannem filium Antonij Ducem fieri ea lège, vt cùm decimum octauum ætatis annum excesserit, noua sacramenta præstet. Hactenus Diuæus. Hoc anno Ioannes Papa XXII. in Concilio Generali Constantiensi, quod ipse indixerat, vir bello & armis aptior quàm religioni (verba sunt Onuphrij) exauctoratus est, ipseque etiam depositioni posteà subscripsit. Etenim persuasus à Sigismundo Imperatore, vt Concilium indiceret, quatenus reiectis duobus Antipapis, sublato perniciosissimo schismate quod annis propè quadraginta tenuerat, ipse in Pontificatu possit confirmari, cum Cardinalibus in Concilio præsens, cùm paulò pòst dignitatem suam in periculum reuocari cerneret, clàm habitu mutato, Constantiâ discessit. Ex fuga retractus, & quæstione in eum instituta, Pontificatus ei abrogatus est 4. Kalend. Iunij, cui damnationi & ipse pridie Kal. Iunij in oppido Schafhusia consensit. Ad quadraginta capitula, ait Platina, contra eum probata sunt: quorum aliqua cùm in eo minimè immutari possent (adeò erant inueterata) contra fidem iudicata sunt. Hæc ille; nec mitiora Onuphrius: qui addit, Gregorium itē XII. per procuratorem 4. Nonas Iunij abdicasse. Ac demum cùm per annos duos Benedictum Antipapam frustrà ad Concilium Cardinales Patresque ibi præsentes vocassent, post vacationem annorum duorum & quinque à cessione Ioannis (qui licet improbus, tamē legitimè electus fuerat) creatus est Pontifex 3. Nonas Nouembris Martinus V. dictus anteà Otho Columna Romanus. In eodem Concilio itidem anno huius sæculi decimo quinto Ioannes Hus & Hieronymus à Praga hæresiarchæ pertinaces iudicati sunt, ac brachij sæcularis sententia iuxta Imperiales sanctiones combusti. De quibus confingunt Nouatores id contra fidem publi-

Post triduū inuentum corpus, Bruxellā, inde Furā deportatur.

Ioannes filius patri subrogatur, sed certa lege.

In Concilio Constātiensi Ioannes Papa deponitur, ipseq; etiā consentit.

Itē Gregorius XII.

publicam seu Saluum conductum Imperatoris esse factum, adduntque præterea, sanxisse etiam eamdem Synodum, hæreticis non esse fidem seruandam. Sed retudit fortiter hanc sycophantiam seu calumniam inter alios etiam noster Swertius; cuius contra Plancium verba pauca lubet adscribere: Quid vis (inquit ille Plancium compellans) Sigismundum, vel Concilium promisso Sigismundi stare? ipse Hus non stetit. Contra pacta & conuenta, cùm hæresim suam, quod sperarat, Concilio probare non posset, fuga se proripuit. (Auctores habeo præter alios etiam Laurentium Hunfredum Caluinistam.) Retractus ex fuga, ad errores suos pertinaciam grande malum adiecit, & mortis sententiam accepit. Extat Teutonica Historia Vlrici Reichental ciuis Constantiensis & testis ocularis, in qua asserit Ioannem Hus & Hieronymum Pragensem promisisse illis à quibus in carcere visitabantur, velle se & hæreses reuocare, & contrarium prædicando non ampliùs Rempublicam perturbare, ob idque pulsatas esse ter campanas in signum lætitiæ; sed non multò pòst palinodiam cecinisse, ac proinde pœnam mortis incurrisse, hæreticis (inprimis perturbatoribus) à legibus Imperatoriis non semel decretam.

Retunditur sycophantia Nouatorū de Ioanne Hus & Hieronymo à Praga hæreticis combustis.

Puniti illi Iure Imperiali nempe vt perturbatores Reipublicæ.

Quòd verò impudenter addunt Synodum illam definijsse hæreticis fi-
» dem non esse seruandam, en ipsissima eius Synodi verba: Præsens san-
» cta Synodus, ex quouis Saluo-conductu per Imperatorem & alios sæculi
» Principes hæreticis vel de hæresi diffamatis (putantes eosdem sic à suis
» erroribus reuocare) quocumque vinculo se astrinxerint, concesso, nullum
» fidei Catholicæ vel iurisdictioni Ecclesiasticæ præiudicium generari,
» vel impedimentum præstari posse seu debere declarat; quò minùs, dicto
» Saluo-conductu non obstante, liceat Iudici competenti & Ecclesiastico
» de huiusmodi personarum erroribus inquirere, & aliàs contra eos debere
» procedere, eosdemque punire, quantum iustitia suadebit, si suos errores
» reuocare pertinaciter recusauerint; etiamsi de Saluo-conductu confisi ad
» locum venerint iudicij, aliàs non venturi: nec sic promittentem, cùm
» aliàs fecerit, quod in ipso est, ex hoc in aliquo remansisse obligatum. Hactenus verba pura puta Concilij; quibus, vt videre est, nihil aliud definitur, quàm fidem datam à Principibus sæcularibus nequaquam præiudicare posse iurisdictioni Ecclesiasticæ, vtpote quæ sit alterius generis, & cui ipse quoque Imperator subsit.

Falsissimū esse Synodum definiisse hæreticis non esse seruandam fidem.

En ipsa Synodi verba.

Tantum declarauit Imperatoriū Saluum-conductum non posse præiudicare iuri Ecclesiæ.

In hunc sensum ista Gregorius Nazianzenus, cognomento Theologus, Oratione XVII. ad ciues Nazianzenos, & irascentem Præfectum: Quid igitur dicitis? an me liberè loquentem æquo animo feretis? Nam vos quoque imperio meo lex Christi subiecit. Imperium enim nos quoque gerimus; addo, etiam præstantius & perfectius. Nisi verò æquum est spiritum carni fasces submittere, & cælestia terrenis cedere. Ita ille. Quid? si tanti viri auctoritati refragaris,

Idem confirmatur auctoritate Gregorij Nazianzeni.

ris, audi saltem, ô Planci, Caluinum tuum lib. 4. Instit. cap. 11. §. 4. Magistratus si pius est, non volet se eximere communi filiorum Dei subiectione, cuius non postrema pars est, Ecclesiæ ex verbo Dei iudicanti se subiicere; tantum abest, vt iudicium illud tollere debeat. Quid enim honorificentius, inquit Ambrosius, quàm vt Ecclesiæ filius dicatur Imperator? Imperator enim bonus intra Ecclesiam non supra Ecclesiam est. Hæc Caluinus quantumuis naufragus, hoc saltem Politicis huius temporis melior.

Quin & verbis aduersarij Ecclesiæ Ioannis Caluini.

IOANNES IV.

FILIVS PRÆCEDENTIS,

XXXVI. BRABANTIÆ PRINCEPS.

Præfuit annis duodecim.



DECIMVM tertium ætatis annum Ioannes, Antonij natu maior filius, agebat, cùm mense Ianuario anno huius sæculi decimo quinto ad Pascha tunc exeunte, Louanij in Ducem reciperetur; vbi datis acceptisque sacramentis, Diuæo commemorante, promisit de renouando, vbi decimum octauum ætatis annum exiisset, iureiurando, vt inter Ordines nuper statutum fuerat. Creati tum è singulis vrbium viri prudentissimi Rectores nouo Duci, Razo à Grauia, Louaniensis; Reinerus Morsius, Bruxellensis; Nicolaus à Stelandia, Antuerpiensis; Theodericus Rouerus Eques, à Bosco. Datus Prætor Louaniensibus Ludouicus Pinnoccus Eques. Miserat Ioannes Burgundiæ Dux, nostri Ioannis patruus, qui inaugurationi noui Ducis adessent, Episcopum Tornacensem, & Iacobum Curtoiambum Equitem; Louanio Bruxellam, Antuerpiam ac Boscum profectus nouus Dux, sacramenta à ciuibus excepit. Porrò inter hæc Ioannes ab Arcla Hollandus Eques, qui Furæ exequiis Antonij Ducis adfuerat, cùm domum proficisceretur, dolo quorumdam Hollandiæ Nobilium captus ac in Hollandiam ductus est, insimulatus, quòd cum Reynaldo Gelro Duce secretò quædam contra Guilielmum Comitem Hollandiæ molitus esset. Erat hic ciuis Bruxellensis. Quare Bruxellenses grauiùs indignati, ciuem suum Brabantiâ auectum, conuocatis reliquis vrbibus, vt de eo liberando simul operam impenderent, exorabant. At ij qui Ioannem Ducem nostrum regebant, prohibebant, ne tuitione

1415 Inauguratur Ioannes Ducatui Louanij, datis ei Rectoribus.

Ioannes ab Arcla trucidatur: hinc turba.



IOANNES IV. ANT. F. XXXVI. BRAB. PRINCEPS.

tione Arclensis Hollandi excitarentur; asserentes non è vana suspicione, sed patefacto crimine reum effectum. Ita deferbescente Bruxellensium studio, decennio ferè in carcere permansit; at reliquis, qui eiusdem con-

Ioannes Burgundiæ Dux idemq; Co. Flādriæ Ioannis nostri patruus frustrà eiusdē poscit tutelam.

iurationis arcessebantur, facinore eluto, ignotum est. Venit per eos dies Bruxellam Dux Burgundiæ Ioannes, tutelam Ducis nostri exposcens: qua denegata iratus, abducto vnà Philippo fratre Ducis in Picardiam concessit, vbi S. Pauli Comitatus incolas in verba eius adegit. Is enim Comitatus & Ligniacensis huic iuueni ex hereditate obuenerant; quos Ioannes Burgundiæ Dux tutorio nomine pro nepote aliquamdiu gubernauit.

1416 Anno sequenti 1416. Elisabeth noui Ducis nouerca, cùm 5000. coronatorum aureorū nomine dotis ab Ordinibus offerrentur, indignabunda

Offert Dux noster Imperatori clientelam de Antuerpia & Traiecto.

Bruxella Luceburgum concessit. Miserat Legatos nouus Dux, qui Sigismundo Imperatori nomine suo de Antuerpia ac Traiecto fidem darent; qui nisi nepti suæ Elisabethæ nouercæ Ducis satisfactum foret, Ducem in clientelam recipere noluit. Rumor interim erat, Ioannem Episcopum Leodiensem arma mouere, vt Ducem nostrum Traiecto arceret, concitante Ioanne à Monioya, ærarij Episcopalis præfecto, Brabantinis irato, ob Ioanni Burgundiæ Duci (sub quo ipse administrationem rerum Brabanticarum non modicam sperabat) tutelam Ducis nostri denegatam. Moti eo anno Magistratu Henricus à Bergis Senescallus, Guilielmus Ascanus ac Ioannes ab Elsta Quæstores, ac administrationis rationem Ordinibus dare coacti. Anno sequenti 1417. mense Maio

1417

Traiectenses Duci nostro sacramentum dicunt, Episcopo Leodiensi impedire non auso.

Ioannes Dux noster cum magnis copiis Traiectum profectus, Leodiensi impedire non auso, à ciuibus fidelitatis iuramenta exegit. Vltima eius mensis die Guilielmus Comes Hollandiæ & Hannoniæ viuis excessit; Primatibus vtriusque Comitatus primùm iureiurando deuinctis, vt Iacobam filiam suam vnicam Duci nostro coniungerent. Itaque Dux noster, cui id connubium maximè placebat (nam collimitanei erant Iacobæ Comitatus Brabantiæ, vnus ab Occidente, alter à Septemtrione) vbi animaduertit extremam voluntatem patris se generum designasse,

Mortuo Guilielmo Hollando filia eius vnica Iacoba nostro Duci despondetur.

Gandauum ad Ioannem patruum Burgundiæ Ducem profectus, cum eo hac de re colloquium habuit. Assentiente eo, commeantibus inter vtrosque Legatis, Birfletum conueniri decretum; vbi inter Ioannem Ducem nostrum ac Iacobam peracta sponsalia, Ioanne Bauaro tamen Electo Leodiensi sponsæ patruo, suffragio suo roborare nolente, nisi ea quæ pater Albertus ac Guilielmus frater olim ipsi legassent, rata manerent. Deinde, quia Dux & Iacoba in secundo consanguinitatis gradu se mutuò pertingebant, missi Constantiam, qui sanguinis veniam à Synodo Patrum ibi congregata expeterent; Sigismundo Imperatore ac Ioanne Bauaro Episcopo seu Electo Leodiensi refragantibus, diu frustrà labora-

Imp. & Bauarus Electus Leodiensis impedire nituntur dictas nuptias.

borarunt. Bauarus enim pertæsus iam rerum sacrarum, cùm sacerdotio initiari nolentem sui etiam spernerent, Leodio egressus, pertentatis secretò Dordracensium primis, mox eo oppido receptus est; misitque procuratorem Constantiam qui resignaret Episcopatum Synodo, ac simul Ducis nostri ac Iacobæ nuptias impediret. Intereà Dux noster, soluto Conuentu Birfletano, ad suos remeans, licet ab initio decretum esset vt omnia quatuor virorum consilio ageret, iis tamen inconsultis, Guilielmum ab Ascha Prætorem Bruxellensibus dedit. Ioannes quoque Bauarus, cùm Dordracenos in verba sua, tamquam tutoris Iacobæ neptis, iurare coëgisset, litteris ad reliquas vrbes Hollandiæ missis, paria ab iis fieri postulabat. Quibus non ad votum succedentibus, cùm & Iacoba patrui tutelam aspernaretur, Schoonhouiæ de conciliandis partibus actum est.

Bauarus nepti suæ Iacobæ mouet bellum occupato Dordraco.

Vbi palàm denegatis sibi Hollandiæ gubernaculis, cùm & iam contentum esse debere iis quæ Birfletano Conuentu ipsi promissa essent, Iacoba assereret, iratus discessit; moxque conciliatis sibi Guilielmo ab Arcla, Ioanne & Guilielmo ab Egmonda fratribus Equitibus, Gorichemum occupauit.

Item occupat Gorichemum, sed à quo mox à Iacoba iterùm expellitur.

Quo comperto, Iacoba cum Margareta matre ac Valerano à Brederoda Equite, classe in arcem eius oppidi venit: & inde egressa, fortiter repulso hoste, oppidum recuperauit, cæsis hostium primis Guilielmo ab Arcla, Domino Petrishemi, aliisque, non tamen incruentè; nam Valeranum à Brederoda virum fortissimum amisit: post quam pugnam Iacoba, Gorichemo validis præsidiis munito, Hagam concessit. Interim Legatis Constantiæ fideliter operam suam nauantibus, Martinus Quintus nouus Pontifex connubio Ducis ac Iacobæ consensit; quod metu Sigismundi Imperatoris posteà reuocasse fertur. Hæc Diuæus, sed non satis exactè tempora consignans; Meierus in hunc modum supputat: Mortuus est Delphinus, maritus Iacobæ, toxico sublatus, octauo post Pascha die 14. Kalend. Maij: quo ex casu tantum mœroris concepit Hannonius Iacobæ pater, vt & ipse mox moreretur pridie Kalend. Iunias.

Distinctiùs ex Meiero de rebus Iacobæ.

Eo defuncto, inquit, frater Hannonij Ioannes Bauarus 28. iam annum titulum gerens Episcopatus Leodiensis, post tot mactatas perditasque Christiani gregis oues, in Concilio Constantiensi Episcopatum & Diaconatum deponit, ducitque vxorem Elisabetham Antonij Brabantini viduam Lutzeburgensi Ducatu dotatam; Iacobam verò viduam Delphini, suam ex germano defuncto neptem, spoliare Hollandia Zelandiaque nititur; resuscitatis, vt est in Hollandorum Historiis, Hamatorum, & Asellatorum, vulgò Hauckiorum, (Principis maiestati hi fauebant) & Cabelliauorum factionibus.

Resuscitatæ iterùm apud Hollandos Hamatorũ & Asellatorum factiones.

Dordracum fauore ciuium, & Nobilium Asellatorum maximè, capit. At verò Iacoba haud segniter agit, sed Gorichum statim obsidet. Pugnatum est

Kalend. Decembribus: Iacoba egregiè vicit: mille circiter ex aduersariis interfecit, ac totidem cepit. Interfecti Guilielmus Arkelius seu Herculanus, Otho Burensis & Petersomius. capti Nobiles, Comites Verreburgensis, Vburgensis, Alardus Burensis, Egmondanus, Heterius, Homotius, & alij: sed Valeranum Brederodium magno suo damno Iacoba desiderauit. Et illa quidem oppido Gorichomio potita est; sed & Bauarus, quamuis victus, Dordracum retinuit. Burgundio nepti suæ Iacobæ succurrit. Coit Conuentus apud Birofluctum. Ibi soluto per nouum Papam Martinum cognationis vinculo, Iacoba Ioanni Duci Brabantiæ Antonij defuncti filio desponsata est agenti sextumdecimum non plus ætatis annum. Fremere & irasci Bauarus, conarique Sigismundi Cæsaris fauore nepti Hollandiam Hagnoniamque detrahere; sed Iacobæ causa, opesque & vires præualuerunt. Ita de his Meierus. Prosequitur Diuæus: Pontificis Diploma Ioannes Dux per Engelbertum Nassauium Bredæ & Henricum à Bergis Grimbergæ Dominos Hagam ad Iacobam destinauit mense Ianuario; & paulò pòst, videlicet die 8. mensis Martij, ipse septus nobilissimorum Principum comitatu Hollandiam petiit. Disceptatum aliquamdiu Hagæ super Pontificio Diplomate, & maximè super eius reuocatione, cuius exemplar Bauarus Duci nostro tradendum curarat; placuit tamen nihilominùs in connubio procedi. Itaque anno

Dispensatur à Papa Martino Quinto inter Iacobam & Ioannem.

1418 proximo 1418. mense Aprili celebratæ sunt nuptiæ Ioannis Ducis & Iacobæ in frequentissimo Nobilium ac vrbium vtriusque Principatus conuētu. Aderat Tornacensis Episcopus, Legationis à Ioanne Duce Burgundiæ eodemque Flandriæ Comite caput. Quin etiam superuenêre mox à Martino Pontifice litteræ, quæ reuocationem metu Imperatoris factam, rescissam esse, ac Ioannem Ducem cum Iacoba sine vllo scrupulo matrimonium agere posse edocebant. Receptus itaque est omnibus penè Hollandiæ oppidis ac Zelandiæ, ac inde domum reuertit: vbi non modica cum suis discordia interuenit. Erat illi Quæstor Guilielmus à Monte, qui facili Principis ingenio abusus, Engelbertum Bredæ, Henricum à Bergis Grimbergæ, Henricum à Lecca Hezeuiæ (an Hezeuicæ?) Dominos ita ab eo alienarat, vt aliquem horum in conspectum suum venire non pateretur, quasi eius constitutionis auctores, qua gubernatio Brabantiæ ipsi ob ætatem interdicta paulò antè fuerat. Econtrà illi gratiâ Principis exclusi, Louanium conuocatis Ordinibus, Guilielmum incentorem Principis perpetuo exsilio damnatum tota Brabantia edixerunt, & Bruxellenses Prætorem suum damnationis edictum proponi nolentem in carcerem miserunt. Intereà quoque Bauarus, Ducem nostrum Hollandia ceterisque vxoris opibus potiri fremens, ducta pridem Elisabetha Ducis nostri nouerca, & cum Sigismundo fœdere inito, Hollan-

Celebrantur nuptiæ in Haga Comitis.

Dux domū reuersus nouas inuenit turbas.

landiam, Zelandiam, ac Hannoniam beneficiario iure ab eo possidendas accepit, quasi ad Imperium mortuò Guilielmo Comite sine mascula prole deuolutas. Interdicta itaque Duci nostro administratio harum re-

Imperator Duci nostro interdicit administratione Comitatuũ Iacobæ, tãquam quæ ad se essent deuoluta.

gionum, datis litteris Imperialibus Constantiæ 29. Martij. Quarum litterarum munimini fisus Bauarus, cùm Hollandiæ, Zelandiæ, ac Hanno-niæ oppida sollicitaret, hoc responsum tulit: Regiones has neque feudum Imperij esse, nec ad mares solos deuolui, cùm certissimo experimento constet, Valtrudim Carolomanni Austrasiæ Principis neptem, Richildim quoque Comitatum Hannoniæ, Adam ac Margaretam Comita-

Eidem solidè respondetur; nihilominùs Bauarus ope simul Imp. inuadit Iacobæ terras.

tum Hollandiæ maritis dotales attulisse: præter hæc iniquissimum esse, Bauarum, collaudato olim Birfleti Ducis nostri ac Iacobæ connubio, ac secundùm eius Conuentus pacta feudis suis ab ea inuasatus, nunc tam fœdè obniti. At ille verbis contendere ratus inutile, Dordraci ac Brielæ coactis naualibus copiis Hollandiam variè incurrit. Quo in Brabantiam nuntiato, decreta Iacobæ auxilia, ductore Ioanne Domino Wesemaliæ; & Ioannes Dux ipse Bergam S. Gertrudis profectus, præmissis suis, Dordracum obsedit: quod oppidum cùm variis exstructis è terra propugna-

Obsident Brabanti Dordracum, sed lento progressu.

culis, nostri fame vrgerent, egressi quadam vice præsidiarij, facto in Antuerpienses impetu, summa virtute ab ijs repelluntur: obsidio tamen deinde, hinc à Brabantinis, illinc ab Hollandinis, soluta est, in solis propugnaculis relicto præsidio, eo euentu, vt ceteris digressis, Dordraceni præsidiarios omnes crudeliter occiderint. Paulò pòst Roterodamo à Bauaro intercepto, Philippus filius Ioannis Ducis Burgundiæ & Comitis Flandriæ, Ludouicus à Luceburgo Episcopus Tarauanæ, Petrus à Luceburgo frater eius, Comes Couuersanæ, Dominus Angiæ, in Hollandiam venerunt: quibus agentibus, Worichemi Dux noster & Bauarus pacem

Transigitur inter Bauarum & Ducem nostrum.

iniere. Cessit Dux Bauaro, tamquam Rectori Hollandiæ, Zelandiæ, ac Frisiæ constituto, Dordracum, Gorichemum, Arclam, Lederdamum, Roterodamum, Wordam, Vornanum ac Brielam: vicissim Bauarus omne ius suum in Comitatus Hollandiæ ac Hannoniæ eiurauit. His peractis, Ioannes Dux cum Iacoba in Hannoniam digreditur, vbi receptis ab eius terræ populo sacramentis, cùm quadam die venatum exiisset, fratres Iacobæ nothi Guilielmum à Monte, cuius suprà mentio fuit,

Quæstor Ducis à Iacoba fratribus nothis trucidatus.

Quæstorem Ducis interfecerunt, ipsa Iacoba, vt ferebatur, non ignorante. Cuius vt amicissimi hominis morte Dux consternatus, triduo eum luxit; vixque à Iacoba induci potuit, vt dolorem poneret. Porrò post Montani interitum, annitente Iacoba, Nassauius, Grimberganus, ac Hezuicensis pristino in aula loco restituti sunt: nec diu superuixit Grimberganus, redeunte tum Grimberga ad Ioannem Bergarum Dominum: sed Bruxellenses, ob Guilielmi ab Ascha deten-

tionem, & Louanienses ob præproperam à Dordraco discessionem, 1419 Duci inuisi, hoc anno eum placare nequiuerunt. Anno sequenti 1419. Ioannes Bauarus Rector Hollandiæ, & Iacobus ab Apcouda Dominus Gasebecæ, Leydam expugnauêre; atque eodem anno Ioannes Dux Burgundiæ fraude Caroli Delphini ad colloquium euocatus, Montereliæ ad confluentem Iouæ & Sequanæ miserè trucidatus est, successore Philippo filio. Ita Diuæus, cædem tanti viri tam paucis verbis transmittens. Meierus de ea prolixè, & hæc inter cetera: Pridie Kalend. Augusti Pontem Isaræ Angli capiunt de nocte. Grandis incessit dolor de perditione illius oppidi. Gisortium quoque post tres hebdomadas obsidionis Thomas Dux Clarentiæ ad deditionem compulit. Delphinus cum multis millibus armatorum confert se ad Montrolium Sequanæ, statimque misso in Tricasses Campaniæ Taneguyo, Burgundionem ad se accersit, si quo pacto (vt simulabat) consilium capi possit Anglis Regno repellendis. Iam paulò antè die 11. Iulij pax sanctè iurata erat & amnestia omnium præteritorum inter Delphinum & Burgundionem, eratque die 29. eiusdem mensis renouata & confirmata. Itaque Burgundio tandem venit. Quid fit? pacificè ingressum cum decem Nobilibus, & colloquentem cum Delphino, Taneguyus parua securi ad hoc sub veste præparata Ducem in faciem, seu vt alij, in ceruicem verberat, eumque instar bouis mactat. Cadit Dux. Quidam Ludouicus Lædus gladium in ventrem eius adegit, ita vt ex vulnere intestina exilirent. Tum Delphinus, tenens gladium suum nudum, Puto, inquit, satis illum habere. Expoliant eum omnibus vestibus præter thoracem & ocreas; anulosque, præcidentes eius digitos, furantur, inspiciente Delphino, tenenteque gladium suum nudum. Archenbaldus Flussas procumbens super Ducem vt protegeret, interficitur: alij nonnulli vulnerantur, reliqui eius Nobiles superstites capiuntur. Pars militum maxima Brayum recurrunt; sed multi interfecti sunt ab insequentibus sicariorum copiis. Tractus Dux pedibus semel atque iterùm per totum cruentatum locum, vt Delphino ostenderetur mortuus. Iacet tota nocte ibi exanime cadauer; postero die cum thorace & ocreis sepelitur; factaque illi piacularia sacra 12. pietate ciuium. Sic manibus parentatum Aureliani, de quo anno 1407. Sed & audi aliud facinus. Eo die quo cædes crudelissima facta est (erat is decimus Septembris) spargit litteras Delphinus per Regnum, exponens se dies 18. apud Monstrolium aduentum exspectasse Ducis Burgundiæ capiendo consilio de Anglis pellendis. Tandem Ducem venisse, superbè atque adeò cum contemptu locutum, prehendisse gladium, vt Delphinum feriret; sed per Dei gratiam Delphinum seruatum esse, atque imminens euasisse periculum per fidos ministros suos, ipsumque Bur-

Bauarus Leidam expugnat.

Delphinus Franciæ fraudulenter ad se euocat Ioannem Burgundum.

Instar bouis Burgundus Ioannis nostri patruus mactatur.

Indignissimè præsente Delphino cadauer eius tractatur.

Quin missis literis Delphinus spargit Burgundum se voluisse gladio trucidare.

Burgundum eò loci esse interfectum. Hæc & plura Meierus: sed ad Diuæum nostrum redeo. Eodem mense (illo teste) Guilielmus ab Ascha Bruxellensium captiuus, perpetuo exsilio damnatus est in Concilio vrbium Brabantiæ; itemque eo mense Iacoba Bauara seu Hollanda Ducis nostri vxor in Brabantiam venit: quam Viluordiam ingressam salutatum iuêre vrbium Legati. Inde mense Februario Iacoba Louanium introiit, summo honore à ciuibus excepta. Intereà Dux Boscum profectus, ac ibi aliquantulùm commoratus, Grobbendungam concessit: vbi consilio Iacobi Gasebecæ Domini, Ioannis Wesemaliæ Domini, Ioannis à Schoonvorsta, Domini Monioyæ, remotis Hollandicis matronis virginibusque, matrem ac vxorem Wesemalij & vxorem Ascani Iacobæ adiunxerunt; itemque remotus est Magistratu Senescalli Ioannes Dominus Rotselariæ; ijsque peractis Viluordiam reuertuntur: vbi ijs quæ Grobbendungæ acta statutaque erant, Iacobæ prælegentes, non parum feminam turbarunt, quòd alumnis suis ita priuanda esset. Quin illa Ducem Viluordia Furam proficiscentem consecuta, à proposito seducere nulla ratione potuit. Initio anni sequẽtis 1420. Reinerus à Bergis Senescal- 1420
lus Brabãtiæ effectus est. Creati tum à Duce noui Cõsiliarij, Guilielmus Ascanus cum filio, Guilielmus & Ioannes Bontij, & Nicolaus à Werua, Equites. Acta hæc Antuerpiæ. Inde Dux in Zelandiam diuertens, auctore Ascano, Præfecturam Hollandiæ, Zelandiæ ac Frisiæ Bauaro in septennium confirmauit, additis & Marchia Antuerpiensi & Herendalsti Prætura, idque inscia Iacoba ac Nobilitate Brabantica. Reuertentem Ducem Bruxellam Margareta socrus interpellabat, ne filiæ matronas virginesque Hollandicas, quibus ab infantia assueuerat, detraheret; at ille consilio potissimùm (vt ferunt) Euerardi Sherenclaes Equitis, durus in pristina sententia perstitit. Quam eius pertinaciam detestata socrus, altera die Iacobam secum Canoyam Hannoniæ abduxit: cuius discessio Nobilitatem Brabanticam in primis malè habuit. Porrò Louanium conuenientes Ordines, deliberarunt de puniendis iis, quorum consilio tam durus vxori quàm Nobilitati vrbibusque inimicus Dux effectus fuerat. Hîc fœdere inito, quo Ducem ad sanitatem redigerent, sibi mutuò opem pollicentur. Ascanum cum filio, Euerardum Sherenclaes, aliosque aliquot in Cypriam peregrinationem damnant. Aderant his consiliis Engelbertus Nassauius Dominus Bredæ, Ioannes Dominus Rotselariæ, Ioannes à Withemo Dominus Boutreshemi, Henricus Dominus Heuerlæ, Ioannes Dominus Schoonhouiæ, Dominus Lintræ, aliique complures, & vrbes Brabantiæ: coactus quoque est iurare Senescallus Brabantiæ Reinerus, se decreto Ordinum non contrauenturum. Bruxellenses ac Antuerpienses, qui huic Conuentui non adfuerant, per

Iacoba Ducis nostri vxor summo honore Louanij excipitur, sed breue fuit gaudium.

Agunt nonnulli vt remoueantur ab ea matronæ Hollandicæ.

Agit & alia quædam Dux imprudenter.

Abducit Iacobam mater eius in Hannoniam, ob prædicta Duci irata.

Spernit Dux proscriptionem quorumdã ab Ordinibus factã.

Legatos omnia comprobauerunt. Missus Bruxellam nuntius, qui Duci statuta Ordinum enuntiaret; quibus ille spretis, in exsulum locum alios è familiaribus substituit. Eadem quoque ab Ordinibus Iacobæ, quæ tum Ati erat, significata; eamque Legatione missa, vt Louanium veniret, enixè orabant.

Mittuntur Legati in Franciam ad fratrem Ducis, ipse vt malis Brabanticis medeatur.

Ceterùm Ducem indies in peius ruere, ac se totum infimis hominibus, & qui eum ab Ordinibus auerterent, deditum conspicati, Edmundum ab Emichouia Commendatorem Ioannitarum, ac Dominum Chantreynæ in Franciam miserunt ad Philippum fratrem Ducis nostri Ioannis Comitem sancti Pauli; quem iuuenem fortem, ac longè à fraternis moribus alienum, pridem Ioannes patruus Dux Burgundiæ Præfectum Lutetiæ crearat, iam verò illum Picardiæ Rex Francus præfecerat. Hunc itaque orarunt, vt in Brabantiam veniens gubernationem terræ acciperet. Venit is mense Septembri Bruxellam, vbi salutato fratre Louanium concessit, causam discordiæ inter fratrem ac Ordines discussurus. Porrò edoctus à Nobilibus, quòd infimo cuique deditus Dux, reiecto Ordinum consilio, magnam Brabantiæ partem ac Hollandiam Bauaro tradidisset, quodque vxorem à se abegisset, eorum partes tutandas suscepit.

Suscipit Philippus frater Ducis Ordinũ causam tuendam.

Vocata mox Iacoba cum matre Louanium venit; eódem & Ludouicus à Luceburgo Episcopus Tarauanæ & Hugo à Lannoya Legati Philippi Ducis Burgundiæ venere, vt pacem conciliarent. Indicta dies, vt ad 3. Kalend. Octobris Viluordiam conuenirent. Quò profectis Philippo Comite S. Pauli, & Iacoba & matre, Ioannes Dux diu exspectatus non venit, morbum excusans; parique simulatione iis secundò delusis, clanculùm, paucis comitantibus, in arcem Bosco vicinam, nomine Herleriam concessit.

Ioannes Dux, nolens se committere arbitris, arma parat.

Huc ad eum properantibus exsulibus, Boscum paulò pòst iuit. Inde Cliuiæ Duci, Domino Hensbergæ, Comiti Blanckenhemij, aliisque Transmosanis (quos, vt Nobilitatem armis ad obsequium cogeret, euocarat) Hezij occurrit: Hezio Traiectum Mosæ processit. His Viluordiam delatis, omnium suffragiis Philippo Comiti sancti Pauli Ducis nostri fratri Reipub. gubernacula deferuntur. Hactenus Diuæus.

Causæ dissidij inter Ioannem eiusque coniugem vti à Meiero narrantur.

Meierus in hunc modum causam discordiæ cum vxore propiùs aperit: Orta, inquit, grandis discordia inter Ducem Brabantiæ Ioannem & vxorem eius Iacobam Bauaram, adeò vt diuortium cum illo facere prorsus vellet, dictitans numquam sibi cordi fuisse eas nuptias, sed coactam à matre Ioanni esse nuptam. Erat impar societas. Tenera admodum habitudine corporis fuit Brabantus, viribus non fortibus, hebetique & tardo ingenio. At Iacoba femina præstanti animo, ingenio acri, florentissima ætate, succi plena, dotibusque tum animi tum corporis felix. (Hæc ex Meiero per parenthesim.) Pergit Diuæus: Philippus Ducis frater Bruxellam reuersus,

uerſus, mox apparatum in bellum Hollandicum cogere incipit. Bauarus enim Duci noſtro Ioanni conſpirans, Berga S. Gertrudis occupata, arcem obſidebat validè munitam, quam Theodericus à Merweda Eques Hollandus pro Iacoba tuebatur. Indicta itaque expeditione Philippus cùm forti popularium manu Bruxella egreſſus Iacobam Hoſdenam duxit: qua Arnoldi à Zeuenberga fidei tradita, Bergam ſimul progreſſi, decimo pòſt die commeatum ac cetera neceſſaria arci intulere: quo facto, ad finem Octobris domum rediere. Poſt eorum diſceſſum, præſidiarij arcis miſſili igne totum pænè oppidum exuſſere. Reuerſus Bruxellam Regens, Guilielmum à Montenaca Dominum Grazæ Seneſcallum, Ioannem à Dighemo Prætorem Bruxellæ, depoſito Ioanne Clutingo, conſtituit: mox Abbates Brabantiæ Traiectum miſit, Duci reditum in patriam perſuaſuros. At ille, ſimulato, vt Legati Ordinum ad 15. Decembris Diſtham ad ſe mitterentur, clanculùm ſollicitatis Bruxellæ Primoribus agebat, vt noctu Diſtha properantem Bruxella reciperent, Ioanne Clutingo cum virga prætoria occurrente. Conuentu itaque Diſthæ collecto, cùm variis dolis differret, tandem equites ac pedites globatim in eo tractu coïre, Louanium adfertur. Vnde malum quid Regens ſuſpicatus, Nobilitatē ac ciues in armis ad omnem euentum paratos eſſe iuſſit. At Ioannes Dux celeritate vſus, antequam ij conuenirent, nocte intempeſta Diſtha digreſſus, comitantibus Heinsbergæ Domino, Ioanne à Bura Prępoſito Aquenſi & exſulibus, ſummo diluculo ad Bruxellæ portas viſus eſt. Sequebatur eum Murtij Comes, prohibentibus Moſæ tranſitum Traiectenſibus, longum emenſus. Tam ſubito Ducis aduentu conſternata plebs Bruxellēſis, omnis doli licet ignara, vrbe tamen eum recipi noluit, niſi centum viginti equitum comitatu. Interim Patricij, quibus conſciis Dux aduenerat, portam Louanienſem aperiunt; quam patefactam denſo agmine irrumpentes vrbe potiuntur, in poſtremo agmine Duce ſecuto. Erat tum Regens Bruxellæ; qui fratri collocutus, Louanium altera die regreditur, quò maxima Nobilitatis Brabantiæ pars conuenerat. Porrò Ioannes Dux, conuocatis in curiam Bruxellenſibus, ſpopondit, nihil eos mali paſſuros: non enim in eorum perniciem adducta eſſe Germanorum auxilia, ſed vt ſe ab omni vi tutaretur: nam ſe nihil aliud quàm pacem cum Ordinibus cupere, orareq; eos, vt ipſi totis viribus ei conficiundæ incumbant. Erant ſanè Patricij Duci fideles, promiſerantque, ſi Regens quid moliretur, omni conatu ſe prohibituros, oblatis portarum clauibus. Sed plebem militis extranei voces, per tabernas ſe auro Brabantico ditandos iactantis, ac nudis gladiis incedētis minæ non parum commouebant. Sexto itaque Kalend. Februarij motu excitato, vix à Duce Curia egreſſo, potuere ſedari. Poſt biduū verò cùm Germa-

Bauarus, conſpirante noſtro Duce, obſidet arcem Bergæ S. Gertrudis.

Succurrit arci pro Iacoba Ducis noſtri frater.

Abbates mittuntur Traiectū, qui Duci reditum perſuadeant.

Inexſpectatus Dux inuadit Bruxellā, recedente poſtridie Regēte eius fratre Louanium.

Plebs Bruxellenſis in milites à Duce adductos inſurgit.

Germanos impetũ in eos facere velle ferretur, quamprimũ Cœnobij Frigidimõtani campanula ad nocturnas horas vocaret, nulla ratione contineri plebs potuit. Commota itaq; tota vrbe, Dominus Hensbergæ, ceterique Germani vincti in carcerem coniiciebantur; Comite Murtij è domo, in qua diuersabatur, exire prohibito; ac eodem die Regens cum omni pænè Nobilitate Louanio Bruxellam rediens, plebis constantiam plurimùm collaudauit. Postridie Palatium ingressus, maximam partem familiarium fratris ac Patriciorum vrbis cepit; moxque Ordinum Conuentum ibi indixit, quò Louanienses Rasonem à Grauio Cons. Ioannem Album, Ægidium Diuitem, Henricum à Calstris, ac reliquæ vrbes suos Legatos misêre. Eo Conuentu hæc statuta sunt: Vt ex captiuis « Henricus Clutingus, Ioannes à Frigidomonte Eques, Euerardus Dux, « Ioannes Scoccardus Louanij in arce; Ioannes & Guilielmus Clutingi « Antuerpiæ, alij alibi seruarentur; Ægidius Kegel, Ioannes metten « Schachte, Ioannes Cayus, Ioannes ab Ideghemo, in perpetuum exsules « essent, publicatis bonis. Qui captiuorum aliquem carcere fracto fugien- « tem detineret, occiderétve, 500. coronatis donaretur. Dux hæc rata ha- « bere cogeretur. Præter hæc, permissa plebs vnà cum Patriciis Magistra- « tus gerere. Dum hæc fierent, Ioannes Dux cum Thoma Disthæ ac Ioanne Rotselariæ Dominis Louanium discesserat. His peractis, Regens Ioannem Clutingum gladio subiecit, Ioanne à Dighemo Prætore constituto: dimissique mox Germani milites, retentis Nobilibus ad centum quinquaginta. Sparso in vicinas regiones harum rerum rumore, Ioannes ab Hensberga Episcopus Leodiensis, & Aquenses, litteras in Brabantiam misêre; ille patrem ac fratrem, Aquenses verò Præpositum suum dimitti postulantes: quod cùm non impetrarent, mercatores detinere cœperunt. Eodem anno Disthenses sententia Ordinum multati sunt, quòd Ducem, iis inconsultis, recepissent. Obiit eo anno Henricus ab Immerzela Eques Antuerpiensis. Festis Paschalibus anni sequentis 1421. plebe Bruxellensium iterùm seditiones agitante, Euerardus Shernclaes Eques, filius Euerardi, cuius sub Wenceslao ac Ioanna Ducibus meminimus, cum aliis duobus capite truncatus est: & iisdem pænè diebus Dux cum Regente Gandauum profecti sunt, vt ludis militaribus à Philippo Duce Burgundiæ celebrandis interessent. Inde reuersis, de captiuis Germaniæ Nobilibus ad certam diem relaxandis agi cœpit, plurimùm obluctantibus Bruxellensibus, qui Murtij Comitem ceterosque non antè dimissuros palàm edixerunt, quàm de iis, qui Louanij, Antuerpiæ, ac alibi seruabãtur, supplicium sumeretur. Horum itaq; obstinato in captiuorum necem studio cedentes Ordines, quatuordecim captiuos eò adductos, gladio cædi iusserunt. Itaque toto eo tumultu cæsi Bruxel-

Præcipuis Ducibus auxiliariis Germanorum captis, Regẽs Bruxellam reuertit, moxq; Conuentum Ordinum indicit.

Vicissim Ioannes Dux proficiscitur Louanium.

Detinentur passim mercatores Brabanti ob Germanos Bruxellæ detentos.

1421

Sherenclasius quidam & alij duo, tumultuante plebe, Bruxellæ capite plexi.

Item quatuordecim alij alibi.

Bruxellenſium nobiliſſimi, aut in exſilium pulſi. Interim Sigiſmundus Imperator minaces litteras in Brabantiam miſerat, Imperiali proſcriptione pulſaturus, niſi Murtium, Hensbergenſem, Steiuardum à Roda, ceteroſque Germanos liberos facerent. Idem Electores expoſcebant, obduratis tamen aduerſum hæc Brabantinis. Quare captiui Gerardum à Zipa Regentis intimum muneribus corruperunt: à quo perſuaſus Regens, (cuius nutu omnia agebantur eo tempore) Hensbergenſem ac Præpoſitum fide data ad certam diem ſe reuerſuros, Murtium verò ſine conditione dimiſit. Porrò illi falſa fide, cùm ad præſcriptam diem non reuertiſſent, variis in poſterum conuentibus à Brabantinis iuramento ſolui poſtularunt. Poſt hæc de Ducis ac Regentis concordia actum eſt: nam Regens gubernationem fratri reddere detrectabat, obiecta controuerſia etiam noua, qua partem regionis ſibi deberi aiebat. Habebat hic fortiſſimos ſuæ cauſæ aſſertores Bruxellenſes, Louanienſibus à Duce ſtantibus. Eodem anno, proclamato in Bohemos Huſſitas bello, Henricus à Lecca & Wenceſlaus Shernclaes Equites multos Brabantinorũ eò duxêre: Domini Hornæ & Monioyæ inter ſe conflixêre, magna vtriuſque partis clade. Iſta Diuæus; quibus adiicienda pauca ex Meiero: Bohemi, inquit, per id tempus, ob deformatiſſimos mores Clericorum vociferantur pro reformatione Eccleſiæ; plura mala cœperunt & dicere & facere, multos Monachos Sacerdoteſque occiſos ſuis locis expellere, bona illorum diripere; tumultuari toto Regno. Sigiſmundus Auguſtus omnibus ſe viribus obiicere, ſed parum proficere, creſcente indies miſerandum in modum malo. Menſe Nouembri, nocte diuæ Eliſabethæ, quæ 13. Kalend. Decembris illuxit, in Hollandia, Zelandia & Flandria per maris tempeſtatem horrendæ factæ inundationes. Inter Montem diuæ Gertrudis & Dordracum, tota illa fertiliſſima & ditiſſima regio ſubmerſa eſt: quo damno complures viri nobiles, viri locupletes, ad inopiam & miſeriam ſunt redacti; manetque adhuc hodie regio illa cum ſuis 72. pagis abſorpta in mari. Hactenus Meierus. Initio anni proximi 1422. (commemorante Diuæo) Brabantini cum Ioanne Domino Hensbergæ conuenere, vt redditis tabulis de oppignoratione arcium Transmoſanarum, quæ à patre Hensbergenſis Antonio Duci facta fuerat, abſolueretur ſacramento Bruxellenſibus præſtito de redeundo in captiuitatem. Non deſtitit tamen poſteà pecuniam ex oppignoratione debitam ſæpiùs repetere. Conciliata etiam inter Ducem ac fratrem concordia, Regentis nomine abolito: promiſſa Duci 180000. Francorum aureorum, Philippo fratri 210000. Dux recepta gubernatione Brabantiæ antè acta omnia comprobauit; Iura Ordinum rata promiſit, &c. datis ea de re tabulis, quas teſtium loco ſignarunt, Ludouicus ab Harecuria Epiſco-

Vix tandem Germanorum Duces dimittuntur.

Bohemi prætextu reformandæ Eccleſiæ in Monachos & Sacerdotes ſæuiunt.

72. Pagi inter Dordracum & Gertrudebergam vna nocte inundantur.

1422

Pax ſancitur tandem inter Ducem noſtrũ, eiúſque fratrem, Regentis nomine abolito.

Epiſcopus Rothomagenſis, Dominus Arſchoti, Petrus à Luceburgo, Comes Couuerſani & Bremiæ, Dominus Angiæ, Engelbertus Comes Naſſauiæ, Dominus Leccæ & Bredæ,. Thomas Dominus Diſthæ & Sichenarum, Dominus Weſemaliæ & Phaleſiæ, Dominus Rochelariæ, Vorſelariæ & Retiæ, Ioannes à Cuyck Dominus Hoochſtratæ, Dominus Patuwiſij, Dominus Bergarum, Grimbergę & Meſelini, Dominus Helmondæ, Dominus Boxtellæ, Dominus Eldræ & Trazinij, Dominus Mierlæ, Dominus Geldorpæ, & alij. His peractis, frater Ducis Philippus in Franciam rediit. Porrò Iacoba vxor Ducis noſtri Ioannis tum in Hannonia degens, inſtigantibus proximis ſuis, Ducis conſortium multò antè, vt dictum eſt, auerſata, ex Hannonia Caletum profecta, illinc in Angliam enauigauit: moxque miſſis Romam Legatis, Duci diuortium oppoſuit, adulterina dicens ea Diplomata fuiſſe, quorum virtute cognationis vinculum inter eos ſolutum dicebatur. Citatus Romam Dux, Epiſcopum Cameracenſem ac Ioannem Bontium eò miſit, vt cauſam nuptiarum contra Procuratores Iacobæ defenderent. At illa, non expectato litis fine, Hunfredo Duci Cloceſtriæ nupſit, fratri Henrici Quinti

Traiicit Iacoba in Angliam, miſsiſq; Romā Legatis, prætexit matrimonium fuiſſe nullum.

1423 Regis Anglorum. Anno ſequenti 1423. cùm Henricus Rex Angliæ, & Philippus Burgundiæ Dux, pacandis Ioanni ac Hunfredo Ducibus, vtque arbitrio ſuo controuerſiam committerent, laborarent; Hunfredus ac Iacoba omnem concordiam aſpernati, ex Anglia ſoluentes Caletum appellunt. Inde maturato itinere in Hannoniam eos properantes Margareta mater, ac Dominus Hauareti (falſa, quam Ioanni Duci, vt eius regionis Seneſcallus, addixerat, fide) omnibus pænè eius regionis oppidis liberaliter recipi curarunt; maxima tamen Nobilium pars in Ducis noſtri fide inconuulſa perſtitit. Qui edoctus quæ in Hannonia fiebant, miſſis ad Burgundum Ducem, fratrem item Philippum, ac Ioannem Bauarum Iacobæ patruum Hollandiæ Procuratorem nuntiis, auxilia in bellum Hannonicum expetiit. Bauarus verò, cùm iis præſtandis non ſegnis inſtaret, morbo correptus circa finem anni interiit. Ita Diuæus. Chronicon tamen Leodienſe initio anni ſequentis (more Romano ſupputando) mortem Bauari commemorat his verbis: Anno, inquit, 1424. in Feſto Epiphaniæ obiit tutor Hollandiæ, idem qui quondam Electus fuit Epiſcopus Leodienſis Ioannes de Bauaria, veneno ſublatus per Equitem Ioannem de Vlyet, qui ad hoc à Duce Cloceſtriæ inductus ferebatur, ne Ioannes de Bauaria ſuppetias, quas promiſerat, Duci Brabantiæ ferret aduerſus Iacobam: qui quidem Ioannes de Vlyet ob hoc facinus in Haga Comitis decollatus, & quadripartito diſſectus eſt. Sic ibi. Anni ſequentis initio (vigeſimum quartum eius ſæ-

Pendente lite, ducto Hunfredo Cloceſtrio Anglo, cum eo in Hannoniam redit.

Bauarus Iacobæ patruus parans contra Anglum copias moritur.

1424 culi Diuæus deſignat) Gerardus à Zipa Ducis noſtri intimus haut procul

cul Fura, à Ioanne Blondello interfectus est. Porrò Dux noster ex morte Bauari veritus motum aliquem in Hollandia futurum; simul prohibiturus, ne Iacobæ fautores ibi quid motus cierent, celeriter eò contendit, Philippo fratre, Petro Angiæ Domino, Thoma Disthæ, Engelberto Nassauio Bredæ Dominis, Brabantiæ præsidio relictis. Recepere Ducem Hollandi, Zelandi, ac Frisij summo honore; omnes fidem, vt vero Principi, ac tutori Iacobæ, illi promittentes: qui lustratæ toti regioni Iacobum Dominum Gasebecæ Rectorem instituit. Eo absente, Anglis Gallicam-Brabantiam incurrentibus, Ordines Brabantiæ Ioannem Monioyæ ac Ioannē Wesemaliæ Dominos Niuellam, Rotsclariæ verò ac Bergarum Dominos Hallam misêre, vt limitem eum in hostem tuerentur: qui Anglorum vagabundas cohortes variis locis afflixerunt. Munierat Clocestrius Braniam oppidulum valido præsidio, vnde non parū damni proximis Brabantiæ agricolis inferebatur. Id prohibituri Wesemaliæ ac Monioyæ Domini cum Engelberto ab Angia, sæpiùs ad Braniæ muros egressi, vna vice Anglos in insidias pertractos magna cum cęde vicerunt, ad portas vsque prosecuti. Intereà reuerso in Brabantiam Duce Ioanne, Iacoba, misso in Hollandiam Florentio à Kyfhoa Equite, Schoonhouiam obsideri iussit; cuius arci Guilielmus Consterus & Arnoldus Beylingus inerant. Oppido mox capto, arx, cùm aliquamdiu sustinuisset, famis quoque metu dedita est. Excedentibus præsidiariis, detentum Beylingum Florentius viuum defodit: Gasebecanus verò, etsi pulsis Hollandia Duci nostro aduersis, Schoonhouiam tamen posteà, quamquam longa obsidione lassatam, expugnare non potuit. Dum hæc in Hollandia fierent, Brabantini Braniæ obsidionem ingenti apparatu moliuntur; quibus superuenere eo tempore copiosa à Burgundo Duce auxilia, ductoribus Ioanne Domino Croiaci, Ioanne Domino Insulæ Adami, Andrea à Valinis. Omnibus Brabantiæ vrbibus imperatus delectus. Louanienses 6. Februarij mouerunt ductu Ludouici Pinnocci Equitis, quem nobilissimi Patriciorum eius vrbis sequebantur. Paratis omnibus ad expeditionē necessariis, Philippus Comes S. Pauli, frater Ducis nostri, ac ceteri Barones Brabantiæ Braniam versus iter dirigentes, propius oppidum castra posuerunt. Erant tam nostratium quàm auxiliarium copiarum numerus vltra triginta hominum millia. (alij ad 60000. augent.) Tanto numero cincti Branienses, Anglorum 200. præsidio defensi, fortiter restitere, ita vt nostri, cùm oppugnationem instituissent, clausis vsque ad vesperam sustinentibus, superuentu noctis abscedere coacti sint. Nihilominùs præsidiarij, ea die nostrorum virtutem experti, postridie Caduceatore misso, deditionem offerunt, modò honestis cōditionibus sibi abire liceret. Porrò Brabantinorum ductoribus visum

Ioannes noster in Holladiā proficiscitur. fratre suo & aliis Brabantiæ præsidio relictis.

Clocestrius Anglus Braniæ Hannoniæ sedens à Brabantis strenuè excipitur.

Kyfhoa pro Iacoba Schoonhouiam Hollandiæ occupat, viuo defosso arcis Præfecto.

Braniæ Hannoniæ à Brabantis & auxiliaribus obsidetur.

non est oblatis conditionibus deditos recipere. Ita ea die deliberando cōsumpta, cùm nostri ad secundam oppugnationem verterētur, Angli duriorū metu, oppidum dedidere, vitæ ac fortunarum incolumitatē sibi ac ciuibus ea lege pacti, vt ciues Duci nostro fidelitatis quoque sacramenta præstarent. Alij Anglos sibi solùm consuluisse, ciuibus Ducis arbitrio permissis, ferunt. Quidquid sit, in eo consonant, quòd post deditionem factam, nostri oppidum irruentes, trucidatis Anglorum ac ciuium compluribus, diripuerint exusserintque, ciuium quamplurimis fidei in Iacobam constantis, publico supplicio affectis. His peractis, cùm nostri reditum maturarent (imbre enim ac niualibus aquis procedere vetabantur) Clocestrius à Sonnegio Anglorum aliquot cohortes emisit: qui nostrorum terga consecuti, sicuti fors ferret, extrema agminis carperent. Ducebat extremam aciem Philippus Comes ex Louaniensium ac Bruxellensium fortissimis pænè conflatam: qui, animaduerso hoste, confertim euntes, nullam inuadendi dabant occasionem. At media nostrorum acies, in qua Barones ferè Brabantiæ, ac in his præcipuus Ioannes Rotselariæ Dominus constiterat, Anglorum inuasione conterriti, præcipiti profectione, relictis impedimentis, domum confluxerunt, Clocestrium cum omnibus Anglorum viribus à tergo consequi rati. Philippus verò Comes suis in ordine retentis, effecit, ne ea die clades acciperetur. Ob tam fœdam discessionem, Rotselarium, ceterosque Barones ab vrbibus plurimùm argutos fuisse, in Annalibus Louaniensium reperio. Hęc Diuæus.

Brania ab Anglis deditur, vita & fortunis saluis.

Sæuitum ibi nihilominus à Brabantis.

Maculam præterea aliam Brabanti contrahunt.

Obsessam captamque Braniam his verbis Meierus perstringit: Inter hæc descendit Dux ex Burgundia in Flandriam, Brabanto se adiungit, crescitque eorùm exercitus vltra triginta pugnatorum millia. Obsessa Brania Hannoniæ; quæ ab ardente milite cupiditate prædæ, principio Martij contra Ducum voluntatem capta, direptaque & incensa est. Angli multi, ciuesque multi interfecti. Ita ille. Intereà, inquit Diuæus, superuenêre à Burgundiæ Duce ad nostros nuntij, qui pactum esse, vt inter eum ac Clocestrium singulari certamine decerneretur, nuntiabant; ac interim à bello inter nostros ac Anglos quies esset. Paria Clocestrius suis significauit. Quare digressi ab inuicē Angli Sonnegium, nostri Hallam ac in vicina oppida concessêre: Clocestrius verò, Iacoba Montensium fidei commissa (qui se corporum ac fortunarum omnium periculo eam defensuram receperant) in Angliam reuertit, certamini singulari necessaria ibi paraturus. Philippus sanè Dux Burgundiæ acerrimus à cæde patris Anglorum defensor, cùm Henricum Regem Quintum, etiam Francorum Regni compotem fecisset, Henricum Sextum quoque successorem eius pari fide coluerat. Huic Henrico pater Ioannem Betfordiæ ac Hunfredum Clocestriæ Duces, patruos tutores reliquerat, ea lege, vt fœdus cum Burgun-

Pro parte excusati tamen à Meiero Brabanti.

Clocestrius in Angliā proficiscitur, paraturus se ad duellum contra Philippum Ducem Burgundiæ.

Burgundo initum filio suo integrum seruarent. Vnde & non mediocriter consternatus Betfordus fuerat, cùm Iacobam fratri iunctam accepisset, omnique studio & coràm correpto fratre, & prohibitis opem dare Anglis, incubuerat, ne ex conflictationibus Anglorum cum Brabantinis, Burgundus his affectissimus ab Anglorum fœdere diuerteret. Verùm Clocestrius, spretis fraternis monitis, etiam periurij Philippum Burgundum incessebat, quòd opem bello Hannonico nostris dedisset. Hæc causa erat, cur hi Principes sese mutuò prouocarint. Fine anni Martinus Pontifex, cùm Romam delatum esset, Bullas adulterinas variis in locis affixas, continentes connubium Ducis nostri ac Iacobæ ab eo rescissum; Ducem nostrum per litteras monuit, ne temerè huiuscemodi prauis delationibus crederet; effecturum enim se quàm citissimè, vt sententia inter eos ediceretur. Initio sequentis anni 1425. non obstantibus Burgundi ac Clocestrij pactis, bellum Hannonicum recruduit. Brabantini ac Picardi ductores, productis in Hannoniam militibus, eius regionis oppida aggrediebantur. Concessère in eorum potestatem partim voluntate, partim metu Valentianæ, Condatum, Sonegium, Atum, Bochanum, aliæque aliquot, ita vt sola pæne Montium vrbs Iacobam respiceret. Intereà mater Iacobæ, sollicitato Philippo Burgundo, vt auctor concordiæ fieret, Insulæ, Duaci, Aldenardæ, aduocatis eódem Brabantinorum Legatis, colloquia plura cum eo habuit. Nihilominùs Dux noster Ioannes, Guilielmo Comite Seynæ, Thoma Domino Disthæ, & Arnoldo à Craienhemo Brabantiam gubernare iussis, Niuellam proficiscens, Comites Pontiberæ ac Conuersani cum Engelberto Angiano ac Ioanne Domino Monioyæ præmisit, vt Montense præsidium tentarent; ipseque cum reliquo exercitu post biduum subsecutus, vrbem circumdedit: vnde grauiùs filiæ metuens Margareta, Philippum Ducem fortiùs vrgebat. Conuenère tandem (Ioanne Duce nostro Duacum vocato) vt Iacoba in potestate Burgundi esset, donec lis in Curia Romana finiretur; Duci verò nostro totius Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ ac Frisiæ gubernacula redderentur, veniâ datâ ijs qui Iacobam aliquatenus fouissent. Hoc pactum, Iacoba, ad se delatum, primùm aspernata, mox Montensium seditione coacta est recipere: ij etenim, vrgentibus obsidionem Brabantis, cùm inopiam metuerent, occisis ad 250. Clocestriæ factionis, vix à Ludouico Montfortio, viro ex Hollandia nobilissimo, temperarunt, minati Iacobæ, nisi paci acquiesceret, se eam hosti dedituros. Hæc ijs agitantibus, Dux noster à Duaco Valentianas petiit; vbi exactis iuramentis Comiti dari solitis, in castra rediit: eódem Burgundus Aurengiæ Dominum Ioannem à Cabillone misit, vt Iacobam exciperet. Idibus Iuniis, cùm vrbe egressa Iacoba esset, Engelberto Nassauio Bredæ Domino, &

Causa duelli, quòd Clocestrius Burgundū periurum vocasset.

1425

Plures ciuitates Hānoniæ Iacobam deserunt.

Obsidetur etiam Iacoba ipsa in vrbe Montensi.

 Hen-

Tandem certis legibus Philippo Burgundo traditur seruanda Gandaui.

Henrico à Lecca collocuta, orabat, vt in Brabantiæ aliquo loco morari permitteretur, non tam metu Burgundi, quàm vt Hollandiæ eò propior esset. Quo denegato, Gandauum auehitur; Montenses verò Petro Comiti Conuersani, ac Engelberto ab Angia, nomine Ducis fidelitatem iurarunt: Ioannes Luceburgensis, ille fortissimus Francorum existimatus, Hannoniæ Præfectura à Duce donatus est, declaratusq; Philippus Burgundiæ Dux Rector Hollandiæ, Zelandiæ, ac Frisiæ. Porrò Iacoba Gandaui aliquantulùm commorata, omne medium elabendi quærebat. Erant Arnoldi duo, ex Hollandorum non infima nobilitate, vnus Spiringus, alter ab Alburgo cognominatus: hi, suscepto Iacobæ eximendæ negotio, Gandauum properant, veredarios ei rei aptissimos secum adducentes. Paratis ad iter necessariis, virili habitu induta Kalend. Septembribus, iis duobus comitibus, vrbe effugit; ac nō intermisso itinere, tertio pòst die Worichemum venit. Inde Ioanni à Viana Equiti aduentu suo significato, ab eo Schoonhouiam deducta est. Mox Goudæ quoque ac Veteribus Aquis opera Ioannis Burggraui Monfordæ recepta, obiicientes se reliquas Hollandiæ vrbes ad Alfenam vicit. Quibus in Angliam relatis, Clocestrius, Filnatræ Dominum cum ingenti classe in Hollandiam misit; sed eum Philippus Burgundiæ Dux, obiecta non modica nauium copia, nauali prælio egregiè superauit in portu Zelandiæ, quem *Brouwers-hauen* appellant, mense Ianuario, cæsis Anglorum nobilissimis. Eodem mense Venetus ac Vrsinus connubium Ducis nostri ac Iacobæ iniuria diremptum, ac eam in manus Sabaudiæ Comitis custodiæ tradendam censuere. Fortior tamen in Hollandia erat tum factio Iacobæ, quàm vt ad executionem sententiæ perduci posset. Verùm Clocestrius hoc comperto, reuocatis ab Hollandia suis, Aleonoram Combatriam, qua cum multò antè assueuerat, puellam eleganti forma duxit. Eodem anno Antuerpienses cum Ioanne Domino Bergarum dissidebant. Prætor Bergensis ciuem eorum pisces falsis nummis ibi coëmentem in vincla coniectum, ipsis repetētibus reddere noluerat, ius aliquod supremæ iurisdictionis Antuerpiæ in Bergas esse denegans. Hunc Prætorem Antuerpiæ tota Brabantia exsulare iussum, Princeps Bergensis defendebat. Quare Antuerpiensibus armata vi in Bergenses excurrentibus, Petrus Conuersani Comes, ac Ioannes Monioyæ Dominus composuere cōtrouersiam. Hæc Diuæus, sed confusiùs & præproperè de pugna ad Alfenam. Apud Meierum enim hoc ordine, hisque verbis: priùs pugna ad *Brouwers-hauen*, ac deinde altera ad Alfenam commemorantur: Schoonhouia, Gouda, Oudevvater, Viana, Monfordia, Camerlandi, Alcmarij, cum ditione Ecclesiæ Traiectensis, à Iacobæ partibus steterūt; à quibus nec alienus erat Rodulphus Traiectensium Episcopus. Mittit præterea

Declaratur Philippus Burgundus Rector Hollandiæ, Zelandiæ & Frisiæ.

Iacoba delusis custodibus astu euadit Schoonhouiam Hollandiæ.

Clocestrius despondens animum, relicta Iacoba, ducit aliam.

Dissidium Antuerpiēsium cum Domino Bergarum.

præterea Clocestrius tria circiter millia Anglorum Iacobæ suppetias. Horum Dux erat Dominus à Filuuatere. Appellunt in Scaldiam seu Scandiam (vulgò *Scauwen*) Zelandiæ insulam. Burgundio Procurator Hollandiæ & Zelandiæ haud segniter suas adunat copias, illisque occurrit inter Quamaiam, & portum vulgò dictum *Brouwers-hauen*. Pugnatum haud procul ab illo portu. Vixdum parati erant nostri, dum ab hostibus ardentissimè inuaderentur: quod cernens Burgundio ex prætoria naui, quæ aggeri adiacebat, aduolare suis auxilio non distulit, ascensoque equo, mox inter primos cum Dordracensibus se adiungit: quæ tamen tam fortis magnanimitas propemodum exitio illi fuit. Premebatur valdè ab hostibus, grandique erat in periculo, donec Ioannes omnium fortissimus magna impressione cum suis patentem illi locum expedisset, prostratis ac cæsis ante eum Anglis, aliisque hostibus permultis. Vasto enim & robusto vir corpore cædem fecit grandem, clamitans continuò, Iugulate vos fortiter, ego satis multos prosternam. Visuntur adhuc arma eius in Lillo castro, longè maiora quàm cuiquam magno iam viro conueniant. Ceciderunt ex parte Iacobæ primæ nobilitatis Nobiles quindecim, ex parte Burgundionis ferè totidem; sed maxima clades Anglorum fuit. Sic pugnatum Idibus Ianuariis, quando feriæ sunt diui Hilarij Episcopi. Capti memorantur Angli circiter ducenti, reliquis occisis pænè omnibus. His ita gestis, Burgundus, dispositis per Hollandiam præsidiis, in Flandriam reuertit, augetq; exercitum, reuersurus adulto vere in Hollandiam. At verò nihil territa Iacoba, mox anno proximo 1426. die quarto Aprilis obsidet per spatium quatuor hebdomadarum oppidum Harlemum, nihil tutum, nihil inconcussum in circuitu relinquens. Pagos multos incendit; multos item circum Delfos, corruptis maris aggeribus & septis, demergit. Præfectus præsidij apud Harlem erat Rolandus Wtkerkanus fortis Eques, cum filio Domini Isambergensis, & aliquanto numero militum. Ioannes autem Wtkerkanus cum Flandris, Hollandis, Zelandisque circiter octingentis Rolando patri opem laturus, priusquam Dux esset paratus, in Hollandiam præcedit, atque Leydam vsque peruenit: sed cùm inde Harlem petit, Iacoba, omissa obsidione, occurrit illi ad Alphen vicum super Rhenum iuxta Leydam; vbi circumuentus hostium insidiis, loco iniquo pugnare cogitur, amissisque ex suis circiter quingentis, ipse ægrè cum paucis euadit. Creati Equites ab Iacoba, quæ pugnæ aderat, Ioannes Wassenaer, Ioannes à Longeraco, & alij. Hæc pridie Kalend. Maias, manè, prima luce. Iacoba victrix Goudam se recepit. Hinc Iacoba suos mittit ad Hornas in finibus Frisorum, vt id oppidi capiant: vbi præsidio erant Ioannes Villarius & nothus Fani S. Pauli cum quingentis selectis pugnatoribus; qui summa virtute erumpen-

Superiora quædam ex Meiero distinctius repetuntur.

Pugna cruenta Angli ad Brouwershauē à Burgundio superantur.

1426 Iacoba nihil territa obsidet Harlemū.

Fortiter vincit hostem Iacoba ad Alfen vicum.

tes, cum hostibus dimicant, & quadringentos circiter interficiunt, permultis insuper vulneratis. Ita Meierus. Diuæus in hunc modum prosequitur: Anno sequenti (iam inceptum 1426. intelligit) variis inter Iacobam ac Philippum Ducem conflictibus certatum ad Harlemum, ad Hornam, Hollandiæ oppida. Obsessa captaque à Burgundo Seuenberga, Arnoldo Domino eius in exsilium pulso. Productum obsidium, referente Meiero, in tres totos menses; tandem coacti inopia ciues, secessionem à Præfecto suo faciunt, & cum Burgundo paciscuntur, deduntque illi oppidum, vita fortunisque saluis, principio Aprilis. Seuenbergensis questus de conditionibus nonnullis sibi malè seruatis, patria extorris, ad inopiam deuenit, in qua vitam finiuit. Hoc eodem anno Ioannes Dux noster, cùm vrbs Louaniensis, pereunte lanificio, paulatim ad vastitatem rediret, Gymnasium ibi instituit; impetrato à Martino V. Pontifice, vt Iura, Medicina, ac Artes prælegerentur. Iacta prælectionis fundamenta septima Septembris, cùm Dedicatio eius vrbis celebraretur: Nicolaus Prumius Decretorum Doctor summa cum laude orauit, præsente Ducis Consilio, Iacobo Borbonio, Ioanne Domino Wesemaliæ, Valtero vander Noot, Equitibus, ac omnibus pænè Brabantiæ Abbatibus. Quanto affectu hoc fecerit Ioannes Dux, ipse non tacuit, (ait Molanus) vbi inter cetera iurisdictioni renuntians sic scribit: "Studium generale Louaniense per nos summis consiliis & ardentibus desideriis expetitum, per sanctissimum Dominum nostrum Apostolicum tam consultè quàm prouidè ad crebram nostram instantiam ordinatum & erectum est, ad communem nostrorum Principatuum & Dominiorum, & signanter Ducatus nostri Brabantiæ, quem sua virtute poscente non immeritò præ ceteris adamamus, totiusque Reipublicæ commoditatem, vtilitatem & profectum. Hæc Ioannes Dux fundator" anno 1426. die 7. Nouembris. Sub idem tempus Dux non paruum discrimen adiit: Margareta enim Iacobæ mater venatum in Soniam egresso Duci insidias tetenderat, misso Iacobo Cheualerio, qui comitatum Ducis exploraret. Captus Cheualerius, ac quæstioni subditus præter spem seruabatur, in eum finem, vt festo Parasceues Dux eum liberum faceret. Porrò Dux ad Conuentum Lyræ indictum profecturus, cùm Bruxella exiisset, pridie Palmarum, subitaneo percussus est morbo. Relatus Bruxellam festo Cœnæ obiit 17. Aprilis, ætatis anno 24. Traditur, morte instante, Psalmum Miserere mei Deus, deuotissimè pronuntiasse. Corpus eius aromatibus conditum, 22. Aprilis Furæ sepultum est.

Alia eius pugna ad Hornam, sed minùs felix.

Seuenberga Burgundo deditur.

Erigit Ioãnes Dux noster Gymnasium Louaniense.

Cheualerius quidã capitur, vt qui insidias Duci Ioanni tetendisset.

Moritur Dux Ioannes, sepultus Furæ.

PHI-

PHILIPPVS

FRATER SVPERIORIS, XXXVII. BRABANTIÆ PRINCEPS.

Præfuit tantùm annis tribus.

PHILIPPVS Comes S. Pauli & Liniaci, Ducis ſuperioris frater, ad quem morte fratris Ducatus pertinebat, Romam tum iter adornarat, vt inde Ieroſolyma proficiſceretur. Addiderant ſe Comites Louanienſium nobiliſſimi, Ludouicus Pinnoccus Eques, Ioannes Pinoccus, Radulphus à Dorna, Michaël Abſalonis. Porrò non conſentiente Pontifice, vt tam longinquam peregrinationem iniret, cùm domum reuerteretur, mortem fratris in itinere cognouit. Quare accelerata profectione, fine Aprilis, ineunte anno eius ſæculi vigeſimo ſeptimo,
in patriam delatus eſt. Sequenti menſe Louanium ingreſſus, Principa- 1427
tum ibi de more ſuſcepit, Guilielmumque Comitem à Seyna, Dominum Rodij S. Agathæ, Seneſcallum conſtituit. Inde ad alias vrbes profectus, pari honore ab omnibus exceptus eſt; mox de Cheualerio pœnas ſumpſit. Reformatis legibus Brabanticis, forum iudiciarium Bruxellæ inſtituit, Ioanne Bontio Cancellario conſtituto. Iiſdem diebus, cùm Louanienſibus offenderetur, quòd Turnohoudæ Prætorem Scabinorum iudicio inobedientem vi armata Louanium adduxiſſent, à Seneſcallo placatus eſt. Porrò quia Leodienſes obſtabant, ne qui in Academia Louanienſi ſtudentes fructus præbendarum ſuarum integros perciperent, Nicolaus Prumius ac Henricus ab Hougardia Doctores Leodium profecti, Bullas Pontificis, quæ id aſſentirent, commonſtrarunt. Miſſus quoque eſt Romam Henricus à Mera Doctor, vt & Theologiam in Academia prælegi impetraret. Ceterùm cum Leodienſibus nihil conueniri potuit. Epiſcopus Romam appellat; Præſides Academiæ obſiſtentes, exequenteſque in Canonicos Leodienſes ſententiam Bullæ Pontificiæ, excommunicatione percutit. Inter hæc Dux cùm à Baronibus diſſentiret, proximorum ſuorum operâ à Ioanne Rotſelariæ, Ioanne Weſemaliæ, Engelberto Bredæ Dominis, & Engelberto ab Angia abalienatur. Eodem anno filius Comitis Salinæ, filiam Domini Rotſelariæ duxit. Hæc tantùm Diuæus. Sed lubet ſimul, vt cœpimus, inſigniora de Bur-

Inauguratur Philippus Louanij, inde in aliis quoque vrbibus.

Obnituntur Leodienſes priuilegi: noui Gymnaſij Louanienſis.

Alienatur Dux noſter à ſuis Baronibus.

Burgundo (quòd & mox in Brabantiam successurus sit) ex Meiero attexere. Ducit itaque hoc anno Burgundus ex portu Slusa exercitum in Hollandiam, vt rebellionem defectionemque quorumdam compescat, qui in eius priùs iurarant verba. Obsidet oppidum Amersfordiam, tum situ tum defensoribus munitissimum. Cinctum erat dumis densissimis, fossisque perenni aqua stagnantibus. Hæc oppugnatio diu tenuit aspera & terribilis. Hîc se Burgundus magno exposuit periculo. Transiit aquam & fossas, pugnabatque sua manu in propugnatores, qui magno erant numero, & viri robustissimi, pro patria, aris focisque, & vita decertantes. Amisit hîc Burgundus Ioannem à Bosco telo ballistario interfectum, cum aliis quibusdam Nobilibus impigrè dimicantibus; coactusque tandem est canere receptui, seque propter ingens periculum ab oppido retrahere. Tunc Amsterdami Burgundus grandem ædificat nauem, quæ instar valli esse videbatur: Catum illi dixère. Hunc Catum per mediam hiemem in Emstra fluuio locat contra Traiectenses, illumque obsident Traiectenses, sed capere non valent. Traiectenses enim cum Iacoba fœdus fecerant. Delphis quoque & Roterodami, quòd & ipsi lubrica agerent fide, ac Iacobæ se reddere tentarant, securi Burgundus nonnullos percussit. Camerlandos, Westuros, & Teslandos subiugat. In Dordracenses quoque nonnullos capitali supplicio animaduertit. Hîc Duces Gelriæ & Cliuij Burgundo militabant. Commissa & apud Wieringam pugna naualis inter Guilielmum Brederodium Iacobæ Ducem, & Harlemenses, Hornenses, Amsterdamos, aliosque Burgundioni fœderatos: quo prælio victus & captus est Brederodius cum multis suæ factionis, ex quibus 80. decollati; sed Brederodius gratiam obtinuit. Iam in Hollandia omnia erant Burgundi præter Schoonhouiam, Oudewatriam & Goudam, vbi se Iacoba consobrina eius continebat. Contra ea oppida Burgundus Ioannem Villarium Adamæum, & Leonellum Bornouillam cum præsidiis satis magnis relinquit, seque in Flandriam recipit, delectusque habet, vt rursus in Hollandiam traiiciat. Itaque anno proximo 1428. ineunte, ex portu Slusensi magnis iterùm copiis Burgundus Hollandiam petit, statimque Goudam oppidum, & in illo Iacobam Principem obsidet. Goudani timore perterriti consilium dant Iacobæ, vt cum Burgundo plenam ac solidam faciat pacem. Igitur Iacoba Burgundum verum agnoscit suum heredem, vt morte eius in Hannoniam, Hollandiam, Zelandiam, & Frisiam succedat, ipsumque horum Principatuum Præsidem ac Procuratorem creat. Promittit insuper se nulli nupturam, nisi de consensu Burgundi, & ciuitatum suorum Principatuum: sibi pro victu ac dignitate sua redditus & vectigalia ampla retinet, possidendaque accipit in vita Comitatum Osteruandiæ, Zuytbeuelandiam,

Burgundus Flandriæ Comes Amersfordiã Iacobæ studentem obsidet.

Item naui quadam bellica Amstelrodami extructa vexat Traiectenses.

Vincit ad Wiringam nauali prælio Brederodium & alios Iacobæ Duces.

1428

Tandem & Gouda ciuitas & cum ea Iacoba certis legibus traditur.



PHILIPPVS ANT. F. XXXVII. BRAB. PRINCEPS.

diam, terram Brilensem, Vorensemque, & quædam alia. Facta hæc quarta die Maij. Compositis item rebus cum Episcopo Traiectensi, Franconem Borsaliensem Burgundus pro se constituit Præsidem Hollandiæ, Zelandiæ, & Frisiæ, atque ita in Flandriam exercitum reduxit. Bruxellæ ludi facti Equestres, in quibus adfuit & Burgundiæ Dux Philippus cum multa Nobilitate. Hæc Meierus. Diuæus annum istum vigesimum octauum his tantùm verbis consignat: Summus, inquit, anno sequenti (hunc intelligit) labor erat Ordinibus, Baronibus ad gratiam Principis reducendis: finita tandem controuersia, de Ducis connubio agi cœpit. Regnabat tùm Siculis Ludouicus Andegauensis: huius filia Iolentis Duci vxor parabatur. Rediit eo anno à Syriaca peregrinatione Ludouicus Pinnoccus Eques Louaniensis. Sequenti anno 1429. Ioanni Bontio Cancellariatum abdicanti, Ioannem Gislenum Gallo-Brabantum, Sarti natum, Dux subrogauit, Decanum S. Dionysij Leodiensis: cuius opera pax inter nostros ac Leodienses, quæ dudum vacillabat, confirmata est. Dux Traiectum profectus, cùm Leodienses Verneburgensis iniurias conquererentur (qui Limburgum oppignoratum possidebat) eum oppido expulit, Henricum à Grousfelda Equitem ibi Præfectum instituens. Processum erat super connubio Ducis eatenus, vt sponsalibus peractis, sponsam solùm deduci restaret. Quare missis Rhemos Engelberto ab Angia, Ioanne Rotselariæ, Ioanne Boutreshemi, Rasone Riueriarum Dominis cum 300. vt eam ibi exciperent, iussit. Sed sequenti anno 1430. paulò post Legatorũ discessum, morbus Ducem inuasit; quo aggrauante, 4. Augusti in arce Louaniensi vita excessit, non sine veneni suspicione, cuius Calliobandes quidam insimulabatur. At visitato corpore, apostema hepati innatum inuentum est. Celebratus Ordinum Conuentus Louanij, decretumque, vt corpus Ducis conditum aromatibus ac in arcis sacello repositum, loco non antè moueretur, quàm de nouo Principe certi forent. Hæc Diuæus. Intereà Burgundus, futurus mox Brabantiæ Dux, Principatibus suis Comitatum quoque Namurcensem adiecerat: de quo ita in Chronico Leodiensi: Anno millesimo quadringentesimo vigesimo nono Philippus Burgundio Comitatus Namurcensis possessionem accepit, defuncto Ioanne Namurcensi Comite, qui, quòd legitimo herede careret, eum Philippo certa pecuniæ summa vendiderat. Hæc res cùm Leodiensibus molesta esset, instigante potissimùm Delphino Franciæ, ductore Euerardo de Marka agros Namurcensium populantur, exercitu collecto armatorum quinquaginta millium: Bellofordium capiunt & cremant; Poluacham capiunt, occiso eius Præfecto; Golesmam captam, diremptamque incendunt; Bouinas oppidum obsident; cui rei illis accommodatissima erat turris ad Dio-

Borsalius præficitur Hollandiæ, Zelandiæ, & Frisiæ, pro Burgundo.

Quæritur Duci nostro vxor filia Regis Siciliæ.

1429

Vernebur gẽsem Leodienses infestantem castigat.

1430

Dum sponsa adducitur, Dux moritur.

Supplentur plura à Diuæo prætermissa.

1429

Pro Comitatu Namurcensi, quãtumuis coëmpto, multùm digladiari cogitur Burgundus.

Dionantum ſita, nomine Turris ſuperbiæ; ex qua quid Bouinis fieret, facilè ſpeculabantur. Aduerſus Leodienſes Philippus, qui tum Compendium obſidione premebat, cum ſatis magnis copiis miſerat Antonium Croiacum, qui Foſſas oppidulum, ſeruato dumtaxat templo, exuſſit, aliaque Leodienſibus incommoda multa intulit. Atque hæc quidem cùm reluctante Antiſtite ſuo Hensbergio facerent, cui cum Philippo optimè conueniebat, Philippus, intercedente præſertim Archiepiſcopo Colonienſi, hoſtibus certis quibuſdam conditionibus pacem conceſſit,

Tandem pax coit.

inter quas & vna fuit, vt Turris illa ſuperbiæ deſtrueretur, neque vlla deinceps alia inter Dionantum & Bouinas extrueretur. Hæc Auctor ille, annum ſequentem ſimul connectens, vt ex ſequenti narratione Meieri patet. Anno, inquit ille, vigeſimo nono Aurelianenſes ciues fame propè domiti, ita rerum omnium laborabant penuria, vt in extrema agerent neceſſitate. At iam omni humano deſtitutis auxilio diuina benignitas ſuccurrit, hoſtes in fugam propellit, vrbem obſidione liberat menſe Maio.

Angli in Francia mirè vincuntur ductu puellæ Ioannæ.

Ductu puellæ (verba ſunt ſynchroni ſeu coætanei Scriptoris) Franci victoria potiuntur, & Claſſidas Dux Anglorum ſubmergitur in aquis Ligeris, ex turri in profluentem ſalire coactus ardente. Ductu Ioannæ puellæ Francus vnus fugauit mille Anglos, & duo fugauerunt decem millia. Mirabilis Deus in Sanctis ſuis. Ioannes nothus Aurelianenſis, idem Comes Dunenſis, & Ioanna puella, duces præcipui in omnibus rebus & bellis erant. Angli omnibus locis excuſſi, fuſi, fugati, cæſi. Carolus Rex puellæ ductu Rhemis inunctus & coronatus. Rhemi, Cathalaunum, Compendium, Bellouacum, Laudunum, Sueſſiones, Senones, Carnutes, aliæque ciuitates & populi, pulſis Anglis, in fidem redeunt ſola Dei gratia & benignitate. Hæc coætaneus ille. Sub finem Septembris Philippus Burgundiæ Dux magno armatorum numero ex Abbævilla Pariſios petit. Maximo eum gaudio & gratulatione Pariſij excipiunt, orantque vt vrbis præfecturam, impedito ſatis in Nortmannia Bethfordo Anglo, accipere velit. Vrgentibus illis, paruit Dux eorum voluntati,

Burgundus etſi partiũ Anglicarum, tamen vſque ad Paſcha cum Francis inducias ſancit, cauſa nuptiarum quas parabat.

quamuis ferè inuitus. Conuenere tunc ad eum Legati Regis Caroli, pactæque ſunt induciæ aduſque Paſcha inſequentis anni inter Regios & Burgundos tantùm: nam de nullis induciis audire volebant Angli. Philippus verò, quò quietiùs priuatis vacaret rebus, non repudiandas illas exiſtimauit: nempe nouam ducturus erat vxorem Eliſabetham Ioannis Regis Luſitaniæ filiam. Ea ſub Natalem Dominicum Sluſam applicuit adducta ab vno fratrum ſuorum, & per Legatos miſſos ex Flandria. His celebrandis nuptiis nouas ædes Philippus Brugis in Regia exædificat. Secundò anteà nuptias celebrarat, ex neutris prole ſuſcepta, ſed nullo ferè apparatu, ſi cum hiſce conferas. Brugenſes ad portam vſque obuiàm

uiàm ſponſæ procedunt. Sexaginta quatuor habebant tubas & lituos, quibus quanta melodia canebant, haud facilè poſſet enarrari. Quàm viſendus ornatus ille omnium, quà tranſiit ſponſa, viarum, quæ vtrimque veſtitæ erant tam variis ac pretioſis tapetibus panniſque variorum colorum, quis valeat exprimere? Negotiabantur enim tum Brugis nationes mercatorum totius ferè orbis terrarum, quæ inter ſe omnes certabāt aduentum honorificare tantæ ſponſæ. Ante Regiam factus leo lapideus, qui altero ſuo pede anteriore, tribus ex meatibus optimum Rhenenſe fundebat vinum, bibentibus omnibus quantum volebant. Intra Regiam, iuxta Sacellum, ceruus lapideus poſterioribus ſedens pedibus, anteriore ſuo dextro pede fundebat omnibus rubrum vinum optimum Belnenſe. Monoceros in grandi aula, cuius ex pedibus roſacea abluendis manibus dulciſſimè ſcaturiit, varia ſimul vina, commutatis vicibus, vt Hippocraticum, Maluiſæam, Romanæam, Muſcadetum, aliaq; delicioſa & exquiſita ſuo ex cornu omnibus ſitientibus profundens. Ad menſam ſponſæ aulæa deaurata, aliæque pretioſæ veſtes, quibus aula vndique erat ornata, vexilla ſignaque militaria pluſquam ad regalem pompam, quæ aliis ſcribenda relinquimus. Erat is nuptialis ac triumphalis dies decimus Ianuarij. Habebat ſecum Dux ſorores ſuas, Annam Bethfordij & Mariam Cliuenſis vxores, cum alia Nobilitate permulta. Habebat 24. Proceres ſuos eodem die in Ordinem ampliſſimum Aurei velleris allectos; de quo iſtud eius Diploma, ſed non niſi biennio pòſt datum: Philippus Dei gratia Dux Burgundiæ, Lothricij, Brabantiæ, Lemburgij, Comes Flandriæ, Artheſij, Burgundiæ Palatinus & de Namur, Marchiſius ſancti Imperij, Dominus Salinarum & Mechliniæ: Notum facimus omnibus præſentibus & futuris, quòd propter magnum & perfectum amorem, quem habemus erga nobilem ſtatum & ordinem dignitatis Equeſtris, per quem Ordinem vera fides Catholica, ſtatus noſtræ ſanctæ matris Eccleſiæ, & tranquillitas proſperitaſque Reipublicæ ſit (vt eſſe poteſt) defenſa, cuſtodita, & conſeruata; Nos ad laudem & gloriam omnipotentis Creatoris & Redemptoris noſtri, ad reuerentiam matris eius glorioſæ Virginis, & ad honorem Domini noſtri ſancti Andreæ glorioſi Apoſtoli & Martyris, ad exaltationem fidei, & ſanctæ Eccleſiæ, & excitationē virtutum & bonorū morum, decimo die menſis Ianuarij anno Domini noſtri milleſimo quadringenteſimo vigeſimo nono, qui erat dies ſolemnizationis matrimonij inter nos & noſtram chariſſimā & amantiſſimā cōiugem Eliſabeth in oppido noſtro Brugenſi, accepimus, creauimus, & ordinauimus, & per has præſentes accipimus, creamus & ordinamus Ordinem & Fraternitatem dignitatis Equeſtris, & amicabilis ſocietatis, certi numeri Equitum, quem volumus appellari Ordinē Velleris

Ducit Philippus Burgūdiæ Dux & Flandriæ Comes Eliſabethā Luſitanam Brugis Regia plane pompa.

Omnibus ſitientibus continuò ſcaturit vinum.

Eo die nuptiarum inſtitutus ab eo Ordo Equitum Aurei velleris.

Notent illuſtres Equites dicti Ordinis.

„ leris aurei, ſub forma, conditionibus, ſtatutis, modis, & articulis qui ſe-
„ quuntur, &c. Datum in oppido noſtro Inſulenſi 27. die Nouembris, an-
„ no gratiæ milleſimo quadringenteſimo trigeſimo primo. Singulis dedit Dux Collyrium aureum, dependente ab illo aureo vellere, quæ poſt mortem cuiuſque ad Ordinem redeunt, aliis diſtribuenda. Origo & appellatio eſt ſiue ab Iaſone illo in Colchida cum Argonautis proficiſcente, ſeu (quod magis ſuadent aulæa antiquiſſima huius Philippi etiamnum quotannis ad D. Gudilæ Bruxellæ ſuſpendi conſueta) à Gedeone magno illò Iſraëlitarum Duce, qui vellus ſiccum, deinde rorulentum vidit, eoque ſigno confirmatus trecentos tantùm iuſſu Dei viros elegit, quibus innumerabiles Madianitarum copias profligauit. Plura qui de hoc Ordine deſiderat, ab aliis petat. neque enim hîc omnia infarcienda ſunt.

Celebratis nuptiis, cũ exercitu & vxore Burgundus tẽdit in Frãciam.

Hinc Philippus Peronam contrahit magnas copias. Celebrat eò loci Paſcha cum vxore: inde concedit Mondiderium. Ineunte anno ſequenti 1430. Philippus per Nouiodunum mouens capit Choſiacum Iſaræ, ac ſolo æquat: inde, cùm eſſet apud Condinum iuxta Compendium, conſilium capit de Compendio obſidendo.

1430

Pridie feriarum Aſcenſionis Dominicæ, quæ tum incidit in 9. Kalend. Iunias, hora quinta pomeridiana Ioanna puella & Poton Santralla cum quingentis circiter pugnatoribus ex Compendio erumpunt, vt apud Mariniacum obruant Bodonem Noiellam: ſed Angli & Ioannes Lucemburgius, qui cum cohortibus ſuis non procul aberant, fortiter Bodoni accurrunt auxilio.

Pugnatur apud Clariacũ, vbi & Ioanna puella in manus Burgundionum venit.

Pugnatum eſt acriter apud Clariacum; ſed Galli cùm creſcentem hoſtium numerum perferre nequirent, Compendium ſe recipiunt. Burgundiones propter necem Franciſci Atrebatis paulò antè puellæ conſenſu ſecuri percuſſi, acriter puellam inſequuntur, illamque ſuos ante ſe ducentem, priuſquam peruenire poſſet in oppidum, equo deiectam capiunt, ductamque Mariniacum, tradunt ſuo Duci Ioanni Lucemburgenſi, qui primùm apud Bellum locum, dehinc in arce Bellorauorio diu illam tenuit captiuam. Tandem Anglis tradita, anno proximo trigeſimo primo,

Exuritur eadẽ Ioanna ab Anglis Rothomagi, tamquam venefica, ſed iniuriâ.

tertio Kalend. Iunias Rothomagi ab iis tamquam venefica cremata eſt, cinereſque in profluentem abiecti; ſed iniuriâ, vt patet ex iis quæ Miræus noſter poſt alios profert ex S. Antonino, Ioanne Gerſone, informatione ſolemni iuſſu Papæ facta, quæ in ſcrinio Eccleſiæ Pariſienſis, inquit idem, adhuc ſeruatur. Ærea quoque fortiſſimæ virginis ante Chriſti crucifixi imaginem flectentis ſtatua Aureliæ in ponte ſuper Ligeri viſitur, accepti beneficij monimentum. Hæc de Ioanna.

Reditur ordine temporum ad mortem noſtri Philippi Brabanti.

Porrò dum Philippus Burgundus ad Compendium ſedet, ægrotare cœpit (quod & ſuprà commemorauimus) Philippus noſter Brabantiæ Dux, & non multò pòſt Louanij vitæ ſuæ finem clauſit pridie Nonarum Auguſti; cuius de mor-

te certior factus Burgundio, relictis qui Compendij continuent obsidium, ipse celeriter in Flandriam se recipit, vt Brabantiæ, Lothriciique & Limburgij accipiat possessionem. Erat nempe Philippi patruelis sui defuncti proximus heres. Verùm enimuerò duos totos consumpsit menses, priusquam hoc posset peragere, obstaculum præbente Margareta eius amita filia Philippi Audacis, vidua Hagnoniæ, quæ se potiorem esse heredem frustrà conabatur astruere. Itaque receptus est Philippus illos in Principatus ad quartum Nonas Octobris, quando feriæ sunt diui Francisci Confessoris. Ita Meierus. De iisdem Diuæus etiam paulò pleniùs in hunc modum: De Ducatus successione inter Philippum Burgundiæ Ducem ac Margaretam matrem Iacobæ controuersia erat; asserente hac, se amitam patrui filio præferri debere: nam se Antonij sororem, vno gradu eius liberis propiorem esse, quàm Philippum Ioanne fratre Antonij prognatum. Hæc Margareta Louanium veniens Ordinibus proposuit. Eódem Legatos suos Dux Philippus, in Compendij obsidione cum Anglis persistens, Episcopos Tornaci, Ambianorum & Atrebatium misit. Qui in Ordinum cœtum admissi, rationes Margaretæ refellere sunt aggressi; asserentes, mortua Ioanna Duce vidua Wenceslai, Ducatum ipso iure ad Ioannem Philippi patrem peruenisse; cessisse verò eum Antonio fratri, sed conditione addita, vt si Antonium liberósve eius sine prole mori contingeret, Ducatus ad Ioannis heredes reuerteretur: vnde summo iure Philippum Ducatus possessionem petere. Porrò Ordinibus, discussis vtrorumque allegationibus, visum fuit, Philippo Principatum deferre. Vnanimi itaque assensione decreuerunt, Legatis Philippi suos vnà adiungere. Qui Compendium profecti, salutatum Principem orarunt, vt quamprimùm in Brabantiam properaret. Quibus ille acquiescens, commissa Ioanni à Luceburgo exercitus ac obsidionis cura, in Brabantiam perrexit. Vbi votis omnium exceptus, primùm Louanij, deinde in reliquis vrbibus populum in verba sua iurare fecit. Ea vicissim quæ ipse populo Brabantico iurauit promisitque, huiuscemodi fuere: Priuilegia sua Clero Nobilitatique ac vrbibus rata habiturum. Ius vnicuique secundùm suæ vrbis aut loci consuetudinem legesque ex æquo dicturum. Priuilegia totius Reipub. Niuella Antuerpiam translaturum, ac ibidem asseruaturum, confectis tribus clauibus, quarum vna penes Ducem, altera penes Louanienses, tertia penes Bruxellenses foret: hoc addito, vt tam ipsi, quàm vrbibus exemplaria Priuilegiorum transscriberentur. Immunem fore Rempub. à belli Francici impendiis, aut Leodiensis. Assumpturum se titulum Ducis Lotharingiæ, Brabantiæ ac Limburgi; item Marchionis sacri Imperij: ac nouo sigillo causas Ducatus consignaturum. Constitutu-rum

Duos integros menses laborat Burgūdus vt possit succedere in Brabantiam, obsistente sibi Margareta amita.

Disseritur de iure vtriusque.

Tādem ius Burgundi præpollere iudicatur.

Iuratis priuilegiis Ducatum Brabantiæ adit.

„ rum item ſeptem viros, qui ſe abſente Reip. negotia curaturi ſint. E qui- „ bus vnum Cancellarium; reliquos ſex Conſiliarios fore, linguæ Latinæ, „ Gallicæ ac Germanicæ non expertes: quorum quatuor neceſſarium foret „ Baronibus prodiiſſe aut Baronatum patrimoniali vel dotali iure poſſide- „ re; duos reliquos de ſuo conſilio quos libuerit creaturum, callentes ta- „ men linguam Germanicam. Eoſdem omnes ac ſimul etiam quicumque „ Duci à ſecretis futuri eſſent, promiſſuros, nihil ſe conſcripturos obſigna- „ turóſve, quod Ducatui præiudicium damnúmque aliquod allaturum „ ſit. Magiſtratus non creaturum mutaturúmve, aut atrocium etiam fa- „ cinorum gratiam daturum, niſi Conſiliariis Brabantiæ, vel ad minimum „ quatuor ex iis auctoribus; quibus & neceſſarium ſit creationis eiuſce- „ modi aut remiſſionis tabulas ſubſignare. Neminem Conſiliarij Bra- „ bantiæ Magiſtratu fungi permiſſurum, qui non è legitimis nuptiis, & „ in Brabantia natus ſit, aut patrimoniali dotalíve iure Baronatum poſ- „ ſideat: exceptis Angiæ Domino & Ioanne Domino Withemi; huic qui- „ dem eatenus, quà dominium in Brabantia poſſederit. Comitem Ver- „ neburgi, de oppignoratione Limburgi controuerſiam mouentem paca- „ turum, effecturúmque vt Louanij ac Herendalſti ciues Engries capti li- „ berentur. Ducatum Limburgi in perpetuum Brabantiæ annexurum. „ Luiturum item pretia, quibus arces Tranſmoſanas prædeceſſores ſui op- „ pignorarunt, &c. Signata Louanij, die quinta Octobris, anno Domini „ milleſimo quadringenteſimo & trigeſimo.

Nota benè: Dux ipſe conſtituit, & quinque quidem neceſſariò Brabantos, ſed duos tamen reliquos quos vult, modò calleant Germanicè.

Interim Dux non poteſt facere gratiam atrocium facinorum, niſi ſaltē quatuor Conſiliariis aſſentientibus.

Ducatum Limburgi perpetuò debere Brabantiæ manere annexum.



FRANCISCI HARÆI

ANNALES

DVCVM SEV PRINCIPVM

BRABANTIÆ


TOTIVSQ. BELGII.

TOMVS SECVNDVS;

Quo Belgii vniti Principvm
res gestæ enarrantur.

FRANCISCI HARÆI ANNALES DVCVM SEV PRINCIPVM BRABANTIÆ TOTIVSQ. BELGII.

TOMVS SECVNDVS.



PHILIPPVS BONVS CONSOBRINVS PRÆCEDENTIS, XXXVIII. BRABANTIÆ PRIMVS BELGII VNITI PRINCEPS.

Præfuit Brabantiæ annis trigintaseptem.



HILIPPVS Burgundus, cognomento Bonus, Ioannis Intrepidi filius, Philippi Audacis nepos, Ioannis Valesij Franciæ Regis pronepos, cùm di- tionibus paternis Burgundiæ, Flandriç, & aliis ab anno 1419. per annos vndecim præfuisset, inau- guratus est quoque Brabantiæ, vt dictum est, tamquam proximus heres anno 1430. quarto Nonas Octobris. Is dum adhuc in Brabantia agit, sub Kalend. Nouembris Galli factionis Caroli Compendium, dudum à Burgundi milite obsessum, liberant. Tormenta bellica & bombardæ Philippi (verba sunt Meieri) hîc omnes perditæ, & captæ ab hostibus. Victi item Angli & Burgundiones in Cathalaunis ad locum eum, quem

Philippus pronepos Regis Francorum.

1430

Vincuntur Angli & Burgundi in Francia.

Grosettam vocant; interfecti multi; capti ampliùs quingenti. Eodem anno 16. Kalend. Februarias nascitur Bruxellæ Philippo ex Elisabetha vxore primogenitus suus Antonius, sed qui proximo anno finem viuendi fecit.
1431 Anno sequenti 1431. tertio Kal. Iunias Rothomagi, vt etiam suprà commemorauimus, ab Anglis igni cremata est Ioanna puella liberatrix Galliarum, Debboræ, Iudith & Esther à Scriptore eius temporis comparata. Mense Augusto sub ferias diui Bartholomæi Antonius Comes Vaudemontij, frater Caroli Lotharingiæ Ducis defuncti, armis & ope Burgundi eum Ducatum obtinuit contra Renatum generum Caroli. Pridie Kalend. Decembris, ipsis feriis D. Andreæ, celebrata à Burgundo prima Comitia seu primum Capitulum Velleris aurei Insulæ, ad D. Petri, per triduum; de cuius Ordinis institutione pluribus egimus ante biennium.

Vaudemontius obtinet Lotharingiam armis & ope nostri Philippi.

1432 Anno 1432. mense Augusto, Gandenses arreptis armis in seditionem vertuntur, clamitantes auream argenteamq; monetam puram putam non cudi. Senatores tres tumultū sedare conantes interficiuntur, ceteri vrbe pelluntur. Tenuit hæc insania dies duodecim; tunc opera proborum sedati improbi veniam petunt, & impetrant, exigua pecuniæ summa multati. Sub idem tempus Burgundus in Hollandiam proficiscitur, captum Borselium, quòd ei Iacoba præter leges pacis suprà anno vigesimo octauo commemoratas nupsisset, Ripelmundam abducit: quo vt potiatur Iacoba, patrias ditiones omninò Burgundo resignat, certis sibi ad vitam retentis vectigalibus, ac titulis Comitatus Oosteruantij in Hannonia, ac Dominij Vornani in Hollandia.

Borselius, quòd Iacoba ei nupsisset, Ripelmondam abducitur: quo vt potiatur illa, ditiones paternas Burgundo resignat.

1433 Anno 1433. gladio percussus est Ægidius Postellanus Hannonius, conuictus Burgundum venationi intentum ballista traiicere statuisse; corpusque in quatuor partes dissectum. Margareta Burgundi amita & Iacobæ mater, quòd dictus Ægidius in eius aula foret educatus, auctor facinoris existimabatur: iniustè enim Burgundum omnia ad se trahere sæpè questa erat. Hactenus Diuæus & Meierus: deinceps ferè Heuterus:
1434 Anno 1434. mense Februario, inquit ille, Philippus comitatus ducentis viris nobilibus in Sabaudiam proficiscitur honestaturus nuptias Comitis Geneuæ, relicta vxore Isabella cum Carolo filio bimestri Cabilone in Burgundia. Nuptiis finitis in Burgundiam reuertitur, iustisque præsidiis in finibus relictis, mense Aprili sexcētis stipatus equitibus per Artesiā Flandriamq; in Brabantiam peruenit, pacemq; inter Antuerpienses, Bruxellenses ac Mechlinienses facit. Oppugnarant enim acriter Antuerpienses iuncti Bruxellēsibus Mechlinienses, ob fora nundinasque, quas quisque suæ vrbi asseuerabat deberi.

Proficiscitur Bonus in Sabaudiam, relicta vxore & filio bimestri in Burgūdia. Componit dissidia quæ erant inter ciuitates Brabantiæ.

1435 Anno 1435. pertinaciter instatur reconciliandis Franco & Burgundo super nece Ioannis patris Burgundi, quem Carolus Franciæ Rex, (eo tempore Delphinus) anno 1419. vt dictum est, in conspectu suo fœdè contra pro-



PHILIPPVS BONVS XXXVIII. BRAB. I. BELGII VNITI PRINC.

promiſſam ſecuritatem Monteraui necari iuſſerat. Vrbs Atrebatenſium colloquio eſt conſtituta. Vniuerſæ pænè Europæ Legati conuenerant. Bellum tot annis fuerat, quo pluſquam trecenta hominum millia perierant, familiarum centum millia vagabantur. Sed cùm ſæpiùs communicaſſent, ab Anglis nihil æqui obtineri potuit. Volebant enim retinere omnia, quæ confœderati Burgundo in Francia obtinuerant, quin etiam (quod Francis intolerabile erat) vt Carolus Franciæ Rex ea quæ adhuc tenebat, beneficiario iure ipſe & eius ſucceſſores ab Anglo peterent. Relictis igitur Anglis, Legati Francici, Borbonij Dux, Artus Magiſter equitum, Comes Vendomæ, & Epiſcopus Rhemenſis, Bono apud D. Vedaſtum in ſacello ſuo ſacris intento ad genua procumbunt, nec ſurgunt, donec multis lacrymis & rationibus, collacrymante etiam vxore Boni, eum ad lacrymas & condonationem iniuriæ permouiſſent.

Tota pænè Europa laborat conciliando Franco & Burgundo, ſolo obnitente Anglo.

Legatus Pontificius ſolemniter in ſe recipit iuſiurandum, quo iurarat ſine Anglo pacem ſe non facturum. Conſcriptæ pacis leges menſe Septembri, inter alias hæ: Iuxta Monterauum in ponte Crux ænea cum in- « ſcriptione cauſæ ſumptu Franci erigitor. Ibidem in templo Miſſa quoti- « diana, & iuxta oppidum Cœnobium Carthuſianorum 12. Sacerdotum « pro anima Intrepidi fundantor. Præter Comitatum Matiſconenſem & « Caſtellaniam Barrenſem, Quintinopolis, Ambianum, Abbatis-villa, « aliaque oppida ad vtramque Somonæ ripam ſita Burgundo cedant, do- « nec ipſi aut ſucceſſoribus Francus eiúſve heres quadringenta aureo- « rum millia perſoluerit.

Tandem Burgundus multis precibus & lacrymis euictus, Franco fœdam patris necem condonat.

1436 Initio anni 1436. Bonus Lalani Regulum ſexcentis cum equitibus Regi Carolo contra Anglos mittit, qui iuncti Villanio ac equitum Magiſtro, Anglos è Fano S. Dionyſij, ac paulò pòſt, adiuuantibus in gratiam Burgundi ciuibus, vrbe etiam Pariſienſi pellunt.

Pellit Burgundus Anglos Pariſiis.

Eodem anno, menſe Iunio, Bonus Caletum obſidet, ducens inter ceteros triginta Flandrorum millia. Verùm cùm Hollandi fruſtrà portum obſtruere eſſent conati, Gandenſes in ſeditionem verſi primi ex caſtris diſcedunt, mox & alij. Inſecuti Angli omnia latè populantur. Tumultuatum hinc Brugis à 9. Kalend. Septembris vſque 4. Nonas Octobris, & trucidatus Scultetus. Bonus quoque vix vxorem & filium è manibus tumultuantium impetrat. Quid agat? colligit copias, ſed territos

Seditionibus Flandrorũ impeditur, ne plura tunc poſsit.

1437 & ſupplices factos mox in gratiam vtcumque recipit. Sed anno proxi-

1438 mo vlciſci ſe parans, ſimulans in Hollandos ſe ducere, vrbe receptus vix effugit, occiſis plurimis è ſuis. Tandem interdicto, ne quis cum Brugenſibus mercimonia ageret, dum mercatores & ditiores aliò dilabuntur, anno 1438. Kalend. Martij pax firma data eſt; ducenta aureorum equitum millia ſoluenda; & quadraginta duo ſeditionis auctores nominati pace excluduntur; ex his vndecim tantùm reperti, capite plexi ac in rotas

Bonus, edicto ne quis cum Brugenſibus contrahat, dilabentibus mercatoribus Brugenſes domat.

tas acti sunt, Mense Iunio Bonus Cameracum venit, vbi Catharina Caroli Septimi Francorum Regis filia decem annorum virgo desponsatur Carolo Charloo Boni filio, sed quæ post paucos menses obiit. Initio anni 1439. Burgundus, interposita auctoritate sua, Louanienses, Bruxellenses ac Mechlinienses inuicem conciliat, qui ciuile bellum ob minores rei frumentariæ causas (cuius tum temporis magna vbique erat inopia) inter se gesserant; similibusque fermè negotiis fuit occupatus diuersis in locis anno 1440. 1441. & 1442. prudentia ac auctoritate innumerabilia sopiens ciuitatum dissidia. Mense Iulio denuò Francorum Anglorumq. Legati pacis causa conueniunt; & quamquam Burgundus ad rem componendam nullum non moueret lapidem, nil tamen est effectum. Hollandi ac Zelandi hoc anno cum Osterlingis parua de causa bellabant, sæpeque inter se mari acriter conflixerunt, nauesque mercatorum diripuerunt. Anno 1440. coniurarant plerique Francorum Proceres cum Delphino contra Regem Carolum, quem in ordinem redigere, ac filio Regni administrationem tradere cupiebant. Sed is facinus detestatus, eos ab impio proposito, rationibus interposita auctoritate deterruit. Mense Nouembri Carolum Aurelianorum Ducem, Ludouici Aureliani ab Intrepido anno 1407. mactari iussi filium, qui à prælio Azincurtiano annis 25. in Anglia captiuus fuerat, Burgundus à carcere liberat, persolutis propria è pecunia pro eius redemptione ducentis aureorum liliorum millibus. Inuenta est hoc anno apud Europæos ars imprimendi libros: sed an apud Moguntiacos, an apud Harlemenses, (quod verisimiliter astruere conatur in sua Batauia Iunius) non definio. Latè de his Miræus noster in suo stricto alioqui Chronico, quem qui volet adeat. Anno 1442. mense Nouembri Fredericus Austriacus, electus Romanorum Rex, posteaquam Aquisgrani corona argentea esset redimitus, per Burgundiam in Austriam reuertens, à Bono magno cum honore decem diebus Besontij vario lætitiæ genere est excultus, magnisque muneribus ornatus, cedens omni iure, quod Imperij nomine in Hollandiam, Zelandiam, Frisiam ac Brabantiam habere posset. Anno 1443. Burgundus Lutzenburgum armis occupat, cedente ei ius suum certa annua pensione Elisabetha Antonij Brabanti vidua, cui Lutzenburgum à Wenceslao Imp. patruo pro dote erat assignatum, frustrà repugnante Bruinswicensi, qui tamen pecuniis posteà etiam est placatus. Anno 1444. denuò Turonum conueniunt Legati Francorum, Anglorum, ac Burgundionum; cumque pacem facere non possent, inducias in viginti menses pangunt, quo tempore sæpiùs à Burgundo pax frustrà est tentata. Mense Nouembri Isabella Boni vxor in Hollandiam proficiscitur tollendis Cabbeliauorum ac Haucciorum factionibus, qui omni-

1439

Variaiterùm sopit ciuitatum Brabantiæ dissidia.

1440

Liberat Bonus suo ære ex Anglicano carcere filium Aureliani iussu Intrepidi trucidati.

Ars impressoria librorum inuenta.

1442

Cedit Fredericus Imp. omni iure quod Imperij nomine in Hollandiam, Zeland. Frisiã aut Brabantiam habere possit.

1443

1444

Frustrà iterùm pax tentatur inter Anglum & Francum.

omnibus belli calamitatibus prouinciam vexabant. Sed quòd imbel-
li comitatu aduenisset, à factiosis est contempta. Præfecto igitur Hol-
landis in locum non ita pridem defuncti Guilielmi Lalani, Gossino
1445 Wildæo, ad maritum reuertitur. Mense Ianuario anni 1445. variorum
Regum, Ducum Principumque Legati in Angliam de pace acturi ap-
pellunt. Sed cùm partes componere non possent, inducias ad mensem
1447 vsque Aprilem anni 1447. prolongant. Huius anni æstate Turcarum

Turca Rhodum obsessam deserere cogitur.

Rex seu Tyrannus insulam Rhodum oppugnat. Illuc itaque Bonus tri-
remes tres egregiè armatas ductu nobilis Lusitani auxilio mittit, acce-
denteque ceterorum quoque Principum Christianorum auxilio, Turca
re infecta decedere cogitur. Hoc anno Hollandi ob factiones crudeliter
inter se sæuiebant. Amsterodami armata manu Cabbeliaui oppido sunt
pulsi. Leidis ad pugnam instructi Hauccij ad cœmeterium vsq; D. Pan-

Sæuiunt inter se factiones in Hollandia, sed aliquot capite aut pecunia multatis, aliquamdiu cessant.

cratij aguntur, ibique incursu Sacerdotum Christiana sacra manu tenen-
tium, reuerentia Numinis vix tandem domum dilabuntur, eædemque
furiæ per omnia Hollandorũ oppida flagrabant, Cabbeliauis probanti-
bus Bonum ab Iacoba heredem scriptum, Haucciis idem improbanti-
bus. Quare Bonus eò profectus, ac capita aliquot seditionis è medio tol-
lens, quosdam etiam pecunia mulctans, inducias furori dedit. Eo tem-
pore Wildæus Hollandiæ Gubernator ac Præfectus Medenblickius
(Drossardum vocant) se mutuò de non contemnendis criminibus accu-
sarant. Quare Louestenum in carcerem missi, post sextum captiuitatis
mensem Wildæo ceruix abscinditur, Medenblikio antiquus restituitur

Manet Burgundus biennio in Hollandia, nec tamen factiones prorsus tollere potest.

locus: mansitque Burgundus per biennium in Hollandia, nec tamen
omnino factiones tollere potuit. Luerant Brugenses Caletanam discesl-
sionem, quærebatque Philippus occasionem etiam de Gandensibus se
vlciscendi. Excogitat igitur nouum perpetuumque vectigal, quod
vniuersæ Flandriæ pro discessionis satisfactione mense Martio an-
ni 1448. imperat. Petebat autem nouem stuferos in singulos salis sac-
1448 cos, expectabantque minora oppida, quid vrbes essent responsuræ. Bru-

Tumultuantur item Flandri, & inprimis Gãdenses.

genses recentis vulneris memoria silebant, idem faciebant Iprenses.
Gandenses verò ægrè ferentes se inconsultis Flandriæ Comitẽ vectiga-
lia imperare noua, primi planè collationem abnuunt. Bonus ad Ka-
lend. vsque Septembris anni 1449. silet; tum occupatis Audenarda,
1449 Teneramunda, Gauera ac Ripelmonda, iustisque præsidiis munitis,

Potestate priuat Bonus omnes qui Gandauì publico munere fungebantur.

vltra vectigal salis aliud quoque siligini ac tritico indicit: cumque Gan-
denses nil se collaturos affirmassent, qui publico fungebantur munere
potestate priuat, proposito per vniuersam Flandriam edicto, ne quis vl-
la in re Gandensis populi iussis pareat. Flandrorum Ordines ciuile bel-
lum veriti, Gandauum proficiscuntur, consensuque vtriusque partis, im-
muni-

munitatum Gandensium vetera diplomata, vt secundùm ea rem componant, inspiciunt. Quinque fermè mensibus elapsis, mense Martio anno 1450. pronuntiant, Flandriæ Comitem pro arbitrio Gandaui Magi- 1450
stratu mouere, ac in eum quem vellet, legere posse. Stant Ordinum sen- *Ordines Flandriæ,*
tentiæ Gandenses ad mensem vsque Augustum; tum concitati à Petro *inspectis*
Tinctio, Ludouico Hamero aliisque infimæ sortis hominibus, vrbe pel- *priuilegiis, pronuntiãt*
lunt omnes quos Principi fauere arbitrabantur, exterisque in vrbem ad- *Bono hoc licuisse.*
missis, ius illis ciuitatis donant. At ille quò æquiore causa bellum auspicaretur, sese reprimebat, conquerens tantùm apud Flandriæ Ordines, sine suo consensu Gandenses vrbis immunitates exteris, pulsis amicis suis, communicasse, ac proinde in vincula sibi tradi petebat Danielem Sersandrum summum opificum Præfectum, Liuinum Potterum, ac Liuinum Sneuotium. Renuunt primò Gandenses, donec à Nobilibus, Ducem eis gratiam sua deprecatione facturum pollicentibus, persuasi consentiunt. Proficiscuntur igitur mense Maio anni 1451. dicti tres Tenera- 1451
mondam, Bonoque ad genua prouoluti, veniam submissè orant. Sed is, *Seditionis*
contempta Nobilium promissione, Flandria eos exulare iubet; quæ res *auctores supplices*
adeò populum contra Nobiles (quos malo animo promisisse existima- *factos,*
bat) irritauit, vt captos eodem momento octodecim viros Nobiles capite *(quibus Nobiles ve-*
puniissent, nisi bonorum intercessione moti, facinus distulissent. Quin *niam velut addixerãt)*
etiam paulò pòst factorum pœnitentia ducti, in gratiam Principis capite *nihilominùs Bonus*
plectunt Petrum Tinctium ac Ludouicum Hamerum seditionis aucto- *proscribit.*
res: cumque tribus hebdomadibus iustitium in vrbe fuisset, lectis nouis Senatoribus domum reuertuntur, menseque Nouembri Legatos ad *Item velut,*
Principem mittentes, rogant vt electionem sua auctoritate confirmet, *tota ciuitas veniam petit,*
pacemque populo Gandensi donet. Sed cùm nil pacati retulissent, cum *sed non impetrat.*
armis iterùm ad forum Veneris prouolantes, belli Tribunos creant, Ioannem Heuerslagium ac alios tres: qui belli fundamentum, exacerbato Principis animo, iacturi, octo Nobilibus viris ex octodecim prædictis, in publico ceruices abscindi iubent. Hinc ipsa Feria sexta sancta ante Pascha occupant Gaueram, pauloque pòst etiam arces Pucceanam & Estandebergam; ac deinde mense Aprili anni 1452. Audenardam frustrà 1452
dolo tentatam obsidione cingunt. Sed Bonus paulò pòst suis subuenit, cæsis circiter tribus Gandensium millibus. Plures etiam hoc an- *Hinc ergo*
no & sequenti inter Gandenses & Principis Duces aliæ pugnæ cruen- *apertum & cruen-*
tæ commissæ sunt; atque adeò in agro Gandensi supra octo villarum *tum bellum.*
millia, trecenti pagi, ac ædes hominum nobilium opulentorumque complures sunt exustæ; ac quicumque vtrisque in manus veniebant, sine gratia interficiebantur. Hoc eodem anno 1453. occupat Guiliel- 1453
mus Brunswicensium Dux Theodonis villam, Lutzenburgicæ ditio-
 nis

Lutzenburgica ditio frustrà à Brunsvvicensi tentatur: hinc cum Bono trãsigit.

nis oppidum, existimans Bono (quòd Gandenses ad officium cogere non
posset) vires defendendo Lutzenburgo defuturas. Sed is Crouiacum
octingentis ballistariis ac trecentis lanceariis instructum veteranis equi-
tibus, contra Brunsvvicensem mittit, qui variis eum præliis ita exercuere,
vt de secundo belli euentu desperans, pace facta, omni iure Bono Lut-
zenburgum cederet. Intereà Rex Franciæ certas pacis leges à se inter
Gandenses & Bonum conceptas Gandauum mittit; sed parum ab-

Bonus totis viribus cõtra Gandenses accingitur.

fuit, quin eius Legatus à plebe violaretur. Itaque tandem Bonus vi-
dens bello finem imponi non posse, nisi iustis viribus peruicacem aggre-
deretur populum, vndique militem conscribi iubet, ac 15. Kalendas Au-
gusti ad Gaueram castra locat. Post quatriduum continuo tormento-
rum reboatu effractis Gaueræ muris, deditio facta est; centum Ganden-
ses ad arbores iugulantur; cùm paulò pòst 10. Kalendas eiusdem mensis
totus Gandensis populus suppetias laturus in aciem prodit, viginti quin-
que armatorum millia, & totidem ferè millia agrestium & inconditæ
plebis. Bonus sexdecim peditum equitumque millia ducebat. Concur-
ritur non longè à Gauera, & Gandenses ænea tormenta contra Burgun-

Dudum pugnatur dubio Marte.

dicas acies exonerantes non paucos interficiunt; cùm ecce, casu, an (vt
quidam volunt) dolo Anglorum apud Gandenses militantium, vas pul-
ueris tormentarij igne corripitur. Hinc primùm trepidatio: nam & qui-
dam Angli ad Bonum transibant; sed resumptis animis Gandenses for-
titer instant, ita vt & Boni equus quatuor locis, & filius Carolus in planta
dextri pedis vulneratus esset, multiq; Nobiles & ignobiles caderent; tan-

Tandem victi Gandenses, decem millibus eorum occisis, captis mille sexcentis.

dem tamen victi Gandenses cesserunt. Occisi Gandenses decem millia,
capti mille sexcenti, ac ex his eodem die strangulati trecenti. Bonus desi-
derauit circiter septingentos; qui cæsos intuens, commiserans dixisse fer-
tur: Súntne hæ oues meæ? Gratias tibi summe Deus, quòd me ab iis
opprimi non permiseris; & mox litteras Gandauum mittit nihilomi-
nùs pacem offerens; quæ & paulò pòst secuta est, nempe postridie Ka-

Certis legibus Gandenses supplices veniam petunt & impetrant.

lendas Augusti. Pro impensis belli trecenta aureorum equitum millia, «
ac pro templis exustis quinquaginta millia promissa; viginti quinque «
Senatores lineis supra nudum induti, & bis mille ciues atrati omnes nu- «
dis pedibus & capite, ad pedes Boni extra portam supplices veniam pe- «
tunt, & impetrant, ibidemque opificum omnium militaria signa offerũt, «
quæ Bonus paulò pòst partim Boloniæ partim Hallæ D. Virgini sacra- «
uit. Nec intrauit tunc Bonus Gandauum, sed Insulas se contulit, ibique
se & suos refecit. Hoc eodem anno 29. Maij Constantinopolis in po-
testatem Mahumetis Turcæ venit, 52. diebus cõtinuè ab eo oppugnata.
Sæuitum in Christianos suprà quàm dici potest. Quæ res ita Bonum
1454 affecit, vt anno 1454. proximè sequenti libentissimè ad Imperatorem
Frede-

Magno zelo occurrere vult Bonus Constantinopoli tunc recens à Turcis captæ.

Fredericum profectus ipse sit, acturus de expeditione contra Turcas. De quo sic Æneas Siluius, posteà Pius II. Pontifex nominatus, epistola 127.
„ Vnus, inquit, mihi videtur supra omnes commendandus Philippus
„ Burgundiæ Dux, qui vocatus ad Conuentum noluit excusari, noluit
„ Reip. deesse. (Nota; obliquè taxatur Imperator, qui morbum excusabat.)
„ Venit Ratisponá, iturumq; se contra Turcos in persona propria pollicitus
„ est, si vel Cęsar, vel Rex Hungariæ, vel alius magnus Princeps exercitum
„ duceret. Sin minùs, missurum se quas posset copias. Neque in hisce re-
„ bus excusatum se habere voluit, nisi tale superueniret impedimentum,
„ quod tota Christianitas legitimum reputaret. Hęc ille & plura in laudem Philippi. Reuersus in Belgas Philippus, lætatur filium Carolum Insulis Isabellam Borboniam 13. Kalend. Nouembres vxorem duxisse, eamque ex eo grauidam à matronis nuntiari. Exinde anno 1455. magno Belgarum commodo, perpetuum instituit Concilium, suamque semper aulam Senatores sequi voluit, hac ratione subditorum lites appellatione cogniturus, ac quæ alicuius forent momenti, suo iudicio finiturus, frustrà renitente Curia Parisiensi; nempe neminem Parisios appellare prohibebat, tantùm, qui vellent, possent ad eius Senatum quoque appellare. Philippus Austriacus posteà Senatores illos diuisit, certumque vtrique parti locum adsignauit: vna Mechliniæ (sumpto supremi Concilij nomine) vbi è Curiis prouincialibus Flandri, Arthesij, Hollandi, Zelandi, Frisij ac Lutzenburgij appellant; altera Bruxellæ, seruato Arcani Concilij nomine, constituta. Hoc anno circa Kalend. Aprilis mortuus erat Adolphus Diepenholdius Antistes Traiecti ad Rhenum, tum temporis totius ditionis Dominus. Quamobrem Bonus summa diligentia filium suum nothum Dauidem, tunc Terowanæ Episcopum, commendabat. Geldriæ Dux pro Bauaro laborabat: sed neglecto vtroque, Gisbertus Bredenrodius electus est; qui cùm confirmationem à Calixto Papa impetrare non posset, quòd Bonus filio Dauidi à Calixto Episcopatum impetrasset, tandem anno sequenti 1456. mense Aprili res arbitrio Ducis Cliuiæ ac Domini Brederodij commissa est: qui adhibitis in consilium Reneßio, Preusio, Montfortio, & aliis, sic pronuntiarunt; Bredenrodius cedet, sed seruata Domprostia ac Præpositura Audemunsterana; addet Burgundus Præposituram D. Donatiani Brugis, & quotannis septē aureorum millia. Dauentrienses, ceterique Transisulani cessionem non admittebant. Quare acriter à Bono per duos menses obsessi, tandem opera Cliuiæ Ducis Ordinumque Vltraiectensium pacantur. Hoc eodem anno Ludouicus Galliæ Delphinus patri Carolo VII. Galliæ Regi infensus ad Philippum confugit, & annos quinque apud Belgas humanissimè est habitus; at magno nostro malo ac damno, quod posteà sensimus,

Carolus filius Boni ducit vxorem Isabellam Borboniam.

1455

Initiũ Curiæ supremæ in Belgio, frustrà reclamantibus Parisiensibus.

Quomodo Dauid Burgundus factus sit Episcopus Vltraiectinus.

1456

Nascitur Maria filia Caroli, vnica posteà heres Belgicarum prouinciarum.

1457 mus. Anno 1457. duodecima Februarij nata est Maria filia & heres vnica Caroli Philippi Boni filij, cùm periculosissimum dissidium paulò pòst inter patrem Philippum & Carolum filium incidit. Pater Philippum Crouiacum filio volebat dare Cubicularium, ille alium obstinatè postulabat. Filius ad tempus Bruxellâ Teneramundam secessit, posteà veniam à patre petiit, & accepit: relegati dissidij auctores. Mense Aprili

Nunc primùm Bonus Gandauum post turbas ingreditur, magnificentissiméque excipitur.

1458 anno 1458. cùm sæpissimè Principem Gandenses rogassent, confirmandæ pacis causâ, vrbem inuiseret, comitatus filio Carolo, Delphino, ac quadraginta Nobilibus Equitibus Gandauum proficiscitur. Numquam tanto cum honore Princeps in vrbe fuit exceptus, à porta Walportæa ad ædes suas Wallenses quatuor horas aspiciẽdis ludis consumpsit. Octo continuis diebus hinc inde conuiuiis publicè ac priuatim est certatum. Æstate anni 1459. conuocarat Papa Pius huius nominis Secun-

1459 dus Mantuam Christianos fermè Principes omnes, quo communi consilio ac viribus in Turcas bellum decerneretur, miserátque & suos Burgundus Legatos. Sed quòd Imperator tanto exercitui ducendo parum se efficacem commonstraret, re infecta est discessum. An-

Frustrà agitur de expeditione in Turcam.

1460 num 1460. læta pace exegit Bonus, sed longo incognitoque implicatus morbo. Quo pellendo inter varia remedia Medicis est visum, comam poneret. Hinc sentiens mussitando se rideri, edicit omnes Nobiles itidem comam ponant. Parentibus Bruxellæ eodem die quingentis, etiam ceteri Nobiles in aliis vrbibus paruerunt; & quod tunc ridiculum vulgo visum est, posteà ab omnibus passim est receptum, plures tamen Princi-

Occasione morbi Bonus comam ponit; hinc eius iussu etiam Nobiles.

1461 pes adhuc posteà quoq; diu comam nutrierunt. Mense Iulio anni 1461. moritur Carolus Francorum Rex huius nominis Septimus, magno Delphini gaudio, qui apud Belgas quintũ iam annum (vt dictum est) iram patris declinabat. Itaque deducente eum Burgundo cum filio Carolo ac præcipuis Belgarum Proceribus in Rhemos, indeque (postquam corona Regia fuisset redimitus) Parisios, solemni ritu ibi Rex proclamatur.

Nota Boni magnificentiam liberalitatémque sanè Regiam.

Bonus Parisiis in ædibus suis Atrebatensibus diuersatus, Regiam magnificentiam familiari mensa superabat, nullusque alicuius nominis non donatus ab eo discedebat. Vbi cùm duos fermè menses hæsisset, ac nouo Regi de Burgundia, Artesia, ac Flandria clientale iusiurandum præstitisset, Hesdinum rediit. Carolus filius Regem Parisiis in Turones proficiscentem comitatus est, ac deinde in Belgas reuersus, patris mor-

1462 bo, è quo is tamen Bruxellæ conualuit, reuocatus. Anno 1462. Ioannes Custenius ac Ioannes Ingieus capiuntur, instantibusque Augusti Kalendis Ripelmondę capite plectuntur, conuicti quòd Carolum Charloum, posteà Pugnacem dictum, veneno aut veneficiis è medio tollere conati essent, numquam tamen Crouiacos nec alios Proceres Carolo suspectos nomi-

nominarunt. Anni 1463. æstate Bonus Crouiacorum (vt ferebatur) per- 1463
suasione, acceptis quadringentis aureorum liliorum millibus, Regi Lu-
douico oppida ad vtramque Somonæ ripam sita, pignore ex pace Atre-
batensi anni trigesimi quinti hactenus detenta, restituit: quod adeò ęgrè
filius Carolus tulit (cùm paci illi Atrebatensi nondum per omnia esset
satisfactum) vt rursum à patre discedens cum vxore Gorinchemium
Hollandorum oppidũ proficisceretur; pax tamen iterùm facta est. An-
no 1464. mense Maio idem Carolus Burgundus secretè fœdus cum Ca- 1464
rolo Biturigum Duce Regis Ludouici fratre, Francisco Britonum Duce,
ac multis aliis Francorum Proceribus, contra Regem, consentiente patre
facit, quòd senex, etsi serò, videret, Ludouicum Regem durissimum con-
tra fratrem Carolum; etiam omnes veteres Præfectos loco mouere, ac
demum non nisi vltionem contra Burgundos moliturum. Sed dolebat
Turcicam expeditionem tam magnificè à se votam, ac ardenti desiderio
sæpiùs expetitam, hac de causa necessariò omittendam. Ne tamen om-
nino Pontifici fidem datam fefellisse videretur, instructis apud Zelan-
dos duodecim triremibus, multisque his onerariis additis, decem millia
lectorum peditum imponit, præficitque filios nothos Antonium ac
Balduinum, quibus in præsenti pecunia numerat ducenta aureorum li-
liorum millia, persoluto insuper vnicuique militi, trimestri stipendio.
Iunxerant se tam piæ expeditioni voluntarij Nobiles multi, quibus præ-
erat Simon Lalanus cum filio Philippo. Gandenses trecentos triginta
ciues publico sumptu miserant. Rebus omnibus paratis, Sluzis Bru-
gensium portu classis egreditur, magnoque maris emenso spatio, cùm
ad Fretum Herculeum peruenisset, nuntiatur Mauros ac Pœnos Se-
ptam Africæ ciuitatem Lusitaniæ Regis præsidio munitam magno
hominum numero obsidere. Quare proximum Africæ portum occu-
pantes, exposito milite, ac in aciem collocato, Septam pergunt. Sed
Mauri viribus diffisi, relicta obsidione, domum dilabuntur. Cùm
Septæ aliquamdiu militem nauesque refecissent, paratique Anconam
ad Pontificem (vbi copiæ Christianorum conueniebant) profecturi
forent, subitò Pontificis mors, ac expeditionis omissio nuntiatur. (obiit
enim Pius II. Septembri 1464.) Quare conuerso itinere mense Februa-
rio anni 1465. Massiliam cum classe appellunt, indeque pedestri itine- 1465
re in Burgundiam ac Belgas perueniunt. Bonus senio ac dolore irri-
tæ expeditionis in morbum incidens, fugacis tandem aliquando vitæ
finem optabat, ac proinde filium Carolum vniuersarum ditionum
Præfectum nominat; qui potentia vtendum ratus, durante patris mor-
bo, Crouiacos, Estampium, ac qui cum his faciebant, iudiciali senten-
tia condemnatos è Belgis exulare iubet, bonaque eorum fisco addicit.

Carolus filius à patre Bono diffidet.

Idem Carolus secretũ fœdus init contra Ludouicum Regem Frãcorum.

Instruit Bonus 12. triremes aliasq; naues contra Turcas, imponens eis decem millia peditum.

In itinere Belgæ Septã Africæ ab obsidione Maurorum liberant.

Morte Pontificis concidit expeditio.

Dissidium Boni cum filio Carolo vix tadem componitur.

Sed Princeps sanitate recuperata, in integrum omnes, rescissa sententia, restituit, filiumque potestate exutum aliquamdiu in conspectum admittere noluit, variasque ei tendens insidias capere conabatur. Is verò se Gorichemi iterùm iusto munitus præsidio continebat. Tandem interpellatus non semel Bonus à filio notho Antonio, cui multum tribuere erat solitus, ac à Proceribus exoratus, instructusque ab Ordinibus de Regis Franciæ contra se ac filium coniuratione, eum denuò in gratiam recipit, transfugiente tunc seriò ad Francorum Regem Estampio Boni patruele, cum magna Crouiacorum Procerum parte, ac Ioanne Lannoio Hollandiæ Gubernatore. Eodem anno Carolus in Franciam cum exercitu contendit, duodecim habens equitum millia, ac peditum non contemnendam manum, quibus præerant Ludolfus Lutzenburgius, Adolfus Rauastanius, Antonius Burgundus, Philippus Lalanus, & alij, sequebanturque tormenta ab equis attracta ac commeatus; cùm intereà Leodienses, magnis promissis à Francorum Rege inducti, bellum Philippo Bono indicunt. Sperabat hac ratione Rex se à Carolo Burgundo, qui cum exercitu Franciam ingressus erat, liberari posse. Sed Bonus, eo in Francia relicto, beneficiarios tantùm reuocat Nobiles; ductuque Cliuię Geldriæque Ducum sanguine sibi iunctorum, Nassauij, Hornani, ac Gasbecani, in Leodienses magnam peditum equitumque manum mittit: qui copiarum multitudine territi, quòd Rex contrà quàm promiserat, nec aurum nec militem in auxilium mitteret, è Namurcęis ac Hannoniis (vbi prædando vrendoque agricolas vexarant) Leodium se recipiunt. Nec interim cessabatur in Francia à bello. Nam quinto Kalend. Augusti eiusdem anni ad Mohendricum (pagus est haut procul Parisiis Aureliam tendenti) acriter pluribus insultibus decertatum est. Rex Ludouicus tandem Corbeliam beneficio noctis euasit, Carolus nocte illa & die insequenti in loco pugnæ victor constitit. Ceciderunt ab vtraque parte circiter duo virorum millia; è quibus Franci, maximè equites, ac inter hos Seneschallum, Belinum ac Flocquetum cùm multis Nobilibus desiderarunt, Carolus ballistarios plures pedites amisit. Post paucos dies ad arcem siluæ Vincennis hæc pax facta est: Rex oppida ad vtramq; Somonæ ripam sita, Comitatum Boloniensem ac Guinensem, Carolo Burgundo reddito, neque eo viuo vlla pecunia redimito. Flandria in perpetuum libera ab appellationibus ad Curiam Parisiensem maneto. Fratri Carolo Rex Nortmanniæ Ducatum concedito, ac Lutzenburgum D. Pauli Comitem Magistrum equitum creato. Carolus ad patrem in Brabantiam cum victore exercitu reuersus, tantum terrorem Leodiensibus incussit, vt mox & ipsi pacem peterent. Promiserunt trecenta aureorum liliorum millia intra sexennium soluenda, agnoscentes Brabantiæ

Transfugiūt Estampius & magna Crouiacorum pars ad Francum.

Leodienses Bono bellū inducunt, instigante Franco, vt eum duplici bello distineret.

Pugnatum cruentè in Francia ad Mohendricum, victore Burgundo. hinc pax facta.

Victor exercitus etiam Leodienses pacem petere cogit.

tiæ Ducem Leodiensis diœcesis Protectorem, eaque de causa ei alia singulis annis mille aurea lilia numeraturos recipiunt. Antistiti quoque suo compensaturos damnum belli huius tempore illatum pollicentur. Erat is è familia Borbonica, quare ei Carolus memoria vxoris recèns 5. Kalend. Octobris Antuerpiæ defunctæ enixiùs fauebat, oderantque magis Leodienses.

Moritur vxor Caroli.

1466

Hæc ita acta transactaque mense Ianuario anni 1466. à Leodiis, cùm mox proximo Aprili (Franco, vt creditur, instigante) ab iisdem eadem violantur, Dionantiis bello causam præbentibus. Opes enim eos quietem pati non sinebant, recipientes oppido omnes qui postremæ pacis conditionibus in exilium fuerant acti, eosdemque cum ciuibus suis in Namurcæos Hannoniosque prædatum mittentes.

Dionantenses violata pace iterùm in Namurcæos & Hannonios excurrunt.

Itaque Bonus mense Augusto, collectis triginta hominum millibus, postrema induens arma, cum filio in Leodios profectus Dinantum obsidione cingit, vndique tormentis illud quatit, & ruina ad irruptionem idonea facta, nihilominùs suadere nititur, ne vim tanti exercitus stultè experiantur. Æqui nihil, contumeliarum satis redditur. Bouinenses quoque vicinorum periculo moti ciuem suum Dinantum mittunt, qui eadem persuadere conatus, cùm dicendi finem fecisset, cum puero qui comes venerat, contra Ius gentium in patibulum agitur, ac in oppidi muro patibulum collocant.

Iidem Dionantenses Legatum Bouinensium cum puero contra Ius gentium in crucem agunt.

Quo barbarico facinore Princeps irritatus oppugnationis signum edicit. Præsidiarij de defensione desperantes, obscura nocte plures transfugiunt. Erat hoc tempore Leodiensium Antistes Hoiæ, vnde per certum hominem Bonum certiorem facit, Leodienses, eductis triginta hominum millibus, in auxilium Dinantiorum properare. Pars Burgundi exercitus Leodios expectat ad pugnam instructa, ceteri Dinantios per murorum ruinas inuadunt. Sed hi desperata defensione octo honestissimos ciues, qui vrbem, vitam tantùm deprecantes, dedant, ad Principem mittunt.

Exacerbatus hac barbarie Bonus seuerissimè Dionantenses castigari permittit.

Is nulla conditione vrbem dedi, sed suo omnia arbitrio permitti volebat; quod tandem, humanitate eius frustrà cōfisi, fecere, portarum claues Antonio Burgundo adferentes, ille fratri Carolo, hic patri, qui eas filio Carolo reddidit. Is redditione clauium ciuitatem suo arbitrio permissam iudicans, exercitui diripiendam dedit. Durauit opulentissimæ ciuitatis vastatio octo continuis diebus: ditissimi quique ciuium abducti, libertatem magno posteà redimere sunt coacti: octingenti, tamquā belli auctores, bini inuicem colligati, in Mosa sunt submersi: ignis deinde oppido iniectus reliqua consumpsit: muri denique, vallum, turresque disiectæ, ac repletæ fossæ dirutum Dionantum docuere.

Direptum & funditus excisum oppidum, octingenti in Mosa quoque bini submersi.

Leodienses, qui Dinantiis, vt suprà dictum est, in auxilium properabant, intellecto oppidi miserabili statu, festinanti itinere vrbem repetunt; statimque lectis probatissimis ciuibus ad Bonum Namurcum, quò se ille rece-

Leodienses supplices iterùm in gratiam Bonus recipit.

receperat, impetrandæ pacis causâ oratum mittunt: qui supplicibus parcendum censens, iisdem eis conditionibus pacem, quibus filius Carolus ante annum fecerat, dedit, petitis tantùm quinquaginta obsidibus ad pacis confirmationem; è quibus Leodienses triginta duos, Tungri, Centrones, Hasselij singuli sex misêre. Namurco Bonus Bruxellam, indeque

1467 *Moritur Bonus leui sed continua febri Brugis Flandriæ.*

mense Martio anni 1467. Brugas peruenit; vbi circiter Nonas Iulij ęgrotare incipiens, postridie Idus eiusdem mensis leui sed continua febri extinctus Deo spiritum placidè reddidit, ætatis anno 72. posteaquam à morte patris 48. annos ditiones hereditarias rexisset, Brabantiam verò annos 37. Conditus est Brugis apud D. Donatianum, primæque hîc ei factæ exequiæ, donec mortua anno 1473. vxore Isabella, refossum cadauer, simul Digeoni, vt iusserat, apud prædecessores penes Carthusianos conderetur. Flore ætatis concubinarum mutatione gaudebat, secunda fortuna ac prospera valetudine illectus, suscepitque è variis filios octo, filias sex, ex quibus duo, Cornelius (qui in bello Gandensi occubuit) & Antonius, maximè clarent facinoribus. Ex Cornelio Deluerdingij, Pratenses ac Wostini; ex Antonio, Beueræ, Veræ, ac Capellæ Domini. Sub

Cœnobia sub hoc Principe in Belgio constructa.

hoc Principe anno 1452. initium habuit Cœnobiũ S. Agnetis Dommelanum in Campinia tertiæ Regulæ S. Francisci; & anno 1462. iuxta Bruxellam Carthusiani, & in ipsa ciuitate anno sequenti 1463. Prædicatores.

CAROLVS AVDAX

FILIVS PRÆCEDENTIS,

XXXIX. BRABANTIÆ

II. BELGII VNITI PRINCEPS.

Præfuit annis decem.



Carolus mox è sacro Fonte à patre Eques creatur.

CAROLVS Burgundus, à multis Audax, ab aliis Pugnax cognominatus, filius heresque vnicus Philippi Boni ac Isabellæ Lusitanæ, natus est Digeoni metropoli Ducatus Burgundiæ, 4. Idus Nouembris anno 1433. nomenque ei datum à Carolo Comite Neuersij, qui cum Antonio Crouiaco eum è sacro suscepit Lauacro; Equestrique à patre eodem momento ornatus dignitate, Comes Charloi est nomina-



CAROLVS AVDAX XXXIX. BRAB. II. BELGII VNITI PRINC.

minatus.(attingit is Comitatus fines Burgundię, Borboniæ, ac Baulosij.) E Burgundia, vix impleto biennio, Gandauum mittitur. Anno ætatis octauo linguam fastidiens Latinam, veterum Historias Gallicè translatas auidissimè cœpit legere: fessus operam Musicis dabat, donec adultis viribus arma tractans, equitando, saltando, luctando, iaciendo ad scopum, digladiandoque se exerceret. Anno 1452. prima in bello contra Gandenses arma induit, secutus patrem prælio Bazelensi prope Ripelmondam, in quo eius frater nothus Cornelius occubuit. Deinde cum turma suorum equitum præsidium Morbecanum aggressus, intra munitionem hostes compulit, obsedissetque, nisi tutorum auctoritas intercessisset. Pugna Gauerensis tertia fuit eius expeditio, de qua, sicut & de aliis bellis viuente patre ab eo confectis, diximus in Philippo Bono eius patre. Quo defuncto, ipse tertio Kalend. Augusti anno 1467. Gandaui Flandriæ Comes inauguratur, vrbem ac bona restituens quingentis ac sexaginta tribus ciuibus, qui à patre postrema pace in exsilium, bonis fisco addictis, acti fuerunt. Et ecce vix inauguratione peracta, tam Gandenses quàm Mechlinienses tumultuantur. Gandenses (vbi tum Audax erat) cum armis in forum congregati, Priuilegia veteréſque immunitates à Bono ereptas reddi sibi volebant: quod cùm coactus fecisset, Bruxellam reuersus reuocat, armáque domandis rebellibus parat. Sed Senatus, viríque Nobiles, congregatis in tempore amicis ac clientibus, seditiosos viis foróque, cumpluribus è textorum ordine occisis, pellunt, captósque seditionis auctores partim gladio, partim laqueo puniunt, fuga elapsos perpetuo multant exsilio. Ad Principem deinde, Bruxellam profecti, diplomata, quæ seditiosi ciues extorserant, reddunt, pacemque in genua supplices prouoluti, persolutis quinquaginta aureorum liliorum millibus, impetrant. Mechlinienses quoque ad se reuersi pacem, solutis quindecim aureorum liliorum millibus, obtinent. Eodem anno Leodienses à Francis iterùm dementati, quamquam quinquaginta eorum obsides Audacis in potestate adhuc essent, circa Idus Septembres in Huia oppido Antistitem suum Borbonium obsident. Qui iusto destitutus præsidio, obscura nocte cum paucis in Brabantiam ad Pugnacem confugit. Leodienses, spoliata exustáque Hoia, fines etiam Limburgensium ac Lutzenburgensium inuadunt, ac populationibus vexant, fugato ijs è locis Ioanne Cliuensium Duce, eiúsque fratre Rauastani Regulo. Itaque Audax summa cura exercitum cogit, & non multò pòst Bruxella Louanium proficiscitur, vbi exercitus viginti millium conuenerat, eoque S. Trudonis oppidum (alij Centronum vocant) cingit. Agitur hîc de Leodiensium obsidibus: tandem hac conditione omnes dimittit, vt si quem eorum contra se posthac arma sumpsisse reperisset, vita bonísque multaretur.

Præerat

Arma induit nondum viginti annos natus, ferocissimus in hostes.

1467

Gandaui vix inauguratus, ad arma concurrentibus ciuibus, Priuilegia à patre erepta reddere cogitur.

Vlcisci se parat; sed castigatis seditiosis, receptisq; Priuilegiis placari se sinit.

Leodienses dementati à Francis, iterùm arma contra Burgundum induunt.

Præerat oppido peditum trium millium præſidio vir Nobilis Reinerus Ruuraius. Tertio obſidionis die, ductu Barræ viri quoque Nobilis, vrbe Leodienſi triginta peditum millia, quingentis additis equitibus exeunt, æneáque ſecum tormenta aliquot ac magnam commeatus vim trahunt, oppidum S. Trudonis liberaturi; peruenerántque ad pagum Bruſlanum, quod quingentis tantùm abeſt oppido paſſibus. Hîc Audax, relicto ad obſidionem Marlæ Comite cum quatuor peditum millibus, ac ſexcentis Anglis balliſtariis, obuiàm Leodienſibus vadit, conſertóque cruento prælio, plurimis occiſis, reliquos in fugam agit. Cecidere Leodienſium circiter nouem millia, ac inter hos Præfectus Barra: capta circiter ſex hominum millia, plauſtra armis commeatúque onuſta trecenta, ſex ænea maiora tormenta, ac è minoribus centum viginti. Deſiderauit Audax viros octingentos. Qua clade Leodium allata, Legati Franciæ Regis Ludouici, qui aurum ibi pro auxiliaribus cogebant Francis, clàm cum pecunia ex perturbata vrbe in Franciam fugerunt. Tertio à pugna die Centrones deditionem faciunt, omnibus vita bonáque conceſſa; decem exceptis, capitéque truncatis, è quibus ſex obſides apud Audacem fuerant. Ruuraius cum præſidio, relictis armis, in tutum eſt deductus. Inde exercitus Tungros petit, qui ſexto obſidionis die iiſdem quibus Centrones conditionibus deditionem faciunt. Decem & hîc capite plexi, è quibus quinque obſides fuerant; exceptáque vrbe Leodienſi, reliqua eius ditionis oppida omnia ſimiliter, allatis clauibus, leges accipiunt. Tandem Leodienſes propria clade ac defectione ſociorum territi, deditionem quoque faciunt. Eam his verbis Placentius Leodius deſcribit: Intelligentes Leodij ſe non aliter cum Burgundo paciſci poſſe, niſi & pecuniam ingentem ſoluerent, muróſque & turres ſuæ ciuitatis aliorúmque oppidorum diruerent, ad pactum huiuſmodi cunctantes copias Caroli prodire experiuntur: & quàm arctiſſimè obſeſſa ciuitate, facta deinde inter ciues diſcordia, pars per vnam portam exit, & ſe & vrbem gratiæ eius dedit; pars verò per alteram, dimiſſis vrbe ac bonis, aufugit, & ad Ludouicum Franciæ Regem præſidij cauſa ſe contulit. Dux Carolus ciuibus mandat, vt turres omnes, muros & antemuralia demoliantur: deinde Leodiorum arma omnia, bombardas, & quidquid bellici apparatus habebant, in vrbe & ſubiectis locis abſtulit. Nec his ſatiatus, eos vt ſibi ſoluerent trecenta millia florenorum, ſacramentis obligauit. Hæc Leodius. Alius ſic: Salutem dumtaxat pacti, reliqua omnia Ducis arbitrio permittunt. Decima itaque ſeptima Nouembris inſtructa acie Dux Carolus vnà cum Epiſcopo Leodium ingreſſus eſt armatus, interdicta tamen omni direptione & violentia militibus ſuis: & cùm arma tormentaq; omnia erepta nauibus impoſita Namurcum, indeque in Brabantiam præmiſiſſet, vigeſimo

Oppidum S. Trudonis ab Audace obſeſſum Leodienſes liberare fruſtrà parant.

Caduntur Leodienſes ad nouem circiter millia, cadentibus Burgundis octingentis.

Dedit ſe Burgundo oppidum S. Trudonis, hinc & Tungri, & alia oppida omnia inferiora.

Item Leodiũ ipſum, vbi turres muriq; deſtructi, & tormenta bellica omnia ablata.

gesimo octauo eiusdem Nouembris cum exercitu ipse secutus est, paucis sed opportunis in locis præsidio relicto. Huius anni hiemem Bruxellæ exegit, Gandensium tumultuum expectans euentum, quòd sub belli huius initium excitata seditione, priuilegia repetiissent. Sed intellecta Principis victoria animis cecidere, & paulò pòst missis Bruxellam probissimis ciuibus, eius potestati priuilegia omnia permittũt, signaque opificum militaria noua ad eius pedes deponunt, præsentibus Francorum, Anglorum, Britonum ac Biturigum Legatis, pacemque impetrant: multati tantùm quindecim aureorum liliorum millibus, & aliis tribus millibus pro consiliariis: & septem seditionis auctores sunt proscripti.

Gandenses etiam supplices ab Audace veniam petunt.

1468 Mense Martio anni 1468. Montibus Hannoniæ Audax inauguratur, indeque Insulas profectus magna cum pompa est susceptus. Insulis Brugas peruenit, magnoque cum honore, dato acceptoque iureiurando est susceptus: Ordinesque hîc Flandriæ congregati intra proximum decennium, vti petierat, decies centies aureorum equitum millia sunt polliciti; vxori quam desponsam habebat, & paulò pòst duxit, (scilicet Margaretam Eboracensem sororem Eduardi Quarti, qui victo & occiso Henrico Sexto Lancastrio, dicto Rubeæ rosæ, tandem anno 1471. vt dicemus, plenum imperium Anglorum accepit) ac filiæ, singulis centena millia. Brugis Gandauum profectus, sexdecim millia inermium ciuium extra vrbem obuios habuit, se vrbemque potestati eius committentes, timore tamen magis quàm amore, vt multi interpretabantur, sic Principem honorantes. Circa Idus Apriles Brugis in Collegio Franconatium, conseruationem iurat immunitatum, donaturque viginti libris puri puti argenti; paulóque pòst nuptiis, eadem in vrbe, Regia magnificentia celebratis cum Margareta Eboracensi, de qua diximus, adeunt eum Legati Francorum ac Britonum, quibus sæpenumerò suos miserat, conabaturque Rex Ludouicus Audaci persuadere, vt reiecto fœdere quod cum fratre Carolo ac Britone icerat, nouum inter se pangerent. Cumque eò perducere eum nullis rationibus posset, Proceribus suis iam magis Rex fidens, huius anni æstate exercitum contra Britonem mittit, munitaque quædam loca expugnat. Audax Peronæ magna cum diligentia militem Britoni opem laturus cogit. Rex verò transitum illi impediturus cum exercitu Compengam tendit, Legatisque ad Britonem ac fratrem Carolum missis, pacem haud tamen diuturnam cum eis inscio Audace facit, sufficere arbitratus, quòd illi, remissis veteris fœderis tabulis, ab eius amicitia discessissent. Audax in Regis perfidiam inuectus, iniuriam sese numquam depositurum minatur. Sed Rex centum viginti aureorum liliorum millibus ei numeratis, ægrum aliquo modo placauit animum; impetrataque pace conditiones renouant; quarum confirmanda-

Celebrantur Brugis nuptiæ Caroli cum Margareta Eboracensi.

Resumitur bellũ Francicum.

Idem vtcumq; pacificatur.

mandarum causa Peronæ ad Audacem exercitum habenti, sexaginta tantùm equitibus ac octoginta Scotis stipatus satellitibus Rex venit, confisus litteris eius manu ad se scriptis, quibus de securitate suam fidem interponebat. Cùm summa cum amicitia ac familiaritate inter se aliquamdiu communicassent, subitò nuntiatur, Leodienses, violata pace, Tungrorum vrbem occupasse, Antistitem, Guidonemque Imbercurtium comprehendisse, Archidiaconum vnum cum aliquot Canonicis ac clarioribus ciuibus interfecisse, cadaueraque in frusta secuisse. Erant hæc vera, procurataque missis clàm Leodium Legatis à Rege Francorum, cùm Audax Peronæ exercitum cogeret. Sed pace cum Proceribus ac Audace facta alios miserat, qui priores reuocaturi seriùs aduenerant. Leodienses Audacem cum Rege in gratiam rediisse audientes, pœnitentia violatæ pacis ducti, Antistitem ceteris cum captiuis ineunte Octobri in libertatem restituunt, sperantes hac ratione Audacem placari posse. Sed is pacem Francicorum Legatorum opera violatam edoctus, furens Regem Peronensi in arce custodiri iubet. Tribus diebus in arce cum his qui simul in custodiam dati fuerant, Rex sedit, vno è domesticis specie rei familiaris curandæ dimisso, qui quindecim aureorum liliorum millia Audacis consiliariis ac amicis diuisit, multoque plus, Rege in libertatem restituto, est pollicitus. Sic Rex quarto captiuitatis die auri sui omnipotentia hac lege liberatur, cum Audace Rex vt in Leodios proficiscatur, Burgundicam in armis Crucem ad belli vsque finem laturus. Leodienses his intellectis, frustraque per Antistitem suum tentata pace, summa cum diligentia fossas purgant, portas vallumque reficiunt, & ad resistendum se parant. Tandem comitatus Ludouico Rege adest Audax die 22. Octobris; suburbiaque occupans frustrà repugnantibus Leodiensibus, septem continuis diebus nec ipse nec quisquam in exercitu arma deposuit. Octauo die positis armis exercitui quietem concedit, ac reficere corpora iubet, postero die vrbem muro pro parte carentem variis locis oppugnaturos. Leodienses à Francis clàm ea de re edocti, facinus sanè audax ac strenuum concipiunt. Sciebant quibus in ædibus Rex & Audax se quieti dedissent, custodia exigua circa ædes posita. Eliguntur sexcenti è Francimontanis fortissimi veterani, ducebanturque ab ædium dominis in quibus Principes cubabant, iamque inter colles, primis custodibus præfocatis, ædibus appropinquabant, cùm quidam in transitu petulanter domunculam argillaceam hastis perforantes, trecentos in eo cubantes Nobiles excitant. Hinc ergo & in castris & in vrbe ad arma conclamatum est, fortiterque vtrimque dimicatum. Francimontani omnes strenuè pugnantes ante Principum diuersoria cæduntur, ædium dominis ibidem cadentibus. Quid agat Audax? Mox circa meridiem

Interim Leodienses instigati à Franco, iterùm tumultuabantur, Episcopo capto, aliis fœdè mactatis.

Hinc ergo furens Audax Regem qui ad se venerat detinet, & secum proficisci in Leodienses cogit.

Obsident Audax & Rex Leodium summa pertinacia.

Francimōtani sexcenti audacter sanè ex vrbe in obsessores irrumpunt.

ridiem die Octobris trigesimo signum oppugnandæ vrbis edicit. Leodienses nil minùs quàm vrbis oppugnationem eo die ac hora expectantes, fessi nocturna pugna, quemadmodum & Burgundos existimant, positis armis corpora curabant, nocturnaque inuicem facinora narrabāt, adeò vt Rex Ludouicus, Audax, Aurātius, Marscalcus & Imbercurtius ventilantibus vexillis quadraginta hominum millia in vrbem nullo resistente perducerent, tantum subitò strepitum tympanis ac tubis excitantes, vt viri, mulieres, pueri maximo numero in siluam Arduennam salui euaderent, relictis ædibus omni diuitiarum genere scatentibus, ac mensis ciborum diuersitate repletis, quæ militi in prædam sunt concessa. Vix trecenti in vrbe periere. Vitæ eorum consultum, qui ad ædes sacras confugerant: eæ tamen quoque direptæ sunt, dum se miles ditiores captiuos quærere simulat. Sed Audax à Papa paulò pòst admonitus, non pauca restituenda templis curauit. Præda ditissimæ vrbis immensa fuit, multique gregarij milites hîc opes sibi ac posteris quæsiere. Octauo ab vrbis expugnatione die Rex ægrè impetratata dimissione in Regnum reuertitur. Audax firmiori exercitus cum parte in Francimontanos, tamquam vitæ suæ insidiatores, profectus, militi incolarum opes in prædam donat, interfectis qui per ætatem arma ferre poterant omnibus, Vulcano reliqua consecrans. Eadem ratione Leodij est sæuitum, exceptis Diuorum fanis ac Canonicorum ædibus. Deleti sunt funditus Leodienses, cùm spatio biennij à Ianuario anni 1466. ter supplices facti, ter iterùm bellū renouassent, anno 1468. pridie Kalend. Nouembris, tam rigido gelu tum sæuiente, vt non minùs Burgundi frigore ac siti (omnibus mox gelu constrictis) oppugnarentur, quàm Leodienses ferro ac igne. Gandenses sub huius belli initium denuò coniurarant, rebellaturi si Audax infeliciter pugnasset. At seuera Leodiensium pœna territi, per Legatos tertiùm Bruxellam missos tandem circa Nonas Ianuarij 1469. consignatam pacem impetrant. Liber hac hieme Audax à bello, Brabantis Hannoniisque ipse ius dicebat, ter singulis hebdomadibus inter Consiliarios præsidens, ac pro infimis maximè, vt ius suum obtinerent, curans. Mense Aprili eadem de causa in Occidentalem Flandriam est profectus, mense Maio Gandaui, Iulio Brugis, Augusto in Hollandia ac Zelandia eadem agit, mirum in modum hac agendi ratione populorum erga se amorem ac reuerentiam excitans, reliquitque inter cetera rigidæ ęquitatis hoc memorabile exemplum, tum ab aliis tum etiam à Cl. V. Lipsio cap. 8. Exemplorum recitatum. Erat Audaci vir nobilis in feruenti gratia; atque ei Præfecturam oppidi in Zelandia dedit. Ipse ibi in otio amorem concipit in alterius coniugem: quam cùm blanditiis expugnare non posset, si fortè terrore vincat, maritum falsò proditionis insimulatum in vincula coniicit.

Leodium tertiò capitur, ciuibus omnibus qui poterant in siluam Arduennam euadentibus.

Seruati qui ad templa confugerant, tamen eadem tēpla fœdè spoliata.

Ferro & flāma immanè sæuitum.

1469

Liber hac hieme Audax à bello, ipse per se ius dicit, inter Consiliarios ter singulis hebdomadibus præsidens.

Scelestus quidam, vt femina potiatur, eius maritum falsò proditionis incusatum capite plecti curat.

coniicit. Femina, quò maritum liberet, ægrè tandem in ſtuprum conſentit; ſed ille perpetuis vt fruatur amplexibus, in carcere quoque maritum trucidat. Quid agat femina? Conſilio & comitatu amicorum Principem adit, & facinora explicat. Iubet Princeps eam manere in aula, & in vicinum cubiculum ſecedere, dum Præfectum vocat; nam fortè & ipſe in aula erat. Venit; introducitur & mulier. Hanc noſtin'? ait Princeps. Colorem homo mutat, & Princeps exſequitur: At querelas quas ſuper te defert etiam noſti? Quid ais? Vacillat, perplexè loquitur; tandem, remotis aliis, ſpe gratiæ Principi ſcelera fatetur, veniam ſupplex petit, offerens etiam feminam coniugem ducere. Adeſt vocata, vix victa Principi obſequitur, & ſolemnibus verbis præſente Principe matrimonium celebratur. Tum Princeps: At tu noue marite, hoc iam nunc largire, vt ſi prior ſine liberis obeas, hæc coniunx heres omnium bonorum tuorum ſit. Libens concedit, teſtes audiunt, tabularius ſcribit. Et his iam peractis Princeps ad feminam: Dic ſodes, animo tuo factum iam ſatis? Satis, inquit mulier. At nondum meo, ille ſubiicit; & ablegata femina, iubet Præfectum in illum ipſum carcerem duci, in quo maritus cęſus erat, & pariter cæſum in arcam ligneam deponi. Mulier duobus maritis eodem ferè tempore, eodem certè ſupplicio amiſſis, mox in morbum incidit, & fato obiit, hoc ſolùm alteris nuptiis lucrata, vt liberos ex priore coniugio diuites relinqueret noua hereditate. Simile ſeueri iuris exemplum in Vita Guilielmi Tertij Chronicon Hollandorũ narrat, ob ereptam tantùm ruſtico vaccam, Præfectum capite plectentis. Hæc tum alij, tum etiam Lipſius. Anno 1470. Audax triginta ingentes onerarias 1470
naues rebus neceſſariis ad bellum inſtructas, ductu Henrici Borſelij Veræ Reguli, contra Richardum Warwici Comitem Anglum mittit, qui Francorum fiſus amicitia Belgas mercatores mari deprædabatur, pacemque cum Anglorum Rege Henrico Sexto (quem paulò antè Regno pepulerat) Francorum Regis opera redintegrarat; treſque hi Principes fœdere facto ſtatuerant Eduardum Quartum (cuius ſororem Audax in vxorem duxerat) Albæ roſæ Principem, Angliæ Regno pellere, ac poſteà coadunatis viribus Audacem opprimere, ac ditiones eius diuidere. Borſelius itaque, pulſo mari Warwicio, diſſipatiſque eius nauibus, maris imperium obtinuit. Quod ęgrè ferens Rex Ludouicus, inſtructa Rothomagi Francica claſſe, eique Warwici Comite Præfecto, Henricum Sextum, pulſo Eduardo Quarto, in Regnũ reſtituit. Eduardus cum quadringentis viris nobilibus in Hollandiam appellit, indeque in Flandriam ad Audacem, eiuſque vxorem ſororem ſuam, peruenit; ac ab eis ducentis aureorum equitum millibus eſt donatus, excepta pecunia, quam liberali animo Ordines prouinciarum contulere, velut conniuente inſuper Audace,

Idem ſpe veniæ, feminã hanc iuſſu Audacis vxorem ducit, eamdemq; ſcribit heredem.

Nihilominùs virum Audax capite mulctari iubet.

Adornat Audax claſſem cõtra Richardum Anglum molientem contra fratrem vxoris Audacis, Eduardum dictum Albæ roſæ.

Rubea roſa triumphat ope Regis Francorũ.

vt

vt instructas quot vellent ad bellum naues ei commodatò darent, ac qui

Eduardus, dictus Alba rosa, acceptis ab Audace auxiliis, iterùm in Angliam traijcit. 1471

cum eo in Angliam traiicere cuperent, permittens. Eduardus igitur Belgarum liberalitate viribus auctus, mense Martio anni 1471. in Angliam proficiscitur: confluunt statim amici veteres ac noui, inter quos eius frater Georgius Clarenciæ Dux (qui primùm pro Henrico Rege steterat) magna auxilia adducunt. Pugnatur ter acriter, sed semper Eduardus victor, postremò prælio Regem Henricum cum vnico filio captum interfici iubet, cadente Richardo Warwicio, omnibusque aduersæ partis Anglorum Proceribus. Atque ex eo tempore in Regnum restitutus, in-

Triũphat Eduardus cæso Henrico Rubea rosa, eiusq; filio vnico.

credibili Belgarum lætitia, summo autem Francorũ cum dolore, Eduardus regnat. Rex Francorum Ludouicus irritatus contra Audacem, quòd Eduardo suppetias tulisset, contendit clàm, vt oppida ad Somonam sita in partes suas trahat: quod cùm Ioannes Borbonij Dux secretò Audaci apud Hollandos tum agenti nuntiari curasset, credere priùs noluit, quàm Regem fratrem suum Carolum in Aquitaniam procul suis ditionibus amandasse, Britonemque & alios ab eius amicitia omnino alienasse didicisset. Festinanter itaque ex Hollandia in Flandriam, indeque in Atrebates profectus, exercitum conscribit. Sed Rex, ac si iam pax violata

Rex Franciæ astu Ambianũ & Fanum D. Quintini occupat.

foret, astu Ambianum Fanumq; D. Quintini occupat, recepissetque iisdem artibus Abbęvillam ac Dorlanũ, nisi Esquardius in tempore iustum misisset præsidium. Occupandis hisce Picardorũ oppidis plurimùm Regi profuit opera Balduini Burgundi Audacis fratris nothi; qui etiã post paucos dies, deserto fratre, cum multis aliis Nobilibus ad Regem transiit. Verebatur Audax ne & frater Antonius coniurationis foret particeps. Sed cùm is fidem ac constantiam suam probasset, resumpto Audax animo ad bellum totum se conuertens, breui quindecim virorum millibus armatis Picquenium ad deditionem cogit, indeq; castra Ambianum promouet.

Idem Rex populatur Burgundiam: hinc induciæ in annum factæ.

Rex exercitus parte in Burgundiam missa, incendiis ac populationibus omnia vastat; cõcurrentes ad arma Nobiles, multis interfectis captisque, bis superat, munita aliquot loca capit. Audax tot incommodis subitò circumuentus, cùm per duos menses Ambianum frustrà obsedisset, nec Rex faceret pugnæ copiam, inducias in annum facit, quæ Kalendis Martij anno 1472. finirentur. Bruxellas reuersus Audax, conuocatis Ordinibus, docet, Ambianum Fanumque D. Quintini inopia ordinariorum equitum in Regis potestatem deuenisse: proinde necesse fore, vt

Primum initium ordinariarũ Equestrium turmarum apud Belgas finibus defendendis.

certam singulis annis pecuniæ summam, singulæ regiones conferant, qua octingenti equites in Belgarum finibus ordinario perpetuoque stipendio alerentur. Promittunt singulis annis centum viginti aureorum liliorum millia, quæ post paucos menses ad quingenta millia Audacis astutia creuere; fuitque hoc primum ordinariarum Equestrium turma-

rum

rum apud Belgas initium. Auſtriaci ad ter quinas turmas auxerunt. Kalendis Maij anno 1472. finitis induciis, Rex & Audax militem conſcri- 1472
bunt: verùm tantò diligentiùs Rex, quòd frater eius Carolus (cui ſecretò venenum dari iuſſerat) animam agens circa Kalend. Iunij moreretur, prolongarántque inducias ad Idus vſque Iunij, pollicitus Rex ſe tum pacem reddito Ambiano Fanóque D. Quintini facturum, ſi dimiſſo exercitu in Belgas Audax rediiſſet.

Audax deluditur à Rege Francorum.

Facit id Audax immoderato deſiderio recuperandi dictas ciuitates; ſed deceptus eſt, cùm Rex nihil minùs cogitaret: quod dimiſſo Audacis exercitu, ac finitis induciis de pace tacens, occupata Guienna, Britonémque bello perſecutus apertè comprobauit. Audax ſerò perſpecta Regis verſutia, regionum ſuarum Ordinibus perſcribit, proprium eum fratrem veneno ſuſtuliſſe, violata fide ſibi verba dediſſe, Britonem contra fœdus bello vexare, de his ſe vlciſci ſtatuiſſe. Omnibus ei operam pollicentibus, immenſo exercitu coadunato, cùm Somonam traieciſſet, Neſlanam expugnat: hinc Roienſes & Mondiderij ſe dedunt: Bauaſium obſidet. Vbi cùm fruſtrà menſem triuiſſet, circa Idus Iulij, caſtra haud procul Rothomago locat, pugnam omni ratione quærens.

Ingreditur idem Franciam cum valido exercitu iniuriam vlturus.

Rex ſuis non ſatis fidens, exercitum opportunis locis ſemper continebat, ne (quod ſummo ſtudio quærebant) Audax Britoque vires coniungerent. Quo Audax perſpecto, menſe Septembri paruo accepto detrimento cum exercitu in Atrebates eſt reuerſus, pauloque pòſt Brito cum Rege pacem iterùm facit. Audax inducias ſancit, quæ ad menſem vſque Martium anni 1473. durarent, quæ deinde ad Kalend. Iunij 1474. tandémque ad Kal. Maij 1475. ſunt prolatæ, omnibus modis quærente interim Audace, vt Ambianum Fanumq; D. Quintini Regi per fas nefaſque (vt ſibi fecerat) eriperet. Hoc eodem anno 1472. menſe Septembri Audaci Geldriæ Ducatus & Comitatus Zutphaniæ acceſſerunt, vendente Arnoldo Duce, impiúmque filium Adolphum exheredante; qui quòd patrem annis ſex durè in carcere habuerat, induſtria Audacis iam ipſe erat in vinculis, patre in libertatem aſſerto. Arnoldus quoque ſexto inde menſe moriens, in Februario anni 1473. itidem teſtamento venditionem confirmauit.

Ducatus Geldriæ Audaci tranſſcribitur venditione Arnoldi, quem impius filius ſex annis in carcere habuerat, itemq; paulò pòſt teſtamento.

Quin etiam menſe Maio proximo Collegium Equitum Aurei velleris Valencenis celebratum: vbi opera Ioannis Rubenpræi, Crouiaci Audaci reconciliati ſunt, & ſic contra 1473
» Adolphum per Procuratorem legitimè auditum pronuntiatum: Vendi-
» tio Ducatus Gelriæ ac Comitatus Zutphaniæ, teſtamentúmque Ducis
» iuſtum ratúmque cenſetur. Audax Ducatus Gelriæ ac Comitatus Zut-
» phaniæ poſſeſſionem omni tempore iure adire poteſt. Adolfus Gelrius,
» propter inhumanam erga proprium patrem impietatem in carcere vi-
» tam finiat. Lata ſententia Audax Traiectum ad Moſam profectus, exercitum

Confirmatur Geldria Audaci à Collegio Equitum Aurei velleris, filio impio perpetuo carceri adiudicato.

Tradit se ei Ruremonda, hinc & Venlonia, muris eius tormentis disiectis.

citum conscribit, vi vel amicitia à Gelris Dux inaugurandus. Ruremonda aduenienti portas aperit, sequunturque Cuca, Kesselum, Borna, Zittertum, cum nonnullis aliis. Venlonij cùm aliquamdiu se defendissent, muris verò tormentis disiectis, auxilium nusquam conspicerent, honestis conditionibus deditionem faciunt. Gerardus Iuliacensis, quamquam ab Imperatore Frederico in possessionem Gelriæ positus, tamen Audacis potentiam veritus, consentiente filio suo Guilielmo, Audaci omne ius suum octoginta aureorum florenorum millibus cedit. Quod cùm Gelrij intellexissent, statim Audaci portas quoque aperiunt, Gochtum, Strala, Gelra, Graua, Wachtendoncum, Lensa, Bommela, Tiletum, Bura, Erkelensa. Neomagenses in contumacia perseuerantes, vrbe imbellem turbam eiecerant, ac aliquamdiu ductu viri nobilis Reineri Bruchusij strenuè se defendebant, Carolum Adolfi filium octennem secum habentes. Tandem cadente ferocia, quòd nusquam gentium opem expectarent, circa Kal. Augusti interuentu Ioannis Cliuiæ Ducis vitam pacti, tertia obsidionis hebdomada portas aperiunt. Audace vrbem intrante, viri feminæque omnes in genua cadentes gratiam, ne diriperentur, altis vocibus rogabant: quod tandem à Proceribus exoratus hac conditione admisit, soluerent Iuliacensium Duci octoginta illa aureorum florenorum millia. Post hæc in Gelriæ Ducem ac Zutphaniæ Comitem ab omnibus Ordinibus inauguratur, claues ei adferentibus omnium ciuitatum Magistratibus; pecunia interim multati sunt Lobecani, Zutphanij, Arnhemij, Hasselij, Hattemij, Grolli, Hardewicani, Deutecomenses, Elburchij, Dusburghij, Oldenburgenses, Osualli, quòd non ante captũ Neomagum venissent. Carolus Adolfi filius & soror ab eo osculo excepti, Gandauum mittuntur, vbi apud vxorem & filiam honestissimè sunt educati. Dimidia exercitus parte dimissa, cum reliquis copiis Traiectum ad Mosam reuertitur, relicto Geldriis Gubernatore Guilielmo Egmondano Iselsteinę Regulo. Traiecto Aquisgranum contendit, inde Lutzenburgum, villicos vbique à militari insolentia seuerè defendens. Petierat colloquium Frederici Imperatoris: qui certior factus eum cum exercitu Imperij fines attigisse, multis Germanorum cinctus Proceribus, in Treuiros est profectus; vbi circa Nonas Octobris Audax Imperatorem inuisit, ac posteaquam sæpiùs inter se secretò communicassent, conuiuiis, donis, ludicrisque belli spectaculis certassent, Audace in nullo magnificentiæ Imperiali cedente, Imperator filio suo Maximiliano octodecim tum annorum adolescenti filiam eius Mariam vxorem petit. Pollicetur Audax, si Imperator veteri restituta dignitate, Burgundiæ se Regem nominasset, titulumque Legati Imperij adderet. Imperator tantùm vt Maximiliano suo amplas conciliaret nuptias, se omnia

Tandẽ omnium oppidorum vltimum Neomagum post tertiam obsidionis hebdomadam.

Inauguratur Audax in omnibus Geldriæ ciuitatibus.

Iter instituit vt colloquatur Imperatori Frederico.

Nuptiæ petuntur Mariæ filiæ Audacis pro Maximiliano Imp. filio.

nia

nia facturum promittit, iamque Treueris parabantur quæ ad nouum Regem coronandum erant necessaria, corona aurea, sceptrum Regium, & alia; erectusque visebatur in templo D. Virginis thronus Imperatorius, ac paucis infra hunc gradibus Regius; cùm intereà Rex Franciæ suggerit Imperatori, caueat sibi ab Audace, titulo Legati præcipuè insidiari eum Imperio. Quare Imperator, quasi aliò subitò euocatus, reiecta (vt simulabat propter filij nuptias) in aliud tempus coronatione, non salutato Audace, Coloniam properauit. Hîc delusum se cernens Audax, ira fremens, iram tamen dissimulauit, ne magis esset risui. Per id tempus Coloniæ inter Antistitem Robertum Bauarum ac Ordinem Ecclesiasticum oritur dissidium. Ecclesiasticis sese ciues, pulso vrbe Roberto, iunxere, ac in eius locum Hermannum Hassium elegere. Audax Imperium orbis animo meditans, aperiri in Germaniam sibi iter gauisus, Roberto opem suam addicit, simul de ignominia ab Imperatore illata vltionem se sumpturum sperans. Robertus à Papa censuris oneratur, quin etiam Imperator pro Coloniensibus exercitum conscribit. Interim ineunte anno 1474. nascitur quoque Audaci aliud hac de causa bellum. Sigismundus Austriacus Comes Tirolis, cùm contra Heluetios acre ac diuturnum pro dignitate, illi verò pro libertate bellum gessissent, (nam hi ab anno 1314. ac deinceps, excusso iugo Austriaco, in libertatem se vindicarant) ad tantam rei pecuniariæ inopiam deuenerat, vt Audaci mense Iunio anni 1467. oppignoraret ditiones suas ad vtramque Rheni ripam, Sungoiam, Brisgoam, nigrum Nemus, ac Ferrettã, acceptis octoginta aureorum florenorum millibus. Præfecerat Audax dictis regionibus Petrum Hagenbachium virum nobilem, sed crudelem, auarum, libidinosum, ac superbum, itaque omnibus exosum. Ludouicus quoque Francorum Rex, quò plures Audaci hostes concitaret, Sigismundo certis conditionibus octoginta aureorum millia, quibus sua redimeret, dat mutuò, satis sibi persuadens Audacem tergiuersaturum. Erat pecunia Basileæ parata, Audax eam numeratam vult Besoncij oppido Burgundiæ; hinc bellum. Brisachiani excitata seditione Hagenbachium in vincula coniiciunt, præsidiarios partim cædunt, partim pellunt; quin paulò pòst Rhenani omnes fœdere facto, iudiciali ordine Hagenbachium de stupris, rapinis, & similibus conuictum & condemnatum, Brisachij in foro capite plectunt. Hîc Audax vindictam altè spirare. Quare iam dictis Rhenanis iungunt se Fredericus Palatinus, Antistes Argentinensis, Basiliensis, Colmariensis, Selestadiensis, Constantiensis, ac clàm opera consilióque Regis Francorum Reinerus quoque Lotharingiæ Dux. Audax tot Principum contra se intellecto fœdere, animo non deficit, sed maiores quàm vmquam fecerat, copias

Insigni astu Rex Franciæ proponit Audacem ridendum.

Roberto Episcopo Coloniensi à suis eiecto, & à Papa excommunicato, nihilominùs Audax suã operam addicit.

1474

Nascitur intereà Audaci quoque aliud bellum cum Sigismundo Austriaco Comite Tirolis.

Præfectus constitutus ab Audace conspirantium Rhenanorum sententiis publicè capite plectitur.

cogit, accepitque paulò pòst à Sabaudiæ Duce quatuor peditum millia; adduxitque Iacobus Galeottus nobili apud Insubres loco natus, ac Nicolaus Campobachij Comes exsul Neapolitanus, auctor posteà exitij Pugnacis, mille sexcẽtos Italos equites, ac peditum duo millia; Somerseti verò Dux Anglorum ballistariorum sex millia. Quibus cùm Belgas Burgundosque iunxisset, sexaginta hominum millia in armis habens, Nucium tertio infra Coloniam milliari ad Rhenum oppidum sexto Kalend. Augusti venit; iudicans, si Colonienses in ordinem redegisset, bellum Rhenense cum Sigismundo parui negotij fore. Exercitu in quinque acies distributo, totidem locis oppidum premit, tormentis nocte dieque muros quassans, ac sæpiùs frustrà oppugnans, desideratis per varias oppugnationes suprà tribus hominum millibus: nempe defendebat strenuè oppidum cum tribus veteranorum peditum millibus, & quingentis equitibus, Hessi Electi Coloniensis frater. Quare omissa vi, arctè vndique oppidum claudere conatur, donec se tradat. Germaniæ Proceres indignum rati Imperij maiestatem ab Audaci inuadi, coactis in vnum quinquaginta hominum millibus, quingentis tantùm à Burgundis passibus Imperatore Duce castra locant. Erant Pugnacis castra ad instar vrbis, statueratque loco non discedere, nisi Nucio in potestatem redacto. Itaque Imperator aliam soluendæ obsidionis viam non videns, Rhenenses in Burgundiam confœderatasque eis Regiones mittit: quibuscum Baumontius congressus, desideratis duobus Burgundionum millibus, fuga consulere sibi est coactus; conuersique Rhenani in Iacobi Remontij ditionem, expugnant Elicurtum, Remontium, ac Gransam. Circa Besoncium verò ac Pontarlam omnia in prædam vertunt, indeq; in Sabaudiam infesto agmine tendentes occupant Murtum, Orbam, Aubonam, Peterlingam, Montenalium, Estauagum, Iuerdunum, Fontium, Fanum Crucis, Clauem, cum viginti castellis. Morga ac Niona voluntariam deditionem fecere. Reinerus Lotharingiæ Dux, acceptis à Francorum Rege aliquot equitum turmis, suisque his iunctis, Lutzenburgios inuadit ac depopulatur. Francorum Rex Atrebates vastat, ac ad vrbem vsque excurrens, præsidiarios erumpentes prælio superat, capto Iacobo Lutzenburgio, cum Carensij, Remontij ac Contaij Regulis: deinde igne ac ferro in vicinos omnes sæuiens, vniuersaque adeò Germania ac Gallia ad opprimendum Audacem Belgarum Principem vires consiliaque in vnum contulerat. Quibus non obstantibus, manebat Audax pertinaci proposito in obsidione; quamquam Christianus, primus huius nominis Danorum Rex, Hispania ac Roma veniens, eoque deflectens, quòd ab Imperatore Frederico ditionẽ Ditmariensem, Holsatiensem ac Stolmariensem, quò Daniæ Regno coniungeret, impetrasset,

Audax collectis sexaginta armatorum millibus Nucium tendit, Colonienses vt sperabat, domiturus, dehinc facilè & alios.

Germaniæ Proceres exercitu quinquaginta millium Audaci se obiiciunt.

Cùm pugnæ oportunitas non esset, variè Audacis hostes Burgundiam, Sabaudiã, & Lutzenburgum populantur.

Excurrit quoque Rex Franciæ in Atrebates.

ſet, pacem fruſtrà facere eſſet conatus; quemadmodum & Papæ Legatus, Antiſtes quoque Mediolanenſis, ac non pauci alij vtriuſque ordinis Principes viri tentarant. Audax enim fortunæ ac militi fidens, ardebat deſiderio pugnandi cum Cæſare. Sed is nil temerè committendum fortunæ iudicans, munitis caſtris, magno tormentorum numero inſtructus, ſuos continebat. Tandem menſe Maio anni 1475. coactus eſt Audax obſidionem ſoluere, quòd Anglorum Rex exercitum, eius gratia ac rogatu coactum, in Franciam traiicere pararet, quò iunctis viribus in Francum mouerent. Tentare tamen, antequam in Belgas reuertatur, ſtatuit, an Imperatorem ad pugnam pellicere poſſet, inſtructa acie ad hoſtes pergit, maioribus tormentis carros, plauſtra, ac reliqua caſtrorum impedimenta diſiicit, hominum equorumque ſtragem facit, adeò vt Germani ignominiam diutiùs non ferentes, obtenta ab Imperatore poteſtate, in pugnam tria equitum millia educerent, ac acriter ſtrenueque cum Belgis concurrerent. Cùm non paucis deſideratis Germani fugam circumſpectarent, admiſſumque fermè in conſpectu Imperatoris dedecus eſſet, Antiſtes Monaſterienſis, eductis quinque equitum ſuorum millibus, vim Belgarum repreſſit. Hinc pacis mentio à Legato Pontificio iniecta eſt. Verùm cùm de conditionibus conuenire non poſſent, inducias magno Nucianorum gaudio in nouem menſes faciunt, quòd iis vix quatuordecim dierum cibaria, vndecimo iam menſe tolerata obſidione, ſupereſſent. Paulò pòſt opera eiuſdem Legati pax quoque coiit, cauſa Antiſtitum Colonienſium ac oppidi Nucij iudicio Summi Pontificis commiſſa. Sed quòd ceteræ conditiones ſecretò pactæ maiori Procerum Germanorum parti eſſent incognitæ, ægerrimè pacem ferebant. Hinc ergo iterùm tumultus, & paulò pòſt ad 16. Kalend. Iulij cruenta etiam pugna, in qua Germani pedites circiter mille quingenti, Burgundi tantùm centum triginta cecidere. Poſteà pax renouatur, & ſignatur. Qua quia non comprehendebantur Lotharingiæ nec Auſtriæ Duces, Heluetij, Rhenenſes, nec Francorum Rex, miſit idem Rex in Burgundiam quatuor peditum ac duo equitum millia, Duce Borbonio filio notho. Hic cùm omnis cladis genere regionem infeſtaſſet, concurrentes ad arma Nobiles prope Chinoum cruento fundit prælio, captumque Antonium Lutzenburgium ac Ludouicum Mommartinum cum multis aliis viris Nobilibus in Franciam abducit, cæſis Burgundionum duobus millibus. Traiecerat intereà Eduardus Anglorum Rex Caletum viginti bellatorum millia, ac in Picardiam rectà contendebat, cùm Audax, relicta exercitus ſui parte maxima contra Lotharingum ac Heluetios, quibus bellum inferre ſtatuebat, parua manu ad Anglica peruenit caſtra: quod adeò ægrè Rex tulit Eduardus, vt vix contumelioſis abſtineret verbis,

Fruſtrà Papa, Rex Daniæ, & alij ſuadent Audaci pacem.

1475

Velitaris pugna ſatis acris ad Nuſsium.

Tandem cauſa Colonienſis Summo Pontifici, commiſſa, poſt vndecimum menſem obſidionis Nuſſenſis.

Magna patitur damna Audax in Burgundia.

Item alienatur ab eo Eduardus Rex Angliæ pactis cum Franco in nouem annos induciis.

verbis, oriretúrque inter eos non ficta simultas; quod paulò pòst Rex Eduardus pactis in nouem annos cum Franco induciis palàm est testatus, pollicente singulis illi annis Francorum Rege quinquaginta aureorum liliorum millia; in promptu quoque numerauit septuaginta quinque millia, addens sexcenta optimi vini Francici dolia; in Proceres verò Anglos tam extitit liberalis, vt Franciam auro exhaurire diceretur. Conditionibus ritè obsignatis, Rex Eduardus mense Septembri in Angliam, non salutato Audace, reuertitur. Itaq; Audax quoque cum eodem Rege Francorum Ludouico in nouem annos inducias facit, per quas mercatura inter Francos ac Belgas, quæ per quinquennium cessauerat, magno incolarum gaudio iterùm vtcumque florere cœpit. Quare liberaliter Principi Belgæ magnam pecuniæ summam ad gerendum bellum partim numerant, partim promittunt; sicque ille eodem adhuc mense Septembri in Lotharingiam cum exercitu proficiscitur, vlturus (vti fama spargebat) iniuriam à Duce tempore Nucianæ obsidionis sibi illatam, ac repetiturus pecuniam ab auo patreque suo prædecessoribus eius mutuò datam. Deditionem statim faciunt Bria, Bassompuia, Chastemum, Abia, Gressa, Loniacum, Confluentia, Auricurtum, Flouilla, Dendremum, Landra, Samblaum, Boqueuilla, Nontaum, Membruna, Baiona, Antensona, Versonna, Samurum, Gangona, Marsacum, & Spinaum. Charnoum vi expugnat, præsidiariosque ad arbores strangulari iubet. Dux Reinerus, Nancio ac Sirico præsidiis necessariisque de rebus prouisis, cum pretiosissima supellectile in Franciam ad Regem Ludouicum confugit. Exinde Siricum per mensem oppugnatum circa Idus Nouembres deditionem facit. Sirico expugnato, Nancio exercitum admouet, ac posteaquam per nouem hebdomadas sæpiùs frustrà oppugnasset, non paucis desideratis fortibus viris, inter quos cecidit Philippus Bergis ad Scaldim Regulus, extremam parari vim ciues ac præsidiarij videntes, animis cecidêre, pactique vitam ac bona oppidum tradidêre, paucis exceptis, in quos laqueo est animaduersum. Initio anni 1476. Heluetij potentia ac fortuna Audacis moti, missis Legatis pacem petunt, pollicentes se Duci Sabaudiæ, Iacobo Remontij Comiti, ceterisque eius confœderatis quæ eripuerant reddituros: quin & veteranus quidam Heluetius seorsim persuasurus candidè addebat; sanè phaleras equitatus Audacis pluris valere vniuersis Heluetiorum spoliis. Sed Audax innixus dudum concepto proferendorum limitum ab Oceano Hollandico ad Italiæ vsque Alpes proposito, cùm in Burgundiam rediisset, responsurum se ait. Heluetij quid vellet intelligentes, veteranorum delectu habito, exercitum cogunt, quos & clàm Rex Ludouicus pecunia iuuit. Interéa Audax Comitem Nicolaum Campobachium in Italiam, numeratis qua-

Hinc ergo & Audax cum Franco pacifcitur in nouem annos, quò mercatura refloreat.

Audax in Lotharingos ducit, & multa oppida partim vi partim deditione accipit.

Tandem & Nanceium post nouem hebdomadarum obsidionem se ei tradit.

1476

Heluetios pacem petentes stulte in gratiã recipere differt: hinc ergo illi arma expediunt.

quadraginta aureorum liliorum millibus, mittit, vt conſcriptis quadringentis lancéariis equitibus, iungat ſe auxiliariis Ducis Mediolanenſis, ac Iolæ Sabaudæ: qui in vnum copiis coactis, cùm quindecim armatorum millia recenſuiſſent, inexſpectato aduentu Loſannam occupant. Audax, vniuerſa occupata Lotharingia, ac proinde contra Heluetios cum exercitu moturus, primùm Granſam, Comitis Remontij oppidum in Heluetiorum finibus ſitum, ac non ita dudum ab eis occupatum, munitumque præſidio octingentorum peditum, obſidione cingit, fruſtraque illud aliquoties oppugnās, circiter centum quinquaginta viros fortes amittit. Sed cùm acriùs quàm anteà præſidiarij vim parari variis locis conſpicerent, nemine ſuppetias ferente, pacti vitam, oppidum cum arce dedunt. Audax (quod numquā anteà fecerat) rupta fide octoginta ad arbores ſtrangulari iubet, ducentos proxima in palude mergi, ceteros abduci captiuos. Quæ perfida crudelitas omnium Germanorum animos ab eo alienauit, atque ita irritauit Heluetios, vt duce Comite Hertmanno Eptingemio Comitis Sigiſmundi Auſtriaci Legato, peditum viginti millia ad Vaumarum, vbi Audacis ordinarij corporis cuſtodes in præſidio erant, caſtra locarent: augetúrque mox eorum numerus auxiliis Epiſcopi Baſilienſis ac Argentinenſis. Audax aduentu Heluetiorum cognito, etſi omnibus diſſuadentibus, obuiàm proficiſcitur, & anguſto inter duos montes itinere congreditur. Fratres nothi Audacis cum Heluetiis fortiter dimicantes, ac ſtudio cedentes, ex anguſtiis hoſtem in apertum campum pellicere, deinde exoneratis tormentis equitatu vndique inuadere ſtatuerant. Sed militum vulgus conſilij ignarum, exiſtimantes eos verè fugere, fugam paſſim capeſſunt; ducibúſque aſtum explicantibus, ac vt ſtarent pugnaréntque iubentibus, non obediunt; aucto pauore, cùm ex incognitis montium viis, recentes ſubitò Heluetij, latera ſuorum inuaderent. Audax ſua cum acie ſubſidio feſtinans, à Campobachio ac aliis equitibus acies anguſto in loco explicare non valentibus deſeritur; tandémque diſſipato vniuerſo exercitu, fugam cum ceteris capere cogitur. Veniunt in hoſtium poteſtatem bellica tormenta, & omnis belli apparatus, tantumque pecuniæ & ſupellectilis pretioſæ, vt aceruis factis Heluetius miles inter ſe diuideret, & ſupellex tricies centenis aureorum liliorum millibus ſit æſtimata. Inſigne exemplum his qui fortunæ bonis ſtultè inſoleſcunt. Ex Audacis exercitu (quòd maior pars pugnam non tentarit) non vltra duo hominum millia cecidere (errant inſigniter qui ſupra viginti quatuor millia interfecta ſcribunt) capta tamen ſunt ſigna militaria viginti & ſeptem. Nobiles multi fugam ſiſtere conati periere, ac inter hos Ioannes Lutzenburgius Marlæ Comes, Lignacus, Antonius Lalanus, Rollinus. Capti tantùm ducenti, quos Helue-

Granſam in Heluetiorum finibus Audax obſidet, & paulò poſt deditione capit.

Ob violatam ab eo fidē omnes Germani & Heluetij contra eum conſpirant.

Inter anguſtias mōtium Audax vincitur, & fuga ſibi conſulere cogitur.

Relicta ſigna militaria viginti ſeptem, cæſa virorum duo millia, capti ducenti.

Heluetij in vindictam commilitonum Granſæ ſtrangulatorum, depoſitis ſepultiſque cadaueribus, iiſdem in laqueis ſuffocauerunt. Audax ea nocte fuga Inerdunum peruenit, ac manè Loſannam, vbi dolore accepti dedecoris, in animi corporiſque ægritudinem incidens, belli tamen curam non omiſit. Vtcumque ſe colligens, coactis iterùm viginti quinque

Iterùm colligit Audax ad viginti quinque millia.

circiter militum millibus, Murtum obſidione cingit. Heluetij, Rhenani, Comeſque Sigiſmundus, collectis triginta peditum, ac quatuor equitum millibus, contrà proficiſcuntur, venitque eorum in caſtra Reinerus Lotharingiæ Dux, à Franco mediocri pecuniæ ſumma, ac quadringentis equitibus inſtructus, quem Regis intuitu exercitui præeſſe volūt. Quingentis tantùm paſſibus Heluetij ab Audacis caſtris aberant, cùm recuperandi decoris deſiderio ardens, prior eductis copiis inſtructa acie in pugnam prodit. Heluetij ſuis in caſtris quieti corpora curabant, quos cùm Audax horam & ampliùs inſtructa acie expectaſſet, ſæpiuſque per Anglos balliſtarios ad pugnam irritaſſet, nec tamen quiſquam prodiret, ſatis ſeſe eo die animandis ſuis profeciſſe iudicans, poſtremæ aciei pro rei neceſſitate non ſatis prouidens, ad caſtra reuertitur. Heluetij in hanc pa-

Secundam accipit cladem ab iiſdem Heluetiis.

rati occaſionem, ſubitò omnibus caſtrorum portis peditem educunt, poſtremamque Audacis aciem tanta vi inuadunt, vt tempus conuertendi exercitus eriperent. Corporis tamen eius cuſtodes in pedes deſilientes, Anglis iuncti balliſtariis, irrumpentes Heluetios non ſolùm excipiunt, ſed acri pugna edita, cedere etiam loco primos cogunt, donec Comitis Sigiſmundi equites, his interfectis, reliquorum impetus repreſſiſſent, ac

Cecidère Burgundi pugnantes morte non inulta, circiter octo millia, totidémque in fuga interfecti.

priuſquam Audacis equites è prima in poſtremam aciem peruenire, tormentaque eódem attrahi poterant, in fugam omnes vertiſſent. Cecidere pugnantes è Burgundis Belgiſque morte nō inulta circiter octo peditum millia, tantumdemq; Germani in fuga interfecere. E Nobilitate pugnantes interière Somerſeti Dux ex Anglia ad Audacem cum ala equitum balliſtariorum ſuo nomine profectus, Philippus Grimbergius, Iacobus Maſius Audacis vexillifer, peneſque ipſum viri nobiles complures. Qui Murti in obſidione relicti fuerant, cognita clade, vaſa conclamant. Sed in perterritos præſidiarij erumpentes, facilè omnes, ereptis impedimentis, in fugam agunt, pauloque poſt in equites Germanos incidentes, ad vnum

Audax tribus tantùm millibus hominum ſtipatus in Burgundiam fuga euadit.

ferè omnes cæduntur. Audax tribus tantùm hominum millibus ſtipatus, Riuerium in Burgundiam fuga peruenit, Heluetiis ad noctem tātùm inſequentibus, deinde ad prædam conuerſis. Altera hæc clades ita Audacem atra bile repleuit, vt nonnumquam cogitabundus totos dies ſolus ſederet; debilitatóque calore naturali poſthac calidiſſimis vinis vſus eſt, cùm ante has clades ob caloris abundantiam ante ac poſt prandium ptiſanæ cremore vti conſueuiſſet. Rex Franciæ vtendum hac occaſione ratus, mit-

tus, mittit statim ad Reinerum Lotharingiæ Ducem Legatos cum pecunia, suadens in tanta opportunitate non quiescere, sed priusquam Audax vires reficiat, sua recuperare, Heluetios interim Rhenanósque omni ratione conciliare, vt eorum auxilio resistere possit. Regia pecunia Reinerus quatuor peditum millia, ac mille quingentos equites Francos conscribit; moritúrque eodem tempore Maria Haricurtij Comes, vidua aui eius Antonij Comitis Vaudemontij, cuius hereditate ditatus magnã quoque pecuniæ summam conflauit. Parua itaque quam diximus manu occupat Reinerus Vaudemontium, Espinalum, ac aliquot munita castella, auctoque exercitu Nancij præsidium Burgundicum obsidione premit. Præerat oppido Ioannes Rubenpræus ac Cochinus quadringentorum Anglorum Dux vetus, qui communi consilio se defendentes Audacem expectabant. Sed is vix sui potens, sex hebdomadibus in Burgundia domi desidens nil agebat, frustrà monentibus amicis Reinerum parua manu Nancium obsidentem, misso milite pelleret. Intereà Cochinus Nancij in vallo deambulans tormenti globo interficitur, Anglique de auxilio desperantes, ac Duce orbati, primò Rubenpræum rogant, deinde cogunt, vti præsidiariorum vitæ ac fortunis, dedito oppido, consulat: quod cùm is fecisset, tertio post deditionem die, Audax serò cum exercitu veniens, Reinerum sequi instituit. Is se imparem sciens, exercitu proximis in oppidis distributo, duodecim tantùm comitatus equitibus ad Heluetios auxilij causa cum pecunia contendit. Habebat Audax in exercitu non vltra sex bellatorum millia; hosteque, quo cum congrederetur non reperto, Nancium obsidere instituit, Comite Nicolao Campobachio Italo exercitus Legato constituto, quamquam eum primo contra Heluetios prælio turpiter deseruisset. Erat is Neapolitanus, Arragoniis ac Andegauensibus pro eo Regno contendentibus, Andegauensium semper partes secutus, donec his ab Arragoniis pulsis, exutus fortunis cũ multis aliis Proceribus proscriberetur. Intereà Ducis Reineri œconomus, cognomine Suffron, mense Nouembri cùm Nancæos commeatu ac milite iuuisset, cum paucis in tergo fortiter pugnans, circumuentus à Burgundis capitur, & paulò pòst supplicio addicitur. Strangulandus cùm frustrà sæpiùs, impediente Campobachio, de re magni momenti colloquium Audacis expetiisset, hæc postrema protulit verba: Sanè Audaci non minùs quàm mihi postremus instat dies; quod qui ei à consiliis est intimus, probè nouit. Hæc ille. Campobachium dudum insidiatorem notans; de quo Cominæus tunc præsens prolixissimè. Et obsidebat Audax exiguo cum exercitu brumalibus diebus pertinaci proposito Nancæum, proditore, vt posteà etiã certò patuit, exercitus Legato Campobachio, militibus maiori ex parte aduersa valetudine affectis, malè armatis,

Lotharingus clàm à Franco pecunia iuuatur, quò & ipse seorsim Audacem fatiget.

Obsidet Lotharingus Nancium.

Deditur idem oppidum, seriùs accurrente Audace.

Obsidet iterùm Nancium Audax paruis cum copiis & brumali tempore.

Milites Audacis maiori ex parte ægroti, malè armati, & omnium rerum inopia laborantes.

matis,ac omnium rerum inopia laborantibus. Scribit igitur Guilielmo Hugoneto Burgundiæ Cancellario (cui ante paucos dies dono dederat Flandriæ oppidum Middelburgum) conuocatis Belgarum Ordinibus, pecuniam ac recentem in supplementum militem imperet, clientelasq; suo nomine ad arma cogat,quòd Heluetij ac Rhenani exercitum soluendæ obsidioni pararent. At contrà Campobachius primariis aliquot Belgarum viris scribit, necesse non esse brumalibus diebus Nobiles ad equum conuocare,quòd Heluetij iustum non cogerent exercitum,Nancæique post octo dies commeatus inopia deditionem certò videantur facturi; non nimiùm Hugoneti dictis terrerentur, qui proprium magis quæstum quàm Principis necessitatem,rei bellicæ imperitus,ob oculos habere consueuisset. Qui Campobachij acceperant litteras,scientes quo is apud Principem esset loco,hoc est summo, effecerunt,pecuniæ parum Hugonetus impetrare potuerit,nobilitate etiam passim ante ver arma induere recusante. Quæ omnia rescíscens Audax (præter Campobachij perfidiam) iurat se in immorigeros non aliter quàm in rebelles animaduersurum. Engelbertus tamen Nassauij ac Ioannes Chimaij Comes aliquot cum Nobilibus ac paucis peditibus summa cum difficultate ac periculo Nancæana ad castra perueniunt,magna Principi auxilia promittentes,si bellum ducere, ac pugnæ in ver supersedere vellet; sed sana non admittebat consilia, etsi multis singulis diebus in exercitu fame ac frigore morientibus. Intereà Heluetij ac Rhenani sollicitatione Ducis Reineri quindecim circiter bellatorum millia coëgerant, Rege singulis clàm aureum lilium numerante, ac pro reliqua solutione fideiubente: sicque Dux Reinerus confœderatis iunctus,instantibus Ianuarij Kalendis anni 1477. castra Beneuillæ locat, postero die ad Fanum D.Nicolai, quod haud procul Nancæo distat;vnde Nonis Ianuarij, vt oppido de rebus necessariis prouideat, aut cum Audace confligat, instructa acie Nancæum rectà pergit. Audax de hostium aduentu certior factus, Præfectos,quod ab aliquot annis non consueuerat, ad consilium vocat. Prudentiores vnanimi voce suadebant, castra Ponmussonium mouere, ac exercitum proximis in oppidis castellisque,vsque ver proximum diuidere. Germanos enim Lotharingici auxiliares, importato Nancæi commeatu, brumæ diebus loca de præsidiis ac commeatu prouisa non obsessuros, sed domum vitatis frigoribus dilapsuros, nec facilè iterùm coituros Ducis Reineri causa pecunia inopis. Salubre consilium altus Audacis animus contemnens,ex Campobachij sententia instructa acie, paucos valetudinarios recentibus ferocientibusque obiicit hostibus. Vix enim decem virorum millia in exercitu habebat, è quibus duo tantùm millia sana beneque armata erant, quæ in fronte contra quindecim Germa-

Frustrà expectat Audax subsidia ex Belgio, impediēte proditore Cāpobachio.

Veniunt tamen ad eum summa hieme Nassouius & Chimaius,paucique alij.

Intereà Heluetij ac Rhenani ad quindecim millia parant Nancæo succurrere.

1477

Reiicit Audax sanum consilium plurium de differenda pugna.

Confligit cum vix duobus millibus sanis contra quindecim millia.

Germanorum millia collocat, quemadmodum Oliuerius Marcanus, Audaci tunc inter domesticos seruiens ac pugnæ præsens, in Annalibus sanctè affirmat. Defendebant se Burgundi aliquamdiu pro paucitate strenuè, nec in fugam agi potuerunt, priusquam Campobachius proditor (de cuius exitu, in filia Audacis) quadringentis suis cum Italis ad hostes transiisset; tum, pulsis ceteris, Eptingemius Germanus à sinistro latere pedites Burgundos inuadit, ac post breuem pugnam, equitum clade territos in fugam ruptis ordinibus agit. Audax vniuersi exercitus dissipatione motus, cùm frustrà ordines retentare ac fugam sistere, sæpiùs inuadentem feriens hostem, esset conatus, ab omnibus se fermè desertum conspiciens, vi per vrgentes aliquot erumpens hostes, consulere sibi conatur. Sed cùm paucis comitatus Nobilibus viris ad Fanum Ioannis Rhodij, haud procul Nancæo, peruenisset, ac equo calcaribus concitato obuium torrentem saltu transilire vellet, eo præ lassitudine ad ripam offendente, in torrentem cadunt, sequebanturque eum multi, sed quis esset ignorantes; è quibus Claudius Baumontius Nobilis Lotharingus inter pedites militans, surdus, atque ita quæ inclamabantur non intelligens, equi iacentis clunes infesta hallebarda tanta vi reiterato aliquoties impetu verberat, vt frustrà surgere conatus ephippio Audacem armis grauem eiicere cogeret; inque eum deinde Claudius cruento conuersus telo, repetitis sæpè ictibus, eodem in loco iacentem mactat, superuenientesq; Germani pedites ignoto cadaueri arma vestimentaque detrahunt. Iacebat Audax nudus ignotúsque, ac haud procul eo Ioannes Rubenpræus Contaius, Viuilla, aliquótque alij domestici eius Nobiles, viri fortes, tertio primùm à pugna die cogniti, tribus in corpore Audacis magnis vulneribus repertis, vno cæsim ab aure vsque ad dentes, & aliis duobus circa femora punctim hallebarda inflictis. Periere simul è Burgundis circiter tria virorum millia: capti verò Nobiles hi; filij Rottelini ac Nassouij, Comes quidam Anglus, Crouiacus, Chimaus, Galeottus, Antonius ac Balduinus Audacis fratres nothi, Iodocus Lalanus admodum saucius, Oliuerius Marcanus Historiographus, Montaguris ac Montfortius. Cecidit Audax Nonis Ianuarij, anno eius sæculi septuagesimo septimo ineunte, vt nunc cōputamus, seu septuagesimo sexto exeunte ad Pascha, more tunc recepto, annos natus quadraginta quatuor, mensem vnum, dies 25. Post triduum vix agnitus per Medicum suum & Amanuensem captiuos (ita facies totumque corpus frigore ac tabe fœdata erant) iussu Reineri Ducis in primario Nancæi templo, ante summum altare D. Georgio sacrum, sepultus est, iuxtaque eum, qui vnà ceciderant viri Nobiles; erectaque ab eodem Reinero tumba, & super eam imago Audacis, additis natalium insignibus, vt etiamnum hodie apparet: ad-

Equo cespitante præ lassitudine Audax torrenti armatus immergitur.

Ignotus occiditur & spoliatur.

Periere vnà cum eo circiter tria virorum millia, capti etiam plurimi.

Post triduū vix agnitus Nancæi sepelitur.

fixáque Epitaphia varia, inter alia hoc breue non inconcinnum:

Eiustumba & Epitaphium.

Te pacis piguit, te tæduit atque quietis,
Carole, ſicque iaces? iamque quieſce tibi.

Poſteà à Carolo Quinto eius oſſa Lutzenburgum deuecta, eius ſoror Leonora demum Brugis Flandrorũ in Choro templi D. Mariæ oſſibus filiæ eius Mariæ coniunxit. Sub huius Principatu anno 1474. initium habuit Carthuſia Louanienſis. Fundum & primas officinas dedit Walterus Waterlet Prępoſitus Malbodienſis. Promouerunt inſtitutum Margareta Audacis vxor anno 1489. & Maria vidua Marchionis Arſchoti.

Carthuſia Louanienſis huius tempore inſtituta.

MAXIMILIANVS
CVM MARIA
FILIA SVPERIORIS,
XL. BRABANTIÆ
III. BELGII VNITI PRINCEPS.

Præfuit annos quinque, hebdomadas vndecim.

Compellere nititur Rex Franciæ Mariam viginti annos natam, ad nuptias filij ſui octennis.



AESO ad Nancæum Carolo, paternas ditiones Maria filia hereſque vnica adiit, ſed magnis multiſque calamitatibus priùs exercita. Nam præter quòd dolor immenſus eſſet, patre tam ſæua morte ſublato, ipſaque nondum nuptui tradita, mox hoſtes ſenſit qui vel maximè ſolatio auxilioque eſſe debebant. Nona ſtatim Ia-
1477 nuarij anni 1477. cùm quarta eiuſdem menſis pater Audax cecidiſſet, Francorum Rex Ludouicus, qui eam è ſacro Fonte ſuſceperat, cum quo & pater anno 1475. inducias pepigerat in annos nouem, pupillæ prouinciis inhians, eamque ad filij ſui octennis nuptias, cùm ipſa nata eſſet annos circiter viginti, compellere nitens, inter cetera hæc ad Tramulium Lignij Comitem ſcribit: Amiciſſime Comes, litteras tuas, quæ de rebus me magnis audituque gratiſſimis ſummopere delectarunt, accepi. Tempus eſt omnes animi corporiſque neruos intendas, vt Ducatus Comitatuſque Burgundiæ tua prudentia voluntariam mihi deditionem faciant: decreuiſſe enim me vt nuptiæ inter cognatam Mariam ac filium Carolum

Docet id epiſtola ipſius Regis, pluraq; etiam alia.



MAXIMILIANVS ET MARIA, XL. BRABANTIÆ
III. BELGII VNITI PRINCIPES.

lum primo quoque tempore effectum sortiantur. Sed caue Comes, in «
Burgundiam cum armata manu proficisci, nisi certò tibi de Audacis «
morte constiterit. Plessio, nona Ianuarij 1477. Vtque hæc consequeretur, «
certis locis & interuallis tunc primùm ab eo (teste Cominæo) dispositi
sunt celeres equi. Hinc ergo partim astu partim armis, deficiente etiam
ad Francorum Regem Ioanne Challonio Aurantiæ Principe, tota ferè
Burgũdia non multò pòst à Rege aut capta aut vastata est. Nec mitiores
Mariæ fuêre Gandenses dicam, an Ordines ibi congregati, quibus Maria vndecima Februarij, ipso inaugurationis die, ea priuilegia concedere
coacta fuit, quæ successores eius tamquam extorta, & contra Principis
dignitatem, resciderũt. Missi sunt eo tempore Legati ad Franciæ Regem,
cùm Gandenses apertè rebellantes, Maria in potestatem redacta, Flandriæ gubernationem inuadere nomine trium ditionis Ordinum auderent, Mariam cogentes, vt priuilegia ab auo Philippo patreque Carolo
vrbi ob rebellionem erepta statim restitueret. Per idem tempus Rex Ludouicus, iusto exercitu collecto, in Atrebates mouet, spe potiundæ Artesiæ ac Hannoniæ. In itinere ei portas aperiunt Hannum, Chasteletum, Fanum D. Quintini, aliaque ad Somonam oppida Burgundo
oppignorata. Occupat astu paulò pòst quoque Tornacum ciuitatem
tunc liberam. Præerat eo tempore Atrebatensibus Adolfus Cliuius, qui
certior de Audacis morte factus, ad Ducem Mariam Gandaui inuitè habitantem contendit, relicto Atrebati proditore Creueceurio, de cuius
animi mutatione nil metuebat, quòd ante paucos dies cum ceteris Proceribus Mariæ sacramentum dixisset, cuius opera Rex minori oppido potitus, alteram oppidi partem deditione quoque non multò pòst accepit,
hac lege; tantisper eum Dominum agnoscant, dum Maria filia eius nupserit, vel clientale saltem iuramentum præstiterit, liberi intereà ab omni militari præsidio. Iter facienti deditionem quoque Atrebatensium
conditionibus faciunt Lensij, Bethunij, Terwanenses ac Hesdinij. Dux
Maria Regem contra omnem æquitatem ruptis induciis prouincias suas
occupare considerans, ad eum pro pace miserat Cancellarium Hugonetum, & Imbercurtium cum aliis. Rex mille artibus aggressus erat, vt deserta Maria, sibi sacramentum dicerent. At illi nil facere nec promittere
volebant, nisi matrimonium Maria cum filio eius Carolo contraxisset.
Tandem has proponit pacis iniquissimas conditiones: Nubat cognata «
Maria filio meo Carolo, omnia ei sarta tecta manebunt. Si propter filij «
mei pueritiam huius non est animi, cedat mihi meisque successoribus in «
perpetuum Ducatum Comitatúmque Burgundiæ, Boloniensem ac A- «
trebatensem. Reddat oppida omnia ad vtramque Somonæ ripam sita. «
Persoluat mihi in numerata pecunia sexcenta millia aureorum liliorum. «
Datis

Tunc primùm dispositi celeres equi, teste Cominæo.

Gandenses quoque rebellantes, Mariâ in potestatem redactâ, quiduis ei extorquẽt.

Isthic Francus multa oppida ei adimit; occupans etiã Tornacum tunc liberum.

Occupat item Atrebatum, Lensium, Bethuniã, Tervvanam Hesdinium.

Legatis ad se missis proponit Rex has iniquissimas conditiones.

„ Datis vadibus promittat, se sine meo cõsilio nec permissione viro nuptu-
„ rã. Gandenses quoque, amisso Atrebato & aliis, Flandriæ timentes, ad Regem Legatos destinant, petentes à bello desistat, quòd Maria Belgarũ negotia in Ordinum potestate constituisset. Negat id Rex, litterisq; partim à Duce Maria partim Viduæ Audacis manu, partim Adolfi Cliuij digitis ad se exaratis docet Mariam Belgarũ negotia constituisse arbitrio nouercæ Margaretæ, Imbercurtij, Hugoneti, ac Adolfi Cliuij. Traditæ sunt illis eæ litteræ, quibus Gandauum allatis, plebs furibunda Imbercurtiũ ac Hugonetũ in vincula coniicit, clamitat eos proditores, ac Franco studere, cædis quoq; Audacis nõ missa pecunia nec milite causam dedisse. Admouentur primùm tormẽtis, deinde gladio, Maria per alios primùm, deinde & per se (ô dura pectora!) in omnium conspectu passis crinibus cumq; multis lacrymis frustrà pro iis deprecante: quæ tam indigna tantorũ virorum cædes ita omnes probos affecit, vt nihil salutarius Reipub. quàm procuratas quamprimùm Mariæ nuptias existimarent. Dum Rex Ludouicus hac ratione Burgundiam, Artesiam ac Picardiam inuadit, Flandri eius classico excitati ad arma, Ducibus Gandensibus ac Brugensibus cõcurrunt, armatisque circiter viginti virorum millibus eis Adolfum Geldriæ Ducem (de quo suprà ad annum 1472.) Cortracensi carcere eductum præficiunt. Ducit Gelder Flandros Tornacum, vt, eiectis Francis, Flandriæ agros ab eorum populatione liberaret. Locat castra ad pontem Despierres, summopere pro decore annitẽs, quòd sibi viduo Flandri Mariæ nuptias, inuitis etiam omnibus, promisissent. Nocte quadam Gelder suburbia incendit; cúmq; circiter auroram frustrà hostem expectans discederet, Franci magna manu erũpentes, postremos cædunt. Gelder Flandris euadendi spatium daturus, cum paucis vim Francorum sustinet; sed tandẽ à maiori parte desertus, à Francisco Sauuagero infesta lancea equo deiicitur. Defendit se pedes aliquamdiu ignotus, donec eum pluribus inuadentibus eodem loco interficitur. Moribundus bis alta voce Gelriam inclamat, sicq; cadauer Tornacum auectum cùm nemo redimeret, ibi à Francis sepultũ est. Exinde Catharina interfecti Adolfi soror, pulsis tota Gelria Præfectis ab Audace constitutis, adiuuante Borbonio Leodiensiũ Antistite, Caroli pueri Adolfi filij auũculo, omnes in verba pueri Caroli, etsi apud Mariam detẽti, adigit, dissimulante his difficillimis temporibus Maria; atq; adeò mansit exinde dicta Catharina in Geldriæ gubernatione, donec Carolus multò pòst, vt suo tẽpore narrabimus, amitam eo onere liberaret. Tandem ergo seriò agunt Belgarũ Ordines de Mariæ nuptiis. Miserat non semel Cæsar Fredericus III. ad Belgarũ Ordines, vt Mariam filio suo Maximiliano acciperet; sed demum mense Iunio honestissimam ad ipsam Ducẽ Mariam, ac congregatos cum ea Ordines, destinat Legationem,

Augẽt malum Gandenses sua proteruia.

Imbercurtius ac Hugonetus à Gandensibus gladio admouentur, frustrà pro iis publicè deprecante Maria.

Flandri rebelles Geldrum carcere exemptum sibi Duci constituunt.

Interficitur idem Gelder à Francis in pugna ad Tornacum.

Agitur ab Ordinibus Belgicis de Mariæ nuptiis.

Venit in Belgium insignis Legatio pro Maximiliano Imp. filio, cui dudũ Maria dicebatur desponsa.

tionem, Archipræsules Moguntinum ac Treuerensem, Antistitem Metensem Gallica loquentem lingua, Ludouicum Bauarum, & alios. Admissi Gandauum Legati (frustrà renitente Philippo Cliuio, qui & ipse procum agebat) cùm in conspectum Mariæ totiúsq; Concilij venissent, omnium nomine Antistes Metensis verba facit; docet Carolum Audacem ac Fredericum Cæsarem, facta ad Nussium pace, de Mariæ ac Maximiliani nuptiis transegisse; ac tandem litteras suauissimas ipsius Mariæ Maximiliano idem confirmantes, simul cum arrha adamante ingenti, aureo annulo incluso, proferens, quàm officiosissimè nomine Archiducis Maximiliani rogat, dignaretur Dux Maria datæ fidei satisfacere; eademque Legati Ordinibus Belgicis hac de causa Louanij congregatis proponunt. Ordines de voluntate Mariæ, ac qui cum ea erant Procerum instinctu, communi assensu in nuptias descendunt, mittuntque cum Cæsaris Legatis Balduinum Lanoium, qui hæc Cæsari eiusque filio nuntiaret, Bauaro post paucos dies semiarmato Principum more Maximiliani nomine cum Maria concumbente. Exinde Maximilianus, liberato è Nancæanæ cladis captiuitate Comite Chimao, in Belgas splendidissimo cum comitatu proficiscitur. Aderant Archipræsules Moguntinus & Treuerensis, Marchio Badensis, Brandenburgius, Albertus Saxo, Dux Iuliæ, Antistes Metensis, Lantgrauius Hassiæ, cum multis aliis. Singulæ Belgarum ciuitates Coloniam vsque Agrippinam Legatos cum donis obuiàm misêre, nec indonatus per Germanorum vrbes iuit. Tandem 17. mensis Augusti Gandauum perueniens, salutata desideratissima sponsa, omnibusque aulicis, postridie 18. Augusti, præeunte Antistite Tornacensi, eam in vxorem duxit. Missæ sacrificium à Legato Summi Pontificis maxima solemnitate fuit peractum. Paucis deinde diebus nuptiis datis, ad constituendum Reipublicæ statum, resistendúmq; Francis ex Ordinum sententia animum adiicit. Initio mensis Septembris Egmondæ Dominum Valenchenas cum 100. equitibus Germanis mittit. Iungunt his Antuerpiani suo ære conductos viginti equites, ac trecentos pedites sclopetarios, cum quatuor tormentis campestribus: atque interim Maximilianus, data acceptáque fide, in Principem à Brabantis, Flandris, ac Hannoniis inauguratur, solitis cærimoniis primariis in ciuitatibus celebratis. Ineunte anno 1478. leuibus præliis Belgæ contra Francos aliquoties feliciter pugnarunt. Circa festum Paschatis Maximilianus Middelburgij Zelandiæ inauguratur, aderántque & Hollandiæ Ordines; mansitque ibi septimanis sex, frustrà conciliandis Hauckiis & Cabelliauiis operam impendens. Paulò pòst Brugis Ordinem Aurei velleris ipse accepit, & aliis deinde impendit; cùm intereà tertio Kalend. Maij Francorum Rex Condæum Hannoniæ oppidum obsidet.

Datur consensus in nuptias.

Maximilianus, ducta Maria, mox animum adiicit ad constituendum statum Reip.

1478

Condæum Hannoniæ à Franco obsidetur.

obsidet. Præerant Condæo Mingouallius ac Fresnæ Dominus præsidio vigintiquinque lanceariorum equitum ac octoginta peditum, quibus iuncti fideles ciues vix simul trecentorum virorum numerum implebant. Habebat in exercitu Rex circiter viginti millia pugnatorum. Quatiuntur muri quatuordecim maioribus tormentis, continuis viginti octo horis. Ruinæ ingentes inuitant Francos ad irruptionem; sed Mingouallius nusquam auxilium prospectans, ne suos temere certæ morti obiiceret, Kalendis Maij ea lege deditionem facit, vt qui exire vellent, saluis rebus omnibus possent; qui manere cuperent, tutò idem liceret. Dediderunt se quoque Francis Biesium, Brisolium, Estrambruga, Haurechium, Treslonga, Bossuum, ac circumiacentia Condæo castella. Eodem tempore Tornaco ac è vicinis præsidiis collecti octingenti circiter equites Franci, Flandriam Audenardam vsque populantur: quos excipientes Dudsellius & Auricanus cum octingentis peditibus ad pagum Egenium, prædam eripiunt, quadringentis partim cæsis, partim captis; cecidere è Belgis tantùm triginta. Intereà Maximilianus quatuordecim virorum millibus è Belgis in vnum coactis, hisque duobus Germanorum peditum millibus iunctis, in hoc totus erat, Regem Francosque Hannonia pelleret. Ab alia parte Iacobus Romontij Comes ac Philippus Cliuius, collectis quatuor virorum millibus, recipiunt Bossuum, Treslongam, Haurechium, ac Villam. Maximilianus cum exercitu Crispinum processit, cuius metu circa Kalend. Iunias non Condæum solùm, sed etiam Quesnoium, Bochainum, & castrum Antoignij Franci deserunt. Erat hoc tempore Rex Francorum Cameraci, qui & hinc se suosque non multò pòst deduxit, siue Imperij Germanici reuerentia, siue quacumque alia de causa: interim feruebat adhuc Burgundia conflictibus; Gelri etiam Duce Meursio bellum Hollandis, Brabantis ac Cliuiis, quod biennio durauit, inferunt. Eodem ferè tempore Maximilianus, restituta Leodiensibus Cruce (quam Picon vocant) ab Audace illis ablata, non parum re parua infestos eorum animos sibi deuinxit. Hoc anno nono Kalend. Iulij natus est Brugis Maximiliano filius, de quo est hoc rude metrum numerale:

Idem deditur Fräco, cum viciniis castellis.

1478

Maximilianus collecto iusto exercitu Franco obuiam proficiscitur.

Recuperat pleraque in Hannonia. Etiam Cameracum à Franco deseritur.

OMnIbVs aCCeptVs regnat noVVs eCCe phILIppVs.

& quarto Kal. Augusti à sacro eum Lauacro suscepêre Margareta Audacis vidua, Adolfus Cliuius Rauastainæ Regulus nomine Cæsaris, & Lutzenburgius D. Pauli Comes nomine Henrici VII. Anglorum Regis. Et exinde fiunt inter Regem Ludouicum & Maximilianum induciæ in annum, quæ initium sint habituræ 15. Kal. Augusti ea lege, Rex vt Maximiliano restitueret ante finem primi mensis quidquid in Comitatu Burgundiæ ac Hannoniæ occuparat: (quod quamquam ægrè, tandem Rex consen-

Nascitur Mariæ filius Philippus, & induciæ fiunt cum Franco in annum certis legibus, & spe pacis.

consentit, Germanos ac Heluetios veritus, quibus parum placere sciebat, vicinum sibi Burgundiæ Comitatum Francicis ditionibus iungi.) Ceteræ verò ditiones eo manerent statu quo erant; donec sex viri ab vtraque « parte Tornacum missi de absoluta tractassent pace. Denique Rex Tor- « naco præsidium deduceret, vrbemque liberam relinqueret. De pace « Francis non comparentibus, nil actum est. Tornacenses Regio liberati præsidio, mense Nouembri cum Maximiliano transigunt, pollicenturque se Francicum ampliùs non admissuros militem. Varia his duobus annis exigua prælia, atrocia tamen, inter Belgas, Francos, vicinasque nationes, mari extitêre. Sed sub finem huius anni Belgæ, pulsis piratis omnibus, repressisque Francis, maris imperium obtinuere. Bello inter Francos ac Belgas ad tempus sopito, dissidium aliunde exarsit. Gandenses enim mense Februario anni 1479. contra vrbis Rectores arma sumunt, quod teruncio singulum cereuisiæ poculum onerassent. Arma vtraque pars capit, pugnatur diuersis vrbis locis, cadunt è plebe triginta quinque, capiuntur multi, pars capite plectitur, alij exsilio multantur. Intereà Franci, quod promiserant lege induciarum, præsidia ex aliquot Hannoniæ castellis non deducebant. Quare Bossuij ac Harciæ Domini Sellam inuadunt, Francosque deditionem facere cogunt, vlteriusque progressi occupant Creueceurium, Osinum, Esnam, Lesdaignum, Honecurtum, adiutique auxiliis Philippi Cliuij ac Ioannis Lutzenburgij Bochainum quoque recipiunt, Baureuorium desertum reperientes, præsidio firmant. Franci ex aduerso circa Iunij Kalendas septingentos equites cogunt, pedites multò plures, Duceque Creueceurio recipiunt Osinum, Creueceurium, Lesdaignum, Esnam ac Baureuorium, Bochainum frustrà tentant. Et hæc dum fiunt, induciæ tamen violatæ non dicebantur. Sub finem induciarum Maximilianus considerans Regem à pace abhorrere, ad Fanum D. Audomari profectus, exercitũ colligit, ita vt, delectu habito, circiter viginti octo millia bellatorum recenseret. Mouet sexto Kal. Augusti Terowanam versus insessam præsidio 400. galeatorum equitum, & 1500. ballistariorum peditum. Vbi dum Maximilianus necessaria ad expugnationem parat, nuntiatur Francos ductu Creueceurij iusto cum exercitu ad soluendam obsidionem properare, esseque in pago Blangensi. Quare Maximilianus exercitum in vnum locum contrahit, maiora tormenta ad oppidum Airam deuehi iubet, minora in pugnæ vsum seruat. Irridebant Terowanenses, quasi aduenientibus Francis fugam circumspiceret. Sed ille ponte reperto, eoque quatuor millibus Flandrorum munito, generosè viginti nondum annos natus contra Creueceurium proditorem (vide suprà ad annum septuagesimum septimum) nequidquam colles duos Enguinensem ac Guine-

Tornacenses liberati Francico præsidio cum Maximiliano trãsigunt.

1479 *Tumultuantur Gandenses contra vrbis Rectores ob vnum teruncium singulis poculis cereuisiæ impositum.*

Franco non præstante quæ promiserat, iterùm vtrimque vis bellica.

Obsidet Maximilianus Terovvanã, etsi 400. equitibus & 1500. peditibus munitam.

Guinėgatam insedentem in aciem prodit. Habebat Creueceurius circiter tria millia equitum, quatuordecim millia peditum, ac sex millia rusticorum. Secunda erat post meridiem hora, calor intentissimus, ardor ab vtraque parte pugnandi maior. Pugnatur aliquamdiu acerrimè. Sed Francorum equitum multitudine oppressi equites Belgici, tandem fugam Airam versus arripiunt. Insequitur eos Creueceurius ac Torcius cum tribus equitum turmis longiùs quàm exercitus Ducem decebat.

Pugnatur aliquamdiu acerrimè dubio Marte ad Guinegatam, non procul à Blangio pago.

Maximilianus, equitum suorum conspecta fuga, peditum phalangem, cui se iunxerat, promouet, ac primus fortiter lanceam pedestrem in strenuum equitem Britonem nomine Alexandrum rumpit, eumque equo deiectum propria manu capit. Creueceurius ac Torcius, è prima equitum Belgarum insecutione reuertentes, sperabāt eumdem aliarum acierum successum se reperturos. Sed in hastatos incidentes Flandrorum pedites, pars maior capitur, aliquot cæduntur, pauci cum Ducibus effugiunt.

Tandem victoria ad Maximilianum inclinat.

Insequebantur Austriaci, Belgæ ac Burgundi, fugientes ad portas vsque Fani D. Pauli, Hesdini, Dorlani, & vicinorum locorum; sed pauci equites, qui viginti octo horis ex equis non descenderant, insuperque & cladem acceperant, peditesque lassitudine & sudore fluentes reficiendi necessariò eodem erant loco. Requieuit igitur Maximilianus ea nocte in castris & tentoriis Francorum: durauerat enim pugna ab hora secunda pomeridiana vsque ad octauam vespertinam. Postero die Airam peruenit. Creueceurius dispersas in vnum colligens copias Blangesij mansit, summoque manè Hesdinum venit. Periêre è Francis circiter nouem virorum millia, ac inter hos Peureusij Comes, Argentellius, Bauuosius, Torcij Legatus, Dordanus, Brecquius. Capti sunt perpauci.

Pugnatum à secunda pomeridiana vsque ad octauam vespertinam, cæsis circiter nouem millibus Francorum.

A parte Maximiliani, Romontij Comes in dextro crure fuit vulneratus, Cruningius duos sub se perdidit equos. Equites Belgæ desiderati ducenti, ac inter hos Iacobus ac Antonius Halwini, Rudlederus, Ardenburgius, Parwesius, Rotselarius, ac aliquot alij viri Nobiles. Pedites cecidere perpauci, eorumque constantia victoriam Maximiliano parauit. Contigit hæc pugna, dicta Blangiaca, Viesvilla & Guinigatæa, à vicinis locis, 7. Idus Augusti. Mense Septembri, in vnum coactis mille equitibus ac peditum sex millibus, Romontij Comitem Maximilianus ad obsidendum Maubonium castrum munitissimum à prædonibus insessum mittit. Post varias oppugnationes arbitrio Romontij se dedentes, pars seminuda dimittitur, pars ad arbores strangulatur. Hinc Lilersium Romontius peruenit; sed propugnatore non inuento, ignem tectis iniiciens, ad Maximilianum cum copiis venit, qui cum altera exercitus parte ad Fanum D. Pauli castra habebat.

Maubonium castrum in potestatem Maximiliani venit, hinc & Lilersium.

Hoc enim oppidum bis mille ducenti Germani Francorum Regi militantes custodiebant. Exit pars alacriter, expe-

Vtrimque deprædationes & velitationes. experiuntur cum Belgis vires, discedunt paucis vtrimq; desideratis æquo Marte. Hinc Belgæ ad Atrebatensium vsq; portas nemine cōtrà exeunte excurrunt, mille artibus Francos ad pugnam frustrà irritantes. Dimisso igitur Maximilianus exercitu, veteranos in præsidia distribuit. Tunc Franci hinc inde ab Hannonibus & Flandris prædas agunt, Chimaenses vice versa ditionem Leodiensem tamquam Francis fauentem depopu-
1480 lantur. Anno 1480. mensis Ianuarij die decima, parit Bruxellæ Dux Ma-
Nascitur Mariæ filia Margarita. ria filiam Margaritam. Suscepere eam è sacro Fonte Margareta Eboracensis Audacis vidua, Anna Burgunda Rauaistainij vxor, ac Ioannes Challonius Aurantij Princeps dudum ad Mariam reuersus. Huius quoque anni initio Ioannes Carodoletus, Schampuansij Dominus, Burgundiæ fit Cancellarius in locum Gulielmi Hugoneti à Gandensibus interfecti, Aurantij Principe ægerrimè eius promotionem ferente. Petierat enim sæpiùs eamdem dignitatem pro Guilielmo Rochefortio, qui posteà Franciæ Cancellarius est factus. *Gandensibus iterùm tumultuātibus, Maximilianus iratus inde discedit, primò Mechliniam, inde in Hollandiam.* Vere huius anni Gandenses Ordinum Flandriæ consensu, maximeque Dudzellæ Domini instinctu, Maximiliano leges sumptuarias, quibus familiam instituat, ditionesque regat, scribere ausi sunt, complures in exilium agentes, qui ab eo dignitatibus ornati, diu probè recteque muniis functi fuerant: qua insolentia grauiter offensus, cum vxore Maria vrbe discedens, Mechliniam contendit; eaque ibi relicta Bredam est profectus, inde Gertrubergam, conscensaque naui Roterodamum venit, vbi in morbum incidens, adeò grauiter aliquamdiu laborauit, vt Medici de vita desperarent. Sed tandem natura morbum superante, conualuit. *Rex Francorum inuadit ditionē Lutzenburgensem.* Exinde Francorum Rex circiter viginti virorum millia in ditionem mittit Lutzenburgensem, Duce Carolo Ambosio: qui primo impetu Vertonium expugnat, præsidiariisq; partim cæsis partim captis, paulò pòst Iuosium per deditionem accipit, ac in Franciam cum copiis reuertitur. Sub huius anni finem Wolfardus Borselius Hauckicæ factioni fauere repertus, præsertim ob non sedatam tumultuationem, quam ij præsente Borselio in Haga-Comitis excitarant, iubente Maximiliano, in præsentia Adolfi Rauastainij & Ioannis Egmondij, in oppido Gorichemio gubernationi Hollandiæ Zelandiæque renuntiare cogitur, succeditque ei Iodocus Lalanus. Vere an-
1481 ni 1481. Maximilianus iterùm in Hollandiam profectus, bellum Hau-
Hauckios seditiosos in Hollandia Maximilianus castigat, inde in Frācos tendit. ckiis infert. It cum eo Salezarus, Fani D. Martini Dominus, Habartus, ac alij Nobiles præfecti. Capiuntur capita aliquot Hauckiorum ac securi percutiuntur. Vrbem Leidanam in quinquaginta millia florenorum condemnat, quòd sine causa Hauckios admisisset. Exinde ex Hollandia contra Francos proficiscitur. Expugnat, diripit, ac exurit Baumontium Hanoniæ. Arx, cùm aliquamdiu tenuisset, tandem quoque deditionem

nem facit. Sed vix inde cum exercitu discesserat, quin statim Belgæ à Francis pellerentur, quòd iterùm Maximilianus in Hollandiam contra Hauckios omnia perturbantes proficisci esset coactus. Roterodami ac Goudæ honorificè admittitur, tum Audewateræ ac Leidæ, capite hîc puniens Theodoricum Potterum, auctorem vt Henricus Brouchusius Geldrico cum præsidio in ciuitatem Hauckiis auxiliaturus admitteretur. In profesto Paschatis Hagam-Comitis venit, indeque post octo dies Dordracum, quod Egmondius non ita pridem, eiectis Hauckiis, astu occupauerat, nauem velut solis saligneis viminibus (intus latente milite) onustam portui inuehi curans. Rebus Hollandicis ex animi sententia confectis, Maximilianus Nonis Maij Boscoduci numerum Equitum aurei Velleris supplet; filiumque Philippum trimulum Equitem creatum aureo torque condecorat. Venerat & Maria vterum gerens Buscoducum, vt cum marito inauguraretur; vbi cùm scena lignea rumperetur, Maria tamen omnésq; qui in scena stabant ruentes nihil se læserunt. Pridie Kalend. Iulij annuæ inter Francos ac Belgas induciȩ publicantur: quæ ita scilicet sunt seruatæ, vt intereà ab vtraq; parte tamen miles à prȩdationibus non abstineret. Sub idem tempus Geldrij, præcipueq; Neomagenses, Brabantinorum Hollandorúmque agros continuis incursionibus vastabant, Meursio eorum nomine cum Cliuio bellum gerente. Causas vide superiùs anno septuagesimo secundo & septimo. Quare Maximilianus cum mediocribus contra eos copiis profectus, variis locis minutis præliis Geldros fundit, sed nullibi maiore incommodo quàm iuxta Wageningam: qua pugna quingenti ciues Neomagenses, exceptis exteris, periêre; capti sunt multò plures. Domiti Neomagenses ceterique Geldri cum Maximiliano transigunt, omnesque se eius potestati, exceptis Venneloniis, committunt. Proficiscitur Maximilianus cum vxore Neomagum, ac in Geldriæ Duces inaugurantur. Idem fit Zutfaniæ: præficitque Geldriæ ac Zutfaniæ Adolfum Nassouuium à Visba; qui (vt posteà narrabimus) non probè hoc munere est functus. Vxore Maria Bruxellam remissa, Rurmondæ militem cogit, ac Venneloum obsidet. Cúmque muri tormentis disiecti militem ad irrumpendum inuitarent, emissis Vennelonij Legatis, honestis legibus deditionem faciunt. Inde dimisso milite, Maximilianus Antuerpiam venit, vbi ab ignotis aliquot circa vesperam occiditur Dudzellæ Dominus, summus Gandensium Balliuus, postremæ Gandensis seditionis caput, eáque de causa plebi gratus; quæ, eius morte intellecta, alium seditionis ducem circumspicit, causámque quærens, mox vrbe ac Flandria exulare iubet Gasbechi Dominum, multósque alios claros nobilésque viros. Postridie Kal. Septembris nascitur Bruxellæ Maximiliano filius Franciscus, qui vigesima

Ex Gallia redire cogitur, iterum tumultuātibus Hollandis.

Maximilianus filium Philippum trimulum Busciducis Equitem creat.

Geldri Brabantiæ & Hollandiæ agros incursant.

Domiti Geldri Maximilianū cum vxore recipiunt, tardius tamen aliis Venlonij.

Pergunt tumultuari Gandenses, proscripto etiam Gasbechi Domino & aliis.

tertia Decembris sequentis obiit. Exinde Franci occupant oppidum Cambresiacum haud procul Cameraco situm, inde Condæum vsque ad Scaldim excurrentes. Erat hoc tempore Maximilianus cum vxore Brugis. Exit illa cum Nobilium virorum ac virginum comitatu ad venationem, inspectura hierofalconum ac accipitrum, quibus plurimùm delectabatur, artem ac solertiam. Insidebat noto asturconi, admodum animoso ac feroci. Cingula quæ sellam sessoriam stringebant, dum incitatus asturco ardentiùs fertur, inter currendum soluuntur. Labitur supina equo Maria in tergum, læditque costas adeò grauiter, vt post tertiam septimanam decumbere cogeretur. Hactenus enim vim mali dissimulando nemini aperire, mariti causa, fuerat ausa. Tandem accedente continua febri, quinto Kal. Aprilis anno 1482. in ciuitate Brugensi Deo animam reddidit, quartùm grauida, ætatis anno vigesimo quinto, incredibili cum dolore Maximiliani. In ipso enim iuuentæ flore ac vigore constituti, inuicem tenerrimè adamabant; adeò vt Maximilianus per omnem vitam cùm de ea mentionem inferret, aut fieri audiret, à lacrymis aut suspirio abstinere non potuerit. Fit viduus anno ætatis vigesimo tertio. Conditur Maria summa cum celebritate Brugis, in templo, vt petierat, diuæ Virginis Mariæ, tertio Nonas Apriles. Cor Antuerpiæ in matris sepulchro ad D. Michaëlis clausum est. Huius Mariæ Principatu anno octogesimo primo Ioannes II. Lusitaniæ Rex peritissimis ea tempestate Mathematicis Roderico & Iosepho Medicis suis, itemque Martino Bohemo, qui se Ioannis Regiomontani discipulum ferebat, negotium dedit, aliquid communi consilio excogitarent, ad cursum nauium in pelago, quamuis ignoto, regendum, abducto nauta à siderum sibi familiarium conspectu. Ita Astrolabium instrumentum, quod anteà ad colligendos stellarum motus dumtaxat adhiberi consueuerat, ad explorandam simul locorum (vt vocant) latitudinem ab ijs accommodatum est.

Maria inter venandum equo lapsa grauiter læditur.

1482 *Tandem post tertiam hebdomadam moritur Maria, incredibili dolore Maximiliani.*

PHI-

PHILIPPVS AVSTRIACVS, POSTEA HISPANIÆ REX, FILIVS SVPERIORIS, XLI. BRABANTIÆ IV. BELGII VNITI PRINCEPS.

Præfuit partim per tutores, partim per se, annis 24. & mensibus sex.



MAXIMILIANO vxori Mariæ iusta persoluente, Francorum aliquot Præfecti, 4. Kalend. Aprilis vigilum negligentia Bohainum occupant, ciuibus ac præsidiariis ad arcem confugientibus; vnde mox in oppidum armati reuertentes variis locis incendunt: quare Franci discedere coacti, ædibus quæ nondum ardebant, ipsi quoque ignem iniiciunt. Belgæ alia parte occupant castrum Elicurtum ac Baureuorium. Sed Mouyus Fani D. Quintini Pręfectus, coactis trecentis equitibus ac quadringentis peditibus, dicta castella, eiectis Belgis, recuperat. Demum 12. Kal. Augusti Maximilianus, conuocatis Brabantis, ab ijs liberorum suorũ tutor constituitur. Idem Ipris, coactis Flandriæ Ordinibus, tentat; sed Gandensium intercessione, recusant. Hinc posteà miseriæ. Sub idem tempus iuxta Leodium Ludouicus Borbonius Leodiensium Antistes, machinatione Guilielmi Mercani Arenbergij in insidias pertractus, à sicariis Francis fine Augusti interficitur, corpusq; in Mosam abiicitur, atque insuper conuocato Leodiensiũ populo, gloriatur Mercanus sua opera Antistitem omnium præcedentium calamitatũ à Brabantis acceptarum auctorem interfectum, petitq; filium suum Ioannem Mercanum Coloniæ litteris operã dantem in Antistitem eligant. Peruenerat Maximilianus in Hollandiam ac Zelandiam; tutelaque liberorum suscepta, in Brabantiam reuertit: intellectaque Præsulis Leodiensis indigna cæde, consilio cum Brabantis habito, vindicare scelus, nec pati vt Mercanus

1482

Maximilianus à Brabantis liberorum suorum tutor constitutus, tamen à Flandris ad tutelã non admittitur.

Borbonius Episcopus Leodiensis fœdè mactatur.

eius-

eiuſque complices erga cõmunem Præſulem, Burgundicæ familiæ fautorem, impunè tantum facinus ſint auſi, ſtatuit. Pedites enim equiteſque Franci, à Mercano ad facinus perpetrandum conducti, magno numero palàm ac impunè in vrbe vagabantur. Attribuuntur ſtatim Philippo Cliuio belli huius Imperatori quingenti equites, & mille quingenti pedites; cui ſe mox aliis cum copiis iunxere varij Proceres, ac voluntariorum militum numerus ingens, petuntque primùm D. Trudonis oppidum, quod Kalend. Septembris deditionem facit. Hîc ad Cliuij caſtra adducit Marcgrauius Antuerpienſis centum equites, Maierus Louanienſis octingentos haſtatos pedites, Balliuus Brabantiæ alam equitum ac mille ducentos pedites. Sequitur mox Challonius Aurantij Princeps cum equite ac pedite Burgundo. Oppidum Burchlonium occupant ac diripiunt. Expugnant ſpoliantque Haſſeltum, dein muros portaſque deiiciunt, ciues occidunt aut captiuos abducunt. Hîc ad exercitum cum nobili iuſtoque comitatu venit Romontij Comes Sabaudus; multaque oppida ditionis Leodienſis deditione facta, in gratiam, magna priùs numerata pecuniæ ſumma, recipiuntur. Nono Kal. Octobris vniuerſus exercitus vnico ab vrbe Leodienſi milliari, qua parte Tungros reſpicit, caſtra locat, certantque leuibus indies præliis. Pars exercitus Tungros obſidet, qui poſt paucos dies inopia commeatus deditionem faciunt.

Conſtitutus etiam ab Hollandis Maximilianus tutor, per Brabantiã in Leodienſes mouet.

Potitur S. Trudone, Burchlonio, Haſſelto, aliis.

Intereà Maximilianus cum Ludouico Vndecimo Francorum Rege pacem propter Flandrorum rebellionem facit, his aliiſq; licet iniquiſſimis conditionibus: Carolus Delfinus Regis filius Margaretam Maximiliani filiam in vxorem ducito, eaque mox pace publicata Atrebati traditor, & in Francia enutritor. Margareta Delfino in dotem Comitatus Arteſiæ, Burgundiæ, Maſconum, Auxerræ, Charoloij, Salinarum, Barræ ad Sequanam, Boloniæ ac Noierij adferto. Nec Rex, nec Delfinus, nec Maximilianus, tutelam Philippi Auſtriaci prætendito, neque gerito, ſed Belgarum Ordinibus in eo quo nunc ſunt ſtatu relinquito. Maximilianus ac Philippus vt Flandriæ Comes eiuſque ditionis Ordines Pariſienſem Senatum pro ſuprema prouocationis curia agnoſcito, eaque de re litteras Regi dato. Pace iniqua facta, Maximilianus ad bellum Leodienſe totus accingitur. Tribus Leodio milliaribus arx ſtabat Houloinga, in qua octingenti erant prædones Mercani, Brabantis infeſtiſſimi, quibus centum ſexaginta equites eiuſdem farinæ auxilio venerant. Cliuius ceterique Proceres cum octo virorum millibus poſtridie Nonas Ianuarij
1483 anni 1483. eos obſidet, tormentiſque facto ingreſſu, præſidiarios ad deditionem cogit; qui nudi, albam manu virgulam in gratiæ ſignum ferentes, exeunt. Hinc Mercanus circiter viginti virorum millia Leodio educens, contra Cliuium in aciem prodit. Brabanti eorumque ſocij precatione

Sancit Maximilianus pacem cum Franco, propter Flandrorum rebellionem, iniquis licet legibus.

Totus ad bellum Leodienſe accingitur.



PHILIPPVS AVSTRIACVS, XLI. BRAB. IV. BELGII VNITI PRINC.

En pietatem veterum.

catione ad Deum facta, promittunt superstites proximo die Veneris pane ac aqua victuros. Pugnatur acriter, tandem virtute peditum Austriacorum acies Leodiensium perrumpitur, ac in præcipitem fugam agitur. Periere è Leodiensibus circiter tria virorum millia, capti multò plures,

Leodienses accepta clade circiter trium millium virorum pacem petunt, impetrantq; ea lege vt Brabantiæ Ducem Protectorem suum agnoscant.

tormenta omnia cum signis militaribus in potestatem redacta, ex Austriacis plùs minùs quinquaginta cecidere. Hinc posita ferocia Leodienses pacem petunt, eaque lege inter alias impetrant, vt singulis annis, Maximiliano triginta duo millia aureorum florenorum soluerent, Ducémque Brabantiæ Protectorem ditionis vrbísque Leodiensis agnoscerent. Tenebat hoc tempore Traiectum ad Rhenum (Vltraiectum vulgò) partes Hauckiorum, eaque de causa Antistes Dauid Burgundus sede erat pulsus. Oppressum captumque Vltraiecti Episcopum Amorsfortium suæ factionis oppidum relegauerant Hauckij, iustaque custodia sepserant: Maximilianus Antistitem affinem indigno carcere liberaturus, ar-

Bellũ aliud in Vltraiectinos, ob captum ab ipsis suum Episcopum Dauidem Burgundum.

ma parat, ac copias contra Vltraiectinos mouet. Habebant Hauckij in vrbe mercenarios equites centum viginti, pedites mille quadringentos. Iodocus Lalanus Hollandiæ Præfectus contra vrbem cum copiis præmittitur, adducebátque Sorræ Comes mille quingentos Germanos pedites, Lancelotus Barlaimontius bis mille Picardos ac Hannones, quibus imperabant Salezarus, Hiergius, Hutinus, Habartus ac Hercules Lalanus. Mense Iunio ad vrbem cum octo virorum millibus Lalanus venit. Barlaimontius suburbium insulare, dictum *de Weert*, bis reiectus, tertiò expugnat, munitiones proferens ad vrbis vsque fossarum labra. Adest 18. Iunij Maximilianus, qui hactenus Gorinchemi conscribendo militi fuerat intentus, quinque millia peditum cum non paucis equitibus adducens; statimque misso milite, munitionem quæ in Portu (quem

Oppugnatur acriter vrbs.

de Vaert vocant) expugnant ac incendunt. Tum proferri tormenta, quatique murum iubet. Erumpunt aliquot equites; repelluntur, captis viginti. Proposito oppugnationis signo, miles se parat. Vltraiectenses, de rei euentu timentes, mittunt ad Maximilianum Eingelbertum Cliuium, Montvortij Comitem, ac Consules duos, vt de compositione agerent. Interim miles iniussus ad vrbis oppugnationem sine ordine conuo-

Dum de deditione agitur, hinc iniussus miles nihilominùs ad oppugnationem prosilit, inde Lalanus vrbem obequitans traiicitur.

lat. Non desunt sibi ciues, nec præsidiarij. Cadit Sorræ Comes cum aliquot Germanis; eoque res deuenerat, vt collato pede pugnaretur. Doluit ob hæc Maximilianus: nam ferè transactum erat, auctoritatémque suam lædi satis intelligebat, quasi mala fide cum eis tractasset. Ciues exigua victoria elati, conditiones reiiciunt. Detinentur hac de causa in castris Eingelbertus Cliuius ac alter Consulum. Iudocus Lalanus paruo asturconi insidens, vrbis situm comitante Egmondio perspiciebat, cùm ecce è veste purpurea agnitus, à duobus vulneratur sclopetariis. Deducitur

citur ad diuersorium propinquum. Venit huc statim Maximilianus, ac posteaquam per duas horas soli essent collocuti, commendatis vxore ac liberis, paulò pòst pridie Nonas Augusti moritur, Densæ in Flandria sepultus: nec diu posteà Vltraiectini moram facientes, his inter alias le-
„ gibus Maximiliano se dedunt: Pro belli impensis Maximiliano quadra- *Leges quibus Vltraiectini Maximiliano non multò pòst se tradunt.*
„ ginta millia florenorum certis temporibus soluitote. Equites peditésque
„ præsidiarij statim inermes exitote, præsidiúmque Maximiliani per por-
„ tam aut muri ruinam, vt illi visum fuerit, recipiunto. Annui ciuium re-
„ ditus, qui die publicationis pacis debebuntur, semel Maximiliano ce-
„ dunto. Maximilianus in vrbe arcem, loco quo voluerit, extruito. Hæc acta transactaque pridie Kal. Septembris circa mediam noctem. Hoc anno 2. Kal. Septembris obiit Ludouicus Vndecimus Francorum Rex, succedente filio Carolo, cùm anteà mense Martio etiam obiisset Rex Anglorum Eduardus Quartus. Anno sequenti 1484. vndecimo Kalend. 1484
Februarij, obscura nocte, viginti pedites Austriaci occupant Amersvortium, quòd congelatis fossis custodias negligenter curassent. Austriaci suorum paucitatem dissimulaturi, ingenti sublato clamore omnes securos esse iubent, qui cum Antistite Dauide sentiant. Qua voce audita, statim se Austriacis Cabelliauij iungunt, ac Hauckia factione eiecta, bona diripiunt. Maximilianus eodem tempore in Hannonia filij Philippi tutor admittitur. Hoc anno initium sumpsit summa Belgarum calamitas, è bello ciuili orta. Brabantiæ pars maior, ac Cabelliauij Hollandi cum Maximiliano stabant, quemadmodum & Hannones, Lutzenburgenses, Namurcenses, ac Rectores ferè omnes, exceptis Flandris, parteque Brabantiæ minore; quorum antesignani Gandenses, iactantes Maximilianum nimium Germanis & exteris tribuere, in potestate habentes Philippum Austriacum, eius nomine se omnia administrare simulabant, assignatis ei viris nobilibus Adolfo Rauastainio, Philippo Burgundo, Romontij Comite, ac Gruthusæ Domino. Scribit ad hos litteras Maximilianus, docens, iniuriam quam Flandri, erepta proprij filij cura ac tutela, contra rerum naturam, omniumque ferè Belgarum iudicium eam sibi deferentium, faciebant. Cùm Proceres quid Maximiliano essent responsuri, dubitarent, Flandri propria auctoritate non satis honestè nec modestè respondent. Eodem tempore Gandenses ac Brugenses Antuerpiensium foris, nundinis, ac mercaturæ immunitatibus insidiabantur; illi vicissim Flandrorum prærogatiuis imminebant. Maximilianus considerans Gandenses ad bellum se parare, insidiatur oppidis circa Gandauum sitis. Instruit Mechliniæ plaustra tria, imponit iuuenes acerrimos. In vno sedebant hi schemate sacrarum Virginum, in secundo Monachorum, in tertio mercatorum seu

Amersfortium inde captũ, pulsis Hauckiis.

Causa prætensa à Flandris & aliis paucis, cur detẽto apud se Philippo, nollent habere Maximilianum eius tutelam.

Astu militari occupat Maximilianus Teneramondam.

 ciuium,

ciuium, omnes ſub veſtibus egregiè armati; ſic portam Teneramondæ occupant, ſequénſque mox Maximilianus cum octingentis equitibus op-
1485 pido potitur. Et ſimiliter aſtu militari ſecundo Nonas Ianuarij anni ſe-

Item Audenardam.

quentis Audenardam in poteſtatem redigit. Exſtruxerant Gandenſes inter Zaftingam ac Calloum in Clopperſdikio iuxta Scaldim munitionem amplam, tormentiſque ac viris probè inſtruxerant. Ex hac Antuerpiam proficiſcentes aut redeuntes ſpoliabant, infeſtique erant. Mittit huc militem Maximilianus, iungunt ſe eis Antuerpiani, munitionemque inuadunt, tandemque expugnant, Gandenſium præſidiariis in pugna interfectis, aut ad arborem iugulatis. Hoc tempore mari non minùs infeſtè

Flandri vice verſa ex Sluſano portu Vliſſingam Zelandiæ populantur.

bellum gerebatur. Sluzani enim armatis nauibus è Zelandia ac Hollandia omni momento prædas agebant, ac decima ſexta Maij Vliſſingam, quæ tum nec foſſa nec vallo erat munita, inuadunt ac diripiunt, Scoltetum Walterum Domburgium cum multis in templo interficiunt, & contra fidem ditiores ciues omnes abducunt. Maximilianus hæc impediturus, in inſulam Walechranam iuſtum mittit militum præſidium; quod opportunis diſtributũ locis exinde Flandrorum deſcenſiones prohibuit. Intereà Martinus Suauræus, vir militaris, conſcriptis apud Heluetios mille ducentis peditibus, in Brabantiam redit, contraque Aloſtanos ac Niniuenſes ducit, ſubſequente Philippo Cliuio cum duobus millibus Brabantinorum peditum ac quadringentis equitibus. Contra hos præſidium Aloſtanum erumpens, in oppidum retruditur. Naſſauuius cum Heluetiis Niniuenſes præſidio carentes inuadit, & oppidum expugnat. Gandenſes res ſuas indies peius ire videntes, vireſq; Maximiliani creſce-

Accipiunt Gandenſes auxilia à Franco.

re, ad Francorum Regem, Ioannem Brugenſem, Gruthuſæ Dominum cum honorifico comitatu mittunt; cuius operâ Rex eis in auxilium, duce Creueceurio mittit ſexcentos quinquaginta lancearios equites ac bis mille pedites: qui initio menſis Maij in Flandriam contendens, propinquuſque Tornaco, intromitti cupit, ſed fruſtrà; quare quinto Idus Maij Denſam proficiſcitur, ac quindecim diebus manet. Conſiderans Maxi-

Audet Maximilianus prodire in conſpectum vrbis Gandauenſis, quò auxilia ſe receperant.

milianus non ſolùm Romontij Comitem à ſe defeciſſe, ducémque rebellium Flandrorum factum, ſed etiam Francorum Regem duce Creueceurio ſe ſuoſque oppugnare, collectis in vnum quatuor millibus peditum ac duobus millibus equitum, fruſtrà tentato in itinere Aloſto, ad Creueceurium prælio certaturus contendit. Sed certior factus eum Gandauum perueniſſe, non multò pòſt cum omnibus copiis ad vrbem Gandenſem accedit, inſidias iuxta D. Bauonis portam locans. Ipſe cum paucis Proceribus ac equitibus ſe dat in conſpectum; Montignius ab altera parte cum quadringentis equitibus prædabatur, nihilque intactum, ad portas vſque excurrens, relinquebat. Quare tandem ſonitu campanæ, cui

nomen

nomen est Rolandus, magnus ciuium numerus ad recuperandam prædam vrbe cum armis exit. Montignius, acta præ se præda, abitum simulat. Gandenses acerrimè instant, insidiarumque loca pertranseunt. Surgunt qui latuerant, eosque à tergo inuadunt. Idem à fronte facit Montignius; multi cadunt ac vulnerantur, adeoque Austriaci fugientium Gandensium vestigiis insistunt, vt tres qui vnà in vrbem irruperant, posteà confossi sint reperti. Periêre è Gandensibus circiter mille: molæ frumentariæ quinque exustæ, quemadmodum & pars portæ D. Bauonis; quæ nisi opera Ioannis Rantreli fuisset occlusa, captum Gandauum eo die periisset. Dimisso enim cratere, ad quem spectaturus pugnam ascenderat, hostes ciuésque exclusit. Ex hoc tempore Gandenses multum de pristina ferocia remisere. Hoc rerum apud Belgas statu, Carolus Octauus Francorum Rex Margaretam Philippi Austriaci sororem sibi desponsam in potestate habens, ad Brabantiæ ac Hannoniæ Ordines inter cetera sic scribit: Carolus Dei gratia Francorum Rex. De bello inter patrem nostrum Austriæ Archiducem, fratrem Philippum, & tres Flandriæ Ordines orto summopere doluimus. Misimus Legatos. Hi rem eò deduxere, vt frater dictíque Ordines negotium arbitrio nostro, Principúmque nostri sanguinis aut Senatus Parisiensis sententia definiendum committerent; cui præsentationi acquiescere pater noster noluit, sed iusto cum exercitu Flandriam inuadens, incolas omni genere calamitatis affecit. Id autem nobis nulla ratione est ferendum, quippe qui supremam in Flandriam iurisdictionem obtinemus, ac iure vxoris damnum Flandriæ illatum aliqua ratione sentimus. Datum Roüe, decimò Kalend. Iunij. Carolus. His litteris ab Ordinibus ad Maximilianum missis, iis responsione prohibita, ipse inter cetera sic rescribit: Serenissime Rex, vidi tuas litteras ad Ordines scriptas, quibus tibi placet eam mihi inurere notam, ac si cum summa iniuria contra naturam filio meo dilectissimo, Ordinibúsque Flandriæ bellum inferrem. Nouere omnes homines iniuriam, qua à Flandris in hunc vsq; diem afficior, filium meum Gandaui, me, eóque inuito, vi detinentibus, ac pro arbitrio gubernantibus. Sed spero, iuuante Deo, breui me eum carcere ac tyrannide eorum liberaturum. Quare honori tuo consultum vt pater cupiens, te admoneo, ne posthac similes litteras mittas. Nam prêter spem summam quam in Deo ac iustissima habeo causa, non solùm litteras tuas, sed etiam minas contemno, id testaturus inuicta conscientia, qua hostes omnes persequi non desistam; resistant, eósque iuuent qui velint, ac præcipuè rebelles subditos, in quo nunc totus sum, rationis ac æquitatis præscripto obediens. Vale Domine ac cognate honorande. Deus te diu incolumem seruet, ac sanum omnibus in rebus consilium dare dignetur. Ex vrbe nostra

Quin egressos contra se Gandenses ad mille circiter viros cadit.

Litteræ Regis Franciæ pro Flandris.

Responsio Maximiliani ad easdem.

ſtra Duacenſi, pridie Kal. Iunij. Maximilianus. Iam Flandros belli ciuilis tædere incipiebat, maiórque pars Gandenſium ac Brugenſium pacem petebat, pecuniæ inopiam allegantes: quibus Guilielmus Rimius Syndicus homo ſeditioſus conſulebat, Ducis Philippi pretioſiorem ſupellectilem venderent. Ægerrimè id ferebat Martinus (alij Matthiam vocant) Paiartus, ſummus opificum Decanus, inſtigátque ſecretò populum, pacem petere non deſiſtat. Fit ita. Sed cùm res differretur, exacerbatur plebs contra pacis oſores. Iam anteà enim Teneramondæ tredecim Aurei velleris Equites congregati æquiſſimas pacis leges Gandenſibus obtulerant, eáſque plebs admiſiſſet, niſi qui cum imperio in vrbe tum erant, impediuiſſent. Receperant hi ſe mox ad pacis mentionem Aloſtum. Mandant Gandenſes Præfecto Aloſtano captos ad vrbem remittat.. Paret non inuitus, quòd vereretur ne ab his Francorum auxilio, oppidi gubernatione priuaretur. Erant inter hos præcipui, Raſſingemius, Rimius, Coppenollius, Ouredenus; è quibus paulò pòſt Gandaui Rimio ac Ouredeno, pacis Teneramondanæ interceſſoribus, capita publicè abſcinduntur; ceteri plebis interuentu liberati, clàm Tornacum migrant. Romontij Comes Flandricæ coniurationis Imperator, Aloſti erat cum trecentis Francis: is rebus ſuis diffidens, cum præſidio ad Creuecœurium tendit. Sedebat hic in Veteribus caſtris iuxta Tornacum in ſuburbio diui Martini, nulla eum ratione Tornacenſibus admittere volentibus: quare decimo ſexto Kalendas Iulij Heſdinum cum Romontio rediit, nulla, quæ tanto Duci exercituíque honori eſſe poterat, re memorabili geſta. Confecto hac ratione bello, ſeptimo Kalend. Iulij Maximilianus Brugas cum nobili decentique comitatu intrat. Excipiunt eum ciues lætis animis, pacem ſibi gratam demonſtrantes. Erant eadem in vrbe Nobiles aliquot, qui contra Maximilianum cum Flandris acerrimè pugnarant: ſtatim in carcerem ducuntur, bona fiſco addicuntur. Vxor ſororque Romontij donantur Philippo Cliuio: Borſelius Ter-veræ Dominus captiuus fit Beueræ Domini. Ita Flandri integram pacem deſiderantes, eam tandem his inter ceteras legibus impetrant: Flandriæ Ordines ac Vrbes Archiducem Maximilianum filij ſui Philippi tutorem agnoſcunto. Philippum extra vrbis portam adductum in patris Maximiliani poteſtatem conſtituunto, promittente Maximiliano ſe filium extra Belgij limites, antequam adoleuerit, non abducturum. Rerum iudicialium in Flandria is ſtatus, qui ante bellum fuit, maneto. Acceptorum impenſarúmq; rationes Inſulis veteri more redduntor. Ordines Flandriæ Maximiliano tribus temporibus 700. florenorum millia in bellicos ſumptus à ſe factos ſoluunto. Exinde Gandenſes ſe parant, vt Maximilianum honorificè excipiant. Exeunt ei cum Philippo Auſtria-

Maior pars Flandrorũ ad pacem inclinat.

Pacis oſores dilapſi primò Gandauum retrahuntur, deinde duobus etiam capita abſcinduntur.

Maximilianus dilapſis capitibus rebellium, Brugas ingreditur.

Conditiones pacis inter Maximilianũ & Flandros.

Auſtriaco obuiàm Adolfus Rauaſtainius, Antonius Burgundus, cum filio Philippo, multiſque aliis Nobilibus, qui in vrbe cum Philippo Auſtriaco erant detenti. Philippus, viſo patre, ex equo deſilit, flexoque poplite ſalutat, tantóque vtrimque animi cum affectu in amplexum ruunt, vt maiori aſtantium parti lacrymas excuterent. Gandenſes viſo Maximiliano in genua procumbunt, ac dum leguntur pacis leges, manent: dein Nonis Iulij omnes vrbem porta Brugenſi intrant, ſequentibus Germanorum peditum quinque millibus. Tum Maximilianus proprio gladio tactis ſcapulis, in Equitum cooptat numerum Martinum Paiartum, quòd eum ſemper pacis auctorem fuiſſe ſciret. Quinto pòſt hæc die Gandenſes iterùm ad arma hac de cauſa recurrunt. Tres Germani milites, ancillam hoſpitis ſui violare conati, iuſſu Magiſtratus in carcerem ducuntur. Germani nullius ſe imperio ſubiici cenſentes pręter Præfecti rerum capitalium ſuæ legionis, (Prouoſtum vocant) eo inſcio, numero quatuor ad carcerem contendunt, ancillæ claues extorquent, ac ianuas duas aperiunt. Reſtabat poſtrema, eùm vociferatione dictæ ancillæ accurrentes ciues, ac quidnam eſſet edocti, ad Magiſtratum tendunt, ius de carcerum effractoribus ac virginum violatoribus petentes fieri. Promittente Magiſtratu, nihilominùs magno numero cum armis ad forum contendunt, ſigna militaria proferunt, ſéque plauſtris muniunt. Maximilianus, cauſæ ignarus, eò Philippum Cliuium ac Cameracēſem mittit Antiſtitem. Loquentibus aures præbere nolunt. Hora noctis decima, motis ſignis, ad ædes Maximiliani contendunt. Ille Germanos ad pugnam inſtrui iubet; vrbémque flamma ferroque vaſtaſſet, niſi eum Proceres exoraſſent, placaſſéntque. Chimaus ac Beuerus rem pacificaturi ad ciues exeunt, ſed fermè violantur, maiórque famulorum pars galeros ac ſuperiorem veſtem perdidit, eodémque momento Rolandus dat ſonum. Maximilianus aliquot Germanos, Heluetios ac Anglos exploratum mittit, ſerióne pugnam quærant, an ebrij aliquot tumultum excitent. Hi Gandenſes variis locis aggreſſi, nonnullos vulnerant ac ſternunt, complures in fugam agunt. Cúmque Maximilianus, inſtructa acie, ſe ſeriò ad pugnam pararet, animis plebs cadens, domum reuertit, armaque ponit. Verebantur enim etiam à tergo arma proborum ciuium, vndique Maximiliano in auxilium coëuntium. Is cum ſua acie ad Ædem publicam profectus, pacis violatores, ac tumultus excitatores à Magiſtratu exigit. Traduntur tertio à tumultu die octo. Intereà ex omnibus circumiacentibus oppidis ad Maximilianum auxilia conuolant, opportunaque vrbis loca occupant. Tum cogit Gandenſes reſtaurare quinque lapideos pontes, quos demoliti erant, nę Maximiliano è caſtro Wallenſi in vrbem pateret aditus; filiumque Philippum Gandauo

Gandenſes Maximilianũ ſupplices excipiunt, tantiſper dum leges pacis leguntur, in genua prouoluti.

Violare conãtur Gandaui quidam Germani ancillam ſui hoſpitis.

Hinc hora noctis decima ciues cum armis ad ædes Maximiliani contendunt.

Tumultuatores aliquot cæſi; reliqui domum dilabuntur.

Philippus Austriacus Gandauo eductus Mechliniã deducitur.

Gandauo eductum Mechliniam ſub cuſtodia Adolfi Rauaſtainij mittit. Promittunt Gandenſes ſe ſoluturos ſupra promiſſam pacis legibus ſummam, centum viginti ſeptem millia aureorum liliorum. Exinde auctores poſtremi tumultus numero triginta tres gehennæ adiudicantur, octoque ex his capite plectuntur; è quibus duo ſinguli ſeptem millia aureorum liliorum pro redimenda vita fruſtrà offerebant: centum circiter in exilium mittuntur. Decimo Kalendas Auguſti in ipſo ingreſſu arcis Wallenſis Maximilianus in Ducali throno ſedebat. Aſſidebant à dextris & ſiniſtris Conſiliarij Proceréſque. Accedunt omnes vrbis Gandenſis Rectores, ac quot è populo adſtare poterant, capitibus nudis. Tunc Gandenſium Syndicus: Confitentur Gandenſes extremè ſe erga clementiſſimum Principem peccaſſe, incurriſſeque mulctam vitæ ac bonorum. Hinc offerunt ciſtulam, in qua cuſtodiebantur nouem volumina, priuilegia à Francorum Regibus rebellionis tempore ciuibus donata, aut Comitibus extorta continentia: quæ omnibus inſpectantibus Præfectus Diplomatum, detractis ſigillis, diſcidit. Tum veniam petunt. Reſpondet Maximilianus, Cùm feciſſent quod promiſerant. Quo audito omnes iterùm atque iterùm veniam ingeminant. Tandem Maximilianus eam ſeſe abſolutè dare pronuntiat, promittens clementem ſe futurum Principem, ſi in fide perſtitiſſent, ac cùm primùm filius Philippus adoleuiſſet, ſeſe ei gubernationem ceſſurum. Tum Octoviris noui legendi Magiſtratus dat curam: quo facto epulum apparari iubet, in quo omnibus qui petebant, vinum gratis propinabatur. Exinde pax publicatur. Merweſij Dominus Flandriæ præficitur, Iacobus Ghiſtellius Mottæ Dominus vrbis Gandenſis fit Præfectus, magnum Balliuum vocant. Secundo Nonas Nouembres Maximilianus Antuerpia Buſcoducum, inde Grauam Ruremondamque proficiſcitur. Vndecimo Kal. Ianuarij Rurmonda Hensbergam venit, audienſque patrem Fredericum Cæſarem (quem ab octo annis non viderat) Aquiſgranum veniſſe, eò tendit. Vnico ab vrbe milliari eum ſalutat Dux Iuliæ, ducentis comitatus equitibus, pauloque pòſt à Cæſare miſſi adſunt Marchio Badenſis ac Comes Wirtenbergæ. Hos ipſe tandem Cæſar Fredericus ſequitur, qui aliquamdiu ſolus cum Maximiliano locutus, tandem magna cum pompa ſimul Aquiſgranum ingrediuntur.

Octo ſeditioſis Gandenſibus capite plexis, centum præterea in exilium pelluntur.

Gandenſes iterùm atque iterùm ſupplices, vix tandem Maximilianum placant.

Occurrit Maximilianus Patri Cæſari Aquiſgranum.

1486 Decimo quarto Kal. Martij anno 1486. Maximilianus Auſtriæ Archidux Francfurti ad Mœnum, communi Germaniæ Septemvirûm aſſenſione, in Romanorum Regem eligitur, coronaturque Aquiſgrani die nono menſis Aprilis: eò Norimbergâ, vbi tum erat, allata corona, qua olim Carolus Magnus fuit redimitus. Aquiſgrano Cæſar ac Romanorum Rex (ſic poſthac Maximilianum appellabo) ceterique Germaniæ ac Belgarum Proceres, Coloniam Agrippinam pro-

Eligitur Maximilianus Romanorum Rex.

proficiſcuntur, vbi publicè conuiuiis ludicriſque bellorum ſpectaculis ſæpiùs ingenti ciuium gaudio fuit certatum. Vigeſima Maij Cæſar ac Rom. Rex inuicem amplexi, ille in ſuperiorem, hic in inferiorem Germaniam contendit; Sonſiumque eo die profectus, ab Archipræſule honorificè excolitur. Manè Nuſium veniens, paucis diebus oppidi ſitum, ſoceri Audacis memor, qui id vndecim menſibus obſederat, eſt contemplatus. Hinc Erquelemium, inde Hulquenroiam venit. Tandem aurea indutus Imperiali veſte, Ruremondam armatus introiit. Poſtero die ad arcem Horſtiam diuertens, noctem egit; tum Buſcoducum venit, obuiámque ei ſacer profanuſq; Ordo cum vniuerſo populo duos boues mirum in modum ſaginatos, ac duo ingentia dolia vino Rhenenſi plena, dono offerunt: res eo tempore admodum honorifica, nunc ridicula. Buſcoduco Heuſdam mouet, in itinere aucupio ſe recreans. Cùm hîc triduo hæſiſſet, ac controuerſiã inter Archipræſulem Colonienſem Cliuiæque Ducem ortam compoſuiſſet, vtrumque contentum à ſe dimiſit. Heuſda Gorinchemũ profectus, prandet, pręmiſſaq; nauibus Dordracum maxima comitatus parte, terreſtri itinere eques ſubſequitur, toto itinere quatuor horarum vaſibus pice infectis honoris cauſa ardentibus. Donatur à Dordracenis quarto Iunij boue incredibilis pinguedinis, immenſæque vaſtitatis, tum ſturione viuo, longitudinis quinque vlnarum. Poſtero die Legatos Hollandorum audit, qui per Iacobum Alemondium Orationem ei panegyricam recitauere. Exinde ex Hollandis Equites creat, Abbenbrouckium, Dorpium, Zoutium, Cuſingium, Catzium, Eſpangiam, Nortwickium. Dordraco Geertrudebergam proficiſcitur, indeq; Bredam. Poſtero die Turnholtum, vbi ſe per aliquot dies venatione ac aucupio exercuit, inuiſente hîc eum Boſſuij Domino & aliis. Ex eo tempore, quo Creuecœurius cum exercitu Gandauum venerat, pax inter Belgas ac Francos violata cenſebatur; ſed vterque id Princeps diſſimularat, aliis impediti rebus. Nunc Salezarus minor Duacenſium Præfectus, feliciter appoſitis muro ſcalis, adiuuante eum nocte ventoſa ac pluuia, Terowanam occupat: hinc ergo apertum bellum. Pridie Idus Iunij Rom. Rex, qui cum ſummo honore ac ſumptu Antuerpiæ, Mechliniæ ac Bruxellæ fuerat exceptus, certior factus patrem Cæſarem honeſtiſſimo comitatu ſe inuiſentem haud procul Bruxella abeſſe, cum filio Philippo Louanium prouolat, patremque excipit, qui incredibili deſiderio videndi nepotis tenebatur: quem cùm ſenex tenerè eſſet amplexus, ac cum lacrymis exoſculatus, beneque non ſemel precatus, ſimul Bruxellam contendentes, vigeſimo ſecundo Iulij, qui D. Magdalenæ eſt conſecratus, intrant, vbi poſt paucos dies leui de cauſa tumultus inter ciues ac Germanos milites oritur. Ciues ſtatim à Magiſtratu pacantur; Germani

Redit Rex Romanorũ à patre in Belgium.

Vbique ſplendidè excipitur, primùm Buſciducis.

Inde Gorinchemij, tum Dordraci, vbi & omnium Hollandorum Legati eum excepere.

Præfectus Duacenſiũ Terovvanam nocte ventoſa occupat: hinc iam apertum bellum.

Cæſar filiū & nepotem Bruxellæ inuiſit, vbi Germani in dolia aliquot vini iram ſuam effundunt.

inſtructa acie ad Curiam, vbi Principes genio indulgentes menſæ aſſidebant, tendunt, reperienteſque in curribus onerariis dolia aliquot vino Rhenenſi plena, eo die à Magiſtratu Cæſari dono data, poſitis armis iram omnem in ea conuertunt, prædam faciunt, neque diſcedunt antequam ea exhauſiſſent. Bruxella Cæſar Mechliniam, indeque Antuerpiam venit, vbique ingenti cum ſumptu ac magnificentia exceptus. Exinde Rom. Rex circiter quindecim millia bellatorum in vnum colligit, præficitque Cliuium, Chimaum (iam primùm Principis titulo à ſe exornatum) ac Naſſauium. Erat enim & Creueceurius iuſtis cum copiis egreſſus. Hunc ergo ad pugnam cogere, aut Terowanam de commeatu, quo ſummopere egebat, prouidere inſtituerant. Sed Creueceurio in aciem non deſcendente, introductis Terowanam rebus neceſſariis, in Atrebates contendunt, ac obſeſſum aliquamdiu Lenſium tandem ad deditionem cum aliquot in circuitu caſtellis cogunt, plura executuri, niſi Heluetiorum militum ſubita defectione, Rom. Rex qui ad caſtra venerat, fuiſſet impeditus. Legatis igitur iterùm exercitu commiſſo, Inſulas (dimiſſis Heluetiis, qui à Francis pecuniis corrupti dicebantur) contendit. Exercitus quoque paulò pòſt, inopia commeatus dilabentibus militibus, valdè fuit diminutus; quin & Germanorum aliquot vexilla, ſtipendia non ſoluta cauſantes, circa Mabugam ac Auennam omnia in prædam vertunt: cumque ſtipendia offerrentur, tria millia ſublatis ſignis ad Francorum Regem tranſiere; quatuor millia in fide perſtantes, ſtipendia accepere. Cæſar Fredericus poſteaquam per tres menſes in Brabantia, Hannonia, ac Flandria Ordinum ſumptu hilares egiſſet dies, in Germaniam eſt reuerſus, comitante eum Romanorum Regis nomine Mingouallij Domino; ipſe, diſtributo exercitu in præſidia, Bruxellam venit. Sed ecce accedunt eum Terowanenſium Legati, extremam commeatus inopiam exponentes, ac ſubſidium rogantes. Conuocat ergo Proceres ac militem, proficiſcitur Cortracum, Iperas, indeque ad Fanum D. Audomari. Creueceurius enim, intellecta Terowanenſium egeſtate, mille ſexcentos equites ac tria peditum millia coëgerat; inſeſſiſq; opportunis locis ad eam Terowanenſes redegerat inopiam, vt canes, feles, mures, ac ſimilia etiam deficerent. Naſſauius Bergis D. Winoci ſubſtiterat, Rom. Regis aduentum exſpectans, ac Creueceurium quotidie minutis præliis vexans, oppidanis verò ſpem citæ liberationis præbens. Ducenti enim eius equites aliquid frumenti intulerant. Habebat in armis Rom. Rex octo Germanorum, quatuor Belgarum peditum millia, centum cataphractos, & mille ſexcentos leuis armaturæ equites. Sequebantur ducenta plauſtra omni commeatus genere onuſta. Inſtructis aciebus, Terowanam proficiſcitur. Sed Francorum Præfecti inter ſe diſſi-

Auſtriaci Terovvanam neceſſariis inſtruunt, hinc & Lenſium capiunt.

Tria millia Germanorum ad Francum deficiunt.

Terovvanēſes preſſi à Gallis, extrema laborant rerum penuria.

diſſidentes cauſa fuêre, vt milites Picardi ac Bolonienſes, relictis munitionibus ac Præfectis, domum reuerterentur, quos Creueceurius deſerta Terowana ſequi eſt coactus; introduxitque Rom. Rex plauſtra commeatu onerata, ac diſceſſit, reuertens menſe Ianuario anni 1487. Bruxellam. Creueceurius verò numquam quietus, ſed flagrans deſiderio recuperandæ Terowanæ, ad eius obſidionem menſe Februario reuertitur, reſtitutis veteribus circum oppidum munitionibus: quibus non obſtantibus paulò pòſt Belgæ, importato iterùm commeatu, oppidanos eo inuito refecêre, paucis ab vtraque parte cadentibus. Intereà, quarto Kal. Maij Franci, ductore Creueceurio, ſub nocte obſcura Fanum D. Audomari occupant. Ingreſſus eis patuit, partim nauigio, quà Aa fluuius Bertinenſi Cœnobio permeato vrbe abſcedit, partim ſcalis mœnibus admotis, & cito pede dimenſis, dum molæ aquaticæ, quæ tum graui cum ſtrepitu prouoluebantur, excubias fallunt. Menſe quoque Iulio idem Creueceurius Terowanam recuperat, ſimili ferè ſtratagemate, quo anno ſuperiore eam Salezarius occupauerat. Nec hoc contentus, ſubornato commodo proditore quaſi de Bethunia Belgis tradenda, octauo Kalend. Auguſti plurimos iuxta vrbem & Pontem Merwillæ Belgas cædit, & capit. Captiuorum præcipui fuêre Carolus Egmondanus Geldriæ Dux, annos tantùm quindecim natus, Naſſauius, Boſſuus, Foreſtius, Maſtaingius ac alij aliquot. Ductus eſt Carolus Egmondius cum ceteris in Franciam, ac Borboniis maternis cognatis cuſtodiendus datus; apud quos per continuum ferè quinquennium egit. Tum Geldris pecuniam ad eius redemptionem cogentibus, Meurſij Comes proprium filium obſidem dat, donec promiſſa numeraretur pecunia; quod tandem anno 1492. eſt factum. Ea clades Rom. Regi ſanè fuit acerbiſſima; ſed paulò pòſt recrudeſcens cum Flandris ciuile bellum etiam dolorem curarúmque molem auxit. Fuerat Raſſingemius, vt ſuprà dictum eſt, inter præcipuos belli pridem Gandenſis concitatores, paceque facta, poſt mortem Rimij Tornacum primùm, deinde Inſulas cum vniuerſa familia migrarat, tutò ſe ibi manſurum exiſtimans. Sed Carolus Menneuillius, iuſſu Romanorum Regis, Naſſauij aliquot corporis cuſtodes ſibi adſciſcit, Raſſingemiumque tamquam Regi Francorum ſtudentem capit, ac in arce Viluordiana cuſtodiæ tradit, cognatis affinibuſque vincula eius ęgerrimè ferentibus. Itaque huius anni æſtate Adrianus Liekerkius, Raſſingemij patruelis, armatis quatuordecim viris fidiſſimis, ad portã caſtri Viluordiani accedit, ceteriſq; in inſidiis collocatis, cum tribus intromitti petit, obſeruato tempore quo Walhainij Dominus, oppidi arciſq; Præfectus, Bruxellam ad Rom. Regem erat profectus. Negato primùm ingreſſu, promiſſis blanditiiſque tandem impetrat. Cauſam obtendebat viſendæ famoſæ arcis. Hîc reperto

Diſſidentibus Francorum Præfectis, commeatus Terovvanam inuehitur.

1487

Terrovvana iterùm obſidetur, iterúmque commeatu iuuatur; ſed intereà Fanum D. Audomari à Francis aſtu capitur.

Hinc & Terovvana ſtratagemate ad Francos redit.

Ad hæc inſignẽ quoque cladem accipiunt Belgæ ad Bethuniam.

Iterùm nouum bellum ciuile ex captiuitate Raſſingemij.

perto

Astu idem Rassingemius ex captiuitate Viluordiana liberatur.

perto Rassingemio in area deambulante, ait illi Liekerkius: Eamus, cognate, diutiùs quàm par est hîc hæsisti. Rassingemius, exuta veste talari, breuem induit, galerum capiti imponit, ac abit. Custos clamorem tollit. Illi caput parieti illidunt, semimortuum in terra relinquentes. Exeunt Liekerkius ac Rassingemius arce, ascendunt paratos equos, ac cum ceteris armatis, non intermisso equorum cursu, Tornacum veniunt. Hinc Gandauum profecti, quàm tetro carcere sine causa Viluordi Rassingemius fuisset detentus, non sine mendacio narrant. Idem omnes manere, qui aliquando arma contra Rom. Regem defendendæ libertatis causa tulere.

Ab eodem & Liekerkio Rassengemij patruele rursum concitantur ad arma Gandenses.

Nil seruare Rom. Regem eorum quæ pace Gandensi promisit. Esse sine iustitia Flandriam, sine disciplina militiam. Cogendum Rom. Regem rationem reddat de acceptis pecuniis, quas Germani numquam satiati deuorarunt, & in Germaniam miserunt. Philippum Bonum nec Carolum Audacem tantum simul per omnem vitam nummorum accepisse, quantum paucis abhinc annis charybdis Rom. Regis absorbuisset. Hæc veri speciem habebant, nisi accessisset mendacium & calumnia. Eodem enim tempore corporis Rom. Regis custodes, non soluta stipendia conquerentes, partem agri Brabantici ac Hannoniæ depopulabantur, ac Germani milites agrum Brugensium: Bruxellæ verò nullus hospiti suo satisfaciebat. Hinc ergo Gandensium rebelles, clàm bello inter se decreto, Liekerkio negotium dant, prior id Rom. Regi inferat. Is eductis tribus Gandensium millibus cum multis plaustris ac tormentis bellicis,
1488 quinto Idus Ianuarij anno 1488. nocte intempesta prope Cortracum

Occupant Gandenses duce Liekerkio Cortracum.

considet. Cùm diluxisset, oppidi custodes quærunt, vnde & quid tot plaustra. Respondent aurigæ, è proximis pagis timore Gandensium se fugere. Interim maior manus Gandensium aduenit, ac per glaciem in muros peruadit. Tormento porta aperitur. Obiiciunt corpora armati ciues ac pauci præsidiarij. Pugnatur hora cum dimidia acriter, deinde vrbe potiuntur; præsidiarij ad arcem profugiunt, posteróque die deditionem & ipsi faciunt. Rex Rom. re intellecta, Philippum Cliuium cum trecentis peditibus his qui in arce erant, auxilio mittit. Sed serò veniens, etiam Ipris non admissus, Brugas ad Regem Rom. reuertitur.

Item Brugenses Rom. Rege præsente tumultuari audent.

Initio mensis Februarij, concitatione hostium Rom. Regis Brugenses in seditionem vertuntur; cùm tamen Rom. Rex sine præsidio alicuius momenti ad vrbem venisset, expectaturus Belgarum Ordines, qui de pace cum Francorum Rege ineunda erant acturi. Collegia opificum opportuna vrbis loca raptis armis occupant, ad quos cùm Rom. Rex exiguo cum comitatu venisset, & causam tumultus quæsiisset, superbum ac parum ad rem responsum accepit. Postridie Kalend. Februarij cohors ciuium vna, sublato signo, quod puero tredecim annorum in manus dederant, ad ædes

des Petri Lanckhalſij Curiæ Rom. Regis Magiſtri pergunt; domi non reperto, diripiunt, armáque inuenta ad domum deferunt. Inde ad ædes Feurij Flandriæ Quæſtoris, Baradotij Theſaurarij Rom. Regis, ac Meningij (aliàs Ninhouij) Conſulis Brugenſis contendunt, quos etiam nuſpiam reperiere. Rom. Rex cum Proceribus & comitatu intra ædes armatus ſe continebat. Eius iuſſu Beueræ ac Mingouallij Reguli ad forum venientes, blandè rogant quid velint, ac an contra Regem Rom. arma ceperint. Negant, viuere ſe velle ac mori cum eo affirmantes; ſed non ſe forum dereliſturos, niſi in manus ſibi forent traditi ij qui res eius malè adminiſtrarant. Nonis Februarij Gandauo litteræ ad populum Brugenſem veniunt, petentes Rom. Regem firma cuſtodia aſſeruent. Litteris lectis, veſperi circa horam ſextam Tribunus ſupremus à populo coactus ad Rom. Regem venit, nuntians populum ac Præfectos velle, ad forum veniat. Paret pedes, ſequente Beuero, Mingouallio, Lalano, Pollainio, ac aliis nonnullis. Litteras Gandenſes ei dant legendas. Neceſſitate viſa, petit in ædibus ſuis vt cuſtodiatur. Pluſquam horam ſuper hac re conſulunt. Tandem negatur, ſed in domo aromatopolæ ad fori angulum ſatis anguſta includitur, ac cuſtoditur. Domui nomen tum erat *Cranenburgh.* Multi è comitatu Regis incognito habitu euaſere, aliqui in carcerem ſunt contruſi, pauci cum eo manere permiſſi. Quinto Idus Februarij, inſtantibus Gandenſium Legatis, feneſtræ domus in qua Rom. Rex erat, ferreis craſſis clathris cancellatim muniuntur, & ex ſingulis collegiis octo viri, qui eum noctu diuque diligenter cuſtodiant, mittuntur. Poſt biduum è fæce plebis plures in Rom. Regis domũ irruunt, omnia in prædam vertunt, cauſati armorum aceruum in ciuium perniciem congregatorum ſe reperiſſe; quod falſum erat, meraque calumnia. Exinde annitentibus Gandenſibus noui leguntur nomine Ducis Philippi ac Francorum Regis Magiſtratus, Rom. verò Regem ad filij ditiones gubernandas inidoneum declarant. Tum Brugis diſcedunt Legati Duacenſium, Inſulenſium, Orchiaci, Valenchenenſium, & alij, à Rom. Rege ante ſeditionem, vt diximus, euocati: quorũ præſentia liberati Brugenſes, in carcerem coniiciunt Villerualli Dominum, Dudzellium, Cancellarium Carondeletum, Ioannem Lanoium, D. Bertini Abbatem. Tum Rom. Regem adeunt, dictos Nobiles in carcerem ſe conieciſſe affirmantes, quò faciliùs pax Nobilibus exoſa iniretur; deinde vt iniuſtos prædatores punirent petunt, offerentes Regi quatuor millia librarum Flandricarum, quibus domeſticis Nobilibus ſatisfaciat, aliaque quatuor millia, quæ corporis ſui cuſtodibus numeret. Actis Rex gratiis pecuniam non petit; eodemque die in eius cubiculum irruunt aliquot nebulones, capiuntque Pollainium, Naſſauium, Volquenſtainium, Mingouallium, Lalanum,

Inuolant domos Officiariorum eius armati; eos ſe petere, non Rom. Regem dicentes.

Intereà Gandauenſes litteris à Brugenſibus petunt, eum vt firma cuſtodia ſeruẽt.

Itaque aſſeruatur, nec in domo propria, ſed in domo priuata in angulo fori.

Domũ eius Brugenſes diripiunt, aliaq; indigna committunt.

Domesticos Nobiles à latere eius ad carcerem abripiunt, duobus tantùm ei ad ministerium relictis.

Wettæum, Mainium, ac aliquot alios, & in carcerem coniiciunt; manſitque tantùm cum Rege Sorræ Comes, cum alio Germano Comite. Vetant inſuper Beueræ Domino ne diuerſorio iniuſſu egrediatur. Quarto poſt hæc die Sorræ Comes cum altero Germano Comite, iuſſu Regis ex vrbe habitu feminarum euaſère. Exinde publicari iubent, Rom. Regis domeſtici ac milites latebris abſconditi ad vetus forum ſine metu veniant ſtipendia accepturi, àddita capitis pœna ſi quis non veniat. Prodeunt circiter quadringenti milites partim Germani, partim Wallones; quibus fabri lignarij viſis, vnus eorum clamat, Occidite proditores. Inermis miles in fugam ſe coniicit: inſequuntur per omnes vias fabri, vulnerant pleroſque. Sed bonorum virorum ac præcipuè feminarum operâ occultata pars maior mortem euaſit. Poſt hæc verentes ne Rex aliqua ratione aut arte è domo Cranéburgica elaberetur, ei in ædes Philippi Cliuij migrandum nuntiant. Reſpondet, ſe Canenburgica non diſceſſurum, niſi ſuccollantes inde ſe deportaſſent: non rectè eos facere, quòd nullo perſonæ ſuæ reſpectu habito ſic agerent: duodecimum iam agi annum, quòd cum maxima cura, diligentia ac periculis Belgas defenderit: ſcire ſe mortalem eſſe; ſi ſe occidant, non omnes Auſtriacos ſecum occubituros eſſe. Quibus verbis cum maieſtate prolatis, effecit vt multi lacrymas vix continentes, omnes certè eo deſerto ad forum reuerterentur. Quarto Kalendas Martij, cùm paulò antè Coppenollius cum præſidio Francorum Brugas intraſſet, pax cum Francis anno 1482. inita, & nunc renouata publicatur, Rom. Rege adhuc in ædibus Cranenburgicis ſedente Exin Coppenollius auream argenteamque monetam in vulgus ſpargit, & non multò pòſt Rom. Rex ex Cranenburgica ad Philippi Cliuij domũ ſimiliter ferreis clathris probè munitam migrare cogitur, conceſſis ei rurſum decem Nobilibus domeſticis. Philippus Cliuius, intellecta tam arcta Rom. Regis captiuitate, collecto milite Sluzam occupat, ac vtrique arci de rebus neceſſariis prouidet, militare ſignum Rom. Regis exponens. Erant hoc tempore Hulſtæ in præſidio mille circiter ducenti veterani pedites Germani, ac totidem Wallones. Præerat eis Saueuſius, qui adeò grauiter Gandenſibus nocte dieque fuit infeſtus, vt molas etiam quæ iuxta vrbem vento aguntur, redimere cogerentur, ſingulis menſibus quatuor millia aureorum liliorum perſoluentes. Poſtridie Nonas Martij Brugenſes Iacobo Ghiſtellio, Dudzellæ Domino, quaſi publicam pecuniam in rem propriam conuertiſſet, cum aliis nouem in foro capita abſcindi iubent. Intereà Philippus Auſtriacus Mechliniæ agens Ordines conuocat, rogat, rationem qua patrem liberet ſuggerant. Promittunt omnes extremam operam. Brabantiæ ac Hannoniæ Ordines ſinguli Legatum caſtrenſem ad hoc cum litteris Gandauum ac Brugas mit-

Item alia indigna in eius milites ipſúmque committunt.

Tandem cum maieſtate Rex loquitur, ſi ſe occidant, non omnes ſimul Auſtriacos occubituros: itaque videant.

Philippus Cliuius pro Rom. Rege Sluzam occupat.

Brugenſes, capto adhuc Rom. Rege, Ghiſtellio, & aliis nouem capita in foro abſcindi curant.

mittunt. Sed Gandenſes ad Ordines Mechliniæ congregatos ſcribentes, petebant, quarto Idus Martij ipſi Gandauum venirent. Sub idem tempus Mechliniam Legati Principum Imperij veniunt, miſſos ſe docent cum conſilio Ordinum, Rom. Regi liberando; cupere omnino Germaniæ Principes, operam opeſque offerentes, id vi aut amicitia fiat. Paulò pòſt Gandenſes interficiunt Martinum (aliàs Matthiam) Paiartum, poſtremæ cum Rom. Rege pacis auctorem, eò quòd Gandenſibus promiſiſſet Rom. Regem in vrbem vltra quingentos pedites non introducturum, adduxiſſe autem quinque millia. Hic per quatriduum immaniſſimè tortus, torturæ violentia decē ciues Gandenſes honeſtiſſimos conſortes nominarat, quos ad cœnā cum vxoribus quidam Gandenſium Præfectus, opere calcearius, lautiſſimè acceptos intempeſta nocte dormientes, è lecto in carcerem ducit, ſtatimque vocatis ſacerdotibus ac carnifice, ceruices abſcindi iubet. Hoc rerum ſtatu Brugis publicatur, ſi quis Petrum Lanckhalſium occuluiſſet, & non proderet, cùm vxore ac liberis in ſuperiori propriarum ædium limine ſuſpenderetur, bona publicarentur, cognati ac affines omnes in perpetuum exſularent. Delituerat hactenus Lanckhalſius per quinque ſeptimanas apud confectorem pileorum, quem omnes exiſtimabant eius eſſe infeſtiſſimum hoſtem. Hic atrocitate edicti territus, Lanckhalſium rogat ſibi conſulat. Dum igitur mutato habitu, facie fuco obducta euadere conatur, agnitus captuſque, grauiùs quàm vllus vnquam torquetur, & poſtquam reuocaſſet quòd Nobiles aliquot vi tormentorum accuſaſſet, exprobrans Coppenollio præſenti & aliis ſua ſcelera, capite truncatur. Tandem pridie feſti Paſchatis Brugenſes, relicto foro, quod per ſex ſeptimanas continuas inſederant, domos quiſque ſuas repetunt ſeptemdecim circiter virorum millia, cùm paulò pòſt litteræ à Summo Pontifice Innocenrio Octauo ad Brugenſes ſcriptæ adferuntur, quibus conſtituta excommunicationis pœna iubebantur Rom. Regem dimittere. Intereà Gandauum peruenerat pars maior Legatorum Ordinum Belgarum. Agitur de liberatione Rom. Regis acerrimè; quæ demum poſt aliquot dierum ingentes diſceptationes
,, his eſt obtenta conditionibus: Philippus Cliuius, Hainoius, ac Volquen-
,, ſtaini Dominus, obſides Rom. Regis nomine, donec conditionibus ſa-
,, tisfecerit, Brugis ac Gandaui manento, nomineque Cliuij pater eius
,, Adolfus intereà Sluſam eiuſque arces gubernato. Exteros milites om-
,, nes intra tertium liberationis ſuæ diem Rex è Flandria, ac poſt ſepti-
,, mum è Belgio, ſine maleficio dimittito. Rex Philippum Cliuium cete-
,, roſque obſides à dicto ſibi ſacramento liberato, poteſtatem eis faciens
,, militandi cum Flandris contra ſe, ſi hanc pacem violarit. Pacem Rom.
,, Rex Ordinum omnium auxilio, ſi fieri poſſit, cum Francis facito. Flan-

Summè incumbunt tam Brabantiæ & Hannoniæ Ordines, quàm Germaniæ Principes, Rom Regi liberando.

Barbarum facinus cuiudā calcearij Gandenſis cu rantis noctè necari decem ſuos conciues.

Tandem & Lanckhalſio ſupplicio affecto, Brugenſes, relicto foro quod per ſex ſeptimanas continuas inſederant, quiſque domum dilabitur.

Leges quibus ad extremum Rom. Rex liberatus eſt poſt quartum captiuitatis menſem.

dri æquè ac Romanorum Rex militem omnem dimittunto, Regiq́; pro compensandis damnis incommodisq́; ternis vicibus quinquaginta millia aureorum liliorum persoluunto, sed Rex proprio ære redimi curato Gruthusæ Dominum, Cõsulem Brugensem, ac alios qui eius libertatem procurantes capti fuere. His & alia minora addita fuere: quibus propria manu Rom. Rex subsignatis, in libertatẽ postridie Idus Maij restituitur, quarto ferè à captiuitate mense, aduenientique publicæ Supplicationi comitem se iungit, & in scenam ligneam Altari instructam conscendens,

Quid? An non posteà hæc violata? Sed respondebatur, nouam secutam actionem, patris scilicet vindicantis iniuriam filij; seu Cæsaris sua trans Scaldim vindicantis.

ita iurat: Libera voluntate, in præsentia sacræ Eucharistiæ, particulæ Crucis Domini, Euangeliorum, corporis D. Donatiani, ac Canonis Missæ, promittimus conseruaturos nos ac re ipsa completuros pacem ac conditiones inter nos ab vna parte, ac tres Flandriæ Ordines, quique cum eis stetere, ab altera parte factas: ad hæc fide Regia pollicentes nos numquam eos violari permissuros, liberans Flandros omnes à sacramento quod nobis vt patri ac tutori filij nostri dixerunt. Iuraruntque deinde Beueræ Dominus, Legati Ordinum Prouinciarum, ac postremò tres Flandriæ Ordines, & Præfecti omnes ciuitatis Brugensis. E scena in ædes Rauastainij Rex contendit ac prandet, vnaque cum eo Vicarius Antistitis Tornacensis, qui Sacrum fecit & iuramenta suscepit, Abbates D. Petri Gandaui ac Afflegemij, cum Beuero. Absoluto ferè prandio, armatus intrat Philippus Cliuius, mensæque adhibetur. Post meridiem Ro. Rex ad Templum D. Donatiani properat, ibique Cliuium à sacramento sibi

Philippus Cliuius sacramento, quo Rom. Regi tenebatur, in speciem liberatur, sed certè nequaquam quo tenebatur eius filio.

dato liberat, eumque in hæc verba iurare permittit: Ego Philippus Cliuius promitto ac iuro iturum me Gandauum, atque ibi obsidem mansurum, donec initæ pacis conditionibus ab vtraque parte plenè sit satisfactum. Intereà aduenerant copiæ Germanorum Rom. Regem expectantium: qui salutatis ad portam Crucis Brabantinorum, Hannonum ac Namurcensium Legatis, iisque gratiis actis, ad Germanos contendit, deducente eum tantisper Cliuio. Rex ad arcem Malam, Cliuius comitante Volquenstainio ac Hainouio Brugas, indéque Gandauum proficiscitur. Exinde Rex cum exercitu Ardenburgum, inde Middelburgum Flandriæ tendit. Brugenses metuentes vim militum, qui duce ipso Cæsare Frederico Belgij finibus appropinquabant, Germanos Pręfectos rogant, dignentur apud Cæsarem pro ipsis intercedere. Promittunt hi, sed

Obsides Maximiliani dimittuntur, solo Cliuio non grauatè, vt videbatur, Gandaui manente.

faciliùs impetraturos se asserunt, si obsides dimittant: sic obsides dimissi sunt, solo Cliuio non grauatè, vt videbatur, Gandaui manente. Tum pax per vniuersam publicatur Flandriam. Ceteri Belgæ partim eam publicauere, partim vt indecoram contempsere: scribitque etiam Rom. Rex ad ciuitates quæ eam nondum publicauerant, ne id faciant, iubétque quinquaginta plaustra commeatu onerata ad castra sua Meyngam mittant.

tant. Intereà adest cum copiis Cæsar castigaturus proteruiam Flandrorum, cùm Gandenses tribus millibus peditum, & quadringentis galeatis equitibus à Franco acceptis sese communiunt. Ægerrimè id tulere Hannones, Antuerpiani, Mechliniani, ceteræque Belgarum Rom. Regi fidæ ciuitates. Cæsar castra haud procul Gandauo ad pagum Euergem locans, Legatum castrensem (Heraldum vocant) ad vrbem mittit, iubens se supremum ditionis Trans-Scaldanæ Dominum agnoscant recipiantque, statímque mittant Cancellarium Carondeletum, Mingouallium, ceterósque Nobiles quos in vinculis habebant. Legatione ad plebem euulgata, Præfectus ille calcearius suprà memoratus, cum Sacerdote ac carnifice ad carcerem iterùm clàm pergit, præcipuis capita abscissurus, eáque Cæsari in coreaciis marsupiis transmissurus, nisi re intellecta, superueniens Cliuius barbaro facinori intercessisset. Quinto Idus Iunij Badensis & Nouellius mento tenus fossas transgressi, noctu Densam Rom. Regi vendicant, Francis in fugam actis. Laborabat Rom. Rex summopere, Philippum Cliuium vt in suas partes pertraheret, persuadere conatus eum non pro pace Brugensi, sed contra Cæsarem iam arma gerere; se quoque patrem Cæsarem armatum Imperij nomine sequi, non quòd pacem Brugensem violare cupiat. Sed hæc frustrà Cliuio occinebantur, aliis interpretantibus, Cliuium apud Gandenses imperare, quàm apud Cæsarem subesse malle. Cæsar tertio Idus Iulij motis Euergemio castris, dimissáque maiori exercitus parte, Antuerpiam pridie Kal. Augusti venit, cùm sex hebdomadibus, nulla re memorabili gesta, Gandenses ac Brugenses omni cladis genere egregiè vexasset; & Nonis Septembris Antuerpiæ in area Abbatiæ diui Michaëlis pro tribunali sub dio sedens, Cliuium vt Imperij perduellem, rebellemque clientem, honore ac bonis priuatum proscribit, Ordinésque Belgarum ibidem congregatos admonet, pacem anno 1482. initam obseruent. Hoc tempore Rom. Rex Philippum Burgundum Terueræ ac Beueræ Dominum & Ioannem Salozarum in Hispaniam ad Ferdinandum Arragoniæ ac Elisabetham Castellæ Reges tria petitum mittit: primùm perpetuæ pacis causa fœdus fieret; deinde vt Rom. Regi viduo filiam Elisabetham vxorem darent, ac filiam Ioannam filio Philippo desponderent. Fit fœdus. Sed Elisabetham Portugalliæ Regis filio desponsatam renuntiant: quod ad Ioannam, sese libenter ea de re communicaturos quamprimùm adoleuisset. Exinde Cliuius 14. Kal. Octobris fauore aliquot ciuium Bruxellæ cum quingentis equitibus per portam Flandricam intromittitur. Rom. Rex re intellecta, Mechliniam cum iusto præsidio mittit Ioannem ac Cornelium Bergios fratres, vt filio Philippo Austriaco sint præsidio, quem summopere in potestatē redactum cupiebat Cliuius. Bergij fratres

Cæsar vt supremus ditionis Tran-Scaldanæ Dominus Gãdauenses vt se recipiant, frustrà petit.

Frustrà itē agitur vt Cliuius Gandenses deserat.

Mittit Ro. Rex Legatos in Hispaniam, cuius Legationis fructus tandem nuptiæ Philippi filij.

Capta à Cliuio Bruxella, Rom. Rex Mechliniam & in ea filium firmo præsidio munit.

fratres Viluordam occupant, præsidioque muniunt, quotidie ad portas vsque Bruxellensium excurrentes. Cæsar ac Belgarum Ordines cum Cliuio Mechliniæ frustrà de pace agunt. Quare septimo Idus Octobris Diestam Cæsar profectus, inde in Germaniam rediit, filio Rom. Regi relinquens Albertum Saxonem Thuringiæ Lantgrauium cum iusta peditum equitumque Germanorum manu, virum militiæ peritum. Occupata Bruxella, Cliuius paulatim effecit, vt dimidia ferè pars Brabantiæ ac Leodiensis ditionis à Rom. Rege deficiens, sibi ac Flandris iungerentur. Octauo Kal. Nouembris Niuellæ admittitur, & paulò pòst quoque Louanij. Offerebant Brabanti ac Flandri, Cliuium secuti, Rom. Regi centum millia aureorum Rhenensium florenorum Coloniæ numeranda, si relictis Belgis in Germaniam non ampliùs reuersurus proficisci voluisset, ac Ordinibus Proceribusque filio parte matris sanguine iunctis (quorum primus Cliuius) gubernationem reliquisset, sed frustrà. In Flandria Euersteinus ac Morbecanus Rom. Regi militantes, Dunkerkam eiectis Francis occupant, auctique militum numero, sui etiam iuris faciunt Pontem Rowarti, Gistellam, Womenam, Essedum, ac alia aliquot opportuna loca. Cliuius, coadunatis Flandrorum copiis, Niportum ducit, ac nomine Ducis Philippi deditionem fieri iubet. Esse se eius affirmant ciues, sed Cliuium hoc rerum statu non agnoscere. Deinde Niportani, vicinorum auxiliis aucti, adeò Cliuium minutis vexant præliis, vt statim ijs è partibus discederet; viresq; Creueceurio coniungens in potestatem redigunt Bergas D. Winoci, ac Borburgum, cui Daniel Pratæus præerat: qui inde Niportum profectus, diligenter illud custodiuit, Cliuio ac Creueceurio diuersis viis singulis ad sua paulò pòst proficiscentibus. Mense Nouembri pridie D. Elisabethæ Franciscus Bredenrodius, partium Cliuij & Haukiorum, Slusis soluens quadraginta octo instructis actuariis nauibus nouum sinum, qui ab eo nomen habet, penetrans, quò tutus ab Armuanis & Middelburgiis esset, Rotterodamum tendit, illudque nocte idem festum sequente proditione quorumdam occupat, omnesque Cabbeliauios aut capit, aut eiicit. Postridie Idus Decembris Duacenses, Insulenses, ac Orchiacenses pacem anno 1482. cum Francis factam recipiunt. Et ecce anno 1489. tertio Idus Februarij Burgundi ac Belgæ, forti ciuium opera adiuti, eiectis Francis Fanum D. Audomari recuperant. In vrbe tessera erat lucerna ardēs ad turrim, vbi ciues fautores excubabant, suspensa, dum hi qui foris sint stata hora felem verberibus altissimè vociferari compellerent. Ad arcem fugientes Franci, tandem discordes facti, etiam eam reliquerunt. Post hæc Euersteinius, Saueusius, Morbecani fratres, fugientibus Francis, Grauelingam, Borburgum, Bergas D. Winoci, castellaque ibidem complura occupant, ac potestatem à

Cedit quoque Niuella & Louanium Cliuio: idq; ab eis petebatur instanter, vti Maximilianus Belgio discederet.

Frustrà tentat Cliuius Occidentalem Flandriā.

Occupat pro Cliuio Bredenrodius Roterodamum.

1489

Fanum D. Audomari iterum Francis eripitur.

Rom.

Rom. Rege accipiunt recipiendi in gratiam omnes qui desertis Francis & Cliuio ad obsequium rediissent, quemadmodum & ius conferendorum officiorum, ac dispositionem de publicatis bonis. Eo tempore confœderatio solemnis inter Rom. Regem, eius filium Philippum ac Henricum VII. Anglorum Regem facta, postridie Idus Februarij Dordraci in Archiuis est relata, & publicata Valenchenis 4. Nonas Martij, deinde & alibi. Sub 14. Februarij D. Valentino sacrum, Rom. Rex subitò in vnum collectis Cabbelliauis, Schiedamum obsidere iubet; ipse cum Germanis Roterodamum premit, sed non adeò arctè, quin Roterodamenses egressi pagum Auderschieum occuparent ac munirent, inde Delfos vsque excurrentes: qui sine ordine contrà egressi, tractique à Rotterodamiis in insidias, cæduntur, multi capiuntur, ceteri Delfos perfugiunt, desideratis circiter ducentis viris, ac inter hos vrbis Consule, qui in partes dissectus, Delfos à suis in viminea fuit reportatus sporta. Schiedamenses idem conaturi in Cabbelliauorum castra irruperant, ac Harlemios fugauerant, sed à ceteris Schiedamum repelluntur, quod mox rebus suis diffisi deseruere, Regiis adhuc ad Roterodamum sedentibus. Exeunte Martio Flandri collectis quadringentis equitibus ac multis peditibus, Bruxellenses summa commeatus inopia laborantes iuuant, inuectis in vrbem ducentis quinquaginta plaustris omni commeatus genere onustis. Erat hoc tempore Cliuius cum valido præsidio Louanij, Saxone haud procul eadem vrbe castra habente. Tertio Kalendas Maij Cliuius Arschotanis in auxilium circiter quadringentos Francos misit, vt Antuerpiensium ac Mechliniensium agros infestarent. Læti ciues ac rustici qui eò se contulerant, lautè eos excipientes genio indulgebant, eò magis quòd postero die Maij Kalendæ ad id inuitarent. Saxo de eorum incuria edoctus, mox cum iusta Germanorum manu adest, media nocte è dumetis in oppidum irrumpens, ac paucos resistentes obtruncans, capit, ignemque aliquot locis Germani iniicientes elegantissimum exussere templum. Lætati sunt summopere Mechliniani ac Antuerpiani, quòd nulli magis eorum agris fuissent infesti, seque iam immeritò conquestos videbant, quasi Saxo clàm cum Cliuio sentiret. Sexto Idus Maij Cliuius eductis Bruxella circiter sex millibus virorum cum tormentis, Hallam Hannoniæ expugnaturus properat: vix erant Hallæ centum præsidiarij adueniente Cliuio; sed Mabonius cum ducentis veniens Hannonum equitibus animum eis auxit. Edocti de Bruxellensium aduentu, permittunt eos fossam transire, partemque murum conscendere; sed cùm in oppidum descendere conarentur, omni armorum genere opportunis è locis eos deturbant. Cliuius, quòd detectis insidiis nemo in oppido pro se moueret, statim receptui canit, ac cum multis sauciis, exustis Hallæ suburbiis, ac in

Schiedamũ simul & Roterodamum Rom. Rex obsidere parat.

Variæ velitationes inter Hauckios & Cabbelliaos.

Vastationes etiam in Brabãtia, Louaniensibus & Bruxellensibus variè Mechlinienses & Antuerpienses incursantibus.

Arschotum Saxo pro Rom. Rege capit.

Frustrà tentat Cliuius Hallam Hannoniæ.

iis suis qui ceciderant, Bruxellam reuertitur. Circa Idus Maij quoque Gandenses, armatis circiter quatuor Flandrorum millibus, ac octingentis Francis, ad Occidentalem deuastandam Flandriam proficiscuntur. Figunt castra prope Niportum. Adueniunt intereà Vendomius ac Creuecceurius cum viginti circiter virorum millibus, magnoque tormentorum numero tanta muros pertinacia quatiunt, vt decem tormenta percalefacta disrumperentur. Facto hiatu Picardi ac Bolonienses irrumpere conantur, sed repulsi sunt: succedunt eodem euentu Heluetij. Tum equites grauis armaturæ, dimissis equis, oppidanos inuadunt; qua inuasione feminæ Niportanæ galeis ac ferreis thoracibus indutæ, viris fessis, sauciis ac formidine correptis audacter successere. Vendomius maiorem militum manum in oppido esse, quàm erat ab exploratoribus relatum, existimans, tertio Kal. Iulij, motis castris obsidionem soluit. Eodem tempore in Hollandia Ioannes Naeltwijckius Hauckicæ partis Geertrudebergam occuparat; indeque initio mensis Iunij cum Ioanne Montvortio mille stipati peditibus Leidam contendunt, ac vi introitum tentant. Sed armati Cabelliaui opera Ioannis Egmondij Hollandiæ Gubernatoris, eos illata clade repellunt. Hi Coudekerkam reuersi, arcem Poulgæstiam recipiunt, sed Egmondius mox cum Leidanis egressus eamdem expugnat & incendit. Hinc 17. eiusdem Iunij pugnatur ad Roterodamum inter Regios ac Hauckios: victoria Regiorum fuit; multi cæsi ac aquis suffocati sunt, captus Naeltwijckius cum multis aliis: pauloque pòst, Francisco Bredenrodio Slusas redeunte, Roterodamenses deditionem faciunt. Nono Kalendas Iulij Cliuius iterùm Hallam Hannoniæ aggreditur, hiatum efficit vt tria plaustra inuicem à latere iuncta ingredi potuissent; ad hæc ignem erat eiaculatus, vt aliquot ædes arderent. Ciues Deo & tutelari Deiparæ confisi, aquam bullientem, circulos ligneos stuppa, pice, ac sulphure circumlitos præparant; ab vna parte admotis scalis, ab opposita pleno Marte inuaduntur. Sed cùm ad vesperam vsque acriter ab vtraque parte esset pugnatum, inclinante die Cliuiani multis vulneratis ac aliquot desideratis, recedunt. Mense Iulio Saxo Thenam omnibus rebus necessariis abundantem, ac cùm Cliuio non ita dudum sentientem, cùm frustrà aliquamdiu oppugnasset, ac amaris sarcasmis indies ab eis irrideretur, duobus locis ipsa meridie oppidum aggressus, cùm idem sæpiùs fecisset, vt eos in consuetudinem adductos negligere vim assuesceret, tandem omnibus annixus copiis vi irrumpit, ac permultos dies opulentam ciuitatem diripit atque incendit, Francis ac Leodiis præsidiariis pro maiori parte cæsis, paucis captis. Demum mense Augusto Germaniæ Principes Francofurti ad Mænum pacem, auditis omnium Legatis, hisce conditio-

Item Flandri & Fráci turpiter discedunt ab oppugnatione Niporti.

Pugna in Hollandia inter Hauckios & Cabbellianos, & præcipuè ad Roterodamum, victoribus Cabellianis, hoc est Reg. Romanorum.

Tandem Roterodamenses se dedunt.

Cliuius iterùm cum dedecore Hallam occupare nititur.

Thena à Saxone capta, direpta & incensa.

» ditionibus concipiunt: Rex Romanorum ac Francorum certo mox lo- *Leges pacis*
» co conueniunto. Quod attinet ad controuersiam Belgarum contra Ro- *inter Rom.*
» manorum Regem, promittit Francorum Rex, ea in re se rationem ho- *Regem, & Belgas eorúmque*
» noris ac existimationis Rom. Regis habiturum, quemadmodum pro- *auxiliarem*
» prij patris, cuius filiam matrimonio teneat obstrictam. Nobiles cum *Regẽ Francorum.*
» Rom. Rege Brugis capti, & adhuc Gandaui & in Francia detenti, liberi
» sine pretio dimittuntor. Gandenses conditiones pacis Gaueranæ cum
» Philippo Bono olim initas, quod attinet ad annuam Magistratuum ele-
» ctionem, ac ius quod extra intraque vrbem tum ciuibus tum Comitis
» ministris dicent, obseruanto. Rom. Regi pro factis belli impensis, consti-
» tutis temporibus Flandriæ Ordines semel quingenta viginti quinque
» millia florenorum soluunto. Rom. Rex in gratiam Regis Caroli Philip-
» pum Cliuium in gratiam recipito, eique omnia sua vxorisque bona re-
» stituito. In gratiam Rom. Regis Rex Carolus Ludouicum Aureliano-
» rum Ducem carcere dimittito, modò Rom. Rex spondeat, eum posthac
» contra Regem Carolum noui nil moliturum. Ad hæc in gratiam Rom.
» Regis restituet idem Rex Annæ Britonum Duci oppida, vrbes, muni-
» tiones ac arces quas in eius ditione occupauit, modò illa Anglos omnes
» ditione sua dimiserit. (Nempe parabat Rom. Rex eam sibi coniugem, sed *Ecce riuales, & ideò*
» Rex Carolus eam præripuit, vt pòst dicetur.) Iubebit vterque Rex sta- *haud diu*
» tim publicari suis in prouinciis conditiones pacis anno 1482. initas. *fidi amici.*

Publicata est pax apud Francos ac Belgas, magno omnium gaudio, præterquam Brabantinorum. Nam adeò statim pestilentia sæuire cœpit, vt octodecim mensium spatio in sola vrbe Bruxellensi triginta hominum millia obierint. Cliuius pacem impedire non valens, accepta à Saxone fide publica, septimo Kalend. Septembris cum vxore præsidio quingentorum equitum Bruxella discedit, permissumque illi fuit omnem supellectilem ac prædam, quò vellet, auehere; quam ægrè duodecim plaustra, à tribus singula equis attracta, capere poterant. *Cliuius accepta fide publica, cum omni supellectili Bruxella discedit.*

Tunc in Franciam Legati missi sunt ad Regem; qui & pacem confir-
» mauit 28. Octobris, in qua & hæc inter cetera expressit: Maximilia-
» nus Rom. Rex absolutam filij sui Ducis Philippi tutelam habeat, &
» pacis leges Rom. Regi Brugis extortæ restituuntor ac discerpuntor. Hinc Eingelbertus Nassauij Comes Flandriæ Gubernator à Rom. Rege constitutus, vbique Magistratum renouat. Deinde Ordinum ac Procerum adhibito consilio, circa Christi Natalem moneta ad veterem valorem Edicto reuocatur, vtpote quæ duabus tertiis excreuerat: quæ subita mutatio multas lites & incommoda attulit. Tornacenses prudentiùs eius æstimationem dimidia tantùm parte primò mutilarunt. Anno 1490. variis in locis nonnulli adhuc reluctabãtur. Ipso D. Magdalenæ *Mutatis vbiq; Magistratibus, moneta quæ duabus tertiis excreuerat, reuocatur ad veterem valorem.* 1490

Sf Breden-

Bredenrodius & Naeltwijckius Hauckiæ partis tentarunt Goeream, vt inde vicinos popularentur, ſed fruſtrà fuit; & poſteà Bredenrodius inſtructa mediocri claſſe, cum quingentis circiter Hauckiis Sluſam ad Cliuium iterùm nauigans, inſequente Ioanne Egmondio ac Pollainio pugnare coactus ſuperatur. Euadit quidem cum maxima parte ad Riperij portum, militémque exponit: ſed & hîc, victoribus inſequentibus, pugnare compulſus iterùm ſuperatur, deſideratis ſimul ab vtraque parte trecentis viris. Bredenrodius grauiter vulneratus capitur, ac Dordracum perducitur, vbi paulò pòſt è vulneribus obiit, ſepultus apud Auguſtinianos. Erat adhuc adoleſcens Louanio à ſtudiis ad arma ab Hauckiis auocatus, miseréque ſeductus. Ei enim Hollandiæ Zelandiæque Comitatum deberi aſſerebant, Philippo Cliuio Flandriæ; Philippo Auſtriaco tantùm Brabantiam ac Burgundiam. Apud Hannones quoque prædonum dux erat filius nothus Domini Bellemontij, qui, occupata arce Bellemontia, iter facientibus ac ruſticis nocte diéque erat infeſtus; adeò vt tandem Hannones, rei indignitate moti, contra Antonium Rollinum Aimeriæ Dominum, Hannoniæ Pręfectum, ſummopere murmurarent. Conſcriptis igitur quadringentis peditibus Bellemontium proficiſcitur: cumque deditionem facere nollent, vi expugnat, latronum maiori parte cæſa, ceteris ad vnum omnibus cum Bellemontio captis, ac Bergis Hannoniæ in carcerem concluſis; vbi tandem iuridica ſententia Bellemontio cum ſuis omnibus caput amputatur, corporáque in quatuor partes ſecta hinc inde ad aliorum exemplum in arboribus ſuſpenduntur. Adrianus etiam Vilainus Raſſingemij Dominus, cùm deſerto Cliuio in gratiam cum Rom. Rege rediiſſet, Gandauoq; ad domum, quam ruri habebat, cum quatuor famulis properaret, à ſexdecim Cliuij equitibus ex inſidiis inuaſus, dimidio ab vrbe milliari multis vulneribus confoditur. Eodem anno ſimiliter Dominus Montvortij iuxta Vltraiectum, vir animi inquieti, Vltraiectinos Hollandóſque iniuriis afficere, latrociniiſque vexare nō deſiſtebat; cùm tandem Albertus Saxo, eductis contra eum copiis, oppidum Montvortium cum arce obſidet, munitionémque idoneo loco erectam expugnat. Tum animi ciuium præſidiariorúmque cecidere, faciuntque hac lege deditionem, vt ciuibus nil præter interiorem lineam veſtem relinqueretur, exteri milites, quò vellent, ſalui abirent. Sed maior pars, dicto Rom. Regi eiúſq; filio Philippo ſacramento, apud Saxonem manſit. Montvortio ea lege gratia eſt facta, vt ſi denuò contra Regem Ducémque arma ſumpſiſſet, quæcumque apud Belgas poſſidebat, in perpetuum Ducis Philippi fiſco manerent. Hæc acta circiter Idus Auguſti. quo tempore Saxo cum copiis Dordracum profectus, militem nauibus imponit, nemineque quò tenderet ſciente, ſubitò Ziriczeam inuadit,

Bredenrodius Hauckius vulneribus confoſſus, captus, paulò pòſt Dordraci moritur.

In Hannonia etiam Bellemontius omnia turbans tandem capitur, & capite plectitur.

Similiter Montfortius Vltraiectinos Hollādoſq; infeſtans, capto oppido à Saxone domatur.

uadit,& viginti millibus florenorum multat, quòd Cliuium non semel commeatu & puluere tormentario iuuissent,& in Northauen portu munitionem erectam præsidio munit. Quin etiam hoc toto anno Brugenses nolentes (vt Chronicon Hollandiæ tradit) edictum de imminutione monetæ recipere, Nassauio Flandriæ Gubernatori obluctabantur. Is occasionem quærens Brugenses castigandi, Guardiam magnam Rom. Regis, mille quingentorum equitum,& ter mille veteranorum peditum, huc illuc tunc prædantem, ex Hannonia in Flandriam mox post pacem anni superioris euocarat. Hi Ardenburgi castra facientes, omnia in circuitu deprædabantur. Brugenses insolentiam militarem ægrè ferentes, iniussu Nassauij (quod ille quærebat) arma contra Guardienses sumunt, Præfectum militiæ peritum, Georgiũ Picquauetum nomine, à Cliuio accipiunt, nouumque fœdus cum Cliuio ac Gandensibus ineunt. Munierant Brugenses Blanckenbergum; quod cùm Guardienses obsidere parant, Brugenses ad eorum munitionem quam prope Dammum habebant, proficiscuntur. Vnde Guardienses relicto Blanckenbergo contra Brugenses tendunt,& aliquot occisis ac sauciatis, plerisque captis, omnes in fugam coniiciunt. Magna erat in vrbe Brugensi fames. Quare Cliuius, Slusæ se continens, rogatu Picquaueti iis naues aliquot commeatu onustas mittit. Cum quibus Picquauetus nocte discedens, ac à Nassauio diligenter custodias Dammi obeunte conspectus, post breuem nocturnam superatus pugnam cum omnibus nauibus capitur, sociis partim aqua mersis, partim ad patibulum strangulatis, paucis pecunia se redimentibus; ipse Picquauetus capite luit: sic demum Brugenses pacem petunt,& impetrant his inter alias legibus, 4. Idus Decembres, cùm
„ tumultus durasset mensibus quatuordecim: Brugenses solemni ritu ve-
„ niam ruptæ pacis è præscripto Nassauij petunto. Pro belli impensis
„ Rom. Regi eiusque filio centum quinquaginta millia Andreanorum
„ florenorum soluunto. Summa hæc non nisi ex vrbis incolis colligitor.
„ Nominabit Nassauius viros quinquaginta sex, è quibus aliquot capite
„ luent, alij qui poterunt, vitam libertatemque ex eius arbitrio redimunto.
Sub huius anni æstatem Carolus Gelder ex Francica captiuitate (de qua ad annum 1487. dictum est) in Gelriam venit, omnesque Gelri, eiectis Rom. Regis Rectoribus, ei sacramentum dicunt. Initio Ianuarij anni 1491. Rom. Rex ac Anna Britonum Dux de ineundo matrimonio 1491 inuicem dant fidem, mittitque ei subsidio duo millia peditum, decubuitque cum ea Aurantius armatus nomine Rom. Regis. Sed Rex Francorum Carolus Renesium, in quo Anna erat, longa obsidione vexatum, tandem in potestatem redigit, Rom. Regis militibus trium mensium stipendio ad deditionem coëmptis, vrbemque ei cum Duce Anna tra-

Initia nouorum tumultuum apud Brugenses.

Fœderati Cliuio & Gandensibus infeliciter cum milite Ro. Regis confligunt.

Pacem rursum petunt & impetrant.

Gelria pellit Præfectos à Rege Rom. constitutos.

Rex Franciæ Rom. Regi præripit Annam Ducissam Britanniæ.

dentibus, quam post paucos dies in vxorem Rex Carolus duxit, neglecta Margareta Rom. Regis filia, de qua suprà ad annum 1483. Mense Maio Gandenses, auctore Reinero quodam calceorum sutore, in seditionem versi, insignia Philippi Cliuij resumunt, Rolandum sonant, Cliuij militem in vrbem admittunt, summum opificum Præfectum impedire conantem ante publicas ædes interficiunt, filium eius tormentis lacerant, nautarum Præfecto cum quinquaginta viris probis caput amputant: ducenti vrbe diffugiunt. Ioannes Coppenollius iterùm creatur summus opificum Præfectus, qui rusticorum turbam quæ ad vrbem confugerat, in legionem quinque millium distribuens, Arnoldum Clericum adolescentem rusticum alti ac ferocis animi eis præfecit. Cuius gloria bellica variis excursionibus feliciter confectis ita creuit, vt non multò pòst eius æmuli, videlicet sanguinarius ille calcearius Reinerus (Remigius aliis) & Coppenollius cum fratre, à plebe occisi sint; ille tumultuariè, hi torti & publicè capite plexi. Sub idem tempus Legati Rom. Regis ac Archiducis Philippi, consensu Cliuij, Slusæ Magistratum mutant, ac cum eo de reconciliatione agunt. Respondet se nec apicem vnum discedere velle à conditionibus Francofurdensibus & Turonensibus, quibus cauebatur, Slusam cum vtraque arce in sua mansuram potestate, dum sese Reges inuisissent, ac de sua reconciliatione sententiam protulissent. Multa tunc vltrò citroque acta sunt illi reconciliando, sed frustrà. Hac æstate Turcæ, coacta iusta militum manu, Carniolam Windorum Marcam, indéque Ciliam, Carinthiam ac Stiriam ingressi, multa hominum millia capiunt. Sed Rom. Regis iussu contra eos cum subitario milite Georgius Heberstainius profectus, hostem, illata clade, prouinciis expulit, ac maximam prædæ partem recuperauit. Circa idem tempus Archidux Philippus Eingelbertum Nassauium ac Præsidem Curiæ Flandriæ cum nobili comitatu ad Francorum Regem mittit, repetitum sororem Margaritam ac restitutionem ditionum vrbiumque quas è pacto pacis anni 1482. reddere Rex iubebatur, si nuptiæ fuissent dissolutæ. Rex frigidè respondens, consultaturum se super eorum petitionem ait. Videns Nassauius legationem suam non admodum Francis esse gratam, petito acceptoque commeatu ad Archiducem reuertitur. Circa finem mensis Decembris apud Kenemerlandios & vicinos Aquilonares Hollandos tumultuari cœptum est hac de causa. Nicolaus Pynsius (vulgò Corfius cognominatus) illarum ditionum Quæstor exacturus iussu Gubernatoris Senatusque Hollandici duriùs tributa dudum promissa, Alcmariæ à nebulonibus fuisset trucidatus, nisi noctis beneficio Hagam-Comitis euasisset. Harlemenses etiam quidam seditiosi solutionem detrectant, crescebatque indies coniuratorum numerus. Gubernator,

Tumultus iterũ Gandensium cruenti.

Legati Ro Regis, & Philippi Archiducis, consensu Cliuij, Slusæ Magistratum mutant.

Repetit Archidux à Rege Francorum sororem, & vrbes pacti anni 1482.

Tumultus apud Aquilonares Hollandos occasione Quæstoris duriùs tributa exigentis.

nator Senatuſque aſtutè edici curant, nihil promiſſæ pecuniæ ampliùs
exigendum, iamque acta obliuioni quoque ſepelienda: ſic poſitis ſe-
ditioſi armis domum quiſque diſcedit. Poſt aliquot hebdomadas 1492
menſe Martio anni 1492. Egmondius Gubernator conſilio Senatus Or-
dinumque Hollandiæ rebelles puniturus, ducentos cogit pedites, atque
ad pagum caſtrúmque ſuum Egmondam prope Alcmariam ſitum iter
per Oceani æſtuaria inſtituens venit: ſed reſciuerunt eius inſtitutum re-
belles, collectiſque Alcmariæ mille circiter viris, ad reſiſtendum ſe pa-
rant; quare Hagam-Comitis maiora adducturus auxilia Egmondius
reuertitur. Alcmariani & vicini animis elati, primùm in militaribus ſi-
gnis caſeum & panem, quaſi ad tantam inopiam exactionibus reda-
cti, depingunt, (hinc vulgò dictum *Het Caeſen-broots-ſpel*) ac deinde
tertio Maij, ipſo inuentæ S. Crucis die, Harlemum tendunt, illudque
fauentibus ſibi nonnullis tumultuariè occupant. Interficiunt Scoltetum
Nicolaum Ruuium, ac cum fratre elapſi anni Conſulem, duoſque Sca-
binos, ceteris fuga ſibi conſulentibus. Nec his contenti, poſt aliquot dies

*Tumul-
tuatores hi
(dicti Het
Casēbroots
ſpel) Har-
lemum oc-
cupant.*

ſex circiter millia rebellium hora 10. ante meridiem Harlemo profecta
Leidam contendunt, ac circa noctem Nortwici altero Leida milliari ca-
ſtra conſtituunt, poſteroque die ante meridiem campeſtribus tormentis
Leidanos vexant, portamque Rhenanam quatiunt. Cùm neminem
exire viderent, ad oppugnationem conuerſi aliquamdiu ſtrenuè depu-
gnant. Tandem à Leidanis vi depulſi, non paucos deſiderauere, multi
ſaucij diſceſſere; ortaque diſſenſione hi diſcedere, illi ad oppugnationem
redire volebant. Leidani ſeditioſos remittere animos ſentientes, accepta

*Quin &
Leidam op-
pugnant,
ſed magna
accepta cla-
de repellun-
tur.*

poteſtate, equites pediteſque aliquot erumpunt, obuios malè armatos,
ac cuſtodias imperitè diſpoſitas obtruncant; ingentemque è ſucceſſu tol-
lentes clamorem, hoſtes formidine captos perturbant. Egmondius occa-
ſioni intentus, cum ceteris præſidiariis ac maxima ciuium parte auxilio
exit, rebelleſque inita pugna diuerſis locis aggreditur. Reſiſtunt primò
acriter, ſed renouante aliquoties Egmondio cum equitibus impetum,
tandem vndique in fugam aguntur. Harlemenſes cum vno tantùm mi-
litari ſigno media nocte domum reuertuntur, Alcmariani omnia ſigna
perdidere. Accepta eſt altera clades ad Bewerwicam. Quare hi pacem
ſuadebant, alij bellum volebant; hi Gelros mercede conduci petebant,
illi Hollandum militem quærebant; rem pecuniariam nemo ſeriò expe-
diebat. Tandem pacis ſuaſores obtinebant, Legati vt ad Saxonem mitte-

*Item alte-
ram cladem
accipiunt
ad Bevver-
vvicam.*

rentur. Sed hoc rerum ſtatu nuntiatur, auxiliares prope Hemskerckam
conueniſſe quingentos, pluresque exſpectari. Proficiſcuntur eis Harlemo
in auxilium ſexcenti pedites, tandemque in vnum coactis omnibus, ſu-
pra tria peditum millia probè armata recenſuere. Germani, Duce Ober-

 ſtainio

ſtainio eis obuiàm eunt, Hemskerkæque propinqui aciem inſtruunt. Idem faciunt Caſenbrotij. Concurritur animosè, ac diu victoria anceps fuit. Sed tandem cæſis pertinacioribus, tyrones ruſtici veteranis Germanis virtute, aſtu, ac pugnandi conſtantia impares, ſolutis ordinibus in fugam ſe coniiciunt. Periêre Caſenbrotij circiter quingenti, pauci capti, pars maior effugit. Duo Friſonum millia nauibus aduecta, cùm è propinquo aggere ſociorum cladem conſpexiſſent, conſcenſis nauibus domum renauigant: Harlemenſes, intellecta ſuorum clade, Legatis ſuis, qui Hagæ-Comitis apud Saxonem pro pace ſatagebant, ſcribunt, ne ſine ea domum reuertantur, ſed quoquomodò quàm honeſtiſſimam impetrent.

Tertiò vincuntur iidem Caſenbrotij ad Hemſkerkam.

Pax ea ratione coit: Vt innocentibus gratia fieret, nocentes Saxonis arbitrio punirentur. Soluerent coniurati pro belli impenſis ducenta quinquaginta millia florenorum, ſingulo viginti quatuor ſtuferis Brabanticis æſtimato. Pace 15. die Maij ſubſignata, Saxo cum Proceribus Harlemum intrat, ſtatimque tribus ſeditioſorum Præfectis capita abſcindi iubet. Poſteà Saxo cum filio Georgio & Ioanne Immerſelio Conſule Antuerpiano ad Harlemenſium venit Prætorium. In foro ſtabant viginti ſex viri, partim Alcmariani, partim vicini, capite ac pedibus nudi; qui viſo Saxone, in genua procumbunt. Aduocatus ſeu Syndicus Harlemenſis Ioannes Tattinius, cùm priùs rebelles aliquamdiu officij admonuiſſet, pro ceteris ſubmiſſè gratiam petit. Tum Saxo alta voce ita profatur: Omnia vobis ſunt condonata, nolite ampliùs inſanire. Alcmariani cum vicinis dono Saxoni dedere decem millia florenorum, Harlemenſes multam ſuam pecuniariam ſpatio trium dierum perſoluêre, ad publicam ædem perferentes mundum omnem muliebrem, torques annuloſque aureos, & pocula argentea, quibus militi Germano ſtipendia ſunt perſoluta.

Demum pacem petũt, & impetrant.

Seditioſi tres Præfecti capite plexi, aliis dictũ: Nolite ampliùs inſanire.

Harlemi Saxone agente nuntiatur, militem Germanum, qui pecuniam ſuam alea perdiderat, in templum veniſſe, & euaginato pugione crucifixi Ieſu Chriſti imaginem bis acie impetiiſſe. Captum capite plecti, idque ſtipiti impoſitum portæ imponi, cadauerque in quatuor partes ſectum variis locis ſuſpendi iuſſit. Hoc tumultu pendente Archidux Philippus, eique à conſilio Proceres conſiderantes, Cliuium munitione Sluſana ac fœdere Francico ferocem, honeſtam omnem pacem reiicere, conſtituunt Sluſam (vnde infinitæ prædationes toto quinquennio factæ fuerant) armis ſubigere; terreſtri exercitui Saxo, claſſi Burgundus Terueræ ac Beueræ Dominus, Præfecti deſignantur. Beuerus cum filio Saxonis in portum Sluſanum è Zelandia quadraginta tres adducit naues militariter inſtructas, triginta onerarias minores (vulgo *Heuen*) tredecim maiores (*Hulcken* dictas.) His tria millia pugnatorum tormentaque maiora vehebantur, iactiſque in portu anchoris, ne quis Sluſam intrare aut

Miles in Chriſti imaginem iniurius capite luit.

Magno apparatu Sluſa, & in ea Cliuius ab Archiduce obſidetur.

aut exire poſſit prohibebant. Cliuius eductis ſeptingentis peditibus ac triginta equitibus, tribuſque tormentis maioribus, claſſem indeſinenter oppugnat. Illa eius militem ſuis impetit tormentis, ſed nulla re memorabili geſta Sluſam reuertitur. Menſe Maio eódem appellunt viginti duæ naues optimæ armatæ ab Angliæ Rege Archiduci in auxilium miſſæ, in quibus vehebantur veterani pedites bis mille quingenti, pauloque pòſt adueniunt aliæ quatuor Saxonis iuſſu ab Hollandis armatæ; iamque Saxo Sluſam etiam terra ſeriò premere incipiebat. Tum Gandenſes, ſublatis paulò antè, vt ſuprà diximus, ſeditioſiſſimis, calceario & Coppenollio, ad ſaniora conſilia conuerſi, diuturnoque bello exhauſti, vnanimi conſenſu Mechliniam ad Archiducem Philippum pro pace Legatos mittunt; quæ inſtantibus Iulij Kalendis his tandem legibus

Veniunt Archiduci auxiliares ab Anglia viginti duæ naues bellicæ cum veteranis 2500.

,, eſt data, vocataque pax Caſantiana: Gandenſes Rom. Regem tutorem
,, filij ſui Philippi bonorumque eius omnium agnoſcunto, regereque fi-
,, lium pro arbitrio ſinunto. Pro belli impenſis ſeptuaginta octo millia
,, florenorum ſoluunto; è quibus viginti quinque millia primo menſe nu-
,, meranto, ceteras portiones ſpatio duorum annorum penſionibus qua-
,, tuor pendunto, & Archiduci viginti quinque millia. Pœnam medio-
,, crem in oppido Hulſtano, quam Archidux iubebit, conceſſa fide publi-
,, ca luunto. Vrbis priuilegia ex Archiducis arbitrio moderantor. Balliuus
,, ac Magiſtratus ad ſui quiſque cuſtodiam duodecim ſatellites legito: ne-
,, minem in ius Gandauum vocato præter ciues, ac veteri vrbis caſtellania
,, comprehenſos. Quod ad valoris monetæ reſtitutionem attinet, ea in re
,, vicinos imitantor. His ſtrictè ſeruatis legibus omnia anteacta abſolutè
,, condonantor; quiſq; ad ſua redito, contentus conditione qua ea reperiet.
,, Confirmat Archidux pacem Turonenſem. Exules domum redeuntes, in
,, hanc pacem præſente Balliuo iuranto. Hæc acta tranſactaque ac ſigillis ſunt munita Hulſti menſe Auguſto. Premebatur obſidione, vt dictum eſt, Sluſa. Tum ad Saxonis caſtra venit Adolfus Cliuius Rauaſtainij Dominus Philippi Cliuij pater, admodum ſenex, per Legatum caſtrenſem à filio petẽs, accepta fide publica Sluſam ſibi intrare liceret. Negat filius patri, magna omnium admiratione. Saxo intereà ad portus ingreſſum munitionem erigit, rebuſq; neceſſariis communit, vnde Francorum naues auxilium Cliuio ferre conantes tormentis repelleret. Poſteà ſtipatus octingentis peditibus Sluſam contendit, Cliuianóſque ad pugnam prouocat. Exeunt aliquot; certatur ab hora quarta pomeridiana ad nonam veſpertinam; pauciſque vtrimque deſideratis, æquo Marte diſceditur. Inde Saxo exercitum promouet, caſtráque locat ad Fanum Annæ Termuiæ. Erumpunt Sluſani, ac ſex Germanos interficiunt. Poſt hæc caſtra vno Sluſa milliari locantur. Idibus Auguſti ad Saxonem veniunt

Leges pacis, rebellibus Gandenſibus conceſſæ.

Saxo ad portus Sluſani ingreſſum munitionem erigit.

 mille

Variæ velitationes cũ Slusanis.

mille ducenti Brugensium pedites cum aliquot tormentis, primóq; die considunt Lapscuri: contra hos statim Slusani erumpunt: cadunt ac vulnerantur vtrimque aliquot, tandémque recipere se Slusani coguntur. Brugenses castra sua communiunt. Tum Saxo dimidio Slusa milliari castra transfert. Fortia interim facta complura hinc inde à veteranis, singulis diebus ex prouocatione certo numero pugnantibus, edebantur. Mense Septembri Cliuius cum trecentis militibus è minori descendens arce, ad Germanorum accessit tormenta, è quibus tria clauis ferreis, vbi ignem concipiunt, adactis, reddit inutilia; ac cùm maiora moliretur, crudescente pugna est inhibitus; nonnullisque desideratis ac sauciatis ad arcem rediit. Vndecimo Kalend. Octobres Cliuio mors patris sui Adolfi nuntiatur; vix mouetur. Excursiones ac minuta prælia nullo die intermittebantur, semperque hinc inde aliquot cadebant & sauciabantur. Paulò pòst Slusæ ignis fortuitus consumit omnem puluerem tormentarium, tanto cum fragore, vt multi captum oppidum existimarent. Quare posthac Cliuius (quem deinceps Rauastainij Dominum appellabo) ad pacis mentionem aures præbere cœpit, maximè agente Chimao & Nassauio. Tandem postridie Idus Octobris Slusæ, quæ à 13. Kal. Iulij fuerat obsessa, pax publicatur, his inter alias conditionibus tertio Idus eiusdem signata: Philippus Cliuius Rauastainij Dominus Alberto Saxoni nomine Rom. Regis ac Archiducis Philippi sacramentum dicito, eique omni loco, semper, ac contra quos iusserit, fideliter operam se nauaturum promittito. Archidux ac Saxo curantote vt Rauastainius Imperiali proscriptione liberetur; nec ferent, ea de re aliquis apud Belgas ei sit molestus. Rauastainius in manus Saxonis castrum maius eiúsque claues dato, isque Rauastainio eas reddito, qui anteà promittet Rom. Regi proprio id ore à se petenti, aut Archiduci Philippo cùm ad annũ ætatis decimum octauum peruenerit, seu eius heredi, se restituturũ. Minus castrum cum oppido Slusa statim in potestatem Saxonis constituito. Annua pensio sex millium florenorum Rauastainio restituitor. Libera rerum suarum omnium possessione patriáque vtuntor, & Rauastainius, & quicumque eius partes sunt secuti. Nulli Rauastainium, nec qui cum eo fecere, ob præterita detriméta in ius vocare fas esto. Hinc die quinto Nouembris Cardonio Atrebatensium Præfecto per Philippum Creueceurium cum militibus multis Atrebato commodùm euocato, atque in ea vrbe relicto Carquelantio Britone, Ioannes Marius ciuis Atrebatensis, Grisardus vulgò à multa canitie dictus, vir quidem fortunæ tenuis, sed acris ingenij, suique Principis perquam studiosus, cooperantibus Iacobo Lobbæo, Ioanne à S. Paulo, & Petro Regio, miro prorsus stratagemate militem Regis Rom. eiúsque filij Philippi in Atrebatense oppidum, quod

Moritur Adolfus Rauenstainius Cliuij pater.

Tandem pax cum Cliuio sancitur.

En multa turbatoribus indulta.

Atrebatum (quod quindecim annis sub Francis gemuerat) memorabili stratagemate recuperatur.

quod totos quindecim annos ſub Regis Franciæ iugo ingemuerat, porta Hageruenſi admittit, Roberto Melunio, Vaudræio, Lanoio, Belleforerio, Raffino, Contaio, aliiſq; Ducibus Belgis ſex millia partim peditum partim equitum ſilente nocte ciuitati inferentibus, eamque occupantibus. Griſardus multis compotationibus apud Channium Francum, certarum portarum claudendarum onus habentem, eam fidem etiam propter canitiem obtinuerat, vt (Channio aliquoties ad pocula manente) ipſe cum militibus, eius nomine portas clauderet. Quod cùm ſæpiùs fideliter feciſſet, quodam die ad portam cum militibus profecturus, ex condicto, in itinere à coniuratorum vno, ſemiebrium ſe ſimulante, poculúmque vino plenum manu tenente, intrò, vt bibat, ac mox diſcedat, adigitur. Rogat Griſardus milites, paululùm præcedant, ſe paucis ab homine ebrio ſe expediturum. Ingreſſus inuenit ceram, argillam, aliáque dudum parata, & celeriter claues exprimunt; ſicque Griſardus ad portam it, claudit, &, vt ſæpè anteà, ad Channium, cum eo compotaturus, comitantibus militibus redit, claues reddit. Claues ita expreſſas mox coniuratus ille Duaci fabricandas curat; tertiuſque coniuratus (hic pictor erat) Melunium, Vaudræum, alióſque Burgundos ductores ad ſtratagema incitat. Stato die iam dicto 5. Nouembris Griſardus, cui omnia Franci credebant, ſignum conſtitutum Burgundis exhibet. Illud erat, cantilena eo tempore Atrebati admodum trita. Eam in vallo intenta voce alacriter Griſardo cantante, Burgundi inter colliculos iter placidè faciebant, equorum ſoleis panno laneo ſuffultis, hinniendique facultate ijs impedita, & eo ſilente, ſtabant: ſic erat condictum. Veſperi hora nona coniuratorum vnus clàm in turrim conſcenderat (nam & huius clauem expreſſerant) ac ferream campanæ linguam adeò alteri lateri adſtrinxerat, vt cùm fortè populum ad arma conuocare vellent, non poſſent. Ex coniuratis duo in muris vigilabant, dum ſocij cum tribus Francis coniurationis ignaris largiùs ſumentes vinum in porta excubant. Circa duodecimam pictor portæ Haigueruæ oſtiolum modeſtiſſimè aperit, ac ad Burgundos aduentantes contendit. Omnia ſalua nuntiat, tantùm ne ſeipſos prodant, ſed teſſeram Griſardi cantantis diligenter obſeruent: eo canente, quàm placidiſſimè incedant; eo ſilente, ſtent. Silebat nempe, accedentibus eò loci vigiliarum Præfectis. Pictor dat eis teſſeram Francicam D. Georgij, ipſe accipit Burgundicam tunc D. Michaëlis; ſicque ad vrbem redit, comitantibus eum tredecim militibus Burgundis. Cùm ad vrbem omnes copiæ appropinquaſſent, tredecim illi, quos pictor adduxerat, portæ cuſtodes ad vnum omnes capiunt, ſtatimque integras valuas, nemine reſiſtente, aperiunt, ductoréſque Burgundicos cum pedite equitéque intromittunt, ſemper Griſardo, & ala-

Griſardus cum coniuratis claues vrbis magna dexteritate in cera & argilla exprimit.

Fabricantur claues Duaci.

Diligentiſſimè curantur & alia omnia ad vrbem aſtu capiendam neceſſaria.

Potiuntur Burgundi Atrebato.

& alacriùs etiam tunc cantante. Sic circa horam tertiam matutinam Burgundi vrbe potiti ſunt, & paulò pòſt etiam caſtro maiori, oppidóq; minori, Francis fugientibus; & ſeptimo die Nouembris Magiſtratus renouatus eſt, omnéſque coniurati in eum allecti, Griſardo Prætore vrbis ſeu Meiero conſtituto. Hoc anno Chriſtophorus Columbus Genuenſis, paucis à Ferdinando Rege Arragoniæ & Caſtellæ nauibus obtentis, primus in Occidentem longiùs enauigare tentauit, reperitque varias inſulas anteà ignotas, quibus noua indidit nomina, Fanum Dominici, Hiſpaniola, Ferdinandina, Eliſabethina; nunc conſtanti nomenclatura vocantur tres præcipuæ, Hiſpaniola, Cuba, Iamaica. Menſe Ianuario anni 1493. Creueceurius dolens ſibi Atrebatum hoc modo ereptum, alio dolo id recuperare deſtinat. Mittit ad oppidum militem. Is ſe transfugam ſimulans, multa in Francis culpat, ſicque Archiduci ac Gubernatori Contaio ſacramentum dicit; aſſeuerans prætereà, Proceres multos Picardiæ inſolentiam Francorum pertæſos cupere in partes Archiducis inclinare; horumque præcipuum eſſe tandem aperit Baufortij Dominum, qui cum familia ac theſauro paratus eſſet Atrebatum venire, modò in gratiam recepto fides ei publica miſſis litteris concederetur; attribuerent ſibi viros ſex cum litteris fidem facientibus, qui ſecum ad Baufortium eant: pollicetur ſe eum adducturum. Placent hæc Contaio, ceteriſque Præfectis; dant ſimulatori comites ſex. Qui cùm per noctem paululùm proceſſiſſent, à Creueceurio capti, donis ingentibúſque promiſſis eò adducuntur, vt dicto Francorum Regi ſacramento promitterent ſe auxiliaturos, vt vrbs Atrebatenſis recuperaretur. Id autem futurum, ſi nocte eò reuertentes portam exiguo tempore apertam tenuiſſent, fingentes Baufortium in propinquo adeſſe; ſeſeque in humeros adferre arcas pretioſiorem eius ſupellectilem habentes: aderátque ancilla, quæ ſeſe è Baufortij familia aduenire, ſimiliaque ferre ſimulabat. Circa horam noctis nonam vrbi appropinquant, ſubſequente paruo interuallo cum valida peditum manu Creueceurio. Compellant voce notos, portæ cuſtodes, eámque aperiri petunt, adeſſe in propinquo Baufortium cum familia, apportaréque ſe humeris argentea eius vaſa. Aperitur arcis porta; introeünt, ſequuntur pauci equi, ſupellectilem fictitiam apportantes. Expectant ſimulanter non Baufortium, ſed iuſtis cum copiis Creueceurium; qui inſtitutum ſtratagema omnino ad effectum perduxiſſet, niſi ſubitò vnus proditionis pœnitens exclamaſſet, Claudite actutùm portam, aut proditi perditique ſumus; Creueceurius enim cum magna militum manu veſtigiis hæret; iterátque bis & ter eadem anxius verba. Hic omnium poſtremus intrarat. Quare ceteri pedem referre conati, clauſam à cuſtodibus portam reperiunt, ſtatimque omnes reliqui

Columbus primus detigit nouum orbem Occidentalem.

1493

Simili arte Franci Atrebatum iterùm ſibi vindicare ſtudent.

Certè & hoc inſigne inuentum.

Atrebatum panè iterùm receptum; ſed tamen ſeruatur.

reliqui cum ancilla capiuntur. Simulator transfuga cum quinque Belgis veritatem fassi postridie capite puniuntur, corporáque in quatuor partes secta variis locis suspenduntur; eadémque ancillæ fuisset conditio, nisi se grauidam dixisset. Hæc facta mense Aprili. Paulò pòst inter Rom. Regem, Archiducem Philippum ac Carolum Francorum Regem, vigesima tertia Maij his inter alias conditionibus Senliaci pax initur: „ Rex Carolus Margaritam Austriacam in manus Rom. Regis, Archiducis Philippi, aut Legatorum eorum, vbi & quando placuerit tradito. Rex Carolus ac Margarita ab omni nuptiarum vinculo liberos se hinc inde confitentor; pacta conuenta ea de re inita, irrita habento. Regi ac Archiduci de iis rebus iure agẽdi potestas maneto, quæ cõditionibus pacis anni 1482. sunt conceptæ, ac hisce conditionibus non determinatæ. Restituet pace publicata Rex Carolus Rom. Regi, vt Archiducis patri ac tutori, Comitatum Burgundiæ, Artesiæ, Charloij, ac Noieij, auctoritatem iuris patronalis, in quibus id ei competet, retinens. Hesdinium, Aira ac Bethunia in potestate Regis Caroli manento, donec Archidux ætatis annum vigesimum attigerit, (quod erit octauo Kal. Iunij anno 1498.) & tunc Archidux eiúsve heres clientale sacramentum de iis Regi dixerit. Rex Carolus in possessione Comitatus Masconnij, Auxerræ, ac Barræ ad Sequanam maneto, donec de iure harum ditionum via iuridica sit statutum. In gratiam bonorúmque possessionem ab vtraque parte, qui contrarias fouerunt partes, recipiuntor. Promulgatur Senliaci pax solemni pompa, à Rom. Regis Legatis & Rege Carolo sacramento confirmata. Tum Legati Margaritam Austriacam ad Fanum D. Quintini adducunt, inde Cameracum; vnde Francorum Proceres in Franciam reuertuntur. Postero die Margarita Valenchenas intrat. Pace cum Francis seriò inita, ac Belgarum seditionibus sublatis, exteri milites omnes, persolutis stipendiis, dimittuntur, ac inter hos Guardienses; qui deinde cum Ducibus in Geldriam ac Vltraiectensem ditionem se contulere, prædásque ibi ingentes coëgere, quòd aliquot eorum commilitones ibi non secùs ac publici grassatores fuissent patibulis affixi. Tum contra Carolum Geldriæ Ducem abiere, illique acre bellum nomine Archiducis Philippi intulere, quòd Dux paulò antè finitimis Belgis id prior fecisset, ac non obstante Senliaca pace, adhuc in eo perseueraret. Decimo tertio Kalend. Septembres moritur Lintzij Austriæ oppido Cæsar Fredericus Tertius, cùm vixisset annos septuaginta septem, ac imperasset annos quinquaginta tres, sepultus Viennæ in templo D. Stephani, perfecto à Maximiliano filio insigni Mausoleo, quod pater Fredericus ante annos viginti inchoarat. Turcæ, intellecta Cęsaris morte, initio anni 1494. irruunt in Croatiã. 1494
Romanorum Rex Maximilianus (quẽ exinde Cæsarem nominabo) collecto

Pax, Senliaca dictà, inter Francum & Ro. Regem eiusq; filium.

En, ergo agebat Philippus tunc annum decimum quintum.

Margarita soror Philippi Archiducis ex Francia reducitur annos nata tredecim.

Moritur Fredericus Imp. Maximiliani pater, Philippi auus.

Maximilianus ducit secundam vxorem, ed qua biennium integrum non superuixit.

Vt creet idem Maximilianus vxoris suæ patruum Ducem Mediolanensem, quadringentis millibus ducatorum pacifcitur.

Cliuius Cæsarea proscriptione Antuerpiæ liberatur.

lecto exercitu eis obuiàm tendit. Sed expectare non ausi, discessere. Cæsar in Austriam reuersus, exercitum dimittit, pauloq; pòst Oeniponte in vxorem ducit Blancam Mariam filiam Galeacij Mariæ Sfortiæ Ducis Mediolanensis, sororem Ioannis Galeacij, qui à patruo Ludouico Sfortia imperio Mediolanensi fuit exutus, ac demũ veneno sublatus. Mirabantur complures Cæsarem Maximilianum ad tam impares descendisse nuptias: sed hi non considerabant Cæsarem ob nimiam liberalitatem continuaque bella semper pecuniæ indigum, cum ea in dotem, ac pro Diplomate quo Ludouicus Sfortia sponsæ patruus Dux Mediolanensis renuntiabatur, accipere quadringenta millia aureorum ducatorum; pro mundo eius muliebri ducenta millia, aliaque centum millia quibus sponsæ nuptias cognati eius ac affines honorare dicebantur. Sed biennium integrum Blanca Maria non superuixit. Inter venandũ enim (vt & Maria Burgunda prior Cæsaris vxor) equo delapsa, non multò pòst è casu, cum fœtu quem vtero gerebat, nullis relictis liberis periit. Exinde Cæsaris iussu Antuerpiæ publicatur, Philippum Cliuium Rauastainij Regulum proscriptione, qua eum Fredericus Cæsar ferierat, liberatum in integrum restitui, veterémque ei honorem, bona, locum ac dignitatem reddi. Nono Kalend. Maij obiit Philippus Creueceurius Esquardij Dominus, cuius suprà sæpiùs meminimus, vir belli peritissimus, multisque ornatus dotibus, nisi eas perfidia maculasset, sepultus Boloniæ apud Picardos. Cùm Cæsar per quinquennium & sex menses à Belgis absuisset, eò cum Maria Blanca vxore venit, primò Coloniam, inde Traiectum ad Mosam, vbi eum filius Philippus filiaque Margarita cum præcipua Nobilitate præstolabantur, ibique felices nuptias ac aduentum gratulantes, aliquamdiu festos egerunt dies. Cùm Grauiam peruenissent, obuium habent Carolum Egmondium qui se Ducem Geldriæ dicebat, sperans opera Alberti Saxonis à Cæsare Ducatus quietam possessionem se impetraturum, sed frustrà. Obsidebant Cæsariani Neomagum vrbem primariam, murosque tormentis quatiebant. Sed cùm paucis mensibus summo Geldrorum incommodo bellum durasset, tandem Principum aliquot Germaniæ intercessione res componitur. Committunt Cæsar ac Carolus Egmondius controuersiam sex Imperij Septem-viris; assumereturque, si opus esset, septimus Argentinensium Antistes, sententiaque à pluralitate consentientium penderet; intereà Carolus prouentibus Ducalibus frueretur. Si causa cecidisset, tùm Cæsari ac Archiduci Philippo vt beneficiarius cliens operam impenderet, acceptis ea de causa singulis annis sex millibus aureorum Rhenensium florenorum. Non obstante hac partium submissione, pax paulò pòst à Carolo rumpitur, ita vt necessariò in Geldria relicti Guardienses non frustrà resisterent. Cæsar

Reuisit Cæsar liberos suos, cùm per quinque annos & mediũ Belgio absuisset.

Compromittunt Cæsar & Geldrus in pacem, sed nullo effectu.

cum

cum vxore, filio, filia, Antiſtite Moguntino, Frederico Saxoniæ Duce, multaque alia nobilitate Mechliniam, indeque Antuerpiam venit, neceſſaria parans, vt filius Philippus Louanij in Ducem Brabantiæ inauguraretur. Decreuerat enim filium annum decimum ſeptimum agentem emancipare.

Venit Cæſar Mechliniam, indeq; Antuerpiam.

Philippus Rauaſtainius, quamuis ſecundùm pacis Sluſſanæ leges tutò Cæſarem adire poterat, miſſo tamen ad eum viro nobili rogare iubet, num Imperatoriam Maieſtatem ſalutatum ſibi venire liceat. Aſſentit hilari ore Cæſar. Cumque Rauaſtainius procul Cæſaris aſpexiſſet vultum, ex equo deſcendit, pedeſque appropinquans, ac Cæſarem ſubridere videns, flexo genu dextro inquit: Ago Maieſtati tuæ gratias, quòd me in conſpectum admittere ſit dignata. Si ante hunc diem aliquid commiſi in quo Maieſtatem tuam offenderim, rogo id mihi ex animo ignoſcere dignetur, ac veniam præteritorum tribuere. Reddit ei Cæſar: Iamdudum ea animo deponens libenter tibi ignoui, ac liberaliter etiamnum ignoſco. Cùm autem hæc aulica ratione in ſpeciem prolata Rauaſtainio viderentur, ac proinde ei non ſatisfacerent, non multò pòſt ad Carolum Francorum Regem ſe contulit; à quo deinde Genuæ Ligurũ Metropoli præficitur.

Cliuius Raueſtainius benignè à Cæſare per omnia in gratiam recipitur, ad colloquium eius admiſſus.

Sed nihil ibi memoria dignum, quemadmodum nec contra Turcas geſſit, per omnem poſteà vitam bello infelix. Francis enim (vt pòſt dicetur) Genua pulſis, in Franciam eſt reuerſus, nulláque auctoritate nec dignitate ornatus, inglorius inter eos egit, tandemque ſine liberis moriens, bona omnia cognato Cliuiæ Duci reliquit.

Nihilominùs idem Cliuius ad Francum transfugit, vbi inglorius obiit.

Intereà Cæſar cum filio Philippo multiſque Proceribus Louanium contendit, ibique ſolitis cærimoniis in Ducem inauguratur. Tum moneta aurea argenteáque in populum ſpargitur. Exinde Dux Philippus Equites creat. Tum Principes Antuerpiam redeunt; eadémque ratione Dux qua Louanij, ſed maiori cum pompa inauguratur, quemadmodum & paulò pòſt in ceteris omnibus Brabantiæ aliarúmque prouinciarum præcipuis ciuitatibus. Gertrudébergæ 12. Decembris nomine totius Hollandiæ inauguratus eſt, poſteà Romerſwalij nomine omnium ciuitatum Zelandiæ.

Philippus Archidux præſente patre Cæſare, Louanij inauguratur, inde Antvverpiæ & in ceteris vrbibus.

1495

Anno 1495. poſtridie Nonas Apriles Cæſar in Germaniam reuerſus, cum Summo Pontifice Alexandro Sexto, & Ferdinando ac Eliſabetha Hiſpaniarũ Regibus ac cum Venetis contra Carolum Octauum Francorum Regem, qui ſuperiori anno magnis copiis in Italiam tranſgreſſus ſtatum Florentinæ Reipublicæ mutarat, & pulſis Arragoniis Regnum Neapolitanum occuparat, fœdus in ſpeciem facit. Aliis enim impliciti negotiis, nec Cæſar nec Hiſpanus quidquam fœderi contulerunt.

Initiũ belli Italici in regno Neapolitano.

Conuocat hoc anno Archidux Philippus Mechliniæ Belgarum Ordines, ac ex eorum conſilio ſtatum Reip. Belgicæ ciuilibus bellis ac diuerſis ſeditionibus valdè perturbatum, in ordinem, qui maximè Principi ac

ſubditis conuenire videbatur, redigit. Deinde miſſo ad Angliæ Regem Philippo Burgundo Beueræ ac Teruerae Domino cum viris aliquot doctis, controuerſias mari ac terra mercaturæ cauſa ortas componunt, veteremque amicitiam renouant ac ſtabiliunt. Ad hæc Edictum olim à Philippo Bono conſenſu Summi Pontificis publicatum renouatur, ne quis Romę obtenta maiora Sacerdotia ſacrámque dignitatem ſine Principis conſenſu (Placet vocant) poſſideret, néve poſthac ſacrati homines agros vllos ſine Principis conſenſu emerent. Tum inducias cum Geldro in ſex menſes concipit, Cæſare ægerrimè ferente. Exinde Cæſar, Wormatiæ Comitia Principum ciuitatúmque Germaniæ liberarum celebrans, auxilia contra Francorum Regem petit, quòd non ſolùm Regnum Neapolitanum ac Belgas inuaſiſſet, ſed perturbata Chriſtiana Eccleſia, vrbem Romam, fugiente Venetias Pontifice, occuparat. Petit etiam conſueto more opem contra Turcas. Sed ſententiarum diuerſitate nil memoratu dignum fuit decretum. Singularium aliquot Procerum quæſtiones, vitandi ciuilis belli cauſa, fuêre ſopitæ. Ludouicus Sfortia, accepto Diplomate, Dux Mediolanenſis à Cæſare renuntiatur, & Comes Wirtembergij eodem tempore Ducis ab eo titulum accipit. Quinto Kalend. Septembris caſtrum Roberti Mercani, nomine Eſdain (cuius præſidiarij dudum vndique rapaci manu prædas egerant) multis operis ac tormentorum ictibus debellatum deditionem facit. Controuerſia quæ inter Mercanum ac Badenſem erat, Procerū ſententiæ committitur. Præſidiarij, dicto Archiduci ſacramēto nemini ſe nocituros, in arce manſere. Menſe Octobri Archidux Philippus Legatos ad Francorū Regem mittit, petens pacem Senliacam inuiolatam ſeruari curet. Ita ſe facturū Rex promittit. Pridie Kal. Nouemb. Cęſar Francofurti ad Mœnum Romani Imperij Senatū, quem vulgò Cameram Imperialem vocant, inſtituit, dictoque die inter horam nonā & decimam antemeridianā in ædibus Brauſeliis Iudices hos cum Aſſeſſoribus conſtituit, Eittelfredericū Zollernenſem, Bernhardum Eberſtainium, Richardum Neccardienſem Comites; Theodorum Pleiminganum, Nicolaum Heiurenum, Georgium Neidecenſem, Auringam Simanam, Martinum Walderodenſem Barones.

Renouatur Edictum, quo olim à Philippo Bono conſenſu Summi Pontificis modus opibus eccleſiaſticis poſitus eſt.

Caſtrum Eſdain, receptaculū raptorum, debellatur.

Inſtituit Cæſar Camerā Imperialem.

1496 Menſe Febr. anni 1496. Rex Carolus ad Archiducem Legatos mittit, petitum, ſibi Mortangam Hannoniæ oppidum reſtituat, ſi ſecundùm formulam pacis Senliacæ, ante conſtitutum tempus, Airam, Heſdinum, ac Bethuniam recipere velit. Legati liberaliter donati in Franciam contenti reuertuntur. Poſt hæc Archidux à patre Cæſare dudum vocatus, in Germaniam circa finē menſis Aprilis proficiſcitur. Kal. Maij Traiectum ad Moſam veniens, cùm ciues pro more ligneā auem è malo ſcorpionibus deiicere conarentur, rogatus è numero eſſe dignaretur, conſentit, ac poſt

Legati Francici liberaliter ab Archiduce donati, contenti domum reuertuntur.

aliquot

aliquot repetitos ictus, auem magno ciuium gaudio altissima arbore deiicit, ciuesque huius Sodalitatis liberaliter donat. Inde Coloniam Agrippinam profectus magno cum honore recipitur. Idem fit maximè in ditione Ferretana, à quibus in Principem inauguratur, quemadmodum & in aliis cognati sui Sigismundi Austriaci ditionibus, dudum patri eius donatis. Secundo Kal. Iulij Viennam ad Cæsarem patrem venit, ac secretis communicationibus per multos dies, remotis arbitris, tempus impendunt, agentes, vt creditum est, de asserenda Geldria, recipienda sponsa, ac recuperandis ditionibus, quas Francorum Rex eripuerat, de conciliandis Heluetiis, & similibus. Hinc simul Insbrucum, id est Oenipontem, perueniunt, ac in mensem vsque Augustum manent. Circa finem Iulij Ludouicus Sfortia Mediolanensis in Germaniam venerat, Cæsarem in Insubres perducturus; Archidux Austriacos suos inuisens, patrem Lintzij expectabat: Cæsar à Ludouico Sfortia ad bellum contra Francos in Italia suscipiendum incitatus, ea tandem lege est assensus, ne filius Philippus ei se misceret, sed in Belgium reuersus, pacis Senliacæ conditiones obseruaret. Rebus ad hunc modum constitutis, filio in Belgium redeundi potestatem facit, dimissoque Ægidio Buslidio Præposito Leodiensi, filio alios adiungit comites ac Consiliarios: qui cum eo per celebriores Germaniæ ciuitates profecti, à Principibus ac liberis ciuitatibus magno cum honore sunt exculti. Duodecimo Kal. Octobres in Zelandiam Hispanica classis centum triginta quinque nauium appellit, qua vehebatur Ioanna Arragona Ferdinandi ac Elisabethæ Hispaniæ Regum filia, desponsata Archiduci Philippo, ac non ita dudum per Legatum illi nupta. Venit Ioanna cum præcipua Nobilitate Antuerpiam (militibus ac sociis naualibus in insula Walcherana ad classem manentibus) summoque cum honore, ingentique pompa omnium Nationum in vrbe mercaturam facientium, recipitur. Margarita Austriaca fratri eius Hispaniæ Principi desponsata, Namurco Antuerpiam profecta, sponsa sponsæ felicem gratulatur aduentum, bonaque omnia inuicem precantur. Congressus harum duarum Principum fuit perquam suauis ac blandus; non enim multùm ætate distabant. Archidux vix è Germania reuersus, Liræ Brabantiæ oppido sponsam Antuerpiâ venientem excipit, ac duodecimo Kal. Nouembres in vxorem ducit, iungente eos Henrico Bergio Antistite Cameracensi: nuptiæ verò exiguo cum comitatu ac parua pompa Liræ sunt celebratæ, sed posteà Bruxellę Regia planè magnificentia instauratæ. Erat eo tempore Cæsar in Italia, primumq; Genuam, deinde Pisas circa Nonas Octobres ingressus, deiectis Frãcicis liliatis insigniis, Aquilam Romanã eius loco substituerat. Oppugnabantur Pisani à Florentinis auxilio Francorũ. Defendebantur verò à Summo

Archidux Traiecti ad Mosam. deiecta aue lignea, Rex.

Multis diebus Viennæ Archidux cum patre Cæsare secretò communicat.

Rediens in Belgium, magnis vbique honoribus excolitur.

Venit ad eum Ioanna sponsa filia Regum Hispaniæ.

Nuptiæ celebrantur primùm Liræ, sed posteà splẽdidiùs iterùm Bruxellæ.

Fœderati in Italia, hinc Florentini cum Rege Galliæ, illinc reliqui cum Cæſare.

Pontifice, Venetis ac Sfortia, qui Cæſarem in fœdus ac ad ferendũ auxilium pertraxerant. Conueniunt omniũ confœderatorum Legationes, inter quos erat & Philibertus Sabaudię Dux, ducentos adducens lancearios equites, ac clientale Cęſari ſacramentum de Sabaudia dicens. Decernunt Liburnum Florentinorum portum terra marique oppugnandum, ne eius opportunitate ad inuadendam Italiam Francorum claſſis vteretur. Cæſar oppidi ſitu terra marique perluſtrata, copias terreſtres adducit. Veneta claſſis mari premebat. Florentini iuſtum Liburni habebant præſidium, cui nec commeatus nec tormenta deerant. Præerat Bettinus Ricaſolis, qui mox adiutus Nortmannica naue, quæ ſecundo vento, contemptis Venetis, in portum ſe intulerat, ac octingentos Vaſcones cum multo commeatu expoſuerat, inſigniter ſe defēdebat, tantò feliciùs, quòd Veneti & Sfortiani diſſiderent de Liburni poſſeſſione, etiam antequam eſſet in poteſtate. Tandem cùm media hieme, ſæua tempeſtas aliquot Venetorum triremes perfregiſſet, ceteraſque in altum eieciſſet; milites terra Liburnum prementes eadem coacti tempeſtate, è caſtris magno numero Piſas perfugêre. Quare Cæſar, ſoluta obſidione, reductiſque copiis, Ticinum ad Sfortiam, indeque in Germaniam eſt reuerſus. Apud Belgas Hiſpaniæ Proceres qui Ioannam Arragonam comitati erant, cum Margarita Auſtriaca menſe Februario anno 1497. naues Vliſſingæ in Hiſpaniam traiecturi conſcendunt, vt Ioanni Arragonio Hiſpaniarum Principi nuberet. Comitatus eſt Archidux ſororem Middelburgum Zelandiæ vſque, manſitq; donec vento flāte ſecundo claſſem aſcendiſſet, ac è portu ſoluiſſet; tum Bruxellā reuertitur. Hiſpanica claſſis Angliam in conſpectu habens, ſubita ac periculoſiſſima oborta tempeſtate, haud procul naufragio abfuit: quo tēpore (res memoria digna) Margarita naturali hilaritate nō deſtituta, cùm iuxta nautarũ in eo periculo morem, manus ſibi ac in iis aliquot aurei obligarentur, vt erat Gallica lingua facunda, vtpote vt futura Regina in Francia enutrita; hoc ſibi ipſi Epitaphium luſit; atque chartæ cereæ incluſum, alteri manui cum aureis alligari voluit, vt poſteà ab vndis ad littus eiecta cognitaque, honeſtè terræ mandaretur:

Reuertit Cæſar in Germaniã.

1497

Margarita Archiducis ſoror nuptura Principi Hiſpaniæ, illuc nauigat.

Intrepida inſtante naufragio, lepidiſsimũ ſibi ſcribit Epitaphiũ.

Cy giſt Margole, noble Damoiſelle,
Deux fois mariée, & morte pucelle.

quòd Latinè ſic ſonat:

Margaris hoc tegitur tumulo clariſſima; quæ bis
Nupta quidem, manſit ſed ſine labe pudor.

Tandem multis ſuperatis difficultatibus, ac aliquot amiſſis nauibus, ceteriſque ferè omnibus iactu onerum ſeruatis, ægrè portum Angliæ oppidi Hamptonæ tenuit. Honeſtè ac pro dignitate à Rege Henrico Septimo excepti, rebus neceſſariis ſunt adiuti. Cumque per tres hebdomadas

das ventum ex Oriente flantem expectaſſent, eo ſe exhibente, dant vela, magnumque maris emenſi ſpatium, valida iterùm cogente neceſſitate, Galliciæ portum, qui à D. Andrea nomen habet, intrant, Regeſque certiores de ſuo aduentu faciunt. Properat eis ſtatim cum multa Nobilitate obuiàm Caſtellæ Coneſtabilis, ac haud procul vrbe Burgenſi Rex Reginaque Margaritam amplexi ad vrbem deducunt. Poſtero die eam Princeps Ioannes cum magna ſolemnitate in vxorem ducit, celebranturque ingenti Hiſpanorum gaudio ſumptuoſiſſimæ aliquot diebus nuptiæ. Sed lætitiam hanc non multò pòſt nubes triſtis inuoluit. Nam fine huius eiuſdem anni obiit idem Ioannes Hiſpaniarum Princeps ardenti febre, relinquens vxorem Margaritam Auſtriacam grauidam, quæ paulò pòſt animi dolore immaturum edidit fœtum maſculum, quæ altera fuit Hiſpaniæ mœroris cauſa. Hoc anno poſtridie Kal. Iulij fortuito igne Anghiani periêre quingentæ ædes, extincti fumo ac flamma pluſquam quinquaginta homines. Oppidum Dieſtum in Brabantia hoc tempore ſub imperio erat Ducis Iuliæ, vt beneficium Ducis Brabantiæ. Iuſſerat Dux Iuliæ ibidem leui de cauſa ciues aliquot capite plecti. Horum propinqui ad Procuratorem cauſarum Brabantiæ Ducis de ſupplicij iniquitate erant conqueſti. Hic die dicta Ducem Iuliæ coram Senatu Ducis Brabantiæ in ius vocat; defendebat ille ſe per Procuratorem: ſed tandem cauſæ diffidens, oppidum Dieſtum cum omni quod in eo habebat iure Eingelberto Naſſauij Comiti vendit, cuius poſteri exinde id poſſedêre. Eodem ferè tempore Ioannes Carondeletus Champuanſij Dominus Burgundiæ Cancellarius dignitate exuitur, inimicorum calumniis, vt quidam volebant, circumuentus, promotúſque eſt in eius locum vndecimo Kalend. Ianuarij Thomas Plainius Maignij Dominus, natione (vt Carondeletus) Burgundus; cuius conſilio mox ſtatutum ac publicatum fuit, ne quis ſericis aut laneis vteretur veſtibus, niſi eæ apud Belgas factæ textæque eſſent: quæ lex mercatorum aſtu ac donis parum diuturna fuit. Paulò pòſt Balduinus Lanoius Molenbaiſij Dominus cum honorifico comitatu in Franciam ad Regem ab Archiduce mittitur, vt Ducatum Burgundiæ, ac in Arteſia Airam, Heſdinum ac Bethuniam, ceteraſque vrbes eius iuris repeteret. Honorificè à Rege excipitur, legationéque in ſecretiori Concilio audita, ſpecioſis Lanoius verbis ducitur. Cúmque diſcedendi tempus adueniſſet, frigido ſcripto remiſſus eſt, vt facilè Franci demonſtrarent, ſeſe Burgundiâ niſi per vim 1498
non diſceſſuros. Septimo Idus Apriles anni 1498. obiit Francorum Rex Carolus Octauus, annos natus viginti & octo, è quibus regnauit tredecim. Anna Britona ter ei peperit, ſed infantes obiêre. Erat enim Rex corpore & animo infirmus. Feſſus ludo paruæ pilæ, in quo ſe cum reticulo exer-

In Anglia aliquamdiu ex tempeſtate recreata tandem proſperè Hiſpaniam attingit.

Nuptiæ eius, ſed breuis gaudij.

Narratur quæ ratione Dieſtum oppidum à Duce Iuliæ ad Naſſouios venerit.

Lex lata, ſed parum diuturna, ne quis veſtiretur, niſi ſericis aut laneis apud Belgas textis.

Moritur Carolus Octauus Francorum Rex apoplexia, nullus relictis liberis.

exercuerat, in cubiculum ſecedit, ceteroſque è feneſtra ludentes aſpiciens, ſubito neruorum ſtupore, quem Græci apoplexiam vocant, corripitur, priuatúſque ſenſu ac motu in terram decidens, paulò pòſt exſpirat. Quinto Kal. Iunij eius loco Rhemis inungitur Ludouicus Aurelianorum Dux, Rex huius nominis Duodecimus. Comparat intereà Cęſar iuſtum ex Heluetiis exercitum, cum quo in Burgundiæ Ducatum filij ſui

Cæſar pro filio in Burgundiam irrumpit, ſed fructu tantùm induciarum.

maternam hereditatem contendit. Præerat Francorum nomine Burgundis Tramulius Dux vetus; qui cùm in vrbem Digionenſem ſe cum copiis includere eſſet coactus, Cæſari ſine dubio ceſſiſſet, niſi pecunia corrupti Heluetij ſubitò ſtipendia ac miſſionem petiiſſent. Carolus quoque Dux Gelriæ dictus, à Francis concitatus, contempta Septem-virûm Germaniæ ſententia (de qua ſuprà ante quadriennium) quòd contra ſe feciſſet, Belgis è Geldria bellum infert. Quare facilè Cæſar cum Rege Ludouico id ſummopere expetente, inducias aliquot menſium, dimiſſa exer-

Naſcitur Leonara filia Philippi Archiducis ex Ioanna Aragonia.

citus maiori parte, facit; cumque Louanium perueniſſet, Ioanna filij Philippi vxor, filiam parit Leonoram matris Cæſaris Maximiliani nomen referentem: Præſul Cameracenſis infantem ſacra lauit Aqua, eam inde ſuſcipiente nomine Cæſaris Marchione Badenſi. Huic adſiſtebant Margarita Eboracenſis ac Anna Burgunda Adolfi Rauaſtainij vidua, nomine Eliſabethę Hiſpaniarum Reginæ. Hoc tempore in Friſia dudum potentes erant factiones; vna ſe Vercoperos appellabant, hanc Groningani fouebant; altera Sciringanos. Groningani mirum ius in vicinos

Duræ leges à Groninganis prætenſæ in Ommelandios.

(Ommelandios vocant) prætendunt. Non enim Ommelandiis vel pullum equinum alibi quàm Groningæ emere aut vendere licet. Singulæ ciuitates præter vnum piſtorem, ſutorem, calcearium, lanei lineiq; panni venditorem, nec alias, quibus vita societáſque humana indiget, tabernas habere poſſunt, adeò vt neceſſariò ampliſſimis pagis ea ſint Groningæ comparanda, quæ vna non poteſt ſuppeditare taberna. Quæ verò domi vel in agris ruſticis naſcuntur, nullibi præterquam Groningæ vendere licet, niſi ingentem multam ſoluere malint. Sciringani, Duce Gotſcalco Iongema, anno 1494. aduocata è Belgio Guardienſium legione, Groninganos, excepta Leuwarda ac Ooſtergoia, omni Friſia pepulerant; nunc verentes, dimiſſis Guardianis, Groninganorum potentiam, inito conſilio Franicæ concludunt, Principem aliquem potentem in Friſiæ

Nata hinc grauia inter Friſios diſſidia.

peculiarem Dominum aſſumendum; mittunt Legatos ad Albertum Saxonem apud Hollandos agentem. Communicat is Cæſari, eiúſque filio Philippo. Hi conſiderantes ſeſe Duci Alberto propter bella ex ſtipendio vltra trecenta florenorum millia debere, in Friſiorum Legationem conſentiunt, traditóque Diplomate Albertum Saxonem, legitimóſque eius heredes, hereditarios Friſiæ vtriuſque Gubernatores (hoc enim

tantùm

» tantùm titulo est decoratus) nominant, ea conditione, vt hanc donationem tam pro debitis in hunc vsque diem stipendiis quàm pro præstitorum officiorum munere honorario acciperet, seseque Cæsaris Comitisque Hollandiæ cum omnibus posteris clientem profiteretur, restituturi Hollandiæ Comiti Frisiam, cùm ei aut eius heredibus dicta trecenta florenorum millia cum omni pecunia, quam ipsi aut eius posteri domandis rebellibus, extruendis necessariis munitionibus, alendisque perpetuis stipendiariis erogassent, esset restituta. Sic exhibito Diplomate, Saxonis nomine Scaubergius à Snekiis ac Westergoiis statim inauguratur, vt etiam paulò pòst ab Oostergoiis, qui tum primùm à Groninganis defecerant. Sequuntur hos Zeuenwoldæ ac Sciringicæ factionis Nobiles ignobilésque omnes. Groningani idem facere iussi recusant, quemadmodũ Leuwardij ac Vercoperi omnes. Leuwardij cùm strenuè se aliquamdiu contra Scaubergium defendissent, tandem & ipsi Saxonem Principem recipiunt, pacti res omnes saluas, & vt qui vellent Groningam migrare possint: præficiturque oppido Witterfoxius, qui contrariæ factionis ædibus aliquot dirutis, arcem Leuwardæ ædificat, quæ etiamnum hodie visitur. Sciringani, dominationis Groninganæ hostes capitales, Etzardum quoque Ouerendæ Comitem ad bellum Groninganis inferendum omni arte concitant, corpora opesque in hanc rem singuli offerentes. Is re benè examinata, clàm cum Saxone conspirat, auxiliisque ab eo acceptis cùm suas iunxisset copias, bellum subitò Groninganis infert. Defendunt illi se strenuè, donec variis fracti cladibus ad Fredericum Badensem Præsulem Vltraiectinum donatione Cæsaris Henrici Quarti (vt volunt) Groningæ Dominum se conferunt, auxiliumque petunt. Is partes auditurus, eos Vollenhouam conuenire iubet. Cùm frustrà pro pace laborasset, inducias in mensem vsque Martium anni 1499. facit: quibus stantibus, iterùm pro pace in Hollandia conueniunt, ex vna parte Albertus Saxo cum filio Georgio & Comes Etzardus, è Groninganis Schatterus & Horenkens Consules, & Pastor D. Martini; ab Ommelandiis Abbas Selwarti, Commendator Warsumij, ac Albertus Guikuma. Sed cùm nec hîc conuenire possent, prolongat Præsul inducias vsque ad septimum Kal. Iulij. Postridie Kalend. Iulij Archidux Philippus Duaci inauguratur, indeque Atrebatum profectus, Franciæ Cancellario clientale sacramentum solita cum cærimonia de Flandria ac Artesia dicit; is verò Archiduci nomine Regis, de Bolonia, petens secundùm formulam pacis Senliacæ, Aira sibi, Hesdinum ac Bethunia redderentur: quod statim Rex Ludouicus, missis ad horum oppidorum Præfectos in eam rem litteris, fieri curauit. Exinde Atrebati 25. Iunij in Artesiæ Comitem magno omnium Ordinum gaudio inauguratur. Erat

Tandem postulatus ab eis Dominus peculiaris, & datus Albertus Saxo, certis his legibus.

Opponunt se Saxoni Groningani & aliquot alij.

Capta Leuvvarda, arx ibi cõstruitur.

Frustrà laborat Episcopus Vltraiectinus paci Frisicæ cõponendæ.

1499

Tandem paci Senliacæ satisfit, tam à Rege Franciæ quàm ab Archiduce.

enim Princeps formosissimus, annorum viginti & vnius, Regiam maiestatem ore, vultu, totoque corporis habitu referens. Atrebates eo viso, adeò sunt lætati, vt miseriarum, quas longo tempore eius nomine pertulerant, obliuiscerentur. Octauo Idus Iulij Comes Nassouius Bethuniam profectus, Philippi Principis nomine eius oppidi possessionem accepit. Exinde Cæsar è Germania in Geldriam cum copiis descendens, Carolo numquam quieto bellum infert, oppidumque Arkelensium capit. Defendit se Gelder quantum pótest, acceptis clàm à Francorum Rege quingentis lancеariis equitibus, Ducibus notho Borbonio ac Marcano Esdainæ Domino. Cæsari quoque Cliuiæ ac Iuliæ Ducum auxilia non defuêre. Sed paulò pòst res ex parte componitur, Cæsare in Germaniam reuerti coacto, propter nouum inter confœderatos Sueuos subditos suos ac Heluetios ortum bellum. Finitis inter Groninganos eorúmque hostes mense Iulio huius anni induciis, bellum vtraque pars summo studio apparabat. Eligunt Groningani quatuor tribunos militares, Heralma, Schatterum, Comerum, ac Comina; qui educto milite Dammum, Fermsonium, Otterdumium, Rheidam, Watençum, ac loca vicina præsidiario milite occupant, arcemque Kipperdanam, ceteráſque Hammij, Dersumij ac Stickæ incendunt. Etzardus, Ducibus Groninganæ ditionis Nobilibus, in Oltamptiũ octingentos mittit veteranos pedites, ac bis mille armatos suæ ditionis rusticos; qui Winschotam ac Slohteram prætergressi ad Abbatiam Witwirum consident, partemque Oltampij sacramentum dicere, ac statim Etzardo numerare bis mille ducentos daleros cogunt. Groningani qui Dammi in præsidio erant, eos exspectare non ausi, deserto oppido, Groningam reuertuntur. Nobiles id occupantes, fossa valloque muniunt. Postero die Etzardus comitatus mille aliis armatis rusticis Dammum venit; Oltamptios non parentes populationibus ac incendiis vexat. Witterfoxius, intellecto Etzardi aduentu, cum ducentis quinquaginta veteranis ad eum contendit: sed prope Colhamum à Groninganis numero longè superantibus victus, inter primos præliando cadit, ac cum eo circiter centum quinquaginta ex Guardiensibus; Dammo nihilominùs in potestate Etzardi manente. Hic erat Frisiæ status æstate huius anni, cùm Albertus Saxo mense Aprili Leuwardæ, & in vicinis oppidis esset inauguratus hac vtrimque sacramenti forma: Nos Albertus Saxoniæ Dux, Lantgrauius Thuringiæ ac Marchio Misniæ „ notum facimus, nos in protectionem defensionemque nostram accepisse „ ac accipere omnes ac singulos cuiuscumque generis ac ordinis homines „ ditionis Frisicæ, eorum oppida, pagos, munitiones ac incolas; promitti- „ musque, extra Frisiam ad conuentus agendos eos numquam euocaturos, „ sed ius omnibus singulisque æquissimè domi dicturos. Priuilegia quo- „ que

Cæsar pro filio cum copiis in Geldriam venit, sed mox domũ reuocatur.

Groningani toti se instruunt contra Etzardum aliosq́ue hostes clàm cum Saxone facientes.

Aduveniente hoste Dammum deserunt, hostiq́ue relinquunt muniendũ.

Forma iuramenti, qua se Saxo Frisiis obstrinxit.

,, que ac immunitates omnium ſingulorumque conſeruabimus, nouaſque
,, leges ſine eorum aſſenſu nullas feremus. Et ſic Albertus Dux. Friſij verò
,, in hanc ſententiam cum eo conuenere ac iurauere: Nos homines ſacri ac
,, profani ordinis, Nobiles ac ignobiles ditionis Weſtfriſiæ, agnoſcimus,
,, eligimus ac recipimus in abſolutum Principem, Ducem Albertum Sa-
,, xonem, eiúſque legitimos heredes conditionibus deſcriptis in Diplo-
,, mate Cæſaris. Si neceſſitate preſſi Dux Albertus eiúſque heredes in Fri-
,, ſia gubernandi cauſa habitare non poſſint, nóſque eam ob cauſam eum
,, eiúſve heredes pro Principe agnoſcere nec recipere ampliùs voluerimus,
,, promittimus nos illi aut eius legitimis heredibus ſoluturos eam pecu-
,, niæ ſummam, quam durante gubernatione nutriendis militibus, aut
,, quibuſuis aliis de cauſis regioni neceſſariis impenderit. Quo facto inte-
,, grum nobis erit, aliũ pro arbitrio eligere Principem. Donamus ac con-
,, ſentimus Duci Alberto eiúſque heredibus Dominia, tributa, ac annuos
,, reditus ſequentes: ſingulis recipient annis à ſingulis Friſonum ædibus
,, duos Flandricos groſſos, ſtuferum Brabanticum conſtituentes. Singuli
,, equi, ſingulaque pecora biennium excedentia groſſum vnum ſoluent.
,, Annui Friſonum reditus, ac agrorum annuæ locationes ſingulis annis
,, centeſimum Principi ſoluent nummum. Qui proprios colent agros, ſol-
,, uent habita ratione vicini agro conducto vtentis. Singula cereuiſiæ do-
,, lia aliunde in Friſiam aduecta octo ſoluent groſſos, è quibus Princeps
,, ſex, ærarium loci duos recipiet; liberi tamen erunt homines ſacri ac No-
,, biles. Vini vigeſimam Princeps habebit menſuram. Pannus laneus, cu-
,, ius vlna triginta vendetur ſtuferis, ac lineus, qui decem, ſingulæ vlnæ
,, quatuor ſoluent groſſos, quæque dictam non attingent ſummam, duos
,, groſſos. Harum rerum ſolutio hoc anno ac die initium ſumet. In cuius
,, rei teſtimonium hęc Snechi ſubſignauimus, ac ſigillo ordinario ditionis
,, Weſtegoicæ muniuimus pridie Kalend. Maij, anno 1499. Hoc eodem anno vigeſima prima Auguſti vendidit Fredericus Badenſis Antiſtes Vltraiectinus Ordinum ditionis conſenſu Ioanni Rouero Montfortij Burchgrauio ſupremam iuriſdictionem, quæ ipſis in oppido ac ditione Montfortiana ab omni antiquitate competebat, ſeruata patronali præeminentia, ac imperandi tributi poteſtate, ſemel acceptis quatuor millibus aureorum Rhenenſium florenorum.

Pactum quo ſe Friſij viciſſim Saxoni ſubiecerũt.

Inter cetera addixerunt centeſimã quotannis redituum & elocationis omnium agrorum.

Vendit Epiſcopus Vltraiectinus ſupremã Montfortij iuriſdictionem ſemel quatuor millibus aureorum.

Anno ſeculari à nato Chriſto milleſimo quingenteſimo, menſe Ianua- 1500
rio Groningani muniunt arces quæ ſunt Vtwarti, Muedæ, Zudenburæ, ac Slohteræ indeque cum iuſtis copiis ac aliquot tormentis Dammum, Dickhuſam, ac Delfzilam tentant. Sed continuæ pluuiæ, ac per cataractas procuratæ agrorum inundationes eos domum redire coëgerunt. Tum Etzardus, ſuis eductis copiis, incendit Wageburgum, Vthuſam ac Muedam.

Etzardus variis populationibus laceſſit Groninganos.

dam. Vtwartij, tradita arce, præsidiũ admisere. Marnij rebus suis timentes, arma capiunt. Mittuntur eis auxilio Groningani atque Ommelandij, ac simul castra Vinsumij locant. Sed appropinquante cum copiis Etzardo, oritur inter socios dissensio. Groningani domum abeunt, militibus stipendiariis munito Vinsumij loco relicto. Etzardus dissentientes inuadit, repugnant nonnulli, alij seruato ordine discedunt, tertij fugam capiunt. Marnij, non paucis desideratis, malè habiti domum rediere. Per idem tempus rebellant contra Saxonem Oostergoij, Westergoij, ac Zeuenwoldij, ac filium eius Henricum Frankeræ obsident. Veniunt Saxoni, Duce Brunswicano eius genero, auxiliares copiæ è Germania; quibus vt ingressum obstruerent, collecta circiter decem armatorum millia castra Bomsterzilæ munierant. Dux Albertus in vnum coactis veteribus ac nouis copiis, ad hostem pergit, cumque eos instructa acie in conspectum haberet, per sclopetarios leuibus vexat diuersis locis pugnis. Intereà idoneo loco constitutis tormentis, tantam à latere eis cladem infert, vt vix tentata pugna, omnes fugam arriperent. Multi capiuntur, plures interficiuntur, aquisque merguntur. Tum Dux castra Vrawcloosteram transfert, expectans, quid consilij rebelles qui Franikeram obsidebant, essent capturi. Cùm eos in castris manere, premereque oppidum velle intellexisset, eò contendit. Illi, re intellecta, simulque de sociorum clade ad Bomsterzilam certiores facti, concepta formidine, impedimenta conuasant, ac non expectatis Ducibus ad sua plerique dilabuntur, manente obstinatè in obsidione Præfecto Suckero cum mille quingentis veteranis: in quem obscura nocte erumpẽs Henricus Saxo, Suckerum cum ducentis quinquaginta viris interficit, ceteros omnes in præcipitem fugã agit; superuenientesque summo manè Duces, tormenta ac alia impedimenta sui iuris faciunt. Inde Duces cum Henrico Saxone Leuwardam ac ad cetera Frisiæ oppida proficiscuntur. Nullus non portas aperiebat, veniam clementiamque petens obuiàm Ducibus veniebat. Rebus in Westfrisia recuperatis, ad domandos obsidendosque Groninganos Dux Albertus animum conuertit. Locat Adewarti castra, tandemq; septimo Kal. Martij eadem ad Abbatiam Selwartum, haud procul Groninga parte Septemtrionali sitam, transfert; continuisq; præliis ac opportuna occupando loca tantum efficit, vt vndique seriò obsiderentur. Tum maiora profert tormenta, ac omnia ad oppugnationẽ necessaria parat, nocte dieque ciues tormentorum globis vexans; vbi cùm aliquando superbæ ciuitatis situm incautiùs speculatur, tormenti manualis globo leuiter in capite sauciatur; cuius curandi causa cùm se Dammum contulisset, accedente febri decumbere senex cogitur. Intereà Fredericus Badensis Præsul Vltraiectinus summopere pro pace satagebat. Idem studebat Georgius Thu-

Oostergoij, Westergoij ac Zeuenwoldij contra Saxonem rebellant, ac Frankeræ obsident.

Prælio iidem superantur.

Soluere coguntur obsidionem cœptam.

Westfrisiis domitis, Saxo Groningã obsidere parat.

Inter speculandum vrbis sitũ, tormenti globo vulneratur.

Thurenus, Cæsaris in Frisia Legatus, qui post multas disceptationes, variaque colloquia, tandem Groningæ iuxta Elbingæ portam, vndecimo
» Kal. Septembris hisce legibus conuenere: Groningani Ommelandios sa-
» cramento, quod sibi noua confœderatione dixerunt, liberanto. Omme-
» landij ac Groningani, donec Imperiali sententia de iure Ducis Alberti ac
» ciuitatis Groninganæ fuerit decretum, liberi manento. Intereà Georgius
» Thurenus Ommelandios gubernato, dicto sacramento, se in nullius eos
» constituturum potestatem, nisi quem Imperialis sententia Dominum
» declarasset. Pendente lite Groningani iuribus consuetis vtuntor, ita vt ne-
» mini liceat alibi vendere butyrum, caseum, equos, boues, vaccas, frumen-
» ta, legumina, oues, porcos, quàm in ciuitate ac foro Groningano, exce-
» ptis sacris hominibus, Nobilibus, ac Dammiis; qui ea quæ ager eorum
» proferet, vbi voluerint, vendere poterunt. Eadem libertate Oltamptij,
» durante sequestri tantùm tempore, vtuntor. Groningani Comiti Etzardo
» summam quatuor millium quingentorum Dauidicorum florenorum,
» quam eis mutuò dedit, restituunto, & si vsuram de dicta summa de-
» beant, ex sententia Antistitis Vltraiectini ac Ducis Alberti soluunto.

Leges pacis agente Legato Cæsaris sanciuntur.

Quibus ita cõstitutis, Dux Albertus obsidionem soluens, maiorem exercitus partem in Westfrisiam mittit, iustum Dammi præsidium relinquens. Ipse ingrauescente febri, & leui vulnere in senili corpore subputrescente, cùm in Oostfrisiam contendisset, paulò pòst Emdæ supremum diem claudit, succedente ei filio natu maximo Georgio. Hoc anno sæculari 1500. sexto Kalend. Martij, qui D. Matthiæ tum sacer erat, quòd annus esset bissextilis, natus est Gandaui Flandriæ Archiduci Philippo filius Carolus, posteà Cæsar eius nominis Quintus: Nonis Martij sacro Fonti præsentatur, Margarita Eboracensi vidua Caroli Audacis infantem vlnis gestante, cui dextrum latus claudebat Margarita Austriaca Hispaniarum Principis iuuencula vidua, quæ non ita dudum ex Hispaniis cum Ioanna puerpera redierat; sinistrum latus claudebat Carolus Crouiacus Chimai Princeps, iussu Aulæ (inquit Marchantius) accedente quarto Ioanne Bergarũ ad Scaldim Domino, patre Antonij primi Marchionis. Antistes Tornacensis infantem Sacra vnda abluit; nomen Caroli indidit Chimaus in memoriam proaui Caroli Audacis. Rectores vrbis Gandensis infanti obtulere nauem argenteam quinquaginta pondo, omen futurarum opum, quas ei successoribúsque naues incognitis insulis ac terris repertis essent aduecturæ. Ter post hæc in populum aurea argenteáque spargitur moneta; primùm ab Archiduce infantis patre, deinde à Senatu Gandensi, tertiò à mercatore panni serici. Mense Maio Archidux Bethuniæ & ad Fanum D. Audomari inauguratur; indéque Dunkercam peruenit, tum Greuelingam, vbique liberaliter donatus.

Moritur Albertus Saxo leui vulnere in senili corpore subputrefacto, succedente filio Georgio.

Nascitur Gandaui Carolus, posteà Imperator eius nominis Quintus.

Pompa Baptismalis eiusdem.

Hîc,

Colloquuntur iuxta Caletum Rex Angliæ & Archidux.

Hìc, missis ad eum Anglorum Rex Legatis, statuunt colloquij diem ac locum in templo D. Petri, vnico distans Caleto milliari. Prior venit cum Regina Rex Henricus VII. quinto Idus Iunij eódē contendit Archidux, Anglorum Proceribus obuiàm prodeuntibus, deinde Rege Henrico. Cùm inuicem honorassent, amplexique essent, Archidux Reginam eiusque comitatum inuisit, salutatque. Tum Principes per tres & ampliùs horas soli colloquuntur. Absoluto prandio, cùm hinc inde comites donis onerassent, ac inter se muneribus certassent, ad sua rediêre. Archidux Greuelingam, Veurnam, hinc Niportum, tum Ostendam, tandem Ardiburgum peruenit, vbique summo cum honore exceptus, muneribusque excultus. E Flandria Lutzenburgum proficiscitur, vbi dicto acceptoque sacramento in Ducem inauguratur, relicta ditionis gubernatione Marchioni Badensi. Hoc anno Cæsare grauissimo bello inter Sueuos ac Heluetios occupato, Ludouicus Duodecimus Francorum Rex Alexandriam, deinde Mediolanum eiecto Ludouico Sfortia, copiisque eius ad Padum amnem profligatis, occupauit, fugiente Sfortia cum liberis fratréque Ascanio Cardinale in Germaniam ad Cæsarem: vnde post quintum mensem à Mediolanensibus, Francorum insolentiam fessis, reuocatus, cum forti Heluetiorum manu, quam mercede conduxerat, Mediolanum est reuersus. Sed paulò pòst nouus Francorum exercitus duce Tramulio rediens, ac se veteribus Lignij, Trivultij, ac Venetorum copiis iungens, Heluetiisque qui Sfortiæ militabant pecunia corruptis, Mediolanum Franci cum vniuerso Ducatu recuperauere, Ludouico Sfortia, ita vt inter pedites Heluetios, eorum more vestitus ac armatus, Nouaria per medium Francorum exercitum exire, ac in tutum ignotus effugere conabatur, capto, in Franciam abducto, ac tristi carcere Lugduni incluso, perquam exiguo scribendi ac legendi concesso solatio, vbi tandem post decimum captiuitatis annum miser periit, relictis duobus filiis Maximiliano ac Francisco, qui in Insubrum Imperio inuicem succedentes, cum summa miseria, exiguo tempore regnauere, tandémque sine liberis obiere. Archidux Philippus Bruxellæ Brabantiæ anno 1501. 4. Kal. Februarij in templo Carmelitarum, Sacro ac cærimoniis pro more peractis, Equitum Aurei velleris numerum supplet. Decimo quarto Kal. Iunij Legio Guardiensis stipendiis Groninganis adscripta, Dammum arcta obsidione cingit. Groningani illud cum Guardiensibus duobus diuersis locis oppugnant; sed desideratis ducentis, ac multis sauciatis, repelluntur. Co. Etzardus cum mille quadringentis militibus ac quingentis rusticis Amisiam traiicit, & Fermsonij castra metatur. Groningani ac Guardienses, relicto Dammo, instructa acie obuiàm proficiscuntur. Exspectat idoneo loco Etzardus, tormentisque maioribus præ se actis, adeò Groninganos

Inauguratur Archidux apud Lutzēburgicos.

Sfortia Mediolano à Gallo pulsus, post quintum mensem illud recuperat, sed mox iterū pellitur.

In Franciam demū abductus Sfortia post decimū captiuitatis annum ibi miser obiit.

1501

Groningani Dammum obsident.

ninganos ac Guardienses perturbat, vt orta dissensione (alij proditionem dixêre) vixq; tentata pugna Seltwartum reuerterentur. Sed rupto in itinere ponte, multi sunt submersi ac cæsi, ceteri fuga Groningam versus sibi consuluêre. Periêre è Groninganis circiter septingenti, ac inter hos Consulũ filij aliquot. Consules ipsi captiui abducti sunt. Post hanc victoriam Hugo Lisenachi Burchgrauius, Saxonis Legatus, cum multa Germanorum ac Westfrisiorũ Nobilitate Adewartum, Etzardus verò suis cum copiis Winsumium venit, ac communi consilio Adewartũ insigniter muniunt, coactis Ommelandiis suo sumptu operas facerent, insuperq; magnam pecuniæ summã conferrent, in recusantes igne sæuientes. Inde ad portas vsque Groninganas excurrunt, omnia igne ferroq; vastant, Drentamq; vniuersam depopulantur. Sub idẽ tempus Comiti Etzardo contra Brunswichiũ & Oldenburgensem Comites, Nobilésq; Butiagerlandios, domi oritur bellum : qua vsus occasione Fredericus Badensis Vltraiectinus Præsul, inducias inter Saxonem, Groninganos ac Etzardum facit, quæ initium essent habituræ Kal. Octobris huius anni, finituræ sexto Kal. Maij anno 1504. sæpiùs intereà diuersis locis frustrà pro pace satagentes. Æstate huius anni in ditione Leodiensi ac vicinis reperta sunt in hominum vtriusque sexus vestimentis signa Crucis, adeò exactè expressa, vt nullus pictor meliùs posset. Plures cælo demissas cruces affirmabant, quò Principes ostenti terrore ad bellum Turcis inferendum animarentur. Decimo quinto Kal. Augusti nascitur Bruxellæ Archiduci filia Elisabeth, quam Henricus Bergius Antistes Cameracensis sacra Vnda lauit. Pridie Idus Augusti Archidux Lugdunum ad Regem Francorum Ludouicum mittit Ægidium Buslidium Archipræsulem Bisuntinum cum Cheuræ ac Verrij Dominis, vt filiam natu maximam Claudiam ex Anna Britone natam, filio suo Carolo ex promisso conuentóque despondeat. Promittebat Rex cum filia maternam hereditatem, Britonum Ducatum; Cæsar Regem Ludouicum Mediolani Ducem concesso Diplomate, ac sacramento clientali accepto, ea conditione renuntiaret, vt si dictæ nuptiæ Regis culpa effectum non fuissent sortitæ, concessio dicti Ducatus nullius foret momenti, sed omnis actio, quam iure Imperij in Ducatum Mediolanensem Cæsar habebat, ad Carolum Austriacũ rediret. Exinde desponsatur Margarita Austriaca, Ioannis Hispaniarum Principis vidua, Philiberto Sabaudiæ Duci: quę decimo Kal. Nouembres Bruxella discedens, per Hannoniam, Picardiam, Franciam, Burgundiam, ac tandem in Sabaudiam venit; vbi duobus milliaribus à Geneua, loco dicto Roma Moustier, Duci Philiberto matrimonio coniungitur, præeunte Moriennæ Antistite: & pridie Nonas Decembres Geneuam ingrediuntur, venientibus obuiàm Ducis Philiberti fratribus,

Groningani cæsi circiter septingenti, haud pauci capti, reliqui fuga sibi consuluerunt.

Sanciuntur induciæ, & intereà diuersis locis frustrà de pace agitur.

Nascitur Archiduci filia Elisabeth.

Despondetur Carolus infans Claudiæ Francicæ.

Nubit Margarita Archiducis soror Duci Sabaudiæ.

bus, Carolo post eum Duce, quatuordecim tum annos nato, Philippo decem annorum puero, Archipræsule ac Comite Geneuæ; ibidemque Margarita magna cum pompa lætitiaque inauguratur. Paulò ante has nuptias Bruxellam venerat Bellevillæ Dominus, à Rege Ludouico missus, rogans, quandoquidem Archiduci iure vxoris, post mortem Ioannis Hispaniarum Principis, hereditas Hispanica necessariò erat adeunda, dignaretur per Franciam in Hispaniam terrestri itinere proficisci stabiliendæ amicitiæ causa. Habito diu super hac re cum Proceribus, Consiliariis, ac Ordinum Legatis consilio, duæ erant sententiæ. Carolus Crouiacus Chimai Princeps longa oratione dissuadebat, ab initio recensens bella, eorum causas, fœderúmque inconstantiam, ac artes quibus à quadringentis annis Francorum Reges Belgas opprimere essent conati; nequaquam ista memoriâ esse deponenda. Ægidius Buslidius Archipræsul Bisuntinus (qui fuerat Archiduci Pædagogus) econtrà illuc eundum, vitatis maris iactationibus, quibus soror tam fœdè habita fuerat, suadebat, docens nihil periculi à Ludouico Rege esse, quem constaret à vindicta esse alienissimum; quod & exemplo tunc noto iniuriæ acceptæ à Duce Lotharingo, comprobauit. Etenim is cùm deprecaretur iam Regem factum, obliuisceretur iniuriæ irrogatæ ei dum Dux Aurelianus esset, iocabundum Regem respondisse, non æquum esse, vt Rex Franciæ memor sit iniuriæ Duci Aureliæ illatæ. Quòd verò tam enixè desideret per eius Regnum iter Archidux faciat, non aliam subesse causam, quàm quòd eum omni ratione beneficiis deuincire cupiat, quò Cæsar Archiducis pater eum Imperiali auctoritate, deuicto Sfortia, Ducem Mediolanensem cum successoribus renuntiet. Archipræsulis oratione Archidux Procerésque confirmati, per Franciam eundum communi consensu decernunt. Præficit Archidux Belgis Eingelbertum Nassauium, ei à consiliis iungens, ac sine quorum consilio nihil eum facere volebat, Ioannem Hornanum Præsulem Leodiensem, Cornelium Bergum, Berselij ac Cheuræ Dominos. Liberos verò Mechliniæ educari præcipiebat, cura Margaretæ Eboracensis Audacis viduæ, Thomæ Plainij Burgundiæ Cancellarij, ac Domini de Rauastain. Exinde quarto Nouembris cum Ioanna vxore Bruxella discedens cum amplissimo comitatu, Bergas Hannoniæ venit, hinc Valenchenas, Cameracum, Fanum diui Quintini, occurrente Francica Nobilitate. Inde Nouiodunum, Compengam, Senliacum, Fanum D. Dionysij, Parisios, Aureliam, postremò Blosium, vbi Rex ac Regina eos expectabant. Hîc excepti à Rege salutant Reginam, deinde & Claudiam Francicam desponsatam Carolo Austriaco, cui adamantem auro inclusum æstimatum mille quingentis aureis liliis Archidux Ioanna dat dono. Post decem festos Blosij exactos dies

Mortuo Principe Hispaniæ, disceptatur mari an terra Archidux cum vxore in Hispaniam proficiscatur.

Tandem vincit sententia, terrestri itinere per Franciam eundum.

Iter eorum, Bruxella Bergas Hannoniæ, Cameracum, hinc ad Fanum diui Quintini, occurrente ibi Francica Nobilitate.

dies Ambosiam Archiduces, comitante hucusque Rege, proficiscuntur; hinc in Turones, Pictauos, Congacos ac Vascones. Initio mensis Ianuarij anno 1502. Garumnam amnem traiiciunt, veniuntque Castillonium, 1502
Candillacum, Langonum, Carisium, deinde Requefortium Regni Nauarræ oppidum, inde Tartasium, tum Arquesium, vbi Regem Nauarræ ad se venientem salutant. Hinc Baionam proficiscuntur; valedicentesq; Nauarro, pergunt ad Fanum Ioannis Lusij, postremum hoc loco Francici Regni oppidum; indéque Fontarabiam apud Cantabros (nunc Biscaia dicitur) vbi supremus D. Iacobi Commendator cum filio, qui Regno Bæticæ seu Granadæ præerat, multisque aliis Hispaniæ Proceribus, eis obuiàm procedit, felicémque gratulatur aduentum. Inde Riuam, Victorium, Mirandam, tandemque circa Idus Februarij Burgos perueniunt. *Similiter in Nauarra occurrit eis Rex Nauarra.*

Comestabilis Castellæ, Archiduces cum omni comitatu Fontarabia hucusque suis sumptibus deduxit, ac tractauit, muneráque perampla, vti & Proceribus Belgis dedit. Burgis Valladoletum veniunt, obuiumque habent Naiaræ Ducem, Castellæ Ammiralem, Præsides ac Consiliarios summi Hispaniæ Consilij, Ordinemque sacrum, totumque effusum visendi noui Principis studio populum. Hinc Medinam, tunc Segouiam veniunt; vnde pridie Kalend. Maij Toletum ad Hispaniæ Reges contendentes, coacti sunt aliquot dies hærere in pago Ollies, duobus Toleto milliaribus, correpto Archiduce morbo puerili, sed periculoso, maculis toto corpore fœdè erumpentibus, Medici Variolos vocant, Belgæ *de Maselen*, Galli *Rougeroles*: quo Rex Ferdinandus audito Olliesium contendit, generumque lecto decumbentem inuisit, & reuertit. Septimo Maij Archiduces Toletum pergunt, dimidióque ab vrbe milliari obuiàm habent Regem Ferdinandum, cuius comitatus vltra sex virorum millia habebat. Vrbis portam intrantes, à Magistratu sub aurea recepti vmbella, Rege ad dextram, vxore Ioanna ad sinistram equitante ad summum eunt templum; factáque prece, Deoque actis gratiis, ad palatium contendunt, Reginamque Elisabetham in sede magnifica sedentem, iuxtaque Hispaniæ Principes feminas conspiciunt. Viso Regina genero, ac filia, surgens obuiàm venit, generumque ad oris, Belgarum Proceres ad manus osculũ admittit. Deinde filiã amplexatur; simúlq; quatuor Principes vna mensa prandentes: ea remota, Rex generum, Regina filiam ad secreta colloquia abducit. Decimo Kalend. Iulij Rex & Regina in generali Ordinum Hispaniæ Castella dependentium consessu declarant, Archiducem Philippum, eius vxorem Ioannam, communésque liberos, veros legitimósque suos heredes: tum Nobiles vtriusque ordinis, vrbium Ordinúmq; Legati eis sacramentũ dicunt. Moritur hîc Toleti in Monasterio D. Bernardi vigesima tertia Augusti Ægidius Buslidius Archipræsul *Iter eorumdem per ciuitates Hispaniæ.* *Archidux iuxta Toletum morbo variolorum correptus à socero Rege inuisitur.* *Tandem splendidissima pompa Toleti excipiuntur.* *Dicitur eis vt Hispaniæ heredibus sacramentum.*

 Bisun-

Biſuntinus, vir inter ſummos, olim pueritiæ Archiducis pædagogus. Die decima ſeptima Octobris Archiduces Medinam cæli veniunt, vigeſima ſexta Saragoſſam (olim Cæſar-Auguſta dicebatur) ibique obſeruationem Priuilegiorum Arragonijs iurant, ipſique Ioannam legitimam Regis Ferdinandi heredem agnoſcunt, & Philippum eius legitimum maritum. Iamque Hiſpaniæ Principes (ſic enim deinceps Archiduces appellabo) in Belgium reditum parabant, ſed petunt Rex & Regina ea hieme in Hiſpania maneant, quòd Princeps Ioanna haud procul à partu abeſſet, bellúmque inter Francos ac Hiſpanos renouatum in Italia arderet.

Ioanna dũ pariat manet in Hiſpania.

Docet Princeps Philippus id res Belgicas non permittere, ſed ſe vxorem, donec peperiſſet, relicturum, tum petere, bona eorum cum gratia ad ſe in Belgium reuertatur. Cùm conſenſiſſent, noluit tamen Rex Ferdinandus eum per Franciam in Belgium redire, niſi ſecuritatis cauſa Rex Ludouicus obſides Belgis tradidiſſet, donec eò Princeps ſine iniuria perueniſſet.

Archidux iam Hiſpaniæ Princeps, reditum in Belgium adornat.

Mittit ſtatim Rex Ludouicus Valencenas Gaſtonem Foxij, Carolum Monſpenſerij, ac Carolum Vendomæ Comites, vixdum pubeſcentes Regij ſanguinis adoleſcentes. Exinde decima nona Decembris Princeps Philippus, valedictis Regibus, ac vxore tenerè plorante, Madritio Saragoſſam redit, aliquótque diebus regiè excultus, tandem ſeptima Ianuarij

1503 anno 1503. venit Laridam Cataloniæ ciuitatem & Academiam, decima octaua Barcilonam, vigeſima quinta Garonnam, octauo Februarij Perpuuanum. Pridie Kal. Martij, tranſitis Salſis, Sigam Languedoci oppidum intrat; cúmque intellexiſſet Francos obſides apud Belgas eſſe, proficiſcitur Narbonam, tum Mompellerium, vbi Legatos patris ſui Cæſaris, Furſtenbergij Comitem, Domprooſtium Vltraiectinum, ac Dominum de Fay reperit.

Redit in Belgiũ per Prouinciã, vbi ei nuntiatur vxorem Toleti Ferdinandum enixam.

Nona Martij Mincium venit, decima Auignonem, decima quarta Aurantium, inde ad Pontem ſancti Spiritus; vbi ei nuntiatur, vxorem Ioannam Alcalæ peperiſſe filium Ferdinandum. Decima ſexta venit Turnoni, vitans Valenciam ob peſtem valdè graſſantem, vigeſima Viennam prouinciæ Lugdunenſis, vigeſima ſecunda Lugdunum.

Occurrit ei Lugduni Rex & Regina Franciæ.

Huc mox Rex Ludouicus cum Regina vxore, multiſque Franciæ Proceribus, occurrit, aliquótque diebus ſe recrearunt. Decima ſeptima Aprilis Burgium in Sabaudiam Princeps proficiſcitur, à Duce eiúſque vxore, ſorore ſua, magnificè exceptus. Sed mox acri corripitur febre. Paulò meliùs habens, Lugdunum ex promiſſo reuertitur, Regi ac Reginæ valedicturus.

Per Sabaudiam trãſit Philippus in Burgundiam, vbique ſplendidiſsimè exceptus.

Sed in febrim recidiuus, tam grauiter ægrotauit, vt de vita Medici deſperarent. Vulgus venenum ei datum aiebat. Sed mox paululùm conualeſcens, fecit ne plebs inconſideratè loqueretur. Rex verò ac Regina ei valedicentes in citeriorem abière Franciam. Princeps Philippus lectica vectus ad Sabaudum reuertitur, vnde confirmata vale-

valetudine ad Fanum D. Claudij Comitatus Burgundiæ venit, vigesima Iulij Salinas, vigesima secunda Vaudreium, vigesima tertia Dolam; decima tertia Augusti Graiam venit, vigesima Haricurtiam, inde Iupam; tum Brisachi Rhenum transiens, Friburgum venit, inde Neustattum Comitis Furstenbergij; vigesima nona Senueringam, vbi à Wirtembergij Comite lautè cum comitatu excipitur. Pridie Kalend. Septembres intrat Ritelingam, tum Eilingam, Austriaca oppida; Kal. Septembris Oulinam, tum Augustam Vindelicorum; octauo Septembris Lauffenbergam; inde Oenipontem tendens, iuxta vrbem Cæsarem patrem obuiàm habet, seque mutuò ex equo amplexantur: noluerat enim Cæsar filium ex equo descendere. Tum ab Imperatrice Maria Blanca Sfortia omnibusque aulicis ac Principibus honorificentissimè excipitur, ac per mensem partim Oeniponti, partim Hallæ propinquo ei oppido cum patre egit, variis exercitiis se recreantes. Tandem sexta Octobris, obtenta abeundi facultate, ac multis ingentibúsque muneribus bellicísque ingentibus tormentis à patre donatus, è Comitatu Tyrolis in Bauariam, ditionémque Wirtembergensem reuertit, inde Bruxellam Sueuiæ, tum Heidelbergam Comitis Palatini, exinde Vlnam, Oppenheimium, Maguntiam, tandémque pridie Kal. Nouembres Coloniam Agrippinam, tertio Nouembris Duram Iuliæ, inde Aquisgranum, Traiectum ad Mosam, ad Fanum D. Trudonis, Louanium. Nona Nouembris Mechliniam intrat, tanto perfusus imbri vt toto corpore maderet, cogerenturque Mechliniani ignes gratulatorios ac similia lætitiæ signa in proximum differre diem. Hîc amplexis liberis, eorúmque nutriciis salutatis, aliquamdiu ex tanto itinere requieuit. Hoc anno Franci ab Hispanis ductu Ferdinandi Consalui è Regno Neapolitano eiici pellique cœpere: quam historiam si quis exactè scire cupit, legat Iouium & alios. Interim Francorum Rex magna suis in Italia mox mittit auxilia; vtque Hispaniæ vires diuersis locis distractas, imbecilliores in Italia redderet, duobus prætereà iustis exercitibus (excepto Italico) Hispaniam terra aggreditur; hoc Russionensem Comitatum, altero Cantabros (nunc Biscainos) inuadens, ac versus Fontarabiam properare iubens; instructaque valida classe, Cataloniæ ac Valenciæ oram omni calamitatis genere infestare præcipit. Eodem anno obiit Mechliniæ Margarita Eboracensis, Caroli Audacis vidua, sepulta apud Franciscanos. Anno 1504. Princeps 1504
Philippus, cernens Carolum Geldrum contra aui Arnoldi venditionem testamento approbatam, confirmatámque Cæsaris Sigismundi Diplomate, (de quibus suprà ad annum septuagesimum secundum superioris sæculi) in Geldria vi regnare, eum debellare, vniuersáque Geldria pellere (vti patri è Germania discedens se facturum fuerat pollicitus)

Deniquè venit ad patrem Cæsarem Oenipontem.

Redux per ciuitates Germaniæ venit Coloniam, hinc demum Mechliniã.

Ardet insigniter bellum inter Francum & Ferdinandũ Regem Hispaniæ Philippi nostri socerum.

Parat Philippus bellum in Geldros.

tus) conſtituit. Præmittit cum tribus virorum millibus in Geldriam Legatum Vergij Dominum Burgundum; qui indicto per Legatum caſtrenſem bello, arces aliquot expugnat, Præfectis ac præſidiariis in vincula coniectis. Intereà Princeps iuſto exercitu coacto, Moſam Grauæ traiicit, expugnatiſque tribus caſtellis ad Neomagum caſtra ponens, erumpentes Geldros in vrbem reiicit. Cleuam exinde exercitum ducens, tranſmiſſo Rheno Arnhemum obſidet, productiſque tormentis mœnia deiicit. Exſtruxerant haud procul porta oppidani munitionem; hanc Auſtriaci occupant. Arnhemij ſumma in eos vi erumpentes recuperant. Sed cùm paulò pòſt puluis tormentarius deficeret, quique eum perferre in ciuitatem erant conati, cæſi, capti aut ſtrãgulati eſſent, quamquam nec commeatus nec militum inopia premerentur, hiſce legibus deditionem faciunt: Arnhemienſes ad veterem familię Burgundiæ obedientiam reuertuntor. Princeps in vrbem armata manu, ſi ei placuerit, per hiatum tormentis factum intrato. Ea qua Princeps iubebit ratione gratiam rebellionis roganto. Sacramentum Principi nouum dicunto, ac poſthac obſequentes ſubditos ſe futuros promittunto. Cetera omnia cõdonata ſunto. Has conditiones ſtatim admiſere Arnhemij, Hattemij, Hardarwicani (paulò antè fortuito igne planè vaſtati) Elburgij, Tieltij, Bommelij, Dousburgij, Lochemij, Grollij; ac è Nobilitate Bronchorſtij, Wiſchij, Therenbergij, Sceinkij, Batemburgij, Anholtij, ac plerique alij, omneſque Principi ſacramentum dixere. Itaque menſe Iulio Princeps, comitatus multis Proceribus Arnhemum ingreditur; magnoque cum honore exceptus, inauguratuſque, paulò pòſt haud procul Zutfania caſtra locat. Mittunt menſe Septembri honeſtiores ciues rogatum, conditionibus Arnhemenſium in gratiam recipiantur. Conſentit Princeps. Sed reuerſis Legatis, mox concitatione Nobilium, qui à Carolo ad eos erant miſſi, animis mutantur, formulamq; Arnhemiam reſpuunt. Carolus in pugnam non exibat, ſed exuſtis vbique ruſticorum fortunis, effecerat, vt commeatus difficulter in caſtra adueheretur; ipſe locis munitis, ſæpè ea mutans, ſe continebat. Tandem iiſdem ferè quibus ſuperioribus annis, pax haud diu duratura conditionibus initur. Eodem ferè tempore Dux Georgius (ſtantibus adhuc induciis cum Groninganis) Weſtfriſiis leges ciuiles ac capitales dedit; Curiam vbi ex prouocatione litigarent, inſtituit; ponderéque ac menſura vna hac vti iuſſit. Grana, frumenta ac legumina cuiuſcumque ſunt generis, menſura oppidi Bolſwartij diſtribuuntor. Laneis ac lineis pannis diuendendis vlna oppidi Worcomij, quod eſt apud Friſios, vtuntor. Poculi menſura, qua vinum, cereuiſia, ceteraque liquida publicè venduntur, menſura Leuwardica diſtrahuntor. Quidquid per libram aut ſtateram commutatur, ponde-

re

Obſidet Arnhemũ Princeps Philippus.

Dedunt ſe ei Arnhemij.

Item Hattemij, Tieltij, Bommelij, alij.

Pax fit cum Carolo Geldro, ſed parum duratura.

Leges ciuiles eo tempore apud Friſios à Saxone.

» re quo vrbs Colonienſis vtuntor. Vas butyri trecentas libras ponderis » Colonienſis, dolio non connumerato, habeto. Libra magna caſei (more » mercatorum loquendo) trecentas ſimiliter libras pẽdeto. Finitæ induciæ cum Groninganis, operâ Euerwini Comitis Benthemij vſque ad Paſcha anni 1505. prolongantur, facilè concedente Duce Georgio, quòd Cæſari in auxilium proficiſci contra Philippum Comitem Palatinum eiuſque filium Robertum, ſuperiorem Bauariam ſibi vſurpantem, neceſſariò cogeretur. Poſteà Cæſar pacem ſancit cum Ludouico Duodecimo Franco- » rum Rege hac formula: Claudiam Regis filiam Carolo Auſtriaco de- » ſponſatam ratum habento. Rex eiuſque Proceres ei ſanguine iuncti ſpon- » ſalia ſubſignanto. Cæſar reſciſſo Diplomate Sfortiæ conceſſo, nouum Re- » gi eiúſque maſculis legitimis liberis, ijſque deficientibus, è filia natu » maxima Carolo Auſtriaco nupta, concedito: quæ nuptiæ ſi Francorum » culpa effectu caruerint, tum Carolus Auſtriacus, eius frater, & ex ijs » nati liberi nepoteſq; in Ducatum Mediolanenſem ſuccedunto. Fœderi » cum Papa Iulio contra Venetos icto Cæſar accedito. Pro Diplomate Du- » cali ditionis Mediolanenſis Cæſari ducenta millia aureorum liliorum » ſoluito. Lodouicum Sfortiam carcere liberato. Quamquam hæ conditiones non diu ſint ſeruatæ, nec Sfortia carcere emiſſus, fuit tamen poſthæc multò mitiùs habitus, facta ſcribendi ac legendi libera poteſtate.

Pax ſancitur inter Cæſarem & Regem Francorum de Ducatu Mediolanenſi.

Hoc anno pridie Kal. Iunij obiit Eingelbertus Naſſauij Comes. Obiit quoque quinto Kalend. Decembres Medinæ Campi, quinquennio poſt filij Ioannis mortem, Eliſabetha Hiſpaniæ Regina, heroina numquam ſatis laudata, ad quam ſpectabant Caſtellæ Regna, Hiſpaniarum maxima præſtantiſſimaque pars. Quare cùm Ferdinando Regi in Arragoniam, ea mortua, iure eſſet migrandum, ac relinquenda Principi Philippo Auſtriaco, eiuſque vxori Ioannæ Regnorum Caſtellæ gubernatio, Rex Ferdinandus ſe oppoſuit, quòd facto Eliſabeth teſtamento ſibi Caſtellæ gubernationem ad vitam legaſſet. At eam id iuris non habuiſſe, Hiſpaniæ Proceres diſſerebant: à quibus Princeps Philippus concitatus, iter in Hiſpaniam inuito ſocero adornabat, Caſtellæ hereditatem vi vel amicitia aditurus. Sed tandem Fredericus Toletanus Albæ Dux, Franciſcus Puuenefius Archipræſul Toletanus Caſtellæ Cancellarius, Ioannes Lutzenburgius Villæ Dominus, ac Ioannes Emmanuel Ærarij Præfectus, controuerſiam inter ſocerum ac generum his conditionibus » compoſuêre: Princeps Philippus nil ſine ſoceri Ferdinandi voluntate nec » conſiliis in Hiſpania agito. Hiſpaniæ Regni titulus communis eſto. » Regni vectigalia æqua portione diuidunto, idemque de nouarum Inſu- » larum in mari Indico repertarum reditibus faciunto. Donatio munio- » rum D. Iacobi Calatrauæ ac Alcantaræ iuris Ferdinandi maneto. Alter

Moritur Eliſabetha Regina Hiſpaniæ.

Ex eius teſtamento ortum diſſidium inter Philippum & ſocerum.

Componitur vtcunq; idem diſſidium.

alteri militum auxilia, belli tẽpore, recipientis sumptu submittito. Cæsar «
his conditionibus comprehenditor. Philippus tamen in Hispaniam pro- «
fectus non est nisi post menses tredecim, ob Gelricam perfidiam & alia
1505 in Belgio detentus. Postridie Idus Ianuarij anno 1505. celebrat Princeps Philippus Bruxellæ Brabantiæ in templo D. Gudilæ exequias Elisabethæ Reginæ Hispaniæ, & posteà solemni ritu ipse eiúsque vxor à Legato castrensi, in eodem templo ter Reges Castellæ, Legionis, Toleti, Granadæ, &c. acclamantur, vsúsque est deinceps Philippus in suis Diplomatibus hoc titulo: Philippus Dei gratia Rex Castellæ, Legionis, &c. Princeps Arragoniæ, Siciliæ, &c. Archidux Austriæ, Dux Burgũdię, &c. Mense Martio Rex Ludouicus Georgium Ambosium Cardinalem Rothomagensem ad Cæsarem in Germaniam Hagenauæ Comitia celebrantem mittit, suo ei nomine clientale sacramentum de Ducatu Mediolanensi ac Comitatu Ticinensi Angleriæque diceret, quemadmodum pacis conditionibus superiori anno conceptis erat conuentum, pręsentátque dimidiam promissæ pecuniæ partem, reliquam ex pacto numeraturus, cùm Cæsar in Italiam venisset. Ambosius Diploma accepit septimo Aprilis huius anni Hagenauæ exaratum. Sub idem tempus Rex Castellæ ad patrem Cæsarem Hagenauam venerat; vbi sæpiùs habito consilio, tandem etiam pacem cum Francorum Rege factam Cæsar approbat, in eam præsente Ambosio iurans. Tum Rex Castellæ patri Cæsari clientale dicit sacramentum de Geldria, Zutfania, ac pro filio Carolo de Lutzenburgo. Finitæ erant hoc anno festo Paschatis inter Groninganos eorúmque hostes induciæ. Ter diuersis locis pro pace frustrà egerant. Exinde Groningani Dammum excurrentes, viginti quatuor præsidiarios leui pugna captos Groningam perducunt. Saxonici Adewarti præsidium augent, quotidiéque ad portas vsque Groninganas excurrunt, venítq; eódem Comes Etzardus, relicto Dammi fratre Vckone cum mille præsidiariis. His non obstantibus, Groningani cum quingentis armatis egressi, spoliant exurúntque Oosterwicum, Heueschaın, Weiwartum, domúmque cum magna præda reuertuntur. Etzardus, armatis ter mille quingentis viris, munit templum Slohteranum, Zuitlaranum, Terpuntanum, conatus vndique impedire ne commeatus Groningam deferretur. Aperuerat etiam cataractas aliquot, aquáque marina loca decliuia inundarat. Ad hæc, rogante Duce Georgio, Cæsar semel & iterùm Groningam scribit, Ducem Georgium Principem à se creatum admittant: demum Groninganos rebelles Imperio proscribit. Groningani proscriptione parum moti, auxilium ab Vltraiectinis expectabant: quod haud dubiè Antistite Duce venisset, nisi eodem tempore Cæsarem cum Philippo filio, dum contra Geldrum bellum gerit, idem eadem

Celebratis Bruxellæ exequiis Elisabethæ, Philippus & Ioanna ter solemni ritu Reges Castellæ, &c. acclamãtur.

Rex Philippus patri Cæsari clientale sacramentum dicit de Geldria, &c.

Saxonici & Groningani inuicem populationibus sæuiunt.

Proscribũtur Groningani à Cæsare.

eadem opera in Vltraiectinos conuersuros timuisset. Etenim instante mensis Aprilis fine, Rex Castellæ Philippus, impetrata à patre Cæsare potestate, in Belgium reuersus erat; & coacto non contemnendo exercitu, iterùm, vt patri pollicitus fuerat, Geldros inuaserat. Graua ei portas aperuerat, idémque fecerant minora omnia pro maiori parte oppida. Restabant Neomagum, Rurmonda, Venlonium, Zutfania, Bommelium, Arnhemum, ac Tiletum. Rex castra ad Arnhemum ponit. Carolus Geldrus ad omnes ferè Germaniæ Principes litteras dederat, causamque suam commendarat. Sed quòd à maxima parte parum probaretur, nulla auxilia impetrarat. Conuertit itaque se ad Francorum Regem, cum eo æternum fœdus pro se posterisque firmissimum sanctissimumque (sic enim fœderis verba sonant) sanciens. Sed quòd se rebus adhuc omnibus imparatum Castellæ Rex non expectatus iustis cum copiis inuasisset, pro tempore arte ac dolo agendum ratus, accepta fide publica, ad Castellæ Regem in arcem Rosendalam venit, ac in hunc modum ei adulatur: Tuus ego sum, Domine, humilis famulus, venique huc, declaraturus me vires non habere, quibus tibi resistere velim aut possim; proinde positis armis, pacem amicitiámque certis conditionibus rogatum veni. Rex Castellæ ad eius verba subridens, arrepta manu, è terra eum leuat, iuxtáque se sedere iubet; factisque induciis Carolus promittit (præstito iureiurando, ac sumpto Iesu Christi Corpore sacro) se Castellæ Regem breui in Hispaniam proficiscentem cum honesto comitatu secuturum, statímque Bruxellam venturum, se suosq; ad iter instructurum: quam in rem tria florenorum millia ei Rex dat dono, ac Ducatus Geldriæ reditibus vti sinit. Exinde quarto Kal. Augusti Tileti induciæ duorum annorum his legibus publicantur: Liberè vtrimque subditi commeanto, ac mercaturam aliáq; negotia exercento. Iudices certo numero hinc inde leguntor, qui durantibus induciis de absoluta pace tractent. Partes duorum mensium spatio Tabulas omnes proferunto, quibus ius suum tueri volunt: quod si non fecerint, causa cadunto, ac condemnantor. Carolus Castellæ Regi Bommelium, Tiletum ac arcem Hattemiam tradito; reliqua oppida & munitiones, quas vtraque pars habet, durantibus induciis seruanto. Omnes Geldriæ Ordines eum Ducem habento ac sacramentum dicunto, quem dicti Iudices, lata sententia, Geldriæ Ducem pronuntiabunt. Cæsar his conditionibus subscribat. Exinde simul ad oppidum Zanctis ditionis Cliuiç proficiscuntur, inuisuri Cæsarem, qui eò non ita dudum cum exiguis venerat copiis. Hoc anno quarto Idus Septembris obiit Philibertus Dux Sabaudiæ, nullis è Margarita Austriaca relictis liberis, ætatis anno vigesimo quarto, rediens à venatione, qua adeò corpus incaluerat, vt cùm parum

Iterùm venit Rex Philippus cum exercitu in Geldriam rebellantem.

Carolus Geldrus ficta animi demissione inducias impetrat.

Iurat Geldrus se prosecuturum cum Philippo in Hispaniam, quod tamen non fecit.

Leges induciarum & viæ struendæ pacis publicantur.

Moritur Dux Sabaudiæ.

Nascitur Bruxellæ Regi Castellæ filia Maria.

parum frigidæ hausisset, continuò animam efflaret. Decimo quinto Kalend. Octobres nascitur Regi Castellæ Bruxellæ filia, cui nomen est inditum Maria. Testes sacræ ablutionis fuêre Cæsar ac vidua Engelberti Nassauij. Duodecimo Octobris pax super Regno Neapolitano his inter

Pax aliquanta super Regno Neapolitano.

alias legibus constituitur: Cedit Rex Ludouicus Regi Ferdinando integra possessione & titulo Regni Neapolitani ac Ierosolymitani. Ducet Rex Ferdinandus in vxorem germanam Foxeam Regis Ludouici ex sorore neptem. Actum Blosij. Addebantur conditiones multæ, sed ferè sine effectu. Narrauimus sub finem anni præcedentis, Regem Castellæ cum socero Ferdinando de gubernatione conuenisse. Quibus conditionibus quamuis eum Rex Ferdinandus non fore contentum crederet, naues ta-

Nauigat Philippus cum vxore ex Zelandia in Hispaniam.

men multas, quibus cum vxore in Hispaniam veheretur, miserat. Iungit his Castellæ Rex Belgicas quinquaginta, ac cum vniuersa familia, Reginaque Ioanna, multisq; Proceribus, Carolo Geldro morbum simulante, maximam earum ornatissimamque Middelburgi (vbi paulò antè in Abbatia Equitum Aurei velleris numerum suppleuerat) in Zelandia con-
1506 scendens, quarto Idus Ianuarij anno 1506. sublatis velis in altum contendit. Dederat illi Cæsar comitem ac Achatē indiuiduum Wolfgangum Comitem Furstenbergij, virum multis animi corporisque dotibus insignitum. Cùm Angliam in conspectu haberent, nauis Regia fortuito corripitur igne, tanta omnium consternatione, vt extremam adesse horam

Maximis iactati periculis & procellis in Angliam appellunt, tribus nauibus cum omnibus hominibus ac rebus mari absorptis.

vererentur. Sed sociorum naualium diligentia ignis restinguitur. Exinde tempestas adeò horribilis ac sæua eos excipit, vt haud procul naufragio abessent, ægréque in portum oppidi Hamptonæ (quod est in Anglia) nauis Regia paucis comitata appellit, tribus cum omnibus rebus ac hominibus fluctibus absorptis, ceteris per varios Britonum Anglorumque portus varia fortuna, magno cum incommodo disiectis. Excepti sunt à Rege Henrico Septimo summa cum beneuolentia ac humanitate, maris tranquillitatem ac ventum secundum exspectantes. Rogatus Castellæ Rex inuisit Angliæ Regem in arce Windesora, haud procul Londino sita, ac post aliquot dierum festiuitatem renouant pacis conditiones, ante multos annos inter Hispaniæ Angliæque Reges conceptas. Cumque

Renouat Philippus tabulas veteris amicitiæ cum Anglis.

earum tabulas Angliæ Cancellarius attulisset, Castellæque Rex perlegi iussisset, statim propria manu subsignat; neque vlla in re sese difficilem præbet, quàm in traditione Suffolciæ Ducis, quem bello Geldrico Hattemi captum in arce Namurcensi honesta custodia detinebat. Eum enim Rex Henricus summopere expetebat, quòd in Regnum Angliæ, è contraria factione natus, ius prætenderet, pollicitus sese eum non interfecturum: quod dum vixit, seruauit; sed filius Henricus Octauus infelicem senem, mox post patris mortem, securi percussit.

cuſſit. Poſteaquã Rex Caſtellæ ferè per tres menſes apud Angliæ Regem ſummo cum honore ac lętitia exceptus fuiſſet, ſecretoq; de nuptiis Caroli Auſtriaci ac Margaritæ filiæ dicti Regis Henrici natu maximæ tractaſſent (certiores enim iam facti erant, Frãcorum Regem filiam Claudiam ſecretò deſpondiſſe Franciſco Engulemę Comiti) vento ex Oriente flante naues inſtrui iubet. Nono Kalend. Maij conſcenſis nauibus in Hiſpaniam dant vela; ad eoque felici vtuntur nauigatione, vt quinto Kal. Maij Corongam in Gallicia appellerent, vbi cum ſumma lætitia ab omni hominum ſexu ac genere ſunt excepti. Accurrêre ex vniuerſa ferè Hiſpania Proceres, quique dudum Regi Ferdinando non admodum æqui fuerãt, Regi Philippo, nouas ſocero conditiones extorqueat, ſuadent, fore aſſeuerantes, vt nil neget; quòd aſtutus ſenex apertè perſpiceret, Procerum populique maiorem partem animis ad generum defeciſſe. Paret horum conſilio Caſtellæ Rex, nouas ſocero ſuper communi pacta gubernatione adferens difficultates; cui id minùs durum fuit, quòd iam tale quid euenturum præuiderat. Ne igitur inuitus cogeretur, oblatas cõditiones, paucis mutatis, ſubſignat, ac in hanc formulam genero conſentiente acce-
» ptanteque, mutat: Rex Ferdinandus Caſtellæ Regnorum adminiſtra-
» tione, omnique iure quod in iis habere poteſt, cedito; è Caſtella migrato,
» nec ſe ampliùs regnandi cauſa reuerſurum promittito. Regnum Nea-
» politanum cum Sicilia Rex Ferdinandus habeto. Indiæ Occidentalis ve-
» ctigalia Regi Ferdinando cedunto. Donatio dignitatis Equitum Ordi-
» nis D. Iacobi Alcantaræ ac Calatrauæ iuris Ferdinandi maneto. Quot-
» annis è Regno Caſtellæ viginti quinque millia aureorum Ducatorum
» recipito. Poſt hæc ſtatim Rex Ferdinandus in Arragoniam, indeq; paulò pòſt Neapolim eſt profectus, conſtitutiſque eius Regni negotiis permanſit, donec mortuo Rege Philippo, ad Caſtellæ gubernationem reuocaretur, abducto in Hiſpaniam magno Conſaluo, quòd eum ad Regnum adſpirare Neapolitanum ſuſpicaretur. Hoc anno fame ac aduerſis minutis præliis fracti Groningani, ſeque deſertos ab Antiſtite Vltraiectino ac Tranſ-Iſulanis conſpicientes, vnanimi omnium Ordinum conſenſu, poſt multorum dierum maturas deliberationes menſe Aprili habitas, cum Comite Etzardo Ooſtfriſiis ſeu Ouerembdiis imperante, tranſigere, eumque odio Saxonis, cogenteque neceſſitate, Principem recipere de-
„ cernunt; quod tandem his inter alias factum eſt conditionibus: Gronin-
„ gani nomine Sacri Romani Imperij Comitem Etzardum cum fratre
„ Vckone ac mille armatis peditibus in ciuitatem recipiunto, ac ſacramẽ-
„ tum dicunto, nomineque Imperij Principem inauguranto. Partem ciui-
„ tatis quam petet, in eius poteſtatem conſtituunto, vbi pro arbitratu ar-
„ cem ædificare, ſine Eccleſiæ Vltraiectinæ ac Antiſtitis præiudicio, poſſit.

Agitur ſecretò de deſpõſanda Carolo Auſtriaco filia Regis Angliæ.

Feliciter in Hiſpaniam appellunt.

Leges nouæ, & pleniores inter Philippum & ſocerum ſancita.

Groningani deſerti ab Epiſcopo Vltraiectino & Trãſ-Iſulanis pacem circũſpectant.

In odium Saxonis.

Etzardum cum fratre Ouerẽbdiæ Comites in Dominos recipiunt, arce conſtrui permiſſa.

Comiti

Comiti nomine Imperij ius omne, quod ſibi in ciuitate ac Ommelan- «
diis eſſe contendunt, ceduntoꝫ ipſe ſecundùm veteres conſuetudines vim «
legum obtinentes ius ſumma cum æquitate dicito. Quòd ad bellicas «
quæ factæ ſunt attinet expenſas, ſententiæ Septem-virûm Imperij ſtanto; «
quæ vt quàm moderatiſſima obtineatur, Comes curato. Comites non «
permittunto, vt aliquod frumenti genus natum apud Ommelandios, aliò «
quàm Groningam aut Dammum venum aduehatur. Quod ad butyrum «
ac caſeum attinet, Comes in ordinem reducito, quem Groninganis ac «
Ommelandiis maximè expedire iudicabit. Quæcumque belli tempore «
hinc inde euenere, obliuioni tamquam numquam facta danto. Tabulas «
ſignant ac ſigillis muniunt hinc Etzardus ac Vcko Comites, inde Schatterus, Horenkens, Woldentius ac Sickinganus Conſules, ſeptimo Kalend. Maij. Etzardus mox arcem in vrbe molitur, eò loci qui eſt inter *Steinentijl*, *Dreinkelaers toren*, ac *Ooſterpoort*, diruens extra ac intra ciuitatem ea de cauſa, perſolutis pretiis, plurium ædes. Ommelandij ſuo ſumptu foſſas, vallum, ac extantes à gleba ceſpiteque munitiones facere coguntur, maiori quidem parte non grauatim odio Groninganorum. Dux Saxoniæ Georgius, qui hoc tempore in Germania erat, in Friſiam mittit Marſcalcum ſuum Henricum Stalsburgij Comitem, cum aliquot Conſiliariis; qui perſolutis militi ſtipendiis, præſidia Selwarto, Adewarto, ac ceteris munitionibus deducunt, ac ne vnum quidem militem in ditione Groningana reliquere. Idibus Iulij Adewartum venit dictus Marſcalcus, Comes Herinkus, Vitus Drakenburgius Præfectus Emdanus, cum Cancellario ac Conſiliariis Comitis Etzardi, conuocántque Langewoldios, Fredewoldios, Hummeiſchæos, ac Middagios; commemorant quàm calamitoſo bello ſint liberati, ac ne rurſum in præteritas recidant ærumnas, Ducem Georgium in Friſia duos conſtituiſſe Legatos, donec perfectis in Germania negotiis, in Friſiam redeat, è quibus Comes Stalsburgius eius nomine Weſtfriſios eſſet gubernaturus, Comes Etzardus Groningam cum Ommelandiis. His eum velle ac iubere non minùs quàm ſibi ipſi obediant. Tum Præfectus Emdanus ac Etzardi Cancellarius, exhibita poteſtate, abſoluunt Ommelandios à præſtito Comiti ſacramento, eoſque ſub Imperium Ducis Georgij, hereditarij nomine Imperij Friſiæ Gubernatoris, conſtituunt. Accipiunt hi conditionem, ac Duci Georgio nouum dicunt ſacramentum. Detrectarunt id quidem Dammij & aliquot alij, ſed quod iis poſt aliquot annos malè ceſſit. Initio menſis Auguſti inter Ducem Georgium ac Comitem Etzardum certæ hac formula conditiones concipiuntur: Comes Etzardus titulo Legati ditionis Friſiæ, quæ Amiſia ac «
Laura fluminibus continetur, Ducis Georgij Gubernator eſto, dictique «
Ducis

Permittunt etiam alia haud pauca.

Conſtruitur Groninga arx.

Declarat Etzardus ſe tantùm pro Duce Saxone Legatum velle agere: & hinc nouæ turbæ.

Pacta conuenta inter Saxonē & Etzardum.

» Ducis auctoritas sarta tecta maneat, enixè curato. Nil noui apud Ommelandios molitor. Groninganos nec Ommelandios multato ob transgressionem decreti per Ducem Georgium Westfrisiis causa mensuræ statæ & ponderis nuper lati, antequam ea communi consensu sit recepta. Exactiones ac tributa, quæ Dux Ommelandiis imperabit, vt & ea quæ Duci ab initio iure ordinario concessa sunt, summa diligentia colligito: quibus recipiendis Quæstorem Dux, Etzardus verò Legatum, qui præsidiariis munitiones custodientibus stipendia persoluat, dato. Vt Dammij ac Oltamptij, qui non ita dudum in Ducis Georgij nomen iurare recusarunt, id ante instantem mensem Octobrem vi aut amicitia inducti faciant, Etzardus sedulò curato. Has conditiones Comes Etzardus ac Comes Stalburgius mense Augusto Harlingæ subsignarunt.

Tributa colligenda à duobus, vno à Saxone altero ab Etzardo constituendis.

Hoc eodem anno Cæsar Legatos ad Franciæ Regem miserat, petitum sibi in Italiam traiecturo promissam pecuniam ac auxilia mitteret, exulesque Mediolanenses è postremæ pacis formula restitueret. Quæ cùm Rex differret, facilè Cæsar eum nil facturum prospiciens, filium Philippum Castellæ Regem admonet, Francum fœdus violaturum; eo id facilè credente, quòd mense Maio Rex Ludouicus litteras cum Legatis in Hispaniam ad Castellæ Regem, ac alias ad Belgarum aliquot ciuitates misisset (dissimulare enim diutiùs rem nequibat) significans se rationibus ac precibus Ordinum Regni sui inductum consensisse in nuptias Francisci Valesij Engulemæ Comitis ac Claudiæ filiæ suæ Carolo Austriaco desponsatæ, maximè quòd filium sibi nasci nullum videret, nemóque propinquior Salicæ Legis decreto ad Regnum quàm Franciscus esset. Læsi fœderis iniuriam Austriaci Principes dissimulabant, quòd cum exercitu in Italiam, indeque Romam proficisci Cæsar constituisset, vt corona aurea à Summo Pontifice redimitus, Regem Philippum Romanorum Regem renuntiaret. Sed hæc consilia morbo Ladislai Bohemiæ ac Hungariæ Regis, cui certo iure Cæsar succedere, si sine liberis obiisset, debebat, euanuere. Fine mensis Augusti Rex Castellæ cum vxore Ioanna vrbem Burgos intrat, statimque loca pia Mirafloram ac Carthusianos inuisit. Post dies aliquot ad ludum paruæ pilæ cum reticulo se exercitaturus contendit: cumque pomeridiano tempore, summis cæli caloribus, nimio exercitio sanguis æstuaret, ac stomacho humorem petenti, frigidam auidiùs infudisset, statim malè habere cœpit. Inualescente morbo, decumbere cogitur; animumque extemplò ad Deum conuertens, testamentum condit ac consignat, Sacramentis Ecclesiæ Catholicæ se munit: tantáque fuit intereà continuò sine vlla remissione sæuientis validissimi morbi vis, vt paucis diebus virum robustissimum, in ipso ætatis flore constitutum, summo omnium

Excusat Francus quòd filiam Carolo nostro desponsam alteri tradat.

Philippus post lusum pilæ auidiùs bibens morbum incurrit.

nium cum dolore ſeptimo Kalend. Octobris è viuis violenter raperet, anno ætatis vigeſimo octauo, relicta vxore Ioanna grauida, quæ poſthumam paulò pòſt peperit Catharinam; intellectáque Regis mariti morte, adeò intemperanter doluit, vt ex eo tempore numquam ampliùs mente ſatis valuerit, cùm tamen ſeptuageſimum prætergreſſa ſit ætatis annum. Conditum eſt Regis corpus apud Carthuſianos iuxta Burgos Hiſpaniæ, & cor Brugis Flandriæ apud matrem. Mortem eius Cometes menſe Auguſto in Occidentem flammeſcens prædicere eſt viſus.

Florenti ætate moritur; vxore adeò dolente, vt ex eo tempore numquam ampliùs mente ſatis valuerit.

CAROLVS

HISPANIÆ REX,

POSTEA IMPERATOR EIVS NOMINIS V.

FILIVS SVPERIORIS,

XLII. BRABANTIÆ

V. BELGII VNITI PRINCEPS.

Præfuit annos quadraginta nouem.

1506



IVVLGATA per terrarum orbem mortis Philippi Auſtriaci Caſtellæ Regis fama, variè Principes affecit; ac ſi quis alius, Cæſar Maximilianus, tanto orbatus filio, inprimis iuſtè doluit. Deinde Anglorum Rex Henricus Septimus, deſtinans (vt ſuprà dictum eſt) filiam ſuam Carolo Auſtriaco ſponſam, miſſis ad Guilielmum Croiacum Cheueræ ac Arſchoti Dominum, tum temporis Belgarum ac Regiorum liberorum Gubernatorem, litteris, oſtendit ſe Regis Philippi morte non parum doluiſſe, res ditioneſque liberorum eius curæ ſibi eſſe ac futuras. Inter alia hæc ſcribit: Petimus, conſilio Ordinum (quos conueniſſe intelleximus) liberos Principis veſtri eorumque res fideliter ac diligenter gubernetis, inprimis verò finibus veſtris benè proſpiciatis, ne quid vicini Frãci per iniuriam occupent. Quod ad nos attinet, ſi ratione, conſilio, aut re Principi Carolo adhuc puero, eiuſque ſororibus ac fratri, Belgarũ prouinciis ac Ordinibus gratificari poſſumus, non id alia ratione,

Cheurius Belgarum ac Regiorum liberorum Gubernator.



CAROLVS V. IMP. ET HISP. REX, XLII. BRABANTIÆ
V. BELGII VNITI PRINCEPS.

Speciosissima promittit Anglus, nuptias Caroli cum sua filia meditans.

1506 ne, quàm si eorum pater Dominusque Castellæ Rex adhuc in viuis esset,
summo studio libenter faciemus. Certiores quoque facti sumus litteris
Cancellarij nostri, Francos, rupta fide, excursiones, prædas ac incendia fa-
cere, Brabantiam per Geldriæ Ducem deprædari, captiuos abduci, ho-
stiliáque omnia tentari. Scribimus etiam hoc tempore ad Cæsarem Ma-
ximilianum, eum adhortantes, primo quoque tempore in Belgium pro-
ficiscatur. E castro nostro Cingio, decimo quarto Kal. Nouembres. Nem-
pe Carolus Gelder, morte Castellæ Regis, liberorum eius pueritia, Cæsa-
ris variis in Germania & Italia negotiis, promissisque Francicis confi-
dens, mox rupta pace, Brabantiam inuaserat, Turnholtum spoliarat ac

Inuadit Ditiones Caroli pueri Geldrus.

incenderat, totaque Campinia magnam prædam plurimosque capti-
uos abduxerat. Initio anni 1507. considerantes Belgæ, bellum esse
cum Geldro, instare cum Franco, Legatos in Austriam ad Cæsarem Irn-

Rogant Belgæ Cæsarem, dignetur ditiones nepotis regere ac defendere.

1507 stij agentem mittunt, rogatum (quod paulò antè incondita plebs stultè
recusarat) dignaretur nepotis ex filio Caroli Austriaci Ditiones regere ac
defendere. Lectu digna est apud Heuterum Cancellarij Brabantiæ
Hauthemij hanc in rem ad Cæsarem oratio, vbi hæc inter cetera: Roga-
mus intimo cordis affectu, obliuisci digneris iniuriæ Maiestati tuæ à sola
plebe illatæ. Verè dixit post Hesiodum Liuius, Populum aut superbè
imperare, aut humiliter seruire, medium non nouisse. Regnum Belga-
rum Monarchia, sed prudentibus probisque Consiliariis fulta diu stat,
nec aliter: idcircò quòd populus natura generosus, mortis fortunarumq;
contemptor, si seruiliter habeatur, citò in vindictam exurgat; contrà, si

Genius Belgarum graphicè depictus.

secundùm leges leniter humaniterque tractetur, nulla Prouincia fideliùs
Principes suos agnoscat. Et perorando: Indigent pueri Principes tuo
auxilio, tremulaque id voce per nos nunc eblandiuntur: nos verò om-
nesque probi supplices insistimus, plebs erroris sui culpam demisso vultu
deprecatur; natura subditorum efflagitat, Deus venire Cæsarem iubet,
extrema rerum Belgicarum necessitas extorturam se confidit. Iuuent,
rogamus, aliquid nunc lacrymæ omnium Ordinum nomine contra æ-
tatis nostræ decus dignitatemque erumpentes. Silente Hauthemio, ce-
terisque Legatis eadem demissè petentibus, promittit Cæsar, quam-
primùm possit, se in Belgium venturum, interim commissa Prouin-

Promittit Cæsar se quamprimũ possit, ad Belgas venturum, interim dat eis gubernatricem Margaritam filiam.

ciarum Belgicarum cura filiæ Margaritæ Principis Castellæ, ac de-
inde Ducis Sabaudiæ viduæ, amitæ Caroli Austriaci; cui ex Ordinum
sententia Consiliarios Belgas dedit Cheuræ Dominum ac alios, Caro-
lum puerum Latinis litteris veraque pietate imbuendum tradens Adria-
no Florentio Vltraiectino, qui posteà Summus Pontifex fuit eius nomi-
nis Sextus. Iniit Margarita gubernationem Belgicarum Ditionum
die 28. Maij. Hoc anno Comitia Cæsar habuit Constantiæ cum Prin-
cipibus

cipibus Imperij à vigesimo tertio die Aprilis in mensem vsq; Augustum. 1507
Sub idem tempus Genuenses, qui paulò antè rebellauerant, & Nobilita-
tem eiecerant, citiùs omni opinione à Ludouico Duodecimo Franco-
rum Rege superantur, & acceptis quibuscumque legibus in deditionem
veniunt. Paulus de Nouis tinctor, quem Ducem Genuenses creauerant,
ex conflictu per mare fugiens, Pisis à classe Gallica capitur, & Genuæ
capite plectitur.

Genuenses à Franco domantur.

Mense Septembri Carolus Gelder, adueniente ad se è
Francia Roberto Marcano cum quadringentis galeatis equitibus ac bis
mille peditibus, iterùm Brabantiam inuadit, Diestum frustrà oppugnat,
strenuè se defendentibus Nassauij præsidiariis & ciuibus; Thienam ob-
sidet, & 29. Septembris captam fœdè populatur, multis ciuibus trucida-
tis, pluribus Ruremondam paulò pòst abductis. Manserunt ibi vsque
finem mensis Octobris, ex Brabantia & Hasbania intereà immensam
colligentes prædam; tum Gelri cum captiuis & præda Ruremondam re-
uertuntur, Marcanus cum Francis præda onustis in Franciam.

Geldrus auxilio Francorũ Diesthum frustrà oppugnat, sed Thenam fœdè diripit.

Qui cùm
in silua Arduenna iuxta D. Huberti Fanum castra haberent, equosque re-
ficerent, maximè quos è Brabantia & Hasbania abegerant, subitò à du-
centis Namurcensium peditibus totidémque equitibus nocte oppri-
muntur. Cadunt triginta quatuor Franci, reliqui in proxima silua fuga
elabuntur. Quingenti equi cum omnibus impedimentis & præda ca-
piuntur, cetérique seminudi in Franciam reuertuntur.

Franci auxiliares à Namurcensibus cæduntur, & præda exuuntur.

Intereà Egmon-
dij Dominus Hollandiæ Gubernator, arcem Poroiam ad Mosam obsi-
det: sed aduolante omnibus cum copiis in auxilium Geldro, discedere
cogitur. Cumque Poroiæ præsidiarij omnibus vicinis essent infestis-
simi, sequenti anno mense Iulio ab Anholtij Domino expugnantur,
Præfecto Swewindio cum duodecim præsidiariis strangulato, cete-
ris singulari cum veste dimissis. Sub finem huius anni, & deinceps
anno proximo 1508. Veneti magnis animis, quòd se ab Austriacis Car- 1508
nias Alpes & vicina loca incolentibus irritatos dicerent, conscriptis
decem peditum duobusque equitum millibus, Duce Bartholomæo
Liuiano (aliis Aluiano) Nicolao Vrsino, Vitellio Tifernate, ac ple-
risque aliis veteranis Ducibus, hereditarias Cæsaris ditiones ad Athesim
sitas inuadunt, Carnos, Histrios, ac Foro-Iulienses vastant.

Initia & causa belli inter Cæsarem & Venetos.

Ab alia parte
Andreas Grittus cum quinque peditum millibus ac equitibus leuis ar-
maturæ Epirotis ac Macedonibus (quos hodie Albanos vocant) Alpes
Athesinas occupat. Ducit contra Grittum partem Cæsarei exercitus Six-
tus Trantsonius: sed in valle oppidi Codoriani, niuosis Alpium anfra-
ctibus, vbi explicare aciem non poterat, à Veneto exercitu deprehensus,
inita pugna Trantsonius superatur, maiori parte cum eo cæsa, captoque
Barone Turriensi, cum aliis viris præclaris. Altera Cæsariani exercitus

Pugnant Cæsariani infeliciter cum Venetis.

1508 pars in Italiam se dimittere conata, ad arcem Petronianam à Nicolao Comite Petiliano Venetorum ac Triuultio Francorum Ducibus, accepta clade, est repulsa. Veneti partim fuso, partim repulso Cæsaris exercitu, ad deditionem compellunt Clusium, Cadoram, Gradiscam, Cormonam, Goritiam ac Wipachum. Antonius Contarenus, educta classe, occupat Dumum, Tergestum, ac Bistoniam; & nisi vlterius Triuultius procedere recusasset, sciens Regem Francorum non omnino Cæsarem irritari velle, Tridentũ cum vniuersa subiecta ditione Veneti in potestatem redegissent. Cæsar enim eo tempore imparatus Coloniæ Agrippinæ

Cæsare Coloniæ rebus Belgicis ac Imperij distento, sancit inter eum & Venetos Episcopus Tridentinus inducias in triennium.

res Belgicas ac Imperij tractabat. Quas ob causas facilè Paulus Lichtensteinius, Præsul Tridentinus, inducias inter Cæsarem & Venetos in triennium pangit, ea lege Venetis percommoda, quæ quisque tenebat intereà temporis possideret, ac pro arbitrio muniret; quibus induciis tamen Cæsariani nulla ratione induci potuêre vt Carolus Gelder comprehenderetur. Quærebat intereà Cæsar rationem qua acceptum à Venetis detrimentum ac dedecus sarciret: irritarant enim hoc bello Veneti non solùm Cæsarem, sed etiam Papam Iulium, & hactenus socium Ludouicum Francorum Regem, maximè ob arrogantes induciarum conditiones, quas se inconsulto, neglectoque Geldro, præscripserant. Retundendam

Excogitat Cæsar rationem de Venetis se vlciscendi.

igitur superbæ vrbis ambitionem Pontifex Iulius, Cæsar, Francus ac Hispanus iudicantes, contra Venetos coniurant; ac Cameraci apud Belgas locum mittendorum Legatorum, sanciendique fœderis, tanto silentio constituunt, vt cùm ex fama tale quid agi spargeretur, Veneti non crederent. Venit Cameracum pro Cæsare filia eius Margarita Belgarũ gubernatrix, Matthæus Langius Cæsari ab Epistolis, ac Nicolaus Frisius; pro Rege Francorum, Georgius Ambosius Cardinalis Rothomagensis, tandemque & Ferdinandi Hispaniæ Regis Legatus; sparserantque fa-

Conueniũt Cameracum Legati Cæsaris, & Regũ Franciæ & Aragoniæ.

mam, se coiisse, vt pacem inter Castellæ Principem Carolum Austriacum ac Carolum Geldrum facerent, factis inter eos hac de causa quadraginta dierum induciis; tractántque multa variáque de rebus Geldricis ac Nauarræis, sed adeò frigidè multis verbis chartas implentes, vt facilè appareret, non hisce de rebus eos conuenisse. Denique decimo Decembris die fœdus Cameraci concluditur, ac in summo templo publicatur; non tamen ea parte quòd bellum communibus viribus in Venetos esset decretum. Repetebat ab ijs Pontifex Iulius vt ab iniustis possessoribus, Fauentiam, Ariminum, Rauennam, Ceruiam; Cæsar Imperij nomine Patauium, Vicentiam, Veronam, suo nomine Forum-Iulij & Taurisium; Francorum Rex vt Insubrum Dux, Cremonam, Giarodadam, Brixiam, Bergomum, & Cremam; Hispaniæ Rex portus & oppida Venetis oppignorata, Sipontum, Tranium, Monopolim, Brundusium, ac Hidrun-

Hidruntum. Vt autem Cæsar legitimo titulo inducias cum Venetis fa- 1508
» ctas rumpere posset, cautum fuit, Pontifex ab eo vt Cæsare & Ponti-
» ficatus patrono auxilium contra Venetorum iniurias imploraret; Fran-
» corum Rex ipsemet ad bellum primus omnium sociorum profici-
» sceretur, tum Cæsar sequeretur. Alter alteri ad sua recuperanda auxi-
» lio esset. Pax cum Venetis nisi communi consensu non fieret. Tres men-
» ses concessi, qui rebus suis recuperandis fœderi vellent adscribi. Ad-
» dita est & fœderi pax inter Principem Hispaniæ Carolum Austriacum
» & Carolum Geldrum; sed, sicut plures præcedentes, non fuit diuturna.

Fit fœdus in Venetos; Cæsar tamen non suo nomine, sed vt Pontificis patronus bellũ gereret.

Pontifex Iulius ingentem imminere Italiæ tempestatem hoc fœdere videns, Venetis obtulit, se fœderi non subscripturum, si Ariminum ac Fauentiam sibi reddidissent. Qua de re diu deliberantes, tandem magno suo malo seraque cum pœnitentia negauere. Tum Iulius fœderi Cameracensi subscribit. Exinde Veneti, maximis collectis copiis, Regem Francorum Ludouicum, qui eis per Legatum castrensem bellum indixerat, cum non minoribus copiis in Italiam properantem ad Abduam expectant.

Non subscripturus erat Pontifex fœderi, si Veneti Ariminum ac Fauentiã restituere voluissent.

Anno 1509. decimo quarto Maij ad Geradadam inter Francos 1509
& Venetos collatis signis concurritur. Superantur ingenti peditum cum iactura Veneti, egregiè aperto in campo vincentibus Francis. Capitur Liuianus, amisso altero oculo, ac cum eo non pauci primæ Nobilitatis Ordinum ductores, ductique in Franciam, demum liberati sunt, cùm rupto Cameracensi fœdere, nouum Franci cum Venetis iniissent.

Vincuntur Veneti à Francis.

Post hanc victoriam Rex Ludouicus spatio quindecim dierum oppida quæ repetebat omnia in fidem accepit; insupérque Pontifici ac Cæsari occasionem dedit, nullo negotio sua recipiendi, fugiente Comite Nicolao Petiliano Venetorum Imperatore cum maxima exercitus parte Mestrium, quod est extremum Venetæ ditionis in continente oppidum. Tantus enim Venetos terror ex aduerso prælio incesserat, vt vrbem munirent, subditos nomina dare cogerent, ac ad conciliandam beneuolentiã portoria remitterent, ad Germaniæ Septem-viros liberásque ciuitates Legatos mitterent, vt apud Cæsarem pro pace interpellarent; misso eadem de causa ad ipsum Cæsarem Antonio Iustiniano, qui oratione ad prouocandam commiserationem eximiè composita, promissisque Cæsari singulis annis aureorum nummûm quinquaginta millibus (auctore Francisco Guicciardino Hist. lib. 8.) frustrà, vt infrà narrabimus, laborauit.

Mittunt Veneti Legatos ad Septem-viros, vt pacẽ apud Cæsarem concilient, sed frustrà.

Cęsar enim supra modum Venetis iratus, cum Ludouico Francorum Rege in exitium Reipublicę coniurarat. Vna in re laudata semper existet Venetorum eo tempore prudentia, pietas, ac animi magnitudo, quòd oblata à Turcarum Rege in tanta rerum acerbitate parata auxilia repudiarint. Exinde Veneti Legatum in Apuliam misere, Regi Ferdinando

Eximia tunc pietas Venetorũ, quòd nihilominus oblata Turcarum auxilia repudiauerint.

1509 eius ditionis oppida ſuprà commemorata liberaliter reſtituentes; pauloque pòſt, aliquot ciuium opera, ductu verò Andreæ Gritti, Patauium recuperant. Aperta enim porta, vt plauſtra aliquot frumento fœnoque onuſta intromitterentur, Grittus cum pedite equiteque ſuccedens, eam occupat, paulóque pòſt arcem expugnat, Leonardo Triſſino cum quatuor aliis, qui vrbem Cæſari tradiderant, Veneto in foro ſtrangulato.

Recuperāt Veneti Patauium.

Hinc oppugnant Ligniacum, Patauio propinquum. Cæſar ſuorum negligentia amiſſum recuperaturus Patauium, iuſto cum exercitu, ſociorum auxiliis, magnóque tormentorum apparatu obſidet, fruſtráque oppugnat. Erat enim in vrbe Comes Petilianus cum firma electáque peditum equitúmque manu. Quare de expugnatione diffidens, pecuniæque inopia preſſus, dimiſſo exercitu, in Germaniam regreditur, Marchione Brandeburgio cum præſidio Veronæ relicto. Moritur hoc anno Anglorum Rex Henricus Septimus, ſucceſſitque ei filius Henricus Octauus, cùm Arthus natu maior aliquot annos ante patrem ſine liberis obiiſſet. Regnauit Henricus Octauus aliquot annis vt moderatum decet Principem, ſed poſteà animo ad intemperantiam, libidinem & ſæuitiam conuerſo, crudelis, vt ſuis locis patebit, factus eſt tyrannus.

Moritur Henricus VII. Angliæ Rex, ſuccedente filio Henrico VIII.

Sub huius anni finem Cęſar ac Rex Ferdinandus, inter ſe ob Caſtellæ gubernationem diſſidentes, conciliantur ea lege: Rex Ferdinandus Caſtellam regeret, do- «
nec communis nepos Princeps Carolus annum ætatis vigeſimum quin- «
tum attigiſſet; abſtineretque Carolus Regio in Hiſpania titulo, quamdiu «
mater eius Ioanna viueret. Rex Ferdinandus Cæſari quinquaginta mil- «
lia Ducatorum numeraret, eumque donec ſua à Venetis recuperaſſet, «
Hiſpanicis copiis iuuaret. Principi Carolo ſingulis annis ducenta millia «
Ducatorum penderet. Facileque vterque Princeps in hoc fœdus conſen- «
tiebat, quòd communis nepotis Caroli amor in vtriuſque animo vigeret, quem potiùs aliquando in Italia, quàm Francos rerum potiri malebant. Has res ſubſecuta eſt mors Nicolai Comitis Petiliani Venetorum Imperatoris, cui paulò pòſt Bartholomæus Liuianus aut Aluianus, qui hactenus Magiſter equitum fuerat, in imperio à Venetis eſt ſubſtitutus.

Pacta inter Cæſarem & Ferdinandum Hiſpaniæ Regem.

1510 Anno 1510. Cæſar Auguſtæ Windelicorum Imperij Comitia celebrat, Pontificíſque Iulij Legatum Piſaurenſem Præſulem diſcedere iuſſerat, quòd eius opera Septem-viri priùs de pace cum Venetis ineunda, quàm de ferendo auxilio agendum cenſuiſſent. Menſe Februario Pontifex Iulius, rupto Cameracenſi fœdere, nouum cum Venetis pangit, eóſque iam anteà diris deuotos, ſacris reſtitutis, quibus voluit conditionibus in gratiam recepit. Ne verò Cæſarem hac re offenderet, ſtipulatur, certo Veneti tempore Cæſari Teruiſium, Tergeſtum, ac omnia quæ in Foro-Iulij, Carnis ac Hiſtris occuparant, redderent. Tabulas, quibus ſe in poſterum

Pontifex Iulius, ſciſſo Cameracenſi fœdere, cum Venetis tranſigit.

„ ſterum ab alienis temperaturos promittebant, darent. Extorſere hanc Iulio Veneti pacem magna cum difficultate. Omnibus enim artibus, ne concederetur, Cæſaris ac Regis Ludouici Oratores erant conati. Impetrauere eam Dominicus Triuiſanus, Leonardus Mœcœnicus, Paulus Piſanus, Hieronymus Donatus, Paulus Capella, ac Ludouicus Mariprętus, prouectæ ætatis Venetorum Patricij. Exinde Cæſaris Legati Vicentiam armis captam militi concedunt diripiendam; ægrè vita ciuibus conceſſa; inſignia enim ſæpiùs odij teſtimonia in Cæſarianos demonſtrarant. Intereà in Foro-Iulij maximè calamitoſum gerebatur bellum: nunc Germani, nunc Veneti erant ſuperiores: aliquando à propria nobilitate indignis tractabantur modis: vbique clades, mœror, luctus, cædes, direptiones, incendia, vis ac iniuria conſpiciebantur. Pontifex occaſionem receſſionis à Franco quærens, clàm palámque bellum Ferrarienſibus ac Genuenſibus Francorum clientibus inferri curat, ſperans ea ratione facilè Cæſarem à Francica amicitia diuelli, ac ſibi Venetiſque coniungi poſſe. Sed ij, nouo inter ſe fœdere ſancito, ſeparari nondum poterant. Intereà Francorum Rex Pontifici in ſequentem annum clàm bellum parat, vniuerſámque Italiam Cæſari, vt ſimulabat (excepta Mediolanenſi, Genuenſi, Florentina ac Ferrarienſi ditione) occupandam præbere, cogeréque Aureliis contra Pontificem omnium ſacrorum ſui Regni Procerum Concilium ſtatuit. Ardebat contra Ferrariæ Ducem bellum; quem vnà cum Francorum Rege, omnibúſque qui iis adhærebant, Pontifex Iulius aqua igniq́ue interdixerat. Anno 1511. Cæſar perſuaſus à Rege Ferdinando fermè cum Venetis fecerat pactum, mittens ad Pontificem ac Francorum Regem Legatos, qui teſtarentur ſe nil, quàm vt pax & quies Chriſtiano orbi daretur, dudum cupiiſſe, adnixurumq́ue libenter eò aliquando vt perueniatur. Nullus non, præter Francum, hæc læto audiebat animo. Is enim malebat Cæſarem ſecum in fœdere contra Venetos icto permanere, non dubiam ex pace contra ſe tempeſtatem Pontificis opera emerſuram conſpiciens. Variis igitur artibus pacis mentione paulatim ſublata, Cæſareque in fœdere confirmato, per Triuultium Pontifici bellum infert, ac menſe Maiò illi Bononiam multaque alia loca eripit. Eodem ferè tempore Cæſar ac Franciæ Rex, miſſis per vniuerſam Germaniam, Italiam ac Franciam Oratoribus, in proximum Septembris menſem Piſis Concilium auctoritate ſacrorum hominum ac Cardinalium ſecum facientium indicunt, Pontificem Iulium vt fœdifragum auctoritate ac poteſtate exuturi; quem, vt Piſis ſe præſentem ſiſtat, citauere. Sed Pontifex contrarium Concilium in Laterano conuocat, eoſq; ad id citat; confirmatuſque tribus Hiſpanorum peditum millibus, quos Rex Ferdinandus ex Hiſpania Neapolim miſerat, veteres reſumit

Margin: 1510 — *Cæſariani Vicentiam capiunt ac diripiunt.* — *Initia & cauſa belli mox ſecuti inter Pontificem & Francum.* — 1511 — *Pacis cum Venetis mentionem fruſtrà proponit Cæſar Franco.* — *En quid faciant filij Adæ.*

1511 mit ſpiritus. Intereà Carolus Geldrus, tanta belli mole preſſum in Italia ac Foro-Iulij Cęſarem videns, rupta iterùm pace, Brabantorum fines depopulabatur. Hi iuſſu Margaritæ Auſtriacę econtrà ſe armant; acceptiſq; ab Angliæ Rege mille quingentis peditibus Venlonium obſident; promotiſq; tormentis, muri aggeriſq; partem in foſſam deiiciunt; acceptoq; ſigno Angli Brabantis mixti alacriter ad ruinas peruolant. Defendunt ſe præſidiarij ſtrenuè, ac poſt aliquot horarum pugnam Anglos Brabantoſque in foſſam detrudunt, multis ab vtraque parte deſideratis ac ſauciatis. Eadem fuit alterius oppugnationis fortuna. Sed tertiò ſine dubio oppidum expugnaſſent, niſi obſcura nocte Gelri recentem militem ac puluerem introduxiſſent. Quam ob cauſam Brabanti ſoluta obſidione, dimiſſoque exercitu, domum reuertuntur. Idem Angli inſtantibus Kalend. Decembris faciunt. Tum Gelder, in vnum coactis ſuis copiis, recuperat Hattemium, Harderwicum, Bommelium, Tiletum, aliáque ſuperiori tempore erepta. Hoc eodem anno, vt dicere cœpimus, Foro-Iulienſes, Hiſtri, Tergeſtini ac Flumienſes, omni bellica calamitate peruaſtabantur, diripientibus tandem etiam Cæſarianis Vtinam Foro-Iulij caput, Venetis timore fugientibus, ac paulò pòſt vniuerſum Foro-Iulium Cæſari relinquentibus; excepta Gradiſca, cui Ludouicus Mœcœnicus cum iuſto præſidio ac tormentorum apparatu præerat. Sed cùm muri inſigniter verberati ingentem feciſſent ruinam, præſidiarij timore correpti, tradito Cæſarianis Mœcœnico, deditionem fecere. Sed hæc omnia paulò pòſt, excepta Gradiſca, Veneti recuperarunt. Secundo Nonas Octobres nouum fœdus inter Pontificem, Venetos, ac Regem Ferdinandum contra Francum ſancitur, in quo Cæſari ac Henrico VIII. Angliæ Regi locus, ſi aſſcribi vellent, ſicut paulò pòſt euenit, ad certum tempus relinquebatur, vtroque apud Belgas Franco bellum inferente, dum ceteri confœderati Gaſtoni Foxęo Francorum in Italia Imperatori reſiſtunt. Poſt hæc Cæſar ac Veneti, interpellante Pontifice ac Rege Ferdinando, octo menſium inducias hac lege faciunt: Veneti Cæſari numerarent « quinquaginta millia aureorum Rhenenſium; vterque quæ tenebat poſ- « ſideret. Pontifex Iulius Venetis iunctus acriter Ferrariæ Ducem oppugnabat. Hunc Francus defendendum ſuſcipit. Anno 1512. Pontifex ſe Regi Francorum copiis imparem ſentiens, omnes Europæ Chriſtianos Principes ad opem contra Francum ferendam implorat, Regémque Ludouicum ac omnes qui cum eo faciebant, publicè magna cum ſolemnitate grauiſſimis Chriſtianæ diſciplinæ cenſuris oneratos proſcribit, ac poſt varios duorum menſium ſpatio belli motus ad Rauennam vndecimo Aprilis, heu! ipſo ſacratiſſimæ Reſurrectionis Chriſti die, cruentum illud prælium committitur, vincentibus, cum interitu tamen Imperatoris

Reſumpto bello Geldrico fruſtrà Venlonia oppugnatur.

Gelder recuperat Hattemiū, Harderwicum, Bommeliū, Tiletum, alia.

Veneti nūc vincuntur à Cæſarianis, nunc iterùm vincunt.

Induciæ inter Cæſarem & Venetos ad octo menſes.

1512

Ad Rauennam ipſo Paſcha (ſcelus!) pugnatum, victiq; Pontificij à Francis.

toris sui Gastonis Foxæi Francis. Nono post pugnam Rauennatem die Pontifex Iulius cum Rege Ludouico certis conditionibus pacem facit, eumque sacra profanáque proscriptione liberat. Exinde confœderatorum in Italia copiæ, Ludouici Sfortiæ filios in Ducatum Mediolanensem restituturæ (Francorum exercitu Gastonis Foxæi morte dissipato) aliquot eius Ducatus oppida occupauere. Cúmque quatuor millia peditum Tirolensium apud Francos mercede militarent, Cæsaris mandato domum rediere. Atqui hac ratione diu dissimulata inter Cæsarem ac Francum animi alienatio tandem in lucem erupit, quamquam summis hucusque Rex viribus esset annixus, ne ictum cum Cæsare fœdus rumperetur. Sed is nil minùs quàm Francorum opes ac potentiam in Italia crescere volebat. Vnde nec mirum, si post Rauennensem pugnam vniuersa ferè Italia (paucis ciuitatibus exceptis) Franci à confœderatis sint pulsi. Intereà Cæsar Coloniam Agrippinam erat profectus. Nam apud Belgas Geldri Brabantos ac Hollandos fœdè depopulabantur. Buscoducenses econtrà, eductis ciuibus ac Langstratianis, insulam Bommelanam inuadunt, ingentemque abigunt prędam. Sed Serberæ Comes Geldro militans, in palantes secureq; agentes subitò inuectus, commisso prælio partem prædæ recuperat. Id vindicaturus Isel steini Dominus, militem educit, prædas agit, agros vastat, captiuos abducit, arcesque aliquot expugnat, cumque omni præda Iselsteinum reuertit. Gelder duo virorum millia in vnum coacta Amsterodamum mittit, qui suburbiorum partem, ac viginti duas naues in portu repertas exurunt; abactáque diuiti præda, ex itinere Bodegrauiam quoque spoliantes ac exurentes, in Geldriam reditum parant. Id ægerrimè fert Wassenarij Regulus inter Hollandiæ Proceres primarius, vir bellicosus. Certior igitur factus, partem Geldrorum, qui Amsterodami fuerant, apud Carthusianos iuxta Vltraiectum consedisse, cum exiguis eos copiis inuadit, maioremque partem interficit. Sed Geldri, qui è clade illa euaserant, suis paucitatem Wassenariorum exponentes, Carthusiam simul reuertuntur; indeque ad nobilium Virginum Abbatiam, Dalam dictam, quò Wassenarius concesserat, peruolant, eumque sine custodiis agentem, ac nil minùs quàm Geldros exspectantem, opprimunt, cúmque multis aliis, omnique præda, Arnhemum captiuum abducunt. Sed mox factis in * quinquennium induciis, quæ decimo Augusti die anno 1517. finirentur, Wassenarius, ac hinc inde omnes captiui gratis liberantur. Hac æstate Cæsar Coloniæ Agrippinæ existens coram se sisti iubet Georgium Saxonem ac Comitem Etzardum de Imperio Groninganorum inter se contendentes. Cùm vterque Legatos misisset, nil vel præsente Cæsare effici potuit, tanta erat ab vtraque parte ambitiosis animis

1512

Discedit Cæsar ab amicitia Franci, & quare.

Mutuò prædantur Geldri & Brabanti.

Wassenarius iuxta Vltraiectũ Geldris prædam excutit, sed mox ipse ab iisdem captus.

Induciæ cum Geldro in quinquennium.

* sexennium Heutero

1512 mis peruicacia. Tandem controuersiam definiendam permittunt Iudicibus neutri parti addictis, quos Cæsar esset daturus. Quòd si nec hi caussam finire possent, volebat Cæsar, renuntiantes vlteriori prouocationi, Senatus Imperialis iudicio, quod tum Wormatiæ erat indicturus, omnino starent. Circa huius anni finem Leuwardæ in Frisia capite plectuntur viri Nobiles duo ac mercator vnus, quòd cum Comite Etzardo, Groninganis, multisque aliis de pellendis vniuersa Frisia Saxonibus coniurassent. In Italia restituti à confœderatis Florentiæ Medicæi numerant Cæsari centum quinquaginta millia ducatorum; coactique ad deditionem Brixiani ac Lineaci, Germanos ac Hispanos milites admisere. Exinde Gurcensis Cardinalis Cæsaris Legatus Romam ad Pontificem profectus, summo cum honore est receptus, actúmque magna animorum contentione de pace inter Cæsarem ac Venetos ineunda, sed frustrà. Quare nouum Pontifex cum Cæsare facit fœdus, quo vtriusque consensu Maxæmilianus Sfortia in Ducatum Mediolanensem restituitur, Cæsare tamen neq; Diploma neque titulum ei concedente. Sub idem ferè tempus Rex Hispaniæ Ferdinandus ac Angliæ Henricus, consociatis mari viribus, Guiennam veteris Aquitaniæ partem inuadunt, fugienteque ad Bearnios Ioanne Albretho Rege Nauarræ, vniuersum id Regnum Ferdinandus occupat. Proscriptus scilicet Nauarræus fuerat à Pontifice Iulio cum Francorum Rege Ludouico, quòd ei contra Pontificem in auxilium esset profectus. Mittit statim Rex Ludouicus Duce Palicia circa huius anni finem, iustum Ioanni Albretho peditum equitumque auxilium, quò Regnum suum recuperet; sed quod virtute Frederici Toletani Albæ Ducis repulsum, re infecta in Franciam rediit, relicta Regi Ferdinando quieta Regni Nauarræ possessione. Geldri hoc anno cum Antistite Vltraiectino bellum gerebant, multasque inuicem inferebant calamitates, quarum non exiguam partem Brabanti ac Hollandi propter vicinitatem quoque sentiebant; eò magis, quòd Iselsteini Dominus, Belgarum Principis cliens, per se etiam bellum Geldris certis de caussis intulisset. Sed instante bruma, cum vtroque Gelder transigit, subditisque suis nonnihil quietis tribuit. Vere anni 1513. Cæsar acceptis ab

1513 Angliæ Rege centum quinquaginta aureorum liliorum millibus, ac pro reliqua solutione eodem Rege fideiubente, conducit viginti quinq; millia peditum Heluetiorum, addit bis mille equites, ducéque Vlrico Principe Wirtembergico in Ducatum mittit Burgundiæ, eum nepoti Carolo Hispaniæ Principi vendicaturus. Præerat eo tempore Burgundiæ Regis Franciæ nomine Tramulius, qui tantæ multitudini se imparem videns, cedendo, instando, iter carpendo, leuibus præliis lacessendo pugnæ spem non facultatem faciebat. Sed tandem vrgentibus Heluetiis Digeoni vrbi

Restituuntur à confœderatis Florentiæ Medicæi.

Ferdinandus Hispanus Regnum Nauarræ occupat, & quo titulo.

Bellũ Geldro cum Vltraiectinis.

Magnis copiis inuadit Cæsar pro nepote Carolo Ducatũ Burgundiæ.

bi primariæ cum copiis ſe includit, vbi cùm perfractis muris, ac reple- 1513
ta foſſa irruptionis ſignum Wirtembergius eſſet daturus, Heluetij auro
Francico corrupti, inuito Wirtembergio, hiſce legibus Franco impoſitis,
„ pacem ſanciêre: Rex Francorum cum Romano Pontifice in gratiam re-
„ dito, nec poſteà ab eius auctoritate diſcedito, ei omnia ſua reſtituito.
„ Eam Burgundiæ partem, quam Iureconſulti æquam iuſtámque iudica-
„ bunt, Carolus Auſtriacus habeto. Ex arce Mediolanenſi ac Cremo-
„ nenſi, ceteríſque Inſubriæ locis Francus præſidia deducito, omníq; Inſu-
„ bria in poſterum abſtineto: Heluetiis pro huius belli ſtipendiis ac mo-
„ leſtiis quadringenta aureorum liliorum millia perſoluito; Wirtembergio
„ eiúſque equitatui octo millia. Obſides quatuor Nobiles, qui capite
„ luant, ſi Rex conditiones reiecerit, dato. Hi paulò pòſt ex Heluetia in Germaniam fugere. Timebant enim capitis pœnam, Rege ſtultas leges irridente. Sic Heluetij domum rediere, Cæſarem eadem animi leuitate ac perfidia deſerentes, qua anno 1498. Obierat paulò antè 9. Kal. Martij Pontifex Iulius, vir immenſi vaſtíque animi, ſucceſſerátque illi Ioannes Medices, aſſumpto Leonis Decimi nomine; à quo Cæſar grauis armaturæ equites in auxilium contra Venetos petit, hac ratione experturus, an initum cum Iulio fœdus ſeruare conſtituiſſet. Mittit Leo equitum auxilia, quæ res non parum Venetos ac Francos mouit. Paulò pòſt Raimondus Cardonius Pro-Rex Neapolitanus cum Hiſpanorum ac Germanorum copiis Patauium obſidet. Aderat Cardinalis Gurcenſis Cæſaris Legatus. Sed poſt decimum octauum diem, ob varias oppugnationis difficultates, obſidionem ſoluit, ducens exercitum Vicentiam, inde Veronam, tum in alias partes, quòd nec Cæſar nec Rex Ferdinandus pecuniam expediret. Dum Heluetij in Burgundia pro Cæſare malis artibus bellum gerunt, Henricus Octauus Angliæ Rex pro Pontifice contra Francum arma capit; ingentíque coacto exercitu, cui Germanorum auxilia Cæſar, ac Belgarum eius filia Margarita iuncturus erat, Talbottum impigrum ac belli gnarum Ducem, cum parte copiarum Caletum tráſmittit, Terouanámque obſidere iubet. Dum is in hoc totus eſt, Rex ipſe viginti quatuor annos natus, cum reliqua exercitus parte in continentem traiicit, paulóque pòſt Terouanam ad caſtra peruenit, ſerióque tandem oppidum oppugnari eſt cœptum. Cæſar, re intellecta, collectis ſubitò aliquot peditum equitúmque turmis, è Germania magnis itinèribus ad caſtra primùm ignotus aduolat; deinde ab Henrico Rege pater ſalutatus, memor quòd iiſdem in locis ætatis anno decimo nono iuuenis feliciter pugnaſſet, ibidem vt ſenex aleam experiretur geſtiebat. Nec mora: perſuaſo Rege, quatuorque pontibus horæ vnius ſpatio Lyſæ flumini impoſitis, vnà cum Rege & copiarum parte, eos qui ſuccurre-

Heluetij, inuito Cæſaris Legato, penè victores pacem friuolã Franco concedunt.

Ridente Rege Franciæ conditiones, obſides clàm effugiunt.

Leonem Pontificem Iulij ſucceſſorem tentat Cæſar num ſibi faueat.

Henricus Anglus copias Terovvanæ obſidendæ adducit.

Aduolat ſimul Cæſar, & ipſe ſuas ducès.

1513 re obſeſſis parabant, dato ſigno ſtrenuè inuadit, ſua manu Nobilem Francum equo deiicit, hoſteſque fugam capeſſere cogit, Ducibus tantùm dedecoris metu reſiſtentibus, ac pro maiori parte captis, inter quos fuere Marchio Rottelinus, Dux Longeuillæ paulò antè mortuo fratre renuntiatus, Palicia, Imbercurtius, Baiardus ac Buſiuus. Commeatum omnem, tormenta, ac impedimenta Franci perdidere. Tertio à pugna die Terouana deditionem facit, pręſidiariis cum armis ac impedimentis liberè abeuntibus. Rex Henricus à Flandris exoratus, Terouanam, diſiectis mœnibus, repletis foſſis, dirutíſque ædificiis (ſummo excepto templo ac Canonicorum domibus) ſolo æquari permiſit. Sed anno 1517. Francorum Rex Franciſcus Primus oppidum etiam munitius reſtituit. Cæſar ac Henricus Rex Inſulas nobilem Flandriæ ciuitatem contendunt, reperiúntque hîc cum præcipuis Belgarum matronis Margaritam Cæſaris filiam, quæ Gandauo Reges ſalutatura aduenerat. Multi hîc dies cum ſumma lætitia peracti, data epula, certatum perſonatorum ambulationibus, ac ducendis choreis. Tum ludicra belli certamina, concurrentibus inter ſe Germanis, Belgis ac Anglis, vario armorum genere eduntur. Rex Henricus cum exercitu Tornacum profectus, breuî vrbem deditione in poteſtatem redigit, Francico præſidio liberè quò vellet cum armis impedimentíſque abire permiſſo. Tum ibidem ad flumen Scaldim arcem ædificari iuſſit, cuius pars extra, pars intra vrbem ſita eſt. Hîc primùm Cæſar ac Rex per litteras certiores fiunt, Heluetios pecunia corruptos tam fœdè Burgundiam deſerüiſſe. Quare inuicem complexi, Cæſar in Germaniam, Rex Henricus in Angliam reuertitur. Intereà Raimondus Cardonius confœderatorum in Italia Dux, fruſtrà, vt diximus, tentato Patauio, Medoacum amnem tranſmittere, ac cum exercitu in agrum Venetum proficiſci, impedimentis omnibus Veronæ relictis, conſtituit. Habebat in exercitu duodecim peditum millia, ac bis mille ducentos equites, partim Germanos, partim Hiſpanos, veteranos omnes. Tranſmiſſo amne, primo aggreſſu oppidum Beuolentum opulens diripit, ac longè lateque bellum in agrum Venetum circumfert, ferro flammáque in obuia quæque ſæuit. Euertit oppidum Plebiſaci, tandemque in ſuburbano Venetæ vrbis littore peruagatus exercitus, tormenta maiora ad ipſam Venetorum vrbem ignominiæ cauſa explodunt, globos per diui Secundi templum adigentes. Quare tandem Senatus excitatus Liuiano Imperatori ſuo reſcribit, iunctis cum Balenio viribus, pro loci temporiſque opportunitate cum hoſte confligat. Inſiſtit itaque veſtigiis hoſtis diſcedentis iam præda onuſti, tandémque aciem inſtruit, ac haud procul Vicentia æquo loco, liberóque campo, dubio aliquamdiu Marte cum Germanis ac Hi-

Terovvana deditionem facit, & orantibus Flandris maxima parte diruitur.

Cedunt etiã Franci Tornacum Anglo, qui ibi mox arcem ædificandam curat.

Cæſar multa clade afficit Venetos.

ſpanis

ſpanis ſigna confert; demum vera virtute ſuperatus, fuga Patauium Liuianus defertur, Lauredanus interficitur, ac cum eo maiores minoreſq; Duces complures. E militum vulgo circiter quinque millia cecidere, cataphracti equites quingenti, quæ maxima Venetorum fuit clades, tormenta vigintiquatuor capta. Andreas Grittus Vicentiam indeque Taruiſium venit, infelicis exercitus reliquias cum Liuiano colligens. Menſe Septembri in Friſia Comes Etzardus litteras manu ac ſigillo Cæſaris munitas accipit, quibus iubebatur, magna, nî paruiſſet, addita pœna, conditionibus cum Ducis Georgij Mareſcalco conceptis per omnia ſatisfaceret, rationémque redderet de acceptis expenſiſque pecuniis, quas Groningani ditionéſque intra Amiſiam ac Lauram ſitæ contuliſſent. Conueniunt hac de re vtriuſque partis Legati Adewarti. Cumque Saxonis Quæſtores æreis orbiculis, papyro, pennis, atramento ac arena inſtructi ad audiendas ac ad vnguem diſcutiendas rationes conſediſſent, Legati Comitis Etzardi cum publico tabellione ac teſtibus aduenientes, de dictis Cæſaris litteris ad Senatus Imperij tribunal & ad præſentem Cæſarem prouocant. Itaque re infecta, irriſiſq; Saxonis Queſtoribus, diſceſſum eſt. Initio anni 1514. Georgius Saxo, cõſcriptis quinq; millibus peditum, paucíſque equitibus, in Weſtfriſiam ad veterem exercitum mittit; cuius Duces Adewarti caſtra locantes, omni bellico calamitatis genere Groninganos, & qui cum ijs Comiteque Etzardo faciebant, peruaſtant. Ab Idibus enim Nouembris anni præcedentis vſque in finem Ianuarij ſequentis tam pertinaci gelu hiems ſæuierat, vt flumina paludeſque equitibus peditibuſque mediocribus cum copiis peruia eſſent. Quare Etzardus, Saxonis vim timens, Dammum vltro ordinarium præſidium quingentos mittit viros, Groningam centum. Sed ijs Saxones omiſſis, Selwartum, Witwirum ac in Oltamptium contendunt, qui agrorum depopulationem duobus florenorum millibus redemêre. Exinde Saxones in Ooſtfriſiam, Com. Etzardi ditionem, eam vaſtaturi proficiſcuntur, Hagebundam, Stapelmurum, Reiderlantum deuaſtant, pecuniáque multant; reliquerántque Adewarti mille quingentos Weſtfriſios, ac trecentos milites Germanos, qui eos Ommelandiorum vicos, qui Duci Georgio iurare noluerant, hebdomadatim pecuniam ſoluere coëgere, Ooſtfriſiis, qui Groningæ pro Etzardo erant, tantumdem recipientibus. Intereà Cæſar litteris templorum valuis affixis Comitem Etzardum proſcribit, Ooſtfriſioſque à dicto illi ſacramento liberat. Is verò ad prima Imperij Comitia prouocat, non ceſſantes interim ab vtraque parte idonea munire loca, prædas ſine commiſeratione facere, ac aurum ſeueriſſimè extorquere. Poſteà menſe Aprili inducias trium ſeptimanarum faciunt, conuenientes Selwarti pro pace. Volebat Dux Georgius Etzardum non ſolùm Groninga

Yy 2 omni-

1513

Secunda eorũ clades cæſis amplius quinque millibus Venetorum.

Irriſus Cæſar ab Etzardo Groninganorũ Præfecto.

1514

Iterùm itaque reſumptum bellũ Groninganum.

Variè vaſtat Saxo Etzardi ditiones.

1514

Dantur induciæ, intereà de pace actũ, sed frustrà,

omnibusque ditionibus inter Amisiam & Lauram cedere, verumetiam pro Comitatu Oostfrisiæ ei clientale sacramentum dicere, nigroque panno vestitum in genua prouolutum veniam præteritorum petere, multamque viginti sex millium florenorum subire. Etzardus, etsi ad iram commoueri potuisset, offerebat tamen Duci Georgio vt Imperij Legato, non tamquam Saxoniæ Duci, aut hereditario Frisiæ Gubernatori, dictum sacramentum; sed simul cupiebat perpetuus aut saltem in longum tempus Groningæ ac Ommelandiorum Gubernator constitui, singulis annis certam pecuniæ summam Duci hac de causa numeraturus, quam neutri parti addicti arbitri essent præscripturi. Reiectæ sunt conditiones, finitisque induciis Etzardus cum Groninganis frustrà Adewartum tentat.

Iterùm Saxo Oostfrisiã vastat, ducens viginti virorum millia, tormẽta bellica quinquaginta.

Saxones Ieueræ ac Witmondæ prædas agentes, aucti nouo è Germania militum supplemento, cum viginti virorum millibus, ac circiter quinquaginta varij generis tormentis, iterùm Oostfrisiam inuadunt, expugnántque Nobilium arces qui cum Etzardo faciebant, Nonsium, Merhusam, Dornum, Knipensam, è qua arce portus in Amisiam excurrit non contemnendus; tum oppidum Auricum, captos his locis Etzardi præsidiarios ad vnum interficientes: qui Etzardus tantæ multitudini impar, cum omnibus reliquis copiis Emdam profugit.

Saxo Delftzilã etiam expugnat.

Saxones qui Adewarti erant, his rebus cognitis, forti manu exeuntes Delftzilam expugnant, exurunt Heueſcham, Wirtwartum, Merhusam, tandemque cum ingenti præda Adewartum reuertuntur, Groninganis contrà exire ob militum paucitatem nullo modo audentibus. Etzardus à Cæsare, Saxone, horumque amicis, solo Groningano resistens auxilio, continuò oppugnatus, cùm se diu resistere posse diffideret, inscia plebe Groningana ad Carolum

Etzardus à Carolo Geldro certis conditionibus auxilia impetrat.

Egmondium Geldrum profectus, certis ab eo conditionibus impetrat ducentos quinquaginta equites, ac sexcentos pedites Francos, statimque in Oostfrisiam mittit. Saxones eius intellecto consilio, firmatis nouo præsidio arcibus, ex Oostfrisia Adewartũ, vexato insigniter Oltamptio, contendunt. Etzardus econtrà cum mille trecentis peditibus Groningam reuertit; ac prope Selwartum cum Saxonibus congressus, pari Marte discedunt.

Obsidet Saxo Dãmum.

Tum Dux Georgius mense Iulio, coacto iusto exercitu, Dammum obsidione cingit. Inerat Etzardi præsidium octingentorum peditum, ciues hunc numerum æquabant. Vallum tribus locis tormentis verberatur, munitiones inutiles redduntur: mox dato inuasionis signo, tribus Saxones vno tempore locis Dammum inuadunt.

Dammum quarta cruenta inuasione à Saxone tãdem capitur.

Defendunt se strenuè mixti militibus ciues, ac ter Saxones, insigni illato detrimento, repellunt. Sed cùm irritatis ad vindictam animis, ac pro obtinenda oppidi præda à Duce Georgio concessa quartò ad expugnationem ruerent, recentesque fessos obruerent, Dammij obteruntur, Saxonesque per corporum aceruos

aceruos in oppidum peruadentes, ſexui, ætati, nec ordini parcunt, obuios 1514 ſternunt, ijs exceptis, qui ad ſacra confugêre loca. E tanta hominum quæ in oppido erat multitudine, ducenti tantùm viri ſunt capti, effugêre circiter centum quinquaginta, ceteri omnes trucidati. Præda adeò ingens fuit, vt militem ditaret. Paulò pòſt Legati Antiſtitis Monaſterienſis, Oſenbruggenſis, Comitis Lippij ac Scouwenbruggij fruſtrà pro pace laborant. Groningani liberum ſibi iter terra Emdam facturi, Middelwoldæ ædes Hartmanni Benekema incendunt, ac pagi templum impoſito præſidio muniunt.

Carolus Geldrus, ac Etzardus, renuntiantes Germanico Imperio, Franciæ ſe clientes conſtituunt.

Sub idem tempus Carolus Geldrus ac Etzardus Germanico renuntiantes Imperio, beneficiarios ſe clientes Francorum Regis conſtituunt. Etzardus Geldro triginta millia aureorum florenorum numeraturum ſe promittit, quo is ſuo ac Regis ſumptu vtraque Friſia Saxones pellat; ſe cum heredibus Regem patronum vtriuſque agniturum. Hæc in tabulas relata, Geldri ac Ooſtfriſij manu ſubſcribuntur, ſigilliſque confirmantur, vt opportuno tempore in Franciam miſſa, à Rege (quod numquam eſt factum) ſignarentur. Etenim cùm Gelder Etzardum dictam pecuniam conſtituto tempore numerare non poſſe videret, malignè ei ſua Francicáque mittens auxilia, cauſa fuit, tandem Kal. Nouembribus Groninga cum Ommelandiis cedere cogeretur.

Groningani, deſerto Etzardo, Geldro nomine Regis Francorum ſacramentum dicunt.

Soluti tunc ab Etzardo Groningani & Ommelandij ſacramento, nouum Carolo Geldro Francorum Regis nomine dicunt, primùm in æde publica vrbis Rectores, deinde vniuerſus populus in cœmiterio diuæ Walburgis congregatus. Mittit intereà Gelder nouum in Weſtfriſiam militem, occupátque Snecam, Bolſwartum, ac Slotam.

Saxo ad Cæſarem proficiſcitur, auxilia contra Groninganos petiturus.

Dux Georgius diuturno cum contumaci gente fatigatus bello, viribuſque ferè exhauſtus, cùm ſe rebellibus ſuis, Geldri auxiliis innixis, ac Francico auro ſubleuatis imparem ſentiret, cum trecentis equitibus in Germaniam ad Cæſarem proficiſcitur, eius, amicorumque auxilia imploraturus. Sed cùm fruſtrà ſe illi hactenus opem ferre conſiderarent, Friſicam exoſi militiam, petitionibus eius frigidè reſponderunt. Præſidiarij Saxones, qui Gemerwoldæ ac Selwarti erant, vim Geldrorum verentes, in Weſtfriſiam, exuſtis munitionibus, ad ceteros ibi Saxones contendunt.

Veneti animos reſumunt.

Huius anni vere Liuianus Venetorum Imperator, reparatis è Vicentina clade copiis, ad recuperandum Foro-Iulium à Francopane Cæſaris Legato paulò antè in poteſtatem redactum, proficiſcitur. Francopanes militum numero multò inferior, in Auſtriam cedere & exercitum ſupplere cogitat. Sed Liuiani præcurſores, extremum eius agmen adepti, anguſto loco, vbi aciem inſtruere non poterat, prælium cōmittere cogunt: quo ſuperatus, relictis impedimentis ac tormentis, ſaucius Francopanes, cum maiori militum parte, locorum notitia in montes euaſit. Hoc prælio tamen ad

1514 *Plurima oppida recuperant.* Venetos defecere iterùm oppida omnia, quæ non ita pridem Francopanes vi aut metu in poteſtatem redegerat, excepta Goritia ac Gradiſca; quæ intentata Liuianus non reliquiſſet, niſi Hiſpani, motis caſtris properantes, eum Patauinis mœnibus excludere eſſent conati. Quare relicto Foro-Iulio, Patauium, vt Hiſpanis reſiſteret, rediit. Tum reuerſi Germani recuperant Cromonum, ac Monfalconium, Venetóſque à Moraui obſidione diſcedere cogunt. *Iterùm nõnulla amittunt.* Intereà Francopanes numquam quieſcens, montanos agreſtes armarat, ac in Carniola nouum militem conſcribens, Venetorum præſidia pellere ſtatuerat; ſed in eorum præcipitatus inſidias, à Vetturio ac Epirotis, iis in locis vagantibus, fortè fortuna capitur, cùm fruſtrà ſummo ſtudio, ne viuus in hoſtium poteſtatem veniret, fortiter aliquamdiu repugnaſſet, Venetiáſque perductus in carcerem concluditur; ſed Vetturius paulò pòſt quoque à Cæſarianis capitur: qui caſus Foro-Iulio aliquantum quietis attulere, & ſperabant Veneti ex captiuitate ſummi Ducis aliquando pacem. *Vtriuſque partis duces primarij capti: hinc aliquanta quies.* Menſe Auguſto huius anni pax inter Franciæ ac Angliæ Reges ſancitur, ducitque Rex Ludouicus viduus in vxorem Mariam Henrici Angliæ Regis ſororem. Terowana & Tornacum Regi Ludouico ea conditione reddita, vt Francus Anglo tam pro arcis ædificatione, bellico apparatu ac commeatu, quàm pro militum ſtipendiis numeraret quadringenta millia aureorum liliorum, traderétque Anglo octo Nobiles obſides, Francico ſumptu vades permanſuros, donec aurum eſſet numeratum. *Francus ducta ſorore Angli, recipit ab eo Tervvanã & Tornacum.* Exinde Rex Ludouicus Tornaco præficit Iaſparem Colligniacum Franciæ Mariſcalcum. Sunt qui ſcribant, Tornacum dictis conditionibus redditum Franco anno 1518. ſub Rege Franciſco Primo, ſed falluntur. Hac pace Cæſar ac Rex Ferdinandus ſoli excluduntur: Rex enim Ludouicus, nullam reconciliationis rationem videns cum Cæſare, magna multorum cum admiratione fœdus cum Venetis Cæſaris hoſtibus init. *Francus cum Venetis, Cæſar cum Pontifice fœdus ſuſcipiunt.* Ex aduerſo Cæſar, vt Pontificem Leonem deuinciret, acceptis quadraginta millibus ducatorum Mutinam ei reddit: qui eam Parmæ, Placentiæ ac Rhegio iungens, fratri Iuliano Medicæo tradere, eúmque Ducem nominare ſtatuit. Hoc anno Maria Auſtriaca Ludouico Hungariæ, & Iſabella Mariæ ſoror Chriſtierno Daniæ Regibus deſponſantur. Anno finiente, Cæſar Oenipontem venit, vbi ſecretorum conſiliorum cauſa eum inuiſunt Raimondus Cardonius Pro-Rex Neapolitanus, ac Pro-
1515 ſper Columna, peditum in Italia Hiſpanorum Regis Ferdinandi Legatus, multa de inſtantis belli ac pacis rationibus inter ſe agitantes. *Mortuo Ludouico Francorum Rege ſuccedit Franciſcus Valeſius.* Kalendis Ianuarij anno 1515. obiit Ludouicus Duodecimus Francorum Rex, magni animi Princeps, in cuius mox locum ſucceſſit eius gener Franciſcus Valeſius Engulemæ Comes, annos viginti & vnum natus, ſangui-

ſanguinis iure inter Regiæ ſtirpis Proceres Ludouico proximus. Ad hunc 1515
è Belgio à Principe Carolo Auſtriaco (qui paulò antè ab auo Cæſare erat *Carolus Princeps apud Belgas inauguratur.*
emancipatus, & à Belgis in Principem, dicto acceptoque ſacramento, inauguratus) gratulatum miſſi veniunt Henricus Naſſauius ac Michaël Crouiacus, cum aliis Conſiliariis, qui vigeſimo tertio Maij cum Rege Franciſco fœdus ineuntes, in ſummo Pariſienſium templo Kal. Aprilis publicè iurauêre, Belgæque Franco de Flandria, Arteſia, aliiſque huic ſeruituti ſubiectis, clientale nomine Principis Caroli ſacramentum dixêre, deſponſaturque eodem tempore certis legibus Principi Carolo Reinera ſeu Renata Regis defuncti filia natu minor, nondum ſeptennis, poſteà Herculi Eſtenſi Ferrariæ Duci nupta. Vere huius anni Saxones, facta deditione, Groninganis reddunt Adewartum, ac Adewartzilam, qui mu- *Groningani proſperè res gerunt.*
nitiones ſtatim diruunt. Nigra legio, in Germaniam profecto Duce Georgio, res Saxonum in peius ire conſiderans, Weſtfriſios depopulata, in Drentam, Twentam, ac Zallandiam profecta, fortunis ruſticos exuit, iuxtáq; Dauentriam inter ſe prædam partiti, ruptis ſignis militaribus, in diuerſas abiere partes. Hac legione, quæ quatuor milliũ erat, Geldri, Groningani ac Etzardus liberati, collatis in vnum viribus Delftzilam ad deditionem compellunt. Inde caſtra Dammum, vbi Marſcalcus Ducis *Deduntur eis Delfzila & Dammum.*
Georgij cum ſexcentis veteranis agebat, transferunt: qui paulò pòſt commeatus inopia oppidum, rebus omnibus ſaluis, dedidit. Nobiles Dammij commorantes ad arces ſuas bonáque reuertuntur, polliciti ſe nil contra auctoritatem Geldri tentaturos. Groningani ac Geldri promiſſa Saxonibus ſeruauere, Etzardus verò tam Groninganis quàm Saxonibus tormenta, quæ Dammij habebant, eripit, inſuper militem Saxonem à ſuis ſpoliari permittit, Dammoque præſidium imponit; quamquam communi ſociorum decreto ſtatutum fuiſſet, oppidi vallum munitioneſque omnes complanarentur. Intereà Dux Georgius, expedita re pecuniaria, *Redit in Friſiam cum copiis Saxo.*
milites Nigræ legionis, Duce Tengenagelo, denuò in vnum cogit, cumq; ſex millibus peditum ac ſexcentis equitibus circa finem menſis Aprilis in Weſtfriſiam venit, recepereque eius præſidia Leuwardij, Franikeri, Harlingij, & aliquot alij. Sed hæc in ſpeciem tantùm faciebat, vt occupata Principi Carolo redderet, cum quo clàm de cedenda illi Friſia, ac omni in eam actione ſua, non ita pridem conuenerat; acceptáque pecunia, veteres in ciuitatibus amicos excitarat, qui Geldrorum arrogantiam ac rapacitatem experti, imperium eorum oderant. Tenebant Geldri Bolſwartum, Staueram, Snecam, Slotam, ac Worcomium. Etzardus munierat Doccomium. Itaque Saxones in Batauico Meridionali ſinu (*de Zuiderzee*) qua- *Armat in Batauico ſinu quadraginta naues.*
draginta naues armant. Geldri cum ſociis ſe contrà inſtruunt. Concurritur ab vtraque parte acriter, victoria tandem ad Geldros inclinante. Ca-

 pitur

1515 pitur dimidia pars nauium Saxonicarum, paucæque depressæ, reliquæ fuga euasere. In continenti Nigra legio damnum mari acceptum, expugnato, direpto, incensóque Worcomio ac Bolswarto (qui Geldrorum naues pro maxima parte instruxerant) vindicauit, idémque ferè omnibus pagis iis in partibus ad Sinum maris sitis euenit. Mense Maio his tandem inter ceteras conditionibus Dux Georgius Principi Carolo Austriaco Frisiam omnem cedit: Georgius Dux Saxoniæ, &c. considerans varias ab omni retroacta antiquitate Frisonum contra Principes suos defectiones, & intestina bella, & præcipuè quæ aduersus patrem nostrum Albertum ac nos concitarunt, ob memoratas causas, ac singularem quo Principem Carolum prosequitur amorem, ei donat cedítque vniuersam Frisiam, purè liberéque omne ius quod in hanc habet Prouinciam in eum transferens, tam quod eius pater Philippus Austriacus Alberto Saxoni patri suo donauit, quàm quod habet in Prouinciam, vulgo *Bilt* dictam, quam Duces Albertus ac Georgius è maris tyrannide aggeribus circumsepsere, nil sibi in dicta Frisia partibúsque eius seruans, prçter bellica tormenta, quæque ad hæc spectant; quibus cùm anno vno Princeps Carolus fuerit vsus, quò voluerit Dux Georgius abuehere aut vendere poterit; Princeps tamen Carolus stipendia militibus in hunc diem debita persoluet. Ac proinde promittit Princeps Carolus Duci Georgio in militum stipendia, suo damno persoluenda, ducenta aureorum Rhenensium florenorum millia, è quibus statim septuaginta millia præsentabit, octoginta millia æquis terminis spatio octodecim mensium soluet, restantia quinquaginta millia soluentur traditione lanei panni, qui militi pro parte stipendij distribuetur: nihilq; ex his summis Duci Georgio numerabitur, antequam in Caroli potestatem ciuitates ac munitiones Frisiæ omnes, quæ in sua sunt potestate, cum Bilta oppidóque Medenblikio, constituerit. Hæc acta transactáque Middelburgi Zelandiæ decimonono mensis Maij, subsignatáque ab vtriusque Principis Legatis, & posteà vndecimo mensis Octobris missis tabulis à Duce Georgio approbata, & auctoritate Cæsaris Maximiliani confirmata. Itaque Princeps Carolus in Frisiam Florentium Egmondium Buræ Comitem mittit, cui Saxo statim Leuwardam, Franicam, Harlingam, ac alias aliquot munitiones oppidáque aperit; persolutísque Saxonicis militibus stipendiis, omnes dimittit. Dux verò Georgius, eiúsque frater Henricus in perpetuum Frisiæ valedicentes, in Thuringiam ac Misniam reuertuntur. Mense Iunio Buræ Comes, nomine Principis Caroli dicto acceptoque sacramento, primùm Leuwardæ, deinde Franicæ, Harlingæ, ac aliis locis quæ hostes non habebant, in Frisiæ Dominum inauguratus est. Quibus rebus Comes Etzardus cognitis, relicta Westfrisia, in Oostfrisiam

Cladem mari acceptam, terra vtcumque sarcit.

Diploma quo Georgius Saxo Frisiam Carolo Austriaco reddidit.

Bilta etiã tradenda, pridem aggeribus septa.

Item oppidum Medenblikium.

Florentius Buræ Comes pro Carolo in pluribus Frisiæ vrbibus inauguratur.

friſiam ſuam contendit, ſtultum cenſens cum potentiſſimo Hiſpaniarum ac Belgarum Principe dimicare. Per id tempus Groningani certiores facti exiguum Dammi eſſe præſidium, iuſta manu eò profecti, vallum deiicere ac foſſas complanare incipiunt. Sed Etzardus, traiecta cum forti peditum veteranorum legione Amiſia, Groninganos Delftzila ac Dammo eiicit; litteraſque ad Ommelandios mittens, ſolui ſortem ſibi iubet & vſuras octo millium florenorum, quos ſingulis annis nomine Ducis Georgij gubernationem eorum ſuſcipienti promiſerant. Sed Groningani ac Ommelandij ad Geldrum has litteras per Legatum mittentes, effecere, hiſce de rebus ſilens, relicto deſertoq; Dammo ac Delftzila, in Ooſtfriſiam ſuam rediret. Menſis Iulij die vigeſimo ſecundo Maria Auſtriaca (quæ ſuperiori anno, deducente eam Carolo Crouiaco Chimai Principe 21. Iunij è Belgio Viennam Auſtriæ venerat) in tẽplo D. Stephani, præſente Cæſare ac Vladiſlao Hungariæ ac Bohemiæ, eiuſque fratre Sigiſmondo Poloniæ Rege, deſponſatur Ludouico eiuſdem Vladiſlai filio vnico; ac Anna, dicti Vladiſlai filia vnica Cæſari: qui ſe eam in vxorem ducturum promiſit, niſi ante exacti anni ſpatium alter illi è nepotibus deſponderetur. Sed paulò pòſt miſſi à Principe Carolo è Belgio Oratores effecêre, vt Anna eius fratri Ferdinando Auſtriaco fidem daret; qui eam ſexennio pòſt, anno 1521. Lintzij in vxorem duxit, ac lętam numeroſamque ex ea ſobolem progenuit. Eodem menſe Iulio Chriſtiernus Secundus Daniæ Rex in vxorem duxit Eliſabetham Auſtriacam, Principis Caroli alteram ſororem, nuptiæque Coppenhauij magnificè celebrantur. Sed paulò pòſt ob tyrannidem Regno pellitur. Quod ad res exteras huius anni ſpectat, ſic habet Continuator Palmerij: Maximilianus Sfortia, procurante Cardinale Sedunenſi, Heluetios cum ingenti Inſubrium ac Hiſpanorum manu, Brianſonem Alpinorum oppidum inuadere iubet. Qua re Galliarum Rex excitatus, innumeris copiis Alpes ſuperat, inque hoſtium agrum deſcendit, vbi paulò pòſt in Vigilia Exaltationis S. Crucis cum Heluetiis prælium anceps commiſit: nam multos generoſos Rex è ſuis eo veſpere deſiderauit: die verò ſequenti fortuna commutata eſt. Inde Mediolanum à Gallis iterùm vnà cum Duce capitur. Gallus, ſalutato Pontifice Bononiæ, & victoria elatus, reditum parat in patriam, relicto Mediolanenſibus Inſubribuſque Duce Borbonio: quem Cæſar conflato nouo exercitu per Veronenſem agrum adoritur. Borbonius ad obſidionem vſque Germanos accedere paſſus eſt. Verùm intereà Cæſar, de morte Regis Pannonum certior factus, obſidionem ſoluens, domum cum ſuis abiit. Hæc Continuator. Tillius eadẽ paulò glorioſiùs pro Gallis, ſed, quod miror, non niſi anno ſequenti. Nam & Heuterus Continuatori adſtipulatur quoad annum, idemque addit Brixiam pariter & Vero-

nam

1515

Etzardus eiectis Groninganis Delftzilã ac Dammum ſibi vendicat, ſed mox iterùm deſerit.

Maria ſoror Caroli deſpondetur Ludouico filio Regis Hũgariæ, annum vndecimum ingreſſa.

Chriſtiernus Daniæ Rex ducit alteram Caroli ſororem Iſabellã agentem annũ decimum quintum.

Franciscus iterùm Mediolanum capit.

Cæſar Mediolanum obſidere parans, morte Regis Hungariæ domum reuocatur.

nam tunc à Gallis longo obsidionis genere pressas, quarto vel quinto mil-
1516 liari ab vrbibus positis castris. Anno 1516. mensis Ianuarij die vigesimo secundo, Madriti apud Hispanos obiit Ferdinandus Catholicus, Arragoniæ, Castellæ, ac Neapolis Rex, ardenti vehementique febri extinctus, ætatis anno sexagesimo quinto, condito ante aliquot menses testamento, in quo Principem Carolum è filia Ioanna nepotem natu maximum, heredem in solidum instituebat. Sepultus est Granadæ, mausoleo pro se successoribusque ad hoc dudum anno 1492. ædificato. Sub hoc Rege res quinque memoria inprimis dignæ contigêre. Eius enim ac vxoris Isabellæ inprimis auspiciis anno 1492. nouus ad Occidentem orbis reperiri est cœptus. Iudæos omnes Hispania expulit. Regnum Granadæ, pulsis vniuersa Hispania Saracenis, recepit. Misso in Italiam Ferdinando Gonsaluo, ac in Nauarram Frederico Toletano Albæ Duce, Regnum Neapolitanum ac Nauarræ Hispanico adiecit. Intereà rebelles Frisij, auxilio ac auctoritate Geldri freti, multis coactis nauibus, sinum Batauicum Meridionalem latrociniis infestum reddiderant, ac aliquoties proximos Hollandorum agros depopulati, homines ac pecora abduxerant. Instruit contra hos Einchusæ Hollandiæ oppido classem Florentius Buræ Comes, Frisiosque prope oppidum Worincomium adeptus, prælium committit. Pugnatur decimo tertio Maij vltrò citroque à veteranis aliquamdiu strenuè, rem tandem Burano obtinente. Hostium aliquot naues depressæ, aliquot incensæ ac abductæ. Periere Frisij octingenti, captiui omnes Einchusæ capite plexi. Huius quoque anni æstate Geldrij Leuwardiam obsidione cingunt. Sed cùm mense Augusto Ioannes Wassenarij Regulus cum centum circiter varij generis nauibus, in quibus tria erant veteranorum peditum millia, itemque Nassauius, Brandeburgius, Comes Felix, Philippus Wassenarius, Walainius, Cortgenius, Zeuenbergius, Flettræus, multique alij viri Nobiles è Hollandia Burano in auxilium venissent, relicta Geldri Leuwarda, Snecam ac Bolswartum se recepere. Paulò pòst Wassenarius Doccomium occupat: quod cùm recuperare Geldri volunt, omnibus in vnum coactis viribus, commissa pugna superantur, Groningamque versus fugam arripiunt. Exinde Wassenarius arcem Euussum expugnat, captosque præsidiarios ad vnum omnes carnificis gladio aut laqueo necat: qua seueritate & aliis locis vsus, effecit, vt statim Stauera, Worcomium ac Hindelopa deditionem facerent. Lemmeram ac Takezilam Wassenarius, imposito præsidio, muniri iubet. Comes Etzardus considerans Geldrum Groninganos & vicinos pecunia emungere, clàm cum Florentio Buræ Comite ac Wassenario transigens, pacem pro se suaque Oostfrisia facit, conditionibus quas sequenti anno narrabimus, hoc verò tempore palàm minimè factis.

Moritur Ferdinandus Rex Hispaniæ, Carolo nepote in solidum scripto herede.

Res quinq; memorabiles huius Ferdinãdi.

Pugnatur in sinu Batauico, superãte Burano Frisios eorúmque auxiliares Geldros.

Wassenarius pro Carolo occupat Doccomium.

Clàm trãsigit Etzardus cum Austriacis.

ctis. Renouatur hoc anno pax ac amicitia inter Franciſcum Franciæ Re- 1516
gem, ac Carolum Hiſpaniarum Belgarúmque Principem, deſponſata Carolo (dimiſſa Reinera) Regis Franciſci recèns nata filia Lodouica; cui dotis nomine ius actionémque, quam in Regnum Neapolitanum prætendebat, ceſſit. Deinde in Angliam miſſis Oratoribus, Cæſar ac Carolus Princeps cum Rege Henrico Octauo æternum fœdus faciunt. Iam enim Carolus Princeps iter in Hiſpaniam apparabat, Regna ea vt natus ſcriptúſque heres aditurus, eáque de cauſa omnium vicinorum amicitiam ambiebat. Tranſegerat vel iniquis conditionibus cum Franco: fœdus illi erat cum Anglo: Dano ac Hungaro ſorores collocarat: Gelder latrunculus potiùs quàm verus hoſtis erat. Reſtabant apud Leodios Marcani Proceres, clientelis ac amicitiis potentes, ſucceſſerátque Erardus Marcanus Ioanni Hornano in Præſulatu Leodienſi. Cum his igitur

Tertia Francica puella deſponſata irridetur Carolus; diſſimulat tamen.

„ etiam apud Centrones fœdus his legibus firmatur: Hoſtes ac amici
„ communes ſunto. Vias publicas vtrimque tutas præſtanto. Priuilegia
„ ſecundùm præcedentium temporum pacis leges ſarta tecta manento.
„ Mortuo Præſule Erardo Marcano, nullum niſi è ſententia Principis Ca-
„ roli Præſulem recipito. Princeps Præſuli Erardo ſingulis, dum viuet, an-
„ nis ſex florenorum millia numerato, aut in Hiſpania Præſulatum, qui
„ tantum valeat, dato, cum duabus in Brabantia Abbatiis, non minoris
„ prouentus; quibus auctus Sacerdotiis, mille tantùm ac ducentos à Prin-
„ cipe ad vitam recipiet florenos. Roberto Marcano fratri Præſulis ſingu-
„ lis ad vitam annis octo millia florenorum dato, ac turmam ordinario-
„ rum equitum attribuito, cum quibus, vbi voluerit, ſine Principis Caroli
„ incommodo ac præiudicio militet. Ioanni Marcano Roberti filio an-
„ nuam penſionem mille florenorum, totidémque eius matri numerato.
„ Præfecto arcis Eſdainæ trecentos in ſingulos annos florenos ſoluito.
„ Comitatus Chinei apud Lutzemburgios Roberto Marcano deuinctus
„ maneto, donec ei aut ſucceſſoribus Princeps Carolus tria florenorum
„ millia reddi iuſſerit. Hæc acta conſignatáque apud Centrones oppidum
„ Leodienſe vigeſimo ſeptimo Aprilis.

Profecturus Carolus in Hiſpaniam cum Marcanis fœdus ſancit.

Aſsignatur Epiſcopo Leodienſi Marcano penſio annua ſex millium florenorum.

Item deuinciuntur & reliqui Marcani magnis honorariis.

Tanti hoc tempore emendi erant Marcani Proceres, ne aliqua ratione veterum controuerſiarum memoria, aut patrui Guilielmi morte irritati, bellum abſenti Principi Carolo Francorum auxilio concitarent, aut omnino ad Francos deficerent. Idibus Nouembris in hoc fœdus conſenſere Ordines ditionis Leodienſis, appenſiſque ſigillis confirmauere: ac paulò pòſt fit etiam fœdus inter Principem Carolum, Antiſtitem Erardum Marcanum, & Ioannem Cliuiæ ac Iuliæ Ducem, cùm priùs die decimo quinto Auguſti pax Nouioduni inter Franciſcum Francorum Regem & Carolum Principem conſenſu Cæſaris quoque eſſet firmata; qua nil aliud de Venetis eſt actum,

Cauſa cur tanti empti Marcani.

Sancit Carolus & alia fœdera, quò tutiùs in Hiſpaniam proficiſcatur.

1516 actum,quam,vt numerata Cæsari pecunia, Brixia iuris eorum maneret;
vtque Rex Franciæ Venetos, Princeps Carolus auum Cæsarem iuuare
posset; ceteræ verò conditiones adeò pro Franco fuere, vt nullus eas diu
duraturas crederet. De ceteris exteris hæc Continuator Palmerij: Vladis-
lao VII. Hungariæ & Bohemiæ Rege defuncto, Ludouicus II. filius am-
bobus in Regnis patri successit. Atq; eodem anno ditissimæ argentifodi-

Initium argentifodinarum Vallis Ioachimicæ, in Bohemia.

næ iuxta veterem quemdam puteum, non procul à thermis Caroli IV.
Cæsaris,in montibus Bohemiæ fortè fortuitò inueniuntur; quæ res vici-
nos ad colendum eum locum, auspicio emolumentóque non vulgari
Slicorum adeò commouit, vt paucis in annis ciuitatem illic & mansio-
nem non Praga minorem extruxerint. Ea hodie vallis Ioachimica dici-
tur,opumque inexhausta scaturigo existit. Addo ex Miræo nostro: Seli-
mus Turcarum Rex bellum à Persis in Campsonem Gaurium Sulta-
num Ægyptium & Mamaluccos conuertit, & cæso Campsone, vrbem
Ierosolymorum, cum reliqua Iudæa ac Syria subegit. Mense Ianuario
1517 anni 1517. Bolswartij in Westfrisia præsidium Austriacum recipiunt,

Nullo opera pretio VVassenarius in Geldros ducit.

astu ad id litteris Comitis Etzardi inducti. Intereà Wassenarius cum ma-
iori militum parte in Geldriam profectus est, Geldro bellum domi fa-
cturus; sed cùm nil memoria dignum efficere potuisset, dimisso milite,
in Hollandiam reuertit. Nigra legio aucta militum numero, iterùm in
vnum coacta, Geldro ea lege dat nomen,vt singulis floreno Arentsio se-
mel numerato,exinde prȩda raptóque viuerent,iussis tamen suis obtem-
perarent. Numerata haud procul Dauentria promissa pecunia, in Fri-

Nigra legio Geldro addicta, magnis incommodis Austriacos afficit.

siam Hollandiámque Austriacis bellum illaturi ire iubentur: vbi vete-
ribus iuncti Geldris militibus,ad tempus superiores esse cœperunt. Bu-
ranum enim Snecam obsidentem,re infecta discedere cogunt: Hindelo-
piam expugnant; Austriacósque in auxilium properantes, compluribus
interfectis ac captis,in fugam agunt; Doccumium sex septimanis obses-
sum,ac frustrà aliquoties oppugnatum, fame ad deditionem adigunt.
Tum Lemmeram occupant; collectísque nauibus in Hollandiam,traie-
cto sinu Meridionali,proficiscuntur; Medenblikium expugnant, diri-

Expugnant Medenblikium, Alcmariam, alia.

piunt ac incendunt. Alcmarianos fine Iunij ad deditionem compellūt;
multatísque pecunia ciuibus ab incendio abstinent: Sparendamum,Eg-
mondam,Beuervvicum spoliant,ac exurunt: profectíque per ditionem
Vltraiectinam ad oppidum Culenburgium, Leccam amnem traiicien-
tes,Niportum Hollandiæ diripiunt ac exurunt; tandemq; ad oppidum
Asperam non admissi castra locant. Ter irrito conatu, desideratis quin-
gentis viris, Asperanos oppugnant. Quartò omnibus annixi viribus
pertinacissimè per aliquot horas pugnant. Feminæ ac pueri nil, quod
ad patriæ salutem facere poterat,omittunt. Sed quod nullo militari iu-
uaren-

uarentur præsidio, promptissimique vulneribus confecti iacerent, aut pugnando occubuissent, vndique obruti expugnantur; sternuntur; sexui, conditioni, nec ætati parcitur. Ludimagister cum impuberibus discipulis ad Musicum summi Templi instrumentum, quod Organum appellant, confugit. Irruentes & hîc latrones, Magistri nec puerorum lacrymis mouentur, omnesque ad vnum mactant. Exinde sicarij ad curanda corpora se conferunt, saucios reficiunt; ac sedem Asperæ figentes, rusticos in circuitu omnes diripiunt, aut ad iniquissimas conditiones compellunt. Tandem Wassenarius ac Nassauius, subitario è Belgis collecto milite, ne quid Asperam deferretur, impedire incipiunt. Latrones suum numerum augeri indies cõspicientes, ne obsessi fame ad deditionem cogerentur, ac inhumanæ sęuitiæ pœnas darent, in tempore exportata præda, pars Amersfortium ac Harderwicum, pars Elburgum, Hattemium, ac Vullepium tendit, scelerum conscientia nullibi sedes diu figere ausa. Princeps enim Carolus, intellecta Asperanæ expugnationis inhumana crudelitate, ad Hannones ac Atrebates litteras miserat, vtque beneficiarij clientes omnes pro opibus instructi contra hostes proficiscerentur, pręceperat; iunctique vicini Principes Austriacis, latrones insequebantur, nactos trucidabant, vel captiuos tormẽtis excruciatos viuos rotis ad aliorum exemplum imponebant, ita vt tandẽ infamis legio, deserta à Geldro, pérq; omnes sparsa prouincias, insignes crudelitatis pœnas daret. Qui effugêre, posteà Geldro sub aliis Præfectis nomina dedêre. Exinde Austriacus miles in Geldriã profectus, munitionẽ Hulckensteiniam expugnat, diruitque, repertásq; naues exurit. Carolus Geldrus Arnhemi se continebat, castráq; in colle, qui ciuitati à Meridie imminet, collocarat. Austriaci, cùm vniuersam Veluam deprædati exussissent, vicinum occupant collẽ, qui Arnhemum ab Aquilone respicit, maioribusque inuicem tormentis impetebant. Hoc rerum apud Geldros statu, Cæsar Maximilianus postremùm Belgas visurus, in Brabantiam venit, pacemque inter Francorum Regem ac nepotem Carolum Nouioduni anno superiori, vt dictum est, initam, rursum firmat, eos simul comprehendens, qui vtriusq; Principis partes secuti fuerant. Qua re Arnhemi nuntiata, miles Austriacus Geldriam deserit, & Carolus Gelder cum Principe Carolo in annum inducias facit, frustrà Philippo Burgundo Vltraiectinorum Præsule tunc simul pro pace satagente. Hinc missa Imperiali citatione ad Cæsaris tribunal se sistere iubetur Etzardus Oostfrisiæ Comes, satisfacturus accusationibus Georgij Saxonis ac Erici Brunswicani Ducum. Qui accepta à Cæsare fide publica, in Brabantiam, indéque Gandauum in Flandriam venit, dictosque Duces cum Cæsare reperiens, generosè ac disertè se defendit, repetens bella, eorúmque causas, & quæ per octodecim ferè

1517

Fœda imprimis clade iidem Asperam expugnant; sexui, conditioni nec ætati parcitur.

Luunt condignas pœnas.

Expugnant Austriaci Geldrorum munitionẽ Hulkensteiniam.

Cæsar postremùm in Belgium venit.

Etzardus generosè Gandaui apud Cæsarem suã causam agit.

1517 continuos annos, variis agitatus iniuriis, à diuersis rogatus, ac in auxilium accersitus, domi forisque ingenti cum sumptu pertulisset. Sua culpa non factum, vt peruerso delatorum ac adulatorum consilio deceptus Cæsar se proscriberet; cùm numquam nec Summi Pontificis, nec Sacri Romani Imperij tribunal declinasset: sed semper causam neutri parti addictis Iudicibus terminandam permisisset: quod cùm sit, ex antiqua Imperij Iuris Legumq; formula, in hos proscriptionem locum non habere.

In quos habeat locum Imperialis proscriptio.

Cæsar, his auditis, paucas pro conciliatione leges concipi iubet; quibus se responsurum Etzardus pollicetur, postea quam cum Ordinibus ac Consiliariis Oostfrisiæ super iis consuluisset, relinquens eam in rem Cæsari obsides filium Ennonem, cum aliquot viris Nobilibus. Exinde Francico fœderi, de quo suprà, renuntians Etzardus, clàm nouum cum Cæsaris nepote Carolo Gandaui in perpetuum sancit: cuius eo tempore conditiones certis de causis in publicum non emanarunt. Fuere autem inter alias hæ: Carolus Austriacus, Hispaniarum Belgarúmque Princeps, «
Comiti Etzardo, vt sibi pace bellóque operam præstet, singulis, donec vi- «
uet, annis pensionem quatuor millium aureorum florenorum persoluet: «
quam is summam è Groningana Prouincia eiúsque annuis prouentibus «
recipiet. Etzardus Legati nomine ditionem Groninganam pro Principe «
Carolo gubernabit, omnésque sub potestatem ac obedientiam Principis «
Caroli, Prouinciæ sumptu, rediget. Annuos prouentus Principi debitos «
Comes Etzardus recipiet; de quibus, annis singulis Quæstoribus Prin- «
cipis Caroli rationem dabit; ablatísque in vsum suum quatuor aureo- «
rum florenorum millibus, quod superert, Fisco Principis numerabit. «
Iselsteinij Dominum, Frisiæ Gubernatorem, aliósque Principis Caroli «
in Frisia administros, consilio ac auxilio, quantum poterit, iuuabit. Prin- «
ceps Carolus Ioannem Oostfrisium Etzardi filium inter cubiculi Nobi- «
les solito cum stipendio recipiet, aut ea de causa singulis illi annis mille «
florenos numerabit. Comes Etzardus, cum successoribus, à Principe Ca- «
rolo eiúsque heredibus Hollandiæ Comitibus, Oostfrisiam vt clientale «
beneficium, quod Feudum vocant, recipient, neque alia ratione posses- «
sionem adibunt, modò Princeps Carolus hac de re legitimum aui sui Cæ- «
saris ac Germaniæ Septem-virûm cõsensum impetrare potuerit. Actum «
Gandaui Kalendis Iunij anno 1517. Hinc decimo Iunij Comes Etzardus iusiurandum dicit, proscriptionéque Imperiali liberatus in Oostfrisiam reuertit; móxque astu eiectis Brunswicanis, arcem Fredeburgam recuperat, adeò vt præter Stichusam in Oostfrisia Brunswicani nil retineret. Rebus omnibus hac ratione compositis, Cæsar nepotem arctè complexus, omnibusque benè precatus, in Germaniam contendit; Belgis eum veris lacrymis ac Cæsare dignis muneribus prosequentibus. Princeps

Vt securè cum Etzardo transigatur, filium suum dat obsidem.

Pax cum Etzardo, promissis ei annuè quatuor millibus florenorum aureorum.

Item promissi eius filio redditus mille florenorum.

Hac ratione Oost-Frisia Comitibus Hollandiæ fit feudalis.

Cæsar valedicto nepote Carolo, redit in Germaniam.

verò

verò Carolus instante mense Iulio in Hispaniam nauigaturus, Middelburgum Zelandiæ, vbi iustam classem, cui præerat Adolphus Burgundus Beueræ Dominus, paratam habebat, proficiscitur. Sed aduersa coactus tempestate, in duodecimum vsque mensis Augusti diem expectare cogitur. Tum prosperum nactus ventum, dat vela; feliciqúe vsus nauigatione, octo dierum spatio è Zelandia Villauiciosam apud Astures peruenit, vnica desiderata cum rebus omnibus naui, quæ medio Oceano fortuito igne correpta, cùm nulla ei ratione succurri posset, conflagrauit. Erat ea oneraria ingens, generosos Procerum Belgarum vehens equos, qui cum stabulariis, equisonibus ac nautis ad vnum omnes periêre. Exceptus est Princeps Carolus summo Procerum ac populi gaudio; inter quos præcipui fuêre, qui primi accurrerant, frater Principis Caroli Ferdinandus Austriacus, Comestabilis Castellæ, Dux Albæ, multiqúe alij Proceres. Adolphus Burgundus Belgarum maris Præfectus, mense Nouembri cum Belgica classe in Zelandiam feliciter est reuersus. Res peregrinas huius anni sic paucis habe ex Continuatore Palmerij: Zelimus Turca, capta Nili Alexandria, Ægyptum omnem igni ferróque depopulatur. Denique adortus Cayrum vrbem, eam, non tamen citra sanguinem, vnà cum Sultano capit. Quo facto Babyloniam victor pergens, Syriam deinceps vniuersam suæ quoque ditioni adiicit cum Damasco. Steno Sture Interrex Suecorum arma mouet in Archiepiscopum Vpsaliensem, eò quòd patriam Regi Danorum proditurus videbatur. Quare Christiernus II. magno exercitu Stockholmiam obsidet. Verùm post duos menses inglorius domum remeare cogitur. Eodem anno Martinus Lutherus Saxo, ex monacho Augustiniano apostata & hæresiarcha, cunctos ferè antiquorum hæreticorum errores coniungens, perniciosissimam sui nominis hæresim in Germania excitat. Anno 1518. mensis Februarij die septimo Princeps Carolus Valledoleti apud Castellanos in templo D. Pauli, magna cum solemnitate in Hispaniarum Regem inauguratur, ac cum matre Ioanna corona Regia redimitur, deducente eum, exceptis Hispaniæ Proceribus, ac Ordinum Legatis, fratre Ferdinando, sorore Leonora, ac omnium ferè Christianorum Principum Legatis. Tum equestria belli simulacra eduntur, duobus Belgarum Proceribus, Baurini nimirum ac Zanzellæ Dominis, quosuis ad ad concursum prouocantibus. Hi cùm biduum Hispanis ac Belgis dedissent, tertio die Rex iam Carolus, regali more armatus in arenam descendit, ac quater cum Zanzellio fortiter animoseque concurrit. Primo congressu plumas è casside Zanzellij detersit; secundo in sinistra pectoris Zanzellij parte, haud procul humero, lanceam in multas partes confregit; tertio in fronte cassidis lanceam quoque nonnihil lacerauit; quarto

Marginalia: 1517 — *Carolus octidui spatio ex Zelandia in Hispaniam nauigat.* — *Zelimus Turca Aegyptum & Syriam suo adiicit Imperio.* — *Martinus Lutherus hæresiarcha mundo innotescit.* — 1518 — *Carolus Valledoleti in Hispania Rex solẽni ritu inauguratur.* — *Equestria belli simulacra triduo celebrata.*

1518 concursu summo cum honore lanceam rupit in circulari clypeo; quem Zanzellius, more tum consueto, circa sinistrum ferebat latus. Tum dimissis Nobilibus, cùm Rex Carolus (sic eum deinceps vocabimus) iudicum sententia, primã retulisset palmã, virgines matronásque, magno numero præsentes, ad epulas ac choreas deduxit. Circa idem tempus Præfectus Erici Ducis Brunswicani arcem Stichusam, Comiti Etzardo Ducis iussu restituit, persoluente Etzardo præsidiariis debita in illũ diem stipendia, ac Duci Erico certam pecuniæ summam; discedentésq; Brunswicani ac Saxones omnes, Etzardo Oostfrisiæ possessioné integram reliquere, qui viginti annorum laboriosissimo ac vario nil aliud est consecutus bello, quàm vt paterna ditione propemodum exueretur. Cumque pecuniam soluendis dimittendisq; militibus non haberet, duo veteranorũ peditum millia in Ditionem mittit Groninganam, extorsione à rusticis stipendia comparaturi, satis Ommelandios sibi ex præterita debere militia testatus. Læti milites insigniter Ommelandios vexant, Drentiis nec Twentiis parcentes. Iungunt se his tria peditum millia, quos Saxo ac Brunswicanus exauctorauerant, tum ij omnes qui è rapinis viuere erant consueti, expectantes donec induciæ inter Regem Carolum ac Geldrum finirentur; quo recrudescente bello, huic aut illi parti nomina darent. Sed cùm prolongatas inducias intellexissent, primùm in Geldriam, deinde in Cliuiam proficiscuntur. Ibi Meursij Comitis ditionem inuadunt, miseros vbique rusticos fortunis exuentes, deinde magno libertatem redimere cogentes. Verebantur vicini Principes alteram Asperanam expeditionem, aut ne occupato munito aliquo oppido, vicinas regiones omni calamitatis genere peruastarent. Vnis igitur in castris vires conferunt, Belgæ, Cliuij, Iuliacenses, Colonienses, Westphali ac Meursij, coniuratósque prædones pressis vestigiis insequuntur. Illi viribus impares, in Geldriam velut in portum citato passu contendunt. Subsequuntur maioribus itineribus Principum Legati, propéque Venlonium eos assecuti, circiter septingentos vna pugna interficiunt: periissentque plures, nisi Venlonij, exoneratis maioribus tormentis, eos protexissent. Vbi cùm apertè Gelder inducias nondum violare auderet, prædones verò ac latrones recipere in oppidis multò minùs, illi nudo in campo sibi non fidentes, obscura nocte, ruptis militaribus signis, dispersi in varias abiere partes. Capti instar latronum tormentis lacerati, carnificis manu periere. Paulò ante pacem Nouiodunensem, Veneti quinquennales cum Cæsare Maximiliano inducias sancierant, singulis ei annis triginta millia aureorum nummûm, ac Venetis exsulibus Cæsarem secutis quartã fructuum è propriis bonis partem polliciti, hoc anno absolutam tandem pacem impetrant, grauissimóque liberantur bello. Cæsar intereà de Imperij successo-

Tulit in his primas ipse Rex Carolus.

Ditio Groningana & loca vicina ab Etzardi milite insigniter vastantur.

Vastant iidem Geldriam & Cliuiam.

Demum ad septingentos vna pugna trucidantur.

Reliqui, ruptis militaribus signis, dilabuntur.

Plena tandẽ pax Venetis a Cæsare datur.

ſucceſſore ſollicitus Comitia Auguſtæ Vindelicorum celebrat; vbi cùm 1518
Martinus Lutherus à Thoma Vio Cardinale Caietano, Legato Apoſtolico, fuiſſet auditus, inſtructuſque, ſed non correctus, Carolum nepotem enixè Septem-viris cõmendat, ſciens eius riualem eſſe Franciſcum Francorum Regem, de quo mox plura; abſolutiſq; Comitiis iter in Auſtriam inſtituens, lenta febri menſe Iunio corripitur; Welſamque ſuperioris Auſtriæ oppidum veniens, febrem perpetua venatione ac aucupio pellere conabatur. Dúmque aliquando è venatione reuerſus ardentem ſitim immoderato melopeponum eſu ſedare ſtudet, ſumptóque inſuper dubiæ virtutis intempeſtiuo medicamento, febris, quæ per interualla accedere ſolebat, fit continua; accedentéque ventris profluuio, cùm duplicis mali vim ſenile corpus perferre non poſſet, ſumpto Chriſtianorum ſanctiſſimo Viatico, compluribuſq; viris piis ac doctis confirmandi animi cauſa accerſitis, teſtamento rectè confecto, vitam cum morte 1519
commutauit duodecimo die Ianuarij anni Chriſti 1519. hora tertia poſt mediam noctem, cùm laborare cœpiſſet menſe Iunio anni præcedentis. Welsâ corpus Viennam, inde Nieuſtattum delatum, iuſtis vbique magna cum ſolemnitate celebratis, ſub ara D. Georgij, vti iuſſerat, eſt ſepultum, cùm vixiſſet annos quinquaginta nouem, menſes nouem, dies viginti & vnum. E viuis ſublato Maximiliano Cæſare, quinque menſium Interregnum in Imperio extitit; quo tempore Carolus ac Franciſcus Reges non ampliùs ſecretò, ſed palàm per ſuos ad Imperium, vti ſolent generoſi riuales ad vnam adamatam virginem, adſpirabant. Septem-viri erant Albertus Moguntiæ, Hertmannus Coloniæ, Richartus Treuirorum Archipræſules, Fredericus Saxoniæ Dux, Ludouicus Bohemiæ ac Hungariæ Rex, Ioachimus Marchio Brandenburgius, ac Ludouicus Comes Palatinus ad Rhenum. Hi à Moguntino Archipræſule conuocati (eius enim id eſt officium) Francofurtum ad Mœnum conueniunt, acerrimiſque Orationibus Moguntinus pro Rege Carolo, Treuir pro Rege Franciſco certat. Quorum rationibus dubij Septem-viri dum ſententias trahunt, tandem Imperium Frederico Saxoniæ Duci Septem-viro offerunt. Sed is conſtanter dignitatem renuens, docebat Regem Carolum non eſſe externum, vt voluerat Treuir, ſed Principem è præcipua Germaniæ nobilitate ortum, in ea natum educatumque, habere in vtraque Germania hereditates ampliſſimas, ſe eum ſuo calculo Cæſarem deſignare, vt qui propter potentiam, virtutis bonæque indolis ſpem, meritò ceteris videatur præferendus: leges ei præſcribendas, quibus pericula & incommoda ab Archipræſulibus in medium allata vitentur, Germaniæque libertati conſulatur. Hanc Saxonis ſententiam ceteri Septem-viri comprobant, ac vigeſimo octauo Iunij huius anni

Cæſar lenta febri corripitur.

Vitam cum morte Cæſar piè cõmutat.

Interregnũ quinque menſium, riualibus Carolo ac Franciſco Regibus.

Saxoniæ Dux recuſat oblatũ Imperium, Carolumq; commendat.

1519 Carolum Austriacum Hispaniarum Regem, Belgarum Burgundionumque Principem, Cæsarem renuntiant. Ita Fredericus Palatinus Legatus in Hispaniam ad Carolum cum litteris mittitur, quibus de electione certior reddebatur; quem tamen priuati aliquot, incredibili celeritate vsi, præuenêre; è quibus vnus nouem diebus Francofurto Barcilonam est profectus. Palatinus instantibus Kalend. Decembris in Hispaniam ad Regem Carolum venit, Septem-virûm litteras tradit, ac cetera, quæ in mandatis habebat, exponit. Respondet Mercurianus Gatinarius Caroli Cancellarius, admittere Regem Carolum grato animo tantorum de se Principum iudicium, delegatumque amplissimum onerosissimumq; honorem amore communis patriæ recipere, curaturumque, rebus in Hispania maturè constitutis, primo quoque tempore iter in Germaniam acceleret. Cumque in eumdem ferè modum Septem-viris respondisset, liberaliter donatum Palatinum dimittit. Circa huius anni finem Carolus Geldrus vxorem ducit Elisabetham Luneburgi Ducis filiam, è qua moriens nullos reliquit liberos. Groningani ad honestandas nuptias vocati, offerunt pocula aliquot argentea deaurata, equos generosos, ac boues insigniter saginatos, quæ simul æstimata fuêre bis mille quingentis aureis florenis Rhenensibus. Fuerat, vt scripsimus, Rex Carolus vltra biennium in Hispania, populi Procerumque animos sibi conciliaturus. Sed quòd in constituendo noui Regni statu Belgarum potissimùm videretur vti consilio, Hispaniæ aliquot Proceribus displicebat. Eminebant tum inter Consiliarios Belgas Adrianus Florentij, posteà Summus Pontifex, ac præcipuè Guilielmus Crouiacus, primus Arschoti Marchio, ac Cheuræ Baro; quem qui eo tempore amicum habebat, quidvis impetrabat. Hic Belgas omnibus in rebus promouebat, officia, munia publica, ac Regij iuris Sacerdotia conferebat: illi ambientibus Hispanis numerata vendebant pecunia, auróque ad Belgas transmittendo intenti & excæcati, murmura Hispanorum contemnebant. Erat eo tempore Ferdinandus Daualus, qui certa causa Gadium Præfectura priuatus, vindicare se cupiebat. Profectus igitur Tolosam, ad ædes Ioannis Padigliæ diuertit, cuius iam anteà vxorem Mariam Paræcam feminam ambitiosam in partes traduxerat, eáque maritum vel renitentem eódem traxerat. Hîc rebellionis iacitur fundamẽtum, quam illi Sanctam Giuntam appellauere. Subscripsere cum his Antonius Daccugna, Zamoræ Antistes, familiæ Osoriæ, vir inquietus, annos licet septuaginta natus, cui diuturnæ intercedebant cum Comite d'Alba de Lista Zamoræ habitante inimicitiæ, quem coniuratorum auxilio pellere statuerat, ac Archipræsulatum Toletanum occupare. Deinde Petrus Gironius, Saluaterræ Comes, Clauerus d'Alcantera, Petrus Lassus, Quintaniglius,

Carolus renuntiatur Imperator.

Promittit se quàm primum posse in Germaniam acceleraturũ.

Nuptiæ secundæ Geldri cum Luneburgensi.

Initia & causa tumultuum Hispanicorum cõtra Belgas.

Daualus & alij cõiurant cõtra Belgas.

niglius, Ferdinandus Viloa, Abbas Complutensis, Prior Vagliadolitanus, Ramirus Nuguensis, Carolus d'Arellius, Ioannes Branius, pluresque alij, singuli aliquid sibi pretiosum ex incendio patriæ destinantes; quibus accesserant ciuitates ac oppida Regni Castellæ ferè omnia; pecuniáque pro parte conferri ad cogendum militem iam erat cœpta. Verùm non adeò secretò res administrari potuit, quin breuî emanaret; verituſque Cheurius, ne in se cuderetur faba, ac à sua cæde rebellio inciperet, per speciem inuisendæ classis, quæ pro Rege Carolo in Belgium traiecturo apud Astures, nunc Biscaios, instruebatur, cum omnibus rebus fugam capit. Exinde mense Martio anno 1520. Rex Carolus Valledoleto Toletum proficiscitur, conuocatiſque Hispaniæ Ordinibus, pecunias ad iter imperat. Recusant collationē Castellani, nisi Belgas Hispaniâ dimittat, eamque indigenis gubernandam committat. Ægerrimè ferebat Rex Carolus, extorquere eos velle, quod erat rogandum. Contentus igitur pecunia, quam pacatæ ciuitates conferebant, ad iter se parat; Petroque Gironio, qui paulò antè in iudicio causa ceciderat, quòd superbo ore iterùm eadem de re ius sibi fieri petiisset, grauiter minatur. Sed mox certior factus, vndique rebelles copias cogere, collectis subitò vasis, aëre pluuio ac ventoso, fugienti similis Toleto in Astures ad classem contendit, Adrianum Florentij Cardinalem iam dictum vniuersæ præficiens Hispaniæ, omnibusque Proceribus enixè commendans. Ciuitatum Legati domum redeuntes, variè sunt excepti. Plerique enim qui Regi Carolo pecuniam essent polliciti, pulsati sunt aut multati; Segouienses suos, quòd pecuniam negassent, ad instar ouantum recepêre. Cardinalis Pro-Rex initia rebellionis repressurus, Prætorem Ronchillium cum ala equitum ac aliquot peditibus contra Segouianos mittit; qui eorum agros euastans, ne commeatus inferretur, prohibebat. Sed auxiliis à rebellibus submissis, Ronchillius Segouiam deserere cogitur. Intereà Rex Carolus è portu oppidi Corunnæ opportunum nactus ventum, fine mensis Aprilis Angliam versus dat vela, paucoſque post dies, felici vsus nauigatione, in portum oppidi Hamptonij se intulit, inuisurus ac communicaturus cum amicissimo Rege Henrico Octauo, qui Caroli materteram Catharinam in matrimonio habebat, ac ex ea filiam Mariam educabat. Vbi cùm aliquot diebus amicissimè egissent, veterumque fœderum leges renouassent, Rex Carolus nauem conscendens in Zelandiam Belgarum Prouinciam cum triginta onerariis appulit, omniumque Ordinum summa cum lætitia excipitur. Inde nauigio Brugas Flandriæ peruenit, excipiturque ab amita Margarita Gubernatrice, fratre Ferdinando, Legatis Venetorum, Ducis Saxoniæ, Brunswici, Luneburgi, Hassiæ, Coloniensium, Lubecensium, Norimbergensium, Augustanorum, & aliorum.

1519

Singuli aliquid sibi pretiosum ex incendio patriæ destinabant.

Cheurius Belga ex Hispania fuga euadit.

1520

Quin & ipse Cæsar Carolus fugienti similis ad classē proficiscitur, Adriano Cardinali Præfecto Hispaniæ relicto.

Cardinalis initiis tumultuum frustrà obuiam ire nititur.

Inuisit Cæsar ex itinere Regem Angliæ.

Feliciter in Belgium appellit.

 Mox

1520 Mox vota pro eo ad Deum solemniter concepta, populus magno numero ad templa confluens, piis animis persoluebat. Apparabantur intereà apud Belgas, quæ ad coronandum Aquisgrani Regem Carolum erant necessaria. Dies sextus Octobris erat coronationi præstitutus, sed qui in vigesimum primum est translatus. Coronatio his cærimoniis peracta est. Præsules ac Proceres Imperij cum mille sexcentis equitibus Aquisgrano egressi, obuiàm Regi Carolo cum bis mille equitibus venienti proficiscuntur, aduentumque gratulantur. In templo à Moguntino ac Treuirensi in deauratum statuitur solium, Coloniensi rem diuinam faciente. Post Euangelij decantationem, præstito ad altare iuramento, Ecclesiæ, Imperij, Papæ, ac calamitosorum se defensorem fore, ab eodem Coloniensi in pectore, capite, scapulis, ac palmis, ad singula adhibitis consuetis precibus, inungitur: tum in morem Diaconi induto, & in solium iterùm collocato, nudum gladium tradens, Rempublicam Christianam commendat, annulum digito inserit, ac Regali chlamyde sumptuosissima (quæ in summo semper templo manet) induit, sceptrum cum pomo porrigit; diadema verò tres dicti Archipræsules, adhibitis manibus capiti eius, imponunt. Peracto Sacro, tremendum Christi Corpus Cæsar reuerenter sumit; pauloque pòst gladio, quo Carolus Magnus in præliis dicitur vsus, Nobiles aliquot, tactis leuiter humeris, in Equitum numerum cooptat. Aderat spectatrix omnium Margerita Cæsaris amita, Belgarum Gubernatrix. E templo ad Palatium itur pransum. Cæsar vna mensa solus in medio sedens prandebat; singulique Septemviri in eadem aula similiter veteri more singulis mensis. Bos diuerso auium ferarumque genere farctus, publiceque ad ignem assatus, populo diripiendus datur, vinumque etiam affatim toto die omnibus præbitum. A prandio Cæsar in diuersorium reuersus, Moguntino Imperij sigilla tradit. Postridie Cæsar dat cœnam Septem-viris. Tertio die inter Missæ solemnia Moguntinus suggestum ascendens, populo exponit, Summum Pontificem etiam Regi Carolo Cæsaris titulum concessisse.

Coronationis eius Aquisgrani sacra cærimonia.

Inter alia etiam Diaconi veste consecrandus Cæsar induitur.

Pompa exhibita extra templũ, in mensa & in platetis.

Hoc anno Ferdinandus Cortesius Mexicum, vrbium Noui orbis Reginã, capto post multa prælia Rege potentissimo Motezuma, occupat: & sic latissimæ & auriferæ illæ prouinciæ Carolo Quinto Cæsari cesserunt. Cortesius tanto subiugato Imperio immortalem sibi gloriam, & posteris opimum Vallesij Marchionatum peperit. Porrò absente ab Hispaniis Carolo, totis viribus rebellionem Hispani prosequebantur. Expugnarant Villabanczam, occuparant Medinam Rio secco. Cardinalis Prorex videns Ronchillium, de quo suprà diximus, non satis habere virium nec auctoritatis, Antonium Fonsecam arma capere contra rebelles iubet. Cumque is cum octingentis lanceariis equitibus, exiguoque pedi-

Cortesius Mexicum in Nouo orbe pro Cæsare occupat.

Rebelles in Hispania apertum auspicãtur bellum.

peditum numero, Medinam de Campo esset profectus, vt ænea tormenta Regia educeret, Medinenses arreptis armis intercedunt, acriterq; cum Fonseca confligunt: qui videns se multitudini imparem, incensa vrbe discedit, non paucis vtrimque desideratis; quæ florentis emporij conflagratio effecit, vt statim Castellæ vrbes numero tredecim, quæ nondum animos denudarant, rebellibus subscriberent, quorum iudicium maior Hispaniæ pars est secuta. Exinde coniurati Toletum conuenientes, sacræ Giuntæ leges castigant, ac ampliant, exercitumque instruunt. Atque hæc omnia nomine Regis Caroli se facere credi volebant, contra iniquos eius Præfectos. Erat hoc tempore Cardinalis Prorex Valledoleti cum Regio Senatu, missisq; ad singulos Proceres nuntiis ac litteris, copias vti comparent admonebat. Sed antequam ij militem cogere possent, Petrus Gironius ac Ioannes Padiglia cum rebellium copiis Valledoletum aduolant. Fugit Cardinalis cum Senatu. Sed ex itinere ad vrbem retractus honestæ custodiæ committitur. Ei enim ob innocentiam non malè volebant; Cheurio erant infensissimi. Cardinalis proxima nocte, effracto ciuitatis muro, vbi præ vetustate subsidebat, euasit, ac Medinam Rio secco, (Ammiralis Castellæ est oppidum,) vno comitante Sacerdote, per celeres equos peruenit. Tum rebelles cum exercitu Tordesillam profecti admittuntur. Habitabat hîc Regis Caroli mater Regina Ioanna, à mariti morte mentis inops; quæ tamen nulla ratione adduci potuit, vt eorum tabulis subscriberet, sed sæpiùs se Caroli Regis matrem esse eis exprobrabat. Illius custodiam, vt & oppidi, Zamoræ Antistes trecentis cōmittit rebellibus Sacerdotibus sub se militantibus. Quo mense hæc singula contigerint, ex Oratione Antonij Gueuaræ Episcopi Modoquetani, mense Nouembri ad rebelles habita, vtcumque colligimus. Est ea

1520

Incēsâ Medinâ de Campo à Fonseca eam potiri volente, nec valente, tredecim mox aliæ vrbes etiam deficiunt.

Rebelles frustrà Cæsaris matrem, etsi mentis inopē, in suam sententiam pertrahere nituntur.

„ Oratio apud Heuterum, vbi hæc inter alia: Veni huc nomine Proregis
„ Cardinalis, & Consiliariorum Regiorum. Viginti dierum spatio, septies
„ ad vos frustrà veni. Sed quod posthac nec me, nec alium, dicti Proceres
„ sint missuri; necesse est, rebus omnibus rectè perpensis, hodie facta pace
„ reconciliemur, aut, armis seriò sumptis, verum bellum geramus. Sego-
„ uiani vigesimo tertio Maij, me præsente, interfecto Regio Pręfecto, pri-
„ mi tumultus auctores fuere; paulóque pòst captum Tordesillanum Præ-
„ fectum, è D. Michaëlis templo extractum, cum duobus sui muneris Re-
„ giis ministris, in crucem sustulerunt. Occupata Villa-Brassina ædes Do-
„ mini Adelantadi, fratris Castellæ Ammiralis, diripi permisistis. Cùm vi-
„ gesima Augusti Medinam de Campo essē ingressus, sequitur me octin-
„ gentis cum lanceariis equitibus Antonius Fonseca; Regiaque tormenta
„ educere à ciuibus prohibitus, discedens ignem vrbi iniici iussit: eramque
„ eadem in vrbe, cùm Boadiglia æneorum tormentorum fusor, cum suis,

Facinora rebellium ex Oratione Geuaræ.

Regiū Præfectum tēplo extractum cum duobus ministris in crucem agunt.

è sum-

1520 è ſumma Palatij feneſtra deorſum eiiceret Nitonem vrbis Gubernato- «
rem,confoderetque Atellium Bibliopolam,liberis verbis immane factũ «
reprehendentem. Eram Valledoleti, cùm ciues à Rege deficerent: vidi «
Cardinalem, Proregem cum Regiis Senatoribus per pontem fuga ela- «
bentem; Conſilij Præſidem apud Benedictinos latitantem, Doctorem «
Vargas per latrinarum ſordes vitam tuentem; Doctorem Zapata Fran- «
ciſcanis veſtibus indutum Cingalam vſq; fuga delatum; fratrem meum «
Doctorem Gueuaram,à Cardinale Regioque Senatu miſſum, in Belgiũ «
ad Regem Carolum proficiſcentem. Referre qua ratione Caſtellæ Co- «
meſtabilis Burgis ſit exactus,Deniæ Marchio Tordezilla, Comes Due- «
guæ cum vxore ac equitibus Salamanca, Prorex Iacobus Mendoſa «
Valencia, quaque ratione horum Procerum loco receperint ſartores, fa- «
bros ferrarios,tormentorum fuſores,ſicarios, decoctores, ac ſimilis fari- «
næ homines,in immenſum creſceret oratio. Miſera Hiſpania,quò te tui «
perduxêre alumni? Hæc inter alia ibi.Nempe initio menſis Nouembris «
Cæſar per diſpoſitos equos vnum è Secretariis cum Diplomate in Hi-
ſpaniam miſerat, quo per vniuerſum Regnum ſuo nomine rei bellicæ
præficiebat Fredericum Henricum, Medinæ Rio ſecco Ducem,Caſtel-
læ Ammiralem, ac cum eo Ignicũ Velaſcum Caſtellæ Comeſtabilem,
qui omnibus conſiliis Cardinalem adhibuere. Erant Medinæ Rio ſec-
co, cum iis,Comes Benauenti,Marchio d'Eſtorga,Comes Aluæ,Comes
Lunæ, multique alij Proceres, viriq; Nobiles:qui videntes ſummam re-
rum rebelles ad ſe trahere,fortunas corporaque Regi offerebant.Promit-
tunt & Corduani equites mille, pedites decem mille, aut, ſi Præfecti iu-
beant,per ſe bellum rebellibus facturos promittunt.Ex octodecim enim
Hiſpaniæ Prouinciis ac vrbibus, quæ in generali Ordinum conuentu
ſententiam dicunt, quatuor tantùm ſincerè fidem ſeruabant: Seuillia,
Cordua, Granada, ac Andelouzia. Ceteræ aut pro maiori parte, aut in
vniuerſum defecerāt. Sed à poſtrema hac Gueuaræ Legatione ad ſanita-
tem rediêre Burgij,Petrus Gizonius,ac Petrus Laſſus. Intereà Regiæ co-
piæ in vnum coibant; erigique Medinæ Rio ſecco Ammiralis iuſſerat
medio foro ligneam ſcenam, in qua cum præcipuis ſedens Proceribus,
voce Legati Caſtrenſis pronuntiari iubet, Nobiles,ignobileſque omnes,
qui ante decimum quintum Nouembris diem è rebellium caſtris ad
Regia non tranſiiſſent, rebelles proditores haberi, ac eodem tempore
publicatis bonis proſcribi.Inſtructus ferè exercitus Regius erat, cùm Pa-
diglia ac Brauius,eductis Tordeſilla copiis,ad oppugnandam Villapan-
dam proficiſcuntur: quo Ammirali ac Comeſtabili nuntiato, cum Re-
giis copiis Tordeſillam aduolant. Mittitur bis ad oppidum tubicen,
qui Regi Carolo portas aperiri iubeat. Recuſant, additis contumeliis &
conui-

Alium è palatij feneſtra eiiciunt.

Exactis Regiis Præfectis, homines ignobiles ſubſtituunt.

Conſtituũtur duo belli ſummi Duces à Cæſare: hinc arma seriò contra rebelles ſumpta.

Et quidem ex octodecim vrbibus, quatuor tantùm in fide manſerant.

Edicitur, quiſquis ante 15. Nouembris ad caſtra Regia non tranſeat, perduellionis reus ſit.

conuitiis. Producunt Regij tormenta, quatitur ſine intermiſſione per 1520
quinque horas murus vetus, debili aggere fultus; factóque magno hiatu, inuaſionis ſignum proponitur. Erant in oppido trecenti tantùm illi rebelles Sacerdotes præſidiarij, qui cum ciuibus ſe ſtrenuè defendebant; ſed tandem Regij in oppidum vi peruadunt, Padiglia propter Ammiralis celeritatem opem ferre non valente. Periêre è rebellibus circiter ſexcenti, ac ferè omnes rebelles Sacerdotes; ex Regiis circiter ſexaginta: qui quòd nondum omnes copiæ conueniſſent, relicto Tordeſillæ iuſto præſidio, Medinam Rio ſecco reuertuntur. Intereà ab vtraque parte conueniunt auxilia. Habebant rebelles quatuor millia veteranorum peditum, ac quingentos equites lancearios; ſubmiſerant rebelles ciuitates circiter viginti millia peditum tyronum, ita vt triginta millia virorum recenſerent. Regij habebant trecentos lancearios equites ordinarios, totidẽ leuis armaturæ, quadringentos equites Genetzarios, Nobiles voluntarios bis mille quingentos, pedites veteranos circiter quinq; millia cum totidem tyronibus, in itinere proximè aderant plures, ita vt octodecim millia armatorum Regij in aciem parata haberent, exceptis transfugis, quorũ numerus indies magnus erat. His tamen non obſtantibus, Ammiralis ac Comeſtabilis variis adhuc rationibus, vt ſine pugna ab armis diſcederetur, adnitebantur. Demum cùm Regij iis extorſiſſent pacis conditiones, ſi
„ non accipere, ſaltem præſcribere vellent; audi Legiſlatores: Regios Præ-
„ fectos, Conſiliarios, ac Iudices loco vbique moueto. Petrus Laſſius Ca-
„ ſtellæ Prorex eſto, minoreſque Præfectos, Conſiliarios ac Iudices ex
„ arbitrio conſtituito. Cardinalem cum omnibus Belgis Hiſpania pellito.
Tandem inſtantibus Kal. Decembribus haud procul Medina de Campo Regius ac rebellium exercitus caſtra conferunt; & paulò pòſt cùm Padiglia pedites ſuos ab equitatu Regio premi conſpiceret, feſtinare gradum iubet, vt ſub Villalaræ munitionibus inſtructa acie confligerent. Daturus igitur peditatui tempus eò perueniendi, coacto in vnum omni rebellium equitatu, ac cum Ioanne Brauio in prima acie ſuis animandis obequitans, tandem magno impetu Regios equites inuadit, præliumq; committit. Sed cùm impar numero & virtute, aliquamdiu tamen ſtrenuè decertaſſet, peditatu deſtitutus laborare incipit. Fuſi igitur fugatique cum omni equitatu Padiglia ac Brauius inter primos pugnantes capiuntur; ceteri in varias partes diſpalantur. Pedites equitum ſuorum cladẽ perſpecta, cùm primæ acies ad Villalaram perueniſſent, ceteræque vim ſolæ ſuſtinere nequirent, cæſis promptioribus, arma proiicientes, vitam veniamque deprecantur, ac concedente Ammirali impetrant. Magnus numerus capitur; maior effugit, cecidêre circiter bis mille. Padiglia ac Brauius aſinis ad ludibrium impoſiti per caſtra circumducuntur. Mox

Occupant armata manu Regij Duces Tordeſillam.

Rebellium exercitus ad triginta millia, Regiorũ octodecim millia.

En rabiem prorſus ſimilem noſtræ poſteà Belgicæ.

Rebelles inſigni prælio à Regiis ſuperantur.

Cæſi circiter bis mille, plures capti.

vrbium

1520 vrbium oppidorumque pars maior quæ rebellarat, animis fracta pacem petit; ac non exiguas pecuniæ summas numerantes impetrant, promittentes se rebellionis Duces omnes quos possint, redituros. Quo illi intellecto, ex omnibus locis fugam Franciam versus instituunt. Sed pars maior capta, carnificum manu periit. Zamoræ Antistes ad Francorum Regem cum multo auro contendens, in Nauarra captus ac spoliatus ad arborem strangulatur. Ioannes Padiglia, ac paulò pòst eius vxor Maria Pacæca cum Ioanne Brauio à carnifice sunt cæsi, corporaque in quatuor partes secta: Petrus Gironius ac Petrus Lassus, cum plerisque aliis, qui instante pugna ad Regia transierant castra, Oranę Africę oppido Hispanici iuris, certis annis exulare, ac contra Mauros militare sunt iussi. Rebellabāt tamen adhuc Valentiani, de quorū fortuna agemus anno 1522. Dum hac ratione inter Hispanos ciuili bello sæuitur, Francorū Rex Franciscus, occasionem repetendi Nauarræ Regnū non amittendam ratus, rupta pace, Andream Lopensem Asparotti Dominum, ac Tornouium cū instructissimis copiis, hunc equitatui, illum peditatui præficiens, in Nauarram mittit: qui vniuersi ferè eius Regni ciuitates cum vrbe primaria Pampelone (olim Pompeiopoli) in potestatem redigunt; promotisque ad Iberum vsque amnem copiis, Longronnium obsidione cingunt: maioremque Hispaniæ cladem intulissent, nisi deuictis paulò antè rebellibus,
1521 Ammiralis ac Comestabilis menseMaio anni proximi 1521. eò victorem exercitum conuertissent. Exercitu Iberum traducto, Francos in Nauarræ finibus assequuntur. Primo impetu in aliquot peditum Hispanorum cohortes equites Franci inuecti eos sternunt, funduntque, sed mox à circumducta Hispanici equitatus acie, immiscentibus se expeditissimis peditibus, acriter Franci equites oppugnati, tandem solutis ordinibus in præcipitem fugam aguntur. Nec melior Francorum peditum fuit conditio contra pedites Hispanos veteranos. Periêre è Francis circiter quatuor millia septingenti, capto vtroque Duce. Sed Asparottus, contusa casside fermè excæcatus, opera Comitis Beneuenti, ingenti promissa pecuniæ summa dimittitur; cuius auari facinoris pœnam posteà Cæsaris sententia exilio luit. Turnonius Dux alter honesta custodia fuit detentus. Pugnatum est mensis Augusti die vigesimo quarto. Atqui tum primùm Cardinalis Prorex Burgos reuerti est ausus; habebant tamen adhuc Franci Fontarabiam, ac alia Cantabriæ loca. Eodem hoc anno 1521. mense Aprili Lutherus, accepta à Cæsare fide publica, Wormatiam ad Principum Comitia venit, ac coram omnibus noua dogmata propugnare conatur. Vbi cùm à variis doctis viris disertè ac sufficienter ei esset responsum, nec tamen quidquam à sententia discederet, dimissus mense Maio proscribitur, cùm anno superiori 15. Iunij Romæ à Papa Leone Decimo

Multa vrbes pecuniâ à Regiis pacem redimunt rebellium Ducibus in Franciam fugientibus.

Rex Francia interea hac Nauarra recuperanda incumbit, & Pampelonem capit.

Acris pugna in Nauarra inter Hispanos & Francos, cæsis Francorū quatuor millibus.

Habebant tamen adhuc Franci Fontarabiam & alia quædam loca.

Decimo ſacris ei eſſet interdictum. Edictum, quo ipſe tamquã pertinax hæreticus, eiuſque libri & fautores condemnantur, mala fide refert Metrius f. 10. & 29. quaſi nulla exceptio fuiſſet contra delatores, modò eſſent Catholici, ſicque morte ſine commiſeratione homines plecterentur, & nulla auctoritas Iudicibus eſſet ſententiæ mitigandæ. Nam Edictum tunc editum nõ aliud habet, quàm vt contra eum eiúſq; fautores, ſecundùm conſuetudinem Banni Imperialis, legeſque antiquas dudum contra hęreticos latas, procedatur. Et moderatiſſimè in Belgio eos initio fuiſſe habitos, patebit ex Edictis duobus ad annos 1526. & 1529. infrà recenſendis. Initio huius Conuentus moritur Wormatiæ Guilielmus Crouiacus Archipręſul ac Cardinalis Toletanus, ſequiturque eum menſe Maio alter Guilielmus Crouiacus Cheuræ Dominus, in quem tantopere fremebant Hiſpani; eodemque menſe Ferdinandus Cæſaris frater Lintzij Auſtriæ in vxorẽ ducit Annam Ludouici Bohemię ac Hungariæ Regis ſororem vnicam, Ludouicus verò Budæ Mariam Ferdinandi ac Cæſaris ſororem, inuicem, viuo Rege Vladiſlao ac Cæſare Maximiliano deſponſatas. Apud Belgas etiam hoc anno inter Cæſarem ac Francum acerrimè bellum gerebatur. Robertus enim Marcanus, initi cum Cæſare fœderis pœnitẽs, clàm nouum cum Franco, ab eo ſollicitatus, iniit; quærenſque belli cauſam, Aimeriæ Regulo Cæſaris clienti (ob priuatas controuerſias ac poſſeſſionem oppidi Hiergæ) bellum infert. Petit Aimerius, accipitque à Cæſare auxilium, Marcanus à Franco. Rupta hac ratione inter Reges pace ſub exitum Comitiorum Wormatienſium, Cæſar iuſtis conſcriptis copiis, iis Henricum Naſſauij Comitem, ac Franciſcum Sickingium præficit. Francus etiam, collecto exercitu, Carolum Borboniæ Ducem imperare ei iubet. Naſſauius ſtatim in Lutzenburgios cõtra Marcanos proficiſcitur, expugnatque ac diruit Lognium, Iamertium, Fleurengam, Sancerum, Eſdainum, Mouſoncurtium, ac Bullonium, captoſque Præfectos ac præſidiarios omnes ſtrangulari iubet. Paulò pòſt cum Marcano in ſex hebdomadas facit inducias; cumque capta oppida præſidiis muniiſſet, cum exercitu contra Francos profectus, oppidũ Maſeriam ad Moſam ſitũ obſidione cingit, ac per quinque hebdomadas, propugnante ſtrenuè Baiardo, fruſtrà oppugnat, Cæſarianis magno numero alui fluxu intereuntibus. Quare tandẽ, deſerto oppido, in Belgium reuertit. Rex quoque Franciſcus, recepto Muſonio, Hannones ac Atrebates depopulabatur: Borbonius ſuis cum copiis Heſdinũ cum arce occuparat, Rentiacum cum aliquot aliis caſtellis deditione receperat. Ab alia parte Marcanus clàm à Geldro adiutus, finitis induciis, è Leodiis Brabãtos ac Namurcæos vaſtabat. Sed econtrà Flandri diu obſeſſum cum arce Tornacum pridie Kalend. Decembres deditione receperunt, inauguratuſque

1521

Lutherus vt pertinax hæreticus in Comitiis Wormatienſibus à Cæſare proſcribitur.

Liberatur Edictum Wormatianum à calumniis.

Ferdinandus Cæſaris Caroli frater ducit Annam Hungaricam.

Francus & Cæſar iuſtis inuicem copiis adoriri parant.

Fruſtrà obſidẽt Cæſariani Maſeriam Francicam.

Captis nõnullis à Francis in Arteſia, Flandri viciſſim Francos Tornaco diſcedere cogunt.

1521 tuſque eſt ibi nomine Cæſaris 14. Kalend. Ianuarij Henricus Naſſauius.
Nec minus bellum erat eodem anno in Italia inter Cæſarem & Francorum Regem, Pontifice Leone dudum neutri parti accedente. Tandem animum pro Cæſare his legibus nudat: Eccleſiæ Romanæ dignitatem „ defendito. Francos Italia pellito. Franciſcum Sfortiam in Ducatum „ Mediolanenſem reſtituito. „

Cæſar Pōtifexq́; iunctis viribus Francos Parma Placētiaq́; deinde & Mediolano eiiciunt.

Coniunctis itaque poſt hæc Cæſar Pontifexque viribus, Francos Parma Placentiaque eiiciunt, haſque ciuitates Eccleſiæ Romanæ reſtituunt. Menſe Aprili Cæſariani ad Bicoccam memorabili prælio Heluetios Francoſque ſuperarant, quo tria Heluetiorum millia, ac viginti duo ordinum ductores cecidere; ac deinde menſe Nouembri Mediolanum capiunt, ac tandem Franciſcum Sfortiam in Inſubrum Ducatum, quem continuis ſex annis Franci poſſederant, reducunt. His feliciter geſtis Leo Papa 4. Nonas Decembris moritur anno ætatis tantùm quadrageſimo quinto. Vacat Sedes menſe vno, diebus ſeptem; tunc eligitur abſens Hadrianus Florentij Vltraiectinus, Cardinalis Derthuſenſis, Hiſpaniæ Prorex. Hoc eodem anno cùm diuiſi inter ſe Tranſiſulani Belgæ inquietè agerent, tandem à ceteris Swollani deficientes,

Quin & ciuilia tūc bella inter ciuitates Tranſiſulaniæ.

ſociis bellum inferunt: quo ſtatim inferiores, inito cum Geldro fœdere, auxilia ab eo accipiunt. Dauentrienſibus verò Vltraiectini neceſſaria tranſmittunt, non exigua inuicem inferentes damna. Groningani Geldro ſubiecti, huius quoque belli incommoda ſentiebant, inſigniter à Tuickelio, quem Philippus Burgundus Vltraiectenſis Epiſcopus Couwardo præfecerat, vexati. Iuſto enim ab Epiſcopo accepto præſidio, Dammum occuparat, ac quotidie ad portas vſque Groninganas excurrebat, Oltamptios verò ceteróſque Ommelandios ad menſtruum ſibi ſoluendum tributum compulerat. Contra hunc menſe Martio anni
1522 proximi 1522. Gelder, coactis ſuis Francorúmque quas à Marcano acceperat copiis, Marſchalcum mittit. Accedunt paulò pòſt noua à Francorum Rege, duce Michaële Panera, miſſa auxilia;

Geldrus fruſtrà Steenvvicam oppugnat, econtr à Cæſariani, eiectis Geldris, Stauera potiuntur.

qui coniunctis viribus Steenwicam Tranſiſulanæ ditionis oppidum fruſtrà aliquoties oppugnant, non paucis, ac inter hos Panera, deſideratis. Ab altera parte Weſtfriſij Cæſaris partes ſecuti Staueram eiectis Geldris occupant, iuſtoque relicto præſidio muniunt. Tum non paucis inſtructis nauibus, agros oppidorum ad Sinum Meridionalem à Geldris inſeſſorum inſigniter deprædantur. Geldri in continente par referebant. Nam Leidanos, eorúmque vicinos atrociter euaſtant, ingentémque prædam maioris pecoris abigunt.

Multævbique populationes à Geldro.

Cumque matura æſtate Antiſtes Vltraiectinus propter ingentes ſumptus maiorem militum partem dimiſiſſet, Geldri ac Groningani, coniunctis viribus, Couwardum cum arce capiunt, Tuickelium in vincula coniiciunt. Intereà Cæſar iter in Hiſpaniam parans, Middelburgi Zelan-

1522

gi Zelandiæ classi centum quinquaginta nauium, quatuor millia Germanorum ac duo millia Belgarum peditum imponit, sequentibus non paucis voluntariis. Iubentur Hamptonij Angliæ oppido Cæsarem expectare. Is verò vigesima quarta Maij Brugis Flandriæ terrestri itinere profectus Niportum, inde Dunkerkam, tandem Caletum venit, exceptusque est magno cum honore à Regis Angliæ Legatis ac oppidi Magistratu, qui ad secundum vsque milliare obuij processerant. Postero die conscensa naui (quòd hinc breuissimus in Angliam sit traiectus) spatio quatuor horarum Caleto Doueram in Angliam appellit. Paulò antè Henricus Octauus Angliæ Rex Cæsari ingens auri pondus ad bellum Italicum mutuò dederat; indixeratque & Franco bellum, posteaquam ei Cæsar centum triginta millia aureorum florenorum quotannis addixisset, quæ Francus pacis tempore Anglo soluere erat solitus; ac ad amicitiæ perpetuitatem Cęsari filiam Mariam septennem despondet. Paucis paginis pompa describi non posset, quam Cæsari Londinenses Regis iussu apparauere. Cùm integrum ferè mensem Cæsar in Anglia hæsisset, quarta Iulij post meridiem classem Hamptonij se expectantem conscendit, posteroque die summo manè è portu soluens, decimo sexto Iulij in portum D. Andreæ apud Astures classem intulit, vnica & hac profectione naui fortuito igne absumpta. Summo cum gaudio à Proceribus exceptus, fit certior, in Biscaia ac Catalonia suos contra Francos victoriam obtinuisse, cæsis octingentis, multis captis, recepisse suos, fugientibus Francis, Beouiam ac Maiam arces munitas; esse spem ipsam Fontarabiam breui in potestatem concessuram. Iis igitur qui Fontarabiam premebant, in auxilium mittit Cæsar quatuor millia Germanorum peditũ; conscriptisque nouis Hispanorum peditum aliquot cohortibus, eos classi in Belgium rediturae imponit, Regi Angliæ contra Francos traiecturo cum Belgis auxilio futuros. Deinde Cæsar vigesimo sexto Iulij Aguillaram venit, inde Harcelam, tum Malgaram, vbi Pontificis Adriani Legatum audiuit, de felici nauigatione gratulantem, significantémq; Pontificem iamiam in Italiam traiecturum, cupere non parum Cæsarem ante discessum conuentum. Sed cùm id commodè fieri non posset, renuntiari ei per suum Cæsar iussit Legatum, ne ea de re anxius iter retardaret. Tum Cæsar per omnes Hispaniæ ciuitates missis litteris Ordines Proceresque Palensam iubet conuenire. Adest ipse quarto Augusti. Hinc vigesimo sexto Augusti Valledoletum veniens, incredibili honore ac pompa ab omni Ordinum genere excipitur; spectacula verò ea erant ratione composita, vt culpam rebellionis deprecari viderentur. Postridie Kalend. Septembris Tordesillam intrat, matremque summa cum reuerentia salutans, pro patre Philippo Anniuersarium Deo Sacrificium fieri

Cæsar in Hispaniam profecturus, primò in Angliã traiicit.

Firmat amicitiam cum Anglo annuè ei promissis centum triginta aureorũ millibus, loco eorum quos Anglus à Franco accipere consueuerat.

Appellens in Hispaniam, mox audit suos victoriam obtinuisse cõtra Francos in Biscaia.

Adrianus Cardinalis Hispaniæ Prorex, Papa electus, in Italiam iter adornat.

Matrem Tordesillæ Cæsar inuisit, & pro patre Philippo Anniuersarium celebrat.

 ri

1522 ri iubet, egenisque liberaliter aurum diuidit. Nonis Septembris Valledoletum reuertens, per litteras fit certior, Papam Adrianum Sextum Genuam appulisse, summoque cum honore exceptum, inde Romam ingressum. Decimo sexto Kal. Nouembris docetur, Henricum Angliæ Regem cum duodecim millibus peditum, ac mille quingentis equitibus, iustoque tormentorum apparatu in Belgium traiecisse, iunxisseque se ei bis mille Hispanos pedites, ter mille Germanos, ac sex millia Belgarum peditum cum mille septingentis equitibus, vniuersamque Picardiam flamma ferroque vastari, quò Regem Franciscum ad pugnam traherent. In Germania res etiam non admodum quietas esse intelligit, quòd Franciscus Sickingius Lutheri sectæ addictus Archipræsuli Treuirensi, Ludouico Palatino, ac Philippo Hassiæ Lant-grauio bellum intulisset, haud dubiè opera & pecunia Francica; sed tandem eum à Ferdinando fratre Cæsaris & Legato ceterisque Imperij Principibus proscriptum, obsessumque in propria arce Neustella, ibique tormenti globo casu occisum, ditionemque eius omnem esse occupatam. Eodem tempore Margarita Austriaca Cæsaris amita, Burgundiæ Comes, cum Ordinibus Ducatus Burgundiæ, vt neutrius essent partis, côuenerat, consentiente Francorum Rege. Quare vt Cæsar idem permitteret, petebat, quod ille amitæ sine vlla difficultate tribuit. Deinde fit certior, fratrem Ferdinandum, rebus in Austria ex voto constitutis, viros octo Nobiles, præcedentis rebellionis Duces capite puniisse: obsedisse Turcas in Carniola munitissimam arcem, congressosque cum eis Austriacos tria millia interfecisse, ceteros in fugam egisse: postremò litteris Legati Papæ Adriani, qui in Francia erat, intelligit Francorum Regem ingentem belli facere apparatum, vt proximo vere Mediolanum inuadat, Cardinalem Sedunensem sui studiosissimum diem obiisse. Fine mensis Octobris, cùm Valledoleti in foro Proceres, ac Legati Hispaniæ, Italiæ ac Belgij, ludicro equestri certamine inter se decurrerent, ignotus Cæsar non semel fortiter cum prestantissimis concurrit; tandemque agnitus, animosi Principis nomen, magna omnium, qui spectarant, cum admiratione ac gaudio meruit. Kalendis Nouembribus certis legibus Castellæ rebellibus gratiam facit, seuerè auctoribus punitis, inter quos Cingalæ capti fuerant Maldonatus ac Petrus Pimentellus, qui hoc tempore cum ceteris, publicatis bonis, capite sunt plexi. Valenciani etiam hac gratia paulò pòst sunt comprehensi. Miserant enim ad Cæsarem Legatos, asserentes se numquam contra eius Maiestatem, nisi propter tyrannicas oppressiones Proregis Mendosæ fuisse rebellaturos. Sed quòd hæc Legatio non esset totius Regni Valenciani, parum eis ad rem Cæsar respondit. Quare duodecimo Nouembris omnium nomine quatuor Legatos mittunt, qui corpora, fortunas,

Angli & iūcti Belgæ vniuersam Picardiam flamma & ferro vastant.

Pullulat & in superiori Germania bellum.

Nuntiatur Cæsari Francum se apparare vt Mediolanum recipiat.

Tandem plena gratia rebellibus Castellanis facta, seuerè tamen punitis aliquot primariis.

nas, vrbes, arcesque, nihil de eius clementia dubitantes, Cæsari in ma- 1522
nus constituêre, vnum rogantes, amoto Prorege Mendosa, aliquotque
Pręfectis, alios substitueret, iusque ipse de eorum iudiciis faceret. Exin-
de Alzairam ac Sciatiuam cum arcibus in eius potestatem constituunt;
vbi etiamnum Ferdinandus Arragonius, Calabriæ Dux, filius Frederici
Regis Neapolitani, honesta detinebatur custodia. Tum Iacobum Men-
dosam gubernatione mouet, eius loco substituens Germanam Foxęam,
viduam Regis Ferdinandi aui materni, ei in matrimonium iungens di-
ctum Ferdinãdum Calabriæ Ducem, quòd rebellibus, etsi sæpè rogatus,
numquam se iungere voluisset. Nono Decembris intelligit Cæsar, suum
Angliæque Regis exercitum apud Belgas peste aluíque fluxu coactum,
posteaquam per duos menses frustrà Hesdinum oppugnasent, domum
re infecta abiisse; Francósque Terowanæ, à Cæsarianis ad extremam
ferè inopiam redactæ, de commeatu affatim prouidisse. Die 25. Decem-
bris Rhodus insula nobilissima, post grauissimam obsidionem, Equiti-
bus Hospitalariis S. Ioannis à Solimano Turcarum Imperatore eripitur.
Atque eodem anno Christiernus Daniæ, Nouergiæ & Sueciæ Rex,
cùm impotenter Rempublicam administrasset, Frederico Holsatiæ Du-
ce eius patruo, ac Lubecensibus in ipsum arma sumentibus, Regnis pelli-
tur, cum vxore Isabella Caroli Cæsaris sorore, ac liberis. Post quem Fre-
dericus à Danis & Noruegis, Gostanus verò Stenonis Sturij senioris ne-
pos, à Suecis Reges salutati sunt. Anno 1523. Angli Belgis iuncti, posita 1523
superiori anno contra Francos arma resumunt. Rex Francus contrà, mit-
tit Tramulium cum quingentis grauis armaturæ equitibus, ac peditum
decem millibus, substituto ei in Burgundia Guisiæ Comite. Tramulius
nouas copias veteribus coniungens, prælio tamen cum Anglis ac Belgis
certare non audebat. Habere enim in exercitu vltra triginta millia ar-
matorum dicebantur. Tramulius ad Fanum D. Quintini munitis ca-
stris sedebat, Monstreulio, Terowanæ ac Dorlano firmis præsidiis
munitis, de commeatu abundè prouiderat. Præerat Belgis Floren-
tius Buræ Comes, vir strenuus, Anglis Nortfolcij Dux, bello parum
exercitatus. Hi motis ad Somonam castris, occupant exuruntq; Braiam,
Roiam, ac Mondiderium; Parisiensibus, à quibus vndecim tantùm mil-
liaribus aberant, non parum turbatis. Intereà Tramulius iusto cum præ-
sidio Comitem Damp-Martinum Nouiodunum, Montimerium ac
Humerium Peronam, aliosque ad alia vicina oppida defendenda mit-
tit; ipse Corbeiæ se continebat; certatumque est sæpè velitariis pugnis,
Francis vniuersi prælij aleam studiosè vitantibus. Haud procul Corbeia
Pondormius equestri prælio superatus, ægrè Ambianum effugit, fratre
ac nepote in Cæsarianorum potestate cum triginta equitibus relictis,

Demum & Valentiani Cæsari reconciliantur.

Angli & Belgæ peste aluiq; fluxu coacti, relicta oppugnatione Hesdini & Terovvanæ, domum redeunt.

Rhodus à Turcis capitur, eodémque hoc anno Danus Regnis suis pellitur.

Iterũ Angli cum Belgis ad oppugnandam Picardiam prodeunt.

Occupatis nonnullis locis Parisium vsque excurrunt.

Vitant Frãci vniuersi prælij aleã.

1523 desideratis verò septuaginta. Paulò pòst Vendomius nouis cum copiis Tramulio in auxilium proficiscitur. Quare Belgæ ac Angli verentes, ne à duobus exercitibus interclusi fame periclitarentur, motis castris, in Belgium contendunt, mensèque Nouembri dimissis copiis præsidia augent. Eodem hoc anno Margarita Austriaca Gubernatrix res Frisicas animo non deponens, eò cum iustis copiis Ioannem Wassenarium ac Georgium Sceinckium misit: quibus cùm se Meursij Comes, ceterique Geldri impares conspicerent, milite in loca munita distributo, in Geldriam proficiscuntur. Tum Wassenarius ac Sceinckius copias Worcomium Frisiæ ducentes, paulò pòst oppidum cum arce expugnant, deditionem faciente Moccomezila ac Woldezenda. Hinc contra Zeuenwoldios profecti, omnes pacem accipere, Cæsarique sacramentum dicere cogunt, iuuentute etiam omni voluntariè nomina dante, ac ad Wassenarij castra transeunte. Vires Groningani ac Geldri contulerant, acie cum Wassenario certaturi, nisi Zeuenwoldiorum auxilia ei accessisse intellexissent. Quare festinato itinere, Westfrisiam relinquentes, Groningam contendunt. Insequuntur Cæsariani per Miltwoldiam, Zuthornam ac Northornam; vbi castra ponentes, litteras ad Ommelandios mittunt, iubentes, accepta fide publica, ad Cæsaris castra tutò veniant, sacramentumque dicant. Parent Ommelandij, dictoque sacramento, in satisfactionem præteritæ culpæ triginta duo millia aureorum florenorum persoluêre. Idem faciunt Achtcaspelij, ac Columerlandij, veniam in genua proiecti à Wassenario Cæsaris Legato petentes, semelque in parata pecunia præsentantes, quantum Geldro quatuor continuis numerarant annis. Hinc Cæsariani Doccumium contendunt, ac post tertium obsidionis mensem ea lege ad deditionem cogunt: Præsidiarij, rebus " omnibus ablatis, quò vellent, abirent, tormenta cum apparatu relinque- " rent. Qui cuperent, dicto Cæsari sacramento, saluis fortunis, manerent. " Sæpè Geldri terra marique Doccumenses iuuare erant conati, sed semper cum detrimento fuerant repulsi. Septembris die vigesimo septimo Geldri Steenwikum ditionis Transisulanæ oppidum astu occupant, diripiunt, ac muniunt. Alia eorum manus, Francica præferens signa, magna damna Hollandis iuxta Leidam, Amstelrodamum ac Goudam infert. Transtulerant Cæsariani castra Doccumio Slotam, oppidum munitum, à iusto Geldrorum præsidio defensum. Oppugnatur sæpè diuersis irrito euentu locis, multis cadentibus viris fortibus, ac Wassenario Sceinckioque postrema oppugnatione, quæ vehementissima fuit, vulneratis. Sed mense Nouembri, quòd nullum mitteretur auxilium, Doccumensium conditionibus deditionem faciunt. Qua de causa ij qui Lemmerij in præsidio erant, relicta munitione Steenwikum se conferunt,

Munitis finibus Belgæ & Angli mense Nouembri in hiberna discedunt.

Wassenarius & Sceinckius Worcomio Frisiæ occupato, Zeuèvvoldios quoque pacem accipere cogunt.

Dedunt se etiam Cæsarianis Ducibus Ommelandij, Achtcaspelij ac Columerlandij.

Domatur & Doccumium post tertium obsidionis mensem.

Item Slota Cæsarianis cedit.

runt,incolæ verò Cęsari sacramentum dicunt.Exinde reliqui Geldri,qui 1523
in Westfrisiæ munitionibus in præsidio adhuc erant, facta deditione,
cum omnibus rebus abeunt, vniuersamque Westfrisiam Cæsari relin-
quũt.Wassenarius ac Sceinckius omnes deinde vires è Frisia cõtra Steen-

Geldri quoque spoliatum Steenvvikum Cæsarianis relinquunt.

wikum conuertunt.Sed Geldri vim expectare non ausi,antequam obsi-
derentur,iterùm direptis oppidanis, cum præda Geldriam petunt. Was-
senarius,relicto iis in locis cum copiarum parte Sceinckio, abeuntes ho-
stes incitato passu sequitur, ac haud procul oppido Geldra assecutus,
cùm exiguo tempore postremi pugnam sustinuissent, tandem in præci-
pitem fugam agit.Maior pars in oppidum ac in proximas siluas effugit:
cecidere circiter septingenti,capti ducenti,ac inter hos Franci non pauci;

Wassenarius dum vulnus curatum, curiosiùs curari desiderat, moritur vltimus eius stirpis nobilissimæ.

signa multa relata.Wassenarius,vt diximus, in oppugnatione Slotana in
dextro brachio sauciatus erat,sanarique vulnus satis accuratè curarat,ni-
si quòd cubiti os solito more mouere non posset. Repertus est Chirur-
gus,qui se restituturum cubito veterem vsum promittebat. Committit
se illi temerè Wassenarius, & aperiri cicatricem permittit. At dum re-
media Chirurgus neruis musculisq; adhibet, putrescens vulnus inflam-
matur: cui cùm remedium non reperiretur, ad interiora vis mali ser-
pens, robustissimum virum secundo Nonas Decembres in oppido Le-
warda è viuis sustulit. Defecit in eo nobilissima Wassenariorum fami-
lia, quòd duas tantùm ex vxore reliquerit filias, hanc Lignæo Comiti,
alteram Lumæi Domino,è Marcanis orto,nuptam.Mense Augusto hu-
ius anni Cæsar cum Papa & Venetis fœdus contra Francos paulò antè

Borbonius à Franco ad Cæsarem deficit.

conceptum iterùm stabiliuit,Neapoli,Mediolano,totique Italiæ defen-
dendæ:quo tempore Borbonius à Franco ad Cęsarem defecit, vt ferunt,
à Rege neglectus, quòd Ludouicæ matris Regis effœtæ nuptias refuge-
ret. Goufferius Mediolanum tendens, à Prospero Columna, ceterisque
Cæsaris Ducibus ita est exceptus,vt hac vice,nulla re memorabili gesta,
sed compluribus viris fortibus desideratis, inglorius in Franciam redi-

Moritur Adrianus Sextus Papa,succedẽte Clemente Septimo.

ret. Postridie Idus Septembris obiit Papa Adrianus Sextus Vltraiecti-
nus. Successit illi 19. Nouembris Iulius Medices Clemens Septimus di-
ctus. Sub initium anni 1524. Cæsar auctis suorum, qui Fontarabiam
in finibus Hispaniæ & Galliæ dudum obsidebant, copiis, maioreque
submisso tormentorum apparatu, oppidum, commeatu, milite ac tor- 1524

Cæsariani post longam obsidionem tandem Fontarabiam recipiunt.

mentis instructissimum,concessa pręsidiariis salute,rerumque omnium
libertate,ad deditionem compulit. Cùm enim, supina Præfecti Fraugeti
negligentia, necessario quodam loco oppidum non satis esset munitum,
traductis eò Cæsariani magno cum labore, contraque omnium opinio-
nem, tormentis, Præfectum ac præsidiarios adeò terruêre, vt de defen-
sione desperantes, honestis, vt existimabant, conditionibus deditionem

1524 facerent. Fraugetus in Franciam reuersus, Lugduni iussu Regis Francisci publicè ignominia notatur, ac deinceps vnus è plebe esse iubetur. Huius anni æstate Groningani edocti maximam partem suorum Senatorum pecuniarias in singulos annos pensiones à Geldro accipere, singulæ Tribus in ciuitatis Senatum legunt certos homines, qui omnibus interessent consiliis, æquaque cum ceteris potestate sententiam dicere possent.

Geldrus ad occupandam Trãsisulaniam animum adiicit, sed frustrà.

Gelder Westfrisia exactus, ad occupandam Trans-Isulaniam animum adiicit, perque speciem amicitiæ Swollam veniens, multis cum Senatu verbis agit, exiguum à se præsidium acciperent, clàm iustam manum, quæ haud procul aberat, nocte, ciuium quorumdam auxilio intromittere parans. Sed detectis insidiis, altero die egreditur, ac maiores in vnum cogens copias Swollam reuertit, certorum ciuium opera induci posse sperans. Verùm cùm nullus se moueret, insuperq;

Cæsariani vastant Bataniam Geldricam.

Cæsariani in Batauia Geldrica prædas agerent, ignéque sæuirent, relicta Swolla in Geldriam reuertit. Groningani, longo bello, cuius finem non videbant, defatigati, Bruxellam Brabantiæ mittũt Rodolfum Waterum, qui olim Florentio Buræ Comiti inter domesticos seruierat, eius opera apud Margaritam Gubernatricem Mechliniæ habitantem aliquot saltē annorum inducias impetraturi. Sed in annum vnum tantùm hac con-

Induciæ fiunt primùm cum Groninganis, deinde etiam cum Geldris.

ditione sunt concessæ, vt intereà cum Cæsaris Legatis de absoluta pace agerent: quod etsi amplexi fuissent, intercedente tamen Geldro mansit infectum, donec Cæsariani cum vtrisq; in annum inducias prolongant, rebus omnibus, in quo tum erant statu, permanentibus. Harum induciarum occasione milites à Geldro ac Groninganis exauctorati ad nouem millia in vnum coëunt; receptisque stipendiis Antistitis Bremen-

Harum induciarum opportunitate Episcopus Bremensis Westfrisiam & vicina loca populatur.

sis, ius actionemque in Frisiam frigidè allegantis, eò mittuntur; ac quòd induciarum fiducia Cæsariani militum partem in præsidia, partem contra Francos misissent, tantam vastitatem Westfrisiorum vicinorúmque agris intulere, vt cum superiorum temporum miseriis hæ non fuerint cõferendæ. Tormentorum inopia oppidis munitionibusque vim facere non poterant. Cumque nil ampliùs eorum auaritiæ in Westfrisia restaret, profecti in ditionem Vltraiectinam insigniter se saginant, donec militem contra se cogi intelligentes, in Transisulanos reuersi, Twentam ac Drentam depopulantur. Inde in Ommelandios ac Oltamptios contendentes, pecuniæ extorsione infamem vbique sui memoriam relinquunt, Cæsarianis conniuentibus, vt Groningani discerent, quàm imbecilli se subiecissent Domino Geldro. Inde in ditionem Monasteriensem intactam erant irrupturi, nisi equites pedites que ab Antistite conscripti impediissent. Tum in duas diuisi partes, vna, abiectis armis, præda turgens ad propria se contulit; alia quinque millia, seruatis armis, Isala transmisso,

misso, in Veluam Geldricæ ditionis contendentes, iuxta Vltraiectum 1524
(vbi ciues ingenti seditione laborare incipiebant) secreto Geldri ac Vltraiectinorum quorumdam assensu, aliquamdiu sine maleficio sederunt, velut expectantes cui nomina darent. Porrò initium seditionum Vltraiectinorum, quarum occasione paulò pòst aliis Belgis iuncti sunt, fuit istud: Nonis Maij huius anni electus Henricus Bauarus in Antistitem Vltraiectinum, & post quatuor menses inauguratus, mox agit, vt addictis sibi quinquaginta aureorum millibus pacem populo Trans-Isulano à Geldro redimeret. Dantur tabulæ 7. Idus Octobris. Sed heu quantæ turbæ pro quinquaginta millibus promissis conflandis! Per sex plus menses (ait Hortensius Secessionum Vltraiectinarum Scriptor) nullus habendorum Comitiorum finis. Principes Senatus erant Euerardus Saudenbalchus, Godefridus Vòrdius & Godefridus Rodenburgius; Ecclesiastici & Equestres censeri titulo tenus volebant, vt sæpè anteà; Principes Senatus obsistunt, & commendato agrorum censu sic populum sibi deuinciunt. Econtrà alij plebeios nonnullos conuiuiis & symposiis alliciunt, & contra seueritatem Saudenbalchianam instigant. Nam magna auctoritate ille populum regebat. Interim in Kalend. Nouembris & Kalend. Ianuarij, duabus pensionibus quatuor saltem millia ex domorum rusticarum censu collecta sunt. Mense Septembri eiusdem anni Borbonius & Piscarius Cæsariani Duces, mediocri peditum equitumque coadunata manu, Galliam Narbonensem inuadunt, Aquas Sextias recipiunt, locisque aliquot munitis expugnatis, ad Massiliam castra locant, productisque maioribus tormentis oppugnare incipiunt. Sed adueniente magnis cum copiis Francorum Rege, soluta obsidione, in Italiam eodem mense citato gradu reuertuntur. Rex verò iisdem cum copiis Alpes transcendens, Mediolanum capit, Ticinumque, quod Antonius Leua defendebat, acriter tota hieme premit. Itaque Cæsariani Duces Carolus Lanoius, Carolus Borbonius, Ferdinandus Daualus, Alfonsus Vastius, ipseque Antonius Leua, coadunatis vndique copiis initio anni 1525. die Februarij vigesima quarta post mediam noctem castra Regis Francisci, quæ in ferarum septo iuxta Papiam, olim
Ticinum, communita habebat, inuadunt, commissoque variis locis 1525
cruento acrique prælio, tandem fusis fugatisque Francis, eorúmque auxiliariis Italis ac Heluetiis, amplissimóque Franciæ Nobilitatis equitatu dissipato, memorabilem victoriam, capto Rege Francisco, octodecimque viris illustribus, aliisque nobilibus & ignobilibus quamplurimis in potestatem redactis, obtinuere, cæsis circiter decem virorum millibus, ac inter hos viginti Proceribus; è Cæsarianis circiter octingenti sunt desiderati, solúsque alicuius nominis Ferdinandus Castriota Fani D. An-

Vltraiectini inter se tumultuari incipiunt.

Quinquaginta tantùm aureorum millia colligenda erant; hoc tragici tumultus initium.

Scissi erant Senatores contra Ecclesiasticos & Equestres, volentibus Senatoribus omnes æqualiter conferren.

Borbonius & Piscarius Cæsariani Duces frustrà Massiliam oppugnare parant.

Francus capto Mediolano, etiam Ticinum seu Papiam tota hieme acriter premit

Vincunt Cæsariani Francos ad Papiam, cæsis circiter decem virorum millibus, capto simul ipso Rege Francisco.

1525 D. Angeli Marchio, & Hugo Cardona periêre. Vulnerati ſunt Piſcarius ac Leua. Itali Francos ita proſtratos à Cæſarianis conſpicientes, ingenti formidine corripiuntur, veteri Cæſarum in Italia Monarchia ob oculos verſante, ad quam Carolum Cæſarem aſpiraturum iam certò ſibi per-

Pontifex conſternatus fœdus cum Cæſare facit.

ſuadebant. Itaque Pontifex Clemens menſe Martio cum Prorege Lanoio, Cæſaris nomine ſtipulante, fœdus pacémque facit: quæ paulò poſt, vt dicemus, Cæſarianorum præpropera feſtinatione rupta eſt. Cæſar in Hiſpania, decimo Martij ipſius captiui Regis ac Proregis Lanoij litteris, de victoria certior factus, tanta moderati animi ſigna dedit, vt nec tor-

O verè modeſtum Cæſaris animum in tanta victoria!

menta in lætitiæ ſignum explodi, nec æra Campana ſonum edere, aut ignes feſtiuos flammeſcere voluerit, tantùm ad templum pergens Deo gratias agit, agíque ab omnibus iuſſit, egeníſque aurum liberaliter diſtribuit. Intereà Rex Angliæ Henricus conqueſtus Cæſarem victoria elatum ſe contemnere, filiámque olim illi deſponſatam, quæſita Luſitaniæ Regis ſorore, repudiare, cum matre Regis Franciſci Ludouica liberandi

Alienatur à Cæſare Anglus, & quare.

Regis cauſa fœdus facit. Et pro parte vera erat querimonia. Nam ante pugnam Papienſem Cæſar numquam Regi Henrico niſi propria manu exaratas mittebat litteras, cum hac ſubſcriptione, Tuus filius ac cognatus Carolus; poſt victoriam verò illam, aliorum manu ſcriptas ſubſcribebat, Carolus. Quare, dum Francia (alienato à Cæſare Anglo) animum recipere incipit, Prorex Lanoius, inſcio Borbonio, Piſcario, aliiſque Præfectis, Regem captiuum id ſummopere expetentem, Genuam firmo perducit præſidio, vt inde conſcenſis triremibus Neapolim cuſtodiendus (vt vulgabatur) nauigaret. Sed cùm triremes, Hiſpano tantùm mi-

Ducitur Rex captiuus ad Cæſarem in Hiſpaniã.

lite repletæ, in altum eſſent euectæ, ſtatim Prorex cum ſua, in qua Rex erat, Hiſpaniam verſus tendere, ceteráſque ſubſequi iuſſit. Septimo Iunij è portu Delfino ſoluentes, decimo quinto eiuſdem menſis ſecunda nauigatione Roſam Cataloniæ portum appellunt, maximo Cæſaris gaudio, qui de captiui Regis aduentu nil ſciebat. Iuſſus eſt duci in arcem oppidi Sciatiuæ in Regno Valenciæ: mox inde, exorante Lanoio, haud procul vrbe Valencia, in viri Nobilis domum, cui venatio inſignis adiacebat: poſtremò in arcem Madrilianam in Regno Caſtellæ,

Rex liberaliter habitus tamen in conſpectum Cæſaris non admittitur niſi ſub finem anni.

cuſtodiente eum veteri Præfecto Alarcone: nulláque ratione Rex obtinere potuit, in Cæſaris conſpectum vt admitteretur, quamquam, vt Regem decebat, haberetur; donec ſub finem anni grauiter ægrotantem Regem Cæſar inuiſit, ſpemque citæ liberationis dedit. Menſe Auguſto Cæſar in Italiam mittit Lopem Vttardum, vt à Summo Pontifice poteſtatẽ impetret ducendi in vxorem Eliſabetham filiam natu maximam Emanuelis Portugalliæ Regis ſuam cognatam, annum vigeſimum ſecundum agentem: miſitq; per eumdem Lopem Franciſco Sfortiæ, certis legibus, nume-

numeratisq; mille quingentis libris, Diploma, quo eum Mediolani Ducem renunciabat. 1525 Vt verò Italiam omni metu inuadendæ Monarchiæ (quod summopere timebant) liberaret, Hispanos milites omnes dimitti iubet, iis exceptis, qui in Marchionatu Salutiarum ac Ducatu Mediolanensi ex pacto certis in præsidiis collocari debebant, quibus omnibus Ferdinandum Daualum Piscarij Marchionem præesse voluit; equites grauis armaturæ in Regnum Neapolitanum reuerti iussit; maiorq; Germanorum militum pars dimittitur. Deinde Caracciolum ac Protonotarium Mediolanensem Venetias mittit, vt Senatum ad renouandum fœdus inducant; quod sine dubio factum fuisset, nisi inexpectata captiui Regis in Hispaniam abductio, non solùm Venetos, sed & Pontificem Clementem, omnesq; Italos à Cæsare alienasset, eum pro certo ad totius Italiæ Imperium, quamquam aliud simularet, aspirare iudicantes. Borbonius quoque & Piscarius adeò ægrè Lanoij factum, abducti in Hispaniam Regis non communicato consilio, tulere, vt Borbonius statim sibi in Hispaniam proficiscendum decerneret; alter, missis ad Cæsarem contumeliarum in Lanoïum plenis litteris, eumdem ad singulare certamen prouocaret, si ea quæ illi exprobrabat, negare ausus fuisset. Sed Cæsaris prudentia hanc Ducum inuidiam ita moderauit, ne quid ex ea mali in Rempublicam redundaret. Secutum est exinde tempus, quo Moronus Sfortiæ Consiliarius intimus, Sfortiam, Venetos, Pontificem, ipsumque Piscarium, vt à Cæsare deficerent, fermè induxerat. Polliciti sunt Piscario Regnum Neapolitanum, si socialis belli Dux fieri vellet, interficereturque Leua cum iis qui secum deficere noluissent. Cùm aliquamdiu dubius Piscarius animum non declararet, nec interim Cęsari, vt decebat, coniurationem detegeret, tandem eius fortunam veritus, fido in Hispaniam misso homine, coniurationem, promissáque sibi facta Cæsari exponit; cuius consensu in eadem mansit simulatione, donec omnium animos ac consilia planè detexisset. Tum astu capto Morono, ac Sfortia de proditione accusato, Mediolanum cum maxima ditionis parte occupat; Sfortiamque in arce obsessum circumuallat. Cremonensem quoque arcem obsideri curat, vniuersam Insubriam in Cæsaris potestatem recidisse asserens, quòd cliens Sfortia contra Maiestatem patroni Cæsaris cõiurasset. Nec diu Piscarius superfuit, initio mensis Decembris Mediolani longa tabe confectus. Reliqua anno proximo. Huius eiusdem anni æstate bellum Rusticum in Sueuia primò ortum, ac per vniuersam Germaniam instar contagiosæ luis serpens, magna rusticorum clade est gestum finitumque. Cecidere enim diuersis locis, ductu variorum Principum, vltra centum quinquaginta millia rusticorum. De hoc bello prolixè Cochlæus tunc viuens, in Actis Lutheri, & inter cetera sic: Turbulen-

Cæsar quãtum potest, appetitæ à se Monarchiæ Italicæ inuidiam amouet.

Nec tamen placare potest Pontificem, Venetos & alios.

Piscarius tentatur ab Italis ad defectionē, sed fidelis persistit.

Capiuntur Moronus & Sfortia. perduellionis accusati.

Bellum rusticorum in Germania, in quo amplius centum quinquaginta millia rusticorum periere.

1525 bulentiſſima verò fax belli ſeditioniſque fuit Thomas Muncerus Presbyter, qui maiori veſania quàm Caroloſtadius Lutheri verba in opus deducere parabat. Quippe non ſolùm imagines Sanctorum, ſed etiam ipſa Templa & Monaſteria diruere, Sacramenta penitus abolere, Epiſcopos, Presbyteros, & Monachos occidere, atque etiam Principibus omnem gubernandi poteſtatem eripere conabatur. Ita Cochlæus. Hoc etiam anno Fredericus Holſatiæ Dux, Chriſtierni Secundi Daniæ ac Sueciæ Regis patruus, ante biennium à Daniæ Ordinibus in Regem lectus (Chriſtiernum enim ob crudelitatem exegerant) cùm in hoc vſque tempus variis Daniæ locis, à Lubecenſibus adiutus, contra Chriſtierni Duces bellum geſſiſſet, eos tandem omnibus locis expulit, ſicque Hafniæ coronatur. Hoc anno perculſo Geldro Francorum Regis fortuna, pergunt nihilominùs tumultuari Vltraiectini. Nono Kalend. Maij quidam plebeij ſubornati à parte aduerſa, magno globo Saudenbaldum adorti, exules dudum pulſos reſtitui, item binos aſſes tributo cereuiſiario demi poſtulant; id nî fiat, minantur ſeceſſionem, & vix à vi temperant. Ipſe cum Vordio veſperi vrbe excedit. Poſtridie tumultus, Duce Iacobo Mindeno, etſi aulæ Epiſcopalis Præfecto, de exulibus reuocandis fit decretum. Relatum quoque eodem die à Mindeno Interrege de Clero æqualiter grauando tributo cum populo, item de rationibus Quæſtorum, maximè ab anno vndecimo ſupra ſeſquimilleſimũ excutiendis. Septimo Kal. Maij noui creantur Conſules Fredericus Regius & Adamus Diemenius, & exules reuocantur, Niueldius, Mindenus Iacobi frater, Sulenus & Borrius ab Amerongen. Decimo Kal. Iunij pridie Aſcenſionis populus armatus cœmeterium D. Ioannis occupat, ipſoque Aſcenſionis continuatur ſeceſſio, & poſtero die Plebiſcitum de tributis æqualibus, & rationibus Quæſtorum diſcutiendis, primùm Senatuſconſulto, deinde etiam ab Epiſcopo & Clero firmatur, ſicque exeunte Iulio reliqua quadraginta ſex millia aureorum Antiſtiti annumerantur, iſque accepta pecunia cum Geldro paciſcitur, & pacatis vtcumque Tranſiſulanorum rebus in Germaniam proficiſcitur. Ipſis Kalendis Auguſti plebs armata iterùm cœmeterium S. Ioannis inuadit, nouos Conſules creat Gerardum Kniffium & Ioannem Vordium. Antiſtes eodem menſe ex Germania reuerſus primùm Doreſtati ſe continet, poſteà cùm fruſtrà pacis conditiones concepiſſet, iratus, circa Kal. Nouembris in Tranſiſulanos decedit, manſitque ibi vſque Kal. Martias
1526 ſequentes. Anni 1526. initio, redeunte ad Cæſarem à Pontifice Legato, mox Carolus Cæſar vxorem ducit Iſabellam Emanuelis Portugalliæ Regis maiorem natu filiam, nuptiis decimo die Ianuarij Hiſpali ſolemniter celebratis, cùm quinquies anteà cum aliis fruſtrà fuiſſet deſponſatus;

Pergunt tumultuari Vltraiectini, & Saudēbaldus ſponte in exilium abit.

Creatis nouis Conſulibus plebs armata tributi imponendi æqualis rationem extorquet.

Iterùm plebs ad arma concurrit, rurſumq́ creat nouos Conſules.

tus; cum Claudia filia Ludouici XII. Francorum Regis anno 1501. cum Maria Henrici Septimi Angli anno 1507. cum Renata, altera Ludouici XII. Franci anno 1515. cum Ludouica Francisci Franci adhuc in cunis vagiente anno 1516. denique cum Maria Henrici Octaui Angli septenni anno 1522. Deinde conditiones libertatis Regis Francisci, die duodecima eiusdem mensis Madrilij conceptas, die decimaquarta confirmat. Sunt „ illæ inter alias hæ: Rex Ducatum Burgundiæ, quæque inde dependent, „ sexta à die liberationis hebdomada Cæsari restituito, ac in æternum „ vtriusque sexus heredibus relinquito. Rex decimo quarto Martij liber „ suique iuris Fontarabiæ his aliísque conditionibus satisfaciendis dimittitor, obsidésque promissorum adimplendorum causa filios natu maiores „ duos, Franciscum Delfinum ac Henricum Aureliæ Ducem, aut huius „ nomine duodecim dato primarios Proceres. Rex, interposito sacramento, Cæsari promittito, si dictis conditionibus stare non potuerit, in eius „ potestatem, vbicumque terrarum tum temporis fuerit, receptis obsidibus rediturum. Rex omni actione ac iure in sempiternum cedito, quod „ in aliquod Regnum, prouinciam, ditionem à Cæsare hoc tempore possessam, nominatim verò in Regnum Neapolitanum, Siciliæ, Mediolanense, vrbem ditionémque Genuensem ac Astensem allegare potest. „ Cæsar econtrà Regi eiúsque successoribus tradito ac in perpetuum cedito ius actionémque omnem quam allegat in eas ditiones quas hoc tempore Rex possidet, ijs tantùm quæ his legibus exprimuntur, exceptis. „ Rex Franciscus Leonoram Cæsaris sororem natu maximam viduam „ Emmanuelis Portugalliæ Regis in vxorem ducito, ac cum ea dotis nomine semel ducenta millia aureorum liliorum accipito, cum annua pensione, quam causa mortis dicti Regis Emmanuelis ei Lusitani soluunt, „ itémque Comitatum Masconensem, Auxerræ, ac Barræ ad Sequanam. „ Frãciscus Delfinus Mariam dictę Leonorę ac Regis Emmanuelis filiam „ in vxorem ducito, eáque anno ætatis duodecimo in Franciam mittitor. „ Rex curam operámq; adhibeto, Henricus Albrechtus titulo Regis Nauarræ pro se successoribúsq; suis in perpetuum cedat. Carolum Egmondium Geldrum Rex quoque inducito, contentus Geldriæ possessione, „ qua nunc fruitur, post mortem Geldriam Zutfaniámque Cæsari eiúsque successoribus possidendam relinquat; qui ei datis tabulis promittet, „ liberos legitimo matrimonio susceptos se honestè educaturum, & dotaturum. Quòd si id Carolus aut Geldriæ Ordines recusarint, eis auxilium „ non præstato. Rex Franciscus Henrico Angliæ Regi summam quingentorum aureorum liliorum millia soluito, nempe quam Rex Franciscus „ Anglo in hunc vsque diem è veteri tractatu debet; Cæsar verò, inducto „ Anglo ad suscipiendum contra Regem bellum, pro ea anno 1522. Win-

1526

Cæsar cum Isabella Lusitana celebrat nuptias Hispali.

Conditiones liberãdi Regis Francorum Francisci.

Primùm filios det obsides.

Rex Franciscus ducat Leonoram Cæsaris sororẽ.

Curet vt Albrechtus in perpetuum titulo Regis Nauarra cedat.

Fœdus cũ Geldro rescindat.

1526

Borbonio & sociis Rex omnia bona eorum restituat.

desoræ spopondit. Carolo Duci Borbonio, quique cum sunt secuti, Rex omnia cuiuscumque sint conditionis bona, & vbicumque sita restituito. Captiui hinc inde cuiuscumque conditionis ac generis, nullo pro redemptione soluto pretio, ante decimum quintum Februarij diem in libertatem restituuntor. Rex Franciscus Margaritæ Austriacæ Cæsaris amitæ eiúsque heredibus Comitatum Charaloi, Noierij, Chastelchinoni, Chantini, ac Percheræ reddito, dictæque Margaritæ spatio sex mensium duodecim millia aureorum liliorum, pro damno, quod belli tempore tulit, soluito. Cæsar ac Rex has leges iureiurando & subsignatione sigillísque muniunto, ac ante decimum quintum Februarij diem omnibus in Regnis, Prouinciis, locísque consuetis publicanto. Actum Madrilij duodecima Ianuarij anno Christi 1526. Conditionibus vltrò citroque subsignatis, ac iureiurando confirmatis, Cæsar & Rex diu sæpeque publicè collocuti, eademque quadriga vecti, sponsam Leonoram inuisunt.

Cæsar & Rex vna vecti quadriga Leonoram inuisunt.

Tandem Rex Franciscus decimo octauo Martij cum Prorege Lanoio, ac Alarcone custodum suorum Præfecto, comitantibus quinquaginta equitibus Fontarabiam venit; mater eius Lodowica cum Delfino ac Aureliæ Duce Baionam; hique progressi ad flumen nomine Tolosam, quod eo loco Hispaniam à Gallia diuidit, in ripa consistunt. Stabat in amnis medio nauis longa anchoris firmata, hominibus vacua.

Rex libertati restituitur, cùm obsides filij eodem momento traduntur.

Hanc Rex, scapha aduectus, cum Lanoio, Alarcone, ac octo viris nobilibus ingreditur. Idem ab altera ripa cum Regiis filiis, totidemque viris Odetus facit Foxæus Lautrechi Dominus, tradens Lanoio Delfinum ac Aurelianum, qui eos per Alarconem in Hispanicum littus expositos, equitibus Hispanis tradit; eodemque momento Rex è naui in scapham alteram, indeque in Francicum exiliens littus, equum conscendit Turcicum miræ pernicitatis, subditísque calcaribus à cursu non destitit, quoadusque ad Fanum Ioannis Lusij, indeque Baionam peruenisset, vbi incredibili matris totiusque Aulæ, quæ celeberrima conuenerat, lætitia est exceptus.

Incredibili gaudio Rex Baionæ à suis excipitur.

Tempore præstituto restituendæ Burgundiæ & aliis elapso, Cæsar Cuniacum ad Regem mittit Proregem Lanoium ac Alarconem, petitum legibus Madrilianis satisfaciat. Respondet Rex, in sua non esse potestate de Regni Francici corpore membrum aliquod separare, nisi cum Ordinum eiusdem Regni consensu; peramicè petens, Cæsar traditionem Ducatus Burgundię in mulctam pecuniariam transmutet.

Allegante Franco, nō posse se legibus pacis nisi cum Ordinum Regni consensu satisfacere, iterùm expediuntur arma.

Quo Cæsar audito, non parum animo perturbatur, ac deinde Borbonium, tradita ei Ducatus Mediolanensis gubernatione, eò properare, Lanoium in Regnum Neapolitanum proficisci, Hugonem Moncadam maris Præfectum ad Pontificem tendere, classem verò Barcilonæ extemplò instrui iubet. Quibus rebus Francus intellectis, cùm hactenus spe nouæ

cum

cum Cæſare tranſactionis fœderi Italico ſubſcribere diſtuliſſet, decimo 1526
» ſeptimo Maij his legibus inter ceteras id facit: Inter Pontificem Cle-
» mentem, Regem Franciſcum, Venetos, ac Franciſcum Sfortiam, donec
» is in Ducatum Mediolanenſem reſtituatur, ac Regij liberi è Cæſaris po-
» teſtate extorqueantur, perpetuum fœdus eſto. Cæſari ſe fœderi intra tres
» proximos menſes coniungendi poteſtas maneto, modò Regis filios, iu-
» ſta auri accepta ſumma, quam Angliæ Rex dicet, ac Mediolanenſe Im-
» perium Franciſco Sfortiæ reſtituat, vniuerſamque Italiam eo ſtatu, quo
» ante hoc bellum fuerat, relinquat. Conditionibus conſignatis Pontificiæ

Nouum fœdus Regis Francorum cum Pontifice, Venetis, & Sfortia cõtra Cæſarem.

& Venetorum copiæ, Duce Vrbinatium Principe, Mediolanum verſus, ſed tardiùs quàm inopia, qua arx premebatur, requirebat, mouent. Differt ſua auxilia Rex Francus, ſpe tranſigendi de liberis cum Cæſare. Intereà Franciſcus Sfortia, commeatus inopia adactus, vigeſimo quarto Iulij cum Borbonio tranſigens, arcem ei Mediolanenſem tradit, Laudemque Pompeij profectus, inde ad Confœderatorum caſtra Marinianum contendit. Hoc tempore Cæſar variis artibus Pontificem, Francum, ac Anglum ſpe pacis ducens, tandem in ſuas partes adſciſcit Ferrariæ Ducem, pacémque cum Confœderatis Cæſar ſe non facturum profitetur, niſi Francus legibus Madrilianis per omnia ſatisfecerit, ac Franciſcus Sfortia ſe ſuamque cauſam conſtitutis à ſe Iudicibus commiſerit.

Borbonius pro Cæſare arce Mediolanenſi potitur.

Tum Hieronymum Moronum, intimum Sfortiæ Conſiliarium, pro coniurationis mulcta acceptis viginti millibus aureorum, carcere dimittit; quem exinde Borbonius, ingenio eius delectatus, inter ſecretiores admiſſum, admodum euexit. Hac æſtate vigeſimo quinto Iunij Spiræ Nemetum fit Conuentus Germaniæ Principum, in quo Cæſaris recitantur litteræ, menſe Martio Seuilliæ ſcriptæ, quibus promittebat ſeſe breui in Italiam coronationis cauſa profecturum, acturumque cum Pontifice, futuro Concilio locus tempuſque deſignaretur, in quo certum de religionis dogmatibus declarari poſſet. Sub idem tempus 18. Iulij Margareta Auſtria Belgij Gubernatrix Edictum promulgat carptim in hunc ſenſum. (Extat inter diplomata Flandrica & Gallica impreſſa

Moronus mulcta viginti millium aureorum redemptus, deinceps Borbonio in pretio fuit.

Scribit Cæſar Germanis ſe curaturũ, Synodus Eccleſiaſtica vt indicatur.

„ Gandaui 1559. apud *Vanden Steen.*) Pro Cæſare omnibus noſtris fideli-
„ bus, &c. Quandoquidem, non obſtante Edicto anni 1521. contra Luthe-
„ rum eiúſque fautores, paſſim ſerpat malum, quiéſque publica turbetur,
„ hinc eſt quòd ordinamus & præcipimus, ne quiſquam conuenticulis
„ quibuſcumque, vbi priuatim de Scripturæ intellectu conferatur, inter-
„ ſit, & neque domi ſuæ nec alibi quidquam dicat faciátve, quod ſimpli-
„ cem populum à reuerentia Sacramentorum, honore Deiparæ vel alio-
„ rum Sanctorum, à ſuffragiis pro defunctis, ieiuniis, aliiſque quæ Eccle-
„ ſia præcipit ex vſu & traditione Chriſtianæ fidei obſeruanda, vlla ra-

Edictum in Belgio contra hæreticos moderatiſſimum.

 tione

1526 tione diuertat aut distrahat, sub pœna pro prima vice cùm quis de eo " cum ventilatione causæ apud Senatores fuerit conuictus, viginti flore- " norum Carolinorum; pro secunda, quadraginta; pro tertia vice octogin- " ta similium florenorum, vel si eos soluere non potuerit, sub pœna per- " petui exilij. Nihilominùs committentes Senatoribus loci prædictam " pœnam augendi vel minuendi, vel alterandi potestatem, prout eis vi- " sum erit. Datum Mechliniæ 17. Iulij anno 1526. Signatum pro Cæsare " in suo Consilio, L. Du Blioul. Hoc anno Ludouico Hungariæ & Bohe- " miæ Rege 29. Augusti, ætatis anno vigesimo à Turcis cæso, maior Hungariæ pars ab iisdem occupatur, in vtroque Regno succedente Ferdinando Cæsaris fratre, qui Annam Ludouici sororem vnicam matrimonio sibi iunxerat. Hoc anno Kal. Februarij Vltraiecti Knifio prorogatur Consulatus pręter morem, additur Ioannes Walanus. Sub Kalend. Martias Episcopus ex Transisulanis proficiscitur in Germaniam, mansitque ibi menses plus sex; intereà plebs agit omnia pro libito, Clero eam mitigante, vti poterat. Demum Episcopus septimo Idus Nouembris Vltraiectum venit, magna Ordinum lætitia exceptus. Sed mox tertio Idus Nouembris subito morbo correptus secedit Dorestatum, Vicarios relinquens Præfectos vrbis Iacobum Mindenum & Ernestum Ameron- gum. Mindenus, quòd cognatos in rationibus disquirendis damnum sensuros videret & ignominiam, octauo Idus Decembris Tribunos conuocans, suadere conatur, vt rationibus discutiendis iam tandem supersedeant, satis inde turbarum hactenus ortum. Quod plebs resciscens, biduo pòst contra Mindenum armatur, circa Pontem fullonum mole lignea congesta. Sed dum nocte ab eodem Mindeno armis disperguntur, postridie multi eorum proscribuntur; duo in vincula coniecti & pænè sub carnificis ictu constituti, tamē etiam solo exsilio vnus, & alter pòst anni carcerem graui ære mulctatur. Sub initium anni 1527. Papa

1527 spe pacis cum Cæsare ineundæ planè abiecta, expedita re pecuniaria ac frumentaria, Confœderatorum se copiis iungit: ad quos cùm Francus Vaudemontij Comitem mediocribus cum copiis misisset, Regnum Neapolitanum inuadunt. Capiunt Salernam, Molem Caietanam, Castellomarinum cum arce, Turrim Græcam, Surrentinum, Sicillianum, Tallocotium, cùm aliquot aliis castellis & oppidis, adeò vt Hugo Moncada, qui Neapoli pro Cæsare in præsidio erat, hostibus ad portas vsque excurrentibus, contrà exire non auderet. Verùm hic Confœderatorum ardor, Pontificis pro parte culpa, citò refrixit. Eius enim tarditate commeatus ac pecunia exercitui statim deficere cœpit; qua de causa Pipe- rum vsque retrocedere coguntur. Impediebat & rei successum, quòd Francus non eà quæ promiserat auxilia submitteret. Veneti quoque his rebus

Pro prima vice mulctentur 20. florenis, pro secūda 40. pro tertia 80.

Caeso à Turcis Ludouico Hūgariæ Rege, Ferdinandus Cæsaris frater iure vxoris ei succedit.

Episcopo Vltraiectum reuerso, nihilo sunt Vltraiectini quietiores.

Auctor noui tumultus Mindenus, ne cognatorum ratiocinia ampliùs disquirerentur.

Franci & Confœderati primo impetu multa oppida & castella Regni Neapolitani capiunt.

Hinc tardiùs eorum res succedunt.

rebus perſpectis, in numerandis militi ſtipendiis tardiores erant facti. 1527
In tempore igitur Pontifex, mutato animo, cum Cæſare (qui eum ſummopere vrgebat) tranſigere ſtatuit, planè de Francorum ac confœderatorum rebus deſperans. Erant tum Romæ, à Prorege Lanoio miſſi Faramuſca ac Serenonius, qui cum Pontifice in octo menſes his legibus in-
,, ducias fecêre, vt meliori opportunitate in pacem mutarentur: Pontifex
,, pro ſtipendiis Cæſarianorum militum ſexaginta aureorum millia ſolui-
,, to. Cæſari ius Regni Neapolitani, ac Pompeio Columnæ veterem di-
,, gnitatem locumque reſtituito. Franco Venetiſque intra certum tempus
,, admittendarum induciarum ius eſto: quod ſi fecerint, Cæſar Germa-
,, nos milites in Italia bellantes dimittito; ſin minùs, Pontificis ſaltem nec
,, Florentinorum fines intrare permittito. Prorex Lanoius Romam legi-
,, bus firmandis venito. His ſubſignatis, terreſtres naualeſq; copiæ vtrimque reuocantur, capta loca reſtituuntur; Pontifexque copias omnes dimittens, incautè, nimis citò ſe exarmat. Exiſtimabat enim Borbonium, auctoritate Lanoij motum, nihil iam auſurum, maximeque Faramuſcam cum Pontificia pecunia ad Borbonium profectum milites facilè placaturum. At longè ſecùs res accidit. Nam cùm pecunia bimeſtre ſtipendium non excederet, parui id milites Præfectique facientes, in belli propoſito perſtitêre, agrúmque Bononienſem vaſtantes, deinde Romam verſus mouerunt. Quod videns Vaſtij Marchio, qui cum Borbonio erat, eo deſerto, in Regnum Neapolitanum ad Proregem Lanoium contendit, vtroque Borbonium inducias contemnere ægerrimè ferente. Bis enim hæc de cauſa à Prorege miſſi ad eum nuntij ferè fuerant à militibus interfecti. Quare tertio Aprilis Lanoius Romam profecturus Florentiæ conſtitit, vt cum Borbonij Legatis de induciis præſens ageret, multa interim magnáque Pontifici nimis credulo pollicitus. Sed tandem Pontifex videns Borbonium ſe & Lanoium contemnere, ac vigeſimo ſexto Aprilis ſine tormentis impedimentíſque expedito cum exercitu ex agro Aretino rectà Romam contendere, vrbis curam Rentio Ceriti committit; Romanos verò ad arma alacriter capienda, pecuniámque, qua miles conſcriberetur, conferendam adhortatur. Sed cùm lentè hæc adminiſtrarentur, rebus omnibus ad vrbis defenſionem adhuc imparatis, Borbonius quinto Maij in eius conſpectum caſtra locat, poſteróque die ipſa aurora oppugnationem aggreditur. dumque Germanos frigidiùs pugnam ineuntes animaturus, arrepta ſcala inter primos aſcendens, pugnam orditur, ſclopetorum globis per cerebrum ac femur adactis, mortuus concidit, Philiberto Challonio, Aurantij Principe, iuxtà aſtante, ac longiori veſte cadauer, ne Ducis morte miles perturbatetur, tegente. Cúmque eo cadente, per duas horas veterani acriter pugnaſſent,

Induciæ octo menſium Pontifici à Lanoio dantur, hac lege, ſexaginta aureorum millia ſoluat.

Borbonius paruam reputãs ſummam a Põtifice ſubmiſſam, cõtempto Lanoio, nihilominùs Pontificis ditiones vaſtat.

Cum expedito exercitu ſine tormẽtis Borbonius Romam verſus mouet.

Arrepta ſcala inter primos mœnia Romana conſcendens, Borbonius occiditur.

1527 tandem Germani & Hiſpani in ſuburbium, deinde in ipſam Vrbem irrupêre, deſideratis cum Borbonio mille circiter viris, interfectis verò tam in oppugnatione quàm irruptione, quatuor Romanorum millibus. Diuina ac humana militum libidini ceſſêre, in omnem ſexum ætatémque omni libidinis, ſæuitiæ, ac cruciatus genere ſæuitum. Pontifex Clemens in Arcem S. Angeli fugit; vbi per integrum obſeſſus menſem, fruſtráque auxilium à Confœderatis expectans, tandem cum Lanoio (qui Senis erat) ac Aurantio, quem veterani loco Borbonij Ducem ſalutarant, Vaſtio, Moncada, ac Alarcone, qui Neapoli Romam aduolarant, his legibus ſexto Iunij tranſigit: Pontifex in ſtipendium Cæſarianorum militum conſtitutis temporibus quadringenta millia aureorum nummûm perſoluito, ac ſtatim decem millia præſentato. Cum tredecim Cardinalibus in Mole Hadriani (nunc Arx S. Angeli) cuſtoditor, donec prima pecuniæ penſio ſit perſoluta, tum Neapolim aut Caietam proficiſcitor, expectaturus Cæſaris Decretum. Exinde Alarco cum tribus Germanorum ac totidem Hiſpanorum ſignis arcem ingreſſus, Pontificem cum Cardinalibus arctè cuſtodit, ceteros omnes dimittit. Cum Vaſtio ac Moncada Romam venerant Hiſpani ac Germani, qui in Regno erant Neapolitano, abiectíſque Ducum imperiis, nil miſeræ Vrbi reliquum fecêre. Graſſabantur enim in ea octo millia Hiſpanorum, duodecim millia Germanorum, quatuor millia Italorum peditum: quos cùm Lanoius ac Vaſtius educere conarentur, à ſeditioſis ad cædem quæſiti, ægrè effugêre; manſitque in Vrbe ſuo viuens arbitrio impius miles circiter octo continuis menſibus, peſte inter eos nequidquam inſigniter graſſante. Memoratu dignum eſt quod Cochlæus huius temporis Scriptor his verbis commemorat, in Actis Lutheri hoc anno: Erat (inquit) tum Romæ Italus quidam, ſacco indutus, qui ante captam Vrbem ſæpè prædicauerat, graue imminere Vrbi exitium, niſi homines prauam vitam corrigerent, ac pœnitentiam agentes iram Dei precibus auerterent. Cumq; id ſæpè feciſſet magnis clamoribus in populo, comprehenſus, & in carcerem coniectus, ibique detentus fuit, donec Deus reipſa comprobauit, quod ille prædixerat. Dimiſſus verò è carcere à militibus, eis quoque prædixit, breue fore eorum gaudium ex illa præda. Cùm igitur euenirent ea quæ prædixerat, creditus eſt prophetiæ habere ſpiritum, Ioannis Baptiſtæ nomen habens, & vitæ inſtitutum ſequens. Hæc ille. Vigeſimo primo Maij huius anni naſcitur Cæſari Valliſoleti in Hiſpania filius, cui regenerationis hora nomen Philippi dedit: ob cuius natalem, dum ingentia per vniuerſam Hiſpaniam lætitiæ eduntur ſigna; litteris Mercurini Gatinariæ Cæſar Monocœi fit certior, captam à ſuis Romam, Pontificem cum Cardinalibus captiuum detineri. Recipit & paulò

Fœdè Roma vaſtatur à Cæſarianis.

Pontifex integro mēſe in Arce S. Angeli obſeſſus, tandem certis conditionibus tranſigit.

Cæſariani milites ad viginti quatuor milia, reiectis Ducum imperiis, ferè octo menſibus Romæ immanè graſſantur.

Vaticinia cuiuſdam tunc Romæ.

Naſcitur Cæſari filius Philippus Valliſoleti in Hiſpania.

paulò pòst litteras ab Anglorum ac Francorum Regibus, petentes Pontificem in libertatem restitui. Sed eius rei negotium iam anteà Lanoio Cæsar per litteras ac Legatos dederat, quamquã restitutus in libertatem non sit nisi post septimum captiuitatis mensem. Quocircà fine mensis Iulij Cardinalis Eboracensis ex Anglia profectus, tertia Augusti Ambianum venit, ac cum Rege Francisco, nomine Regis Henrici, fœdus contra Cæsarem facit; quo Francus peditem equitemque, Anglus menstruam in stipendia pecuniam certam, ad confœderatorum Italorum castra se missuros pollicebantur, præfecto exercitui Foxæo Lautrechi Domino; qui cum iusta manu in Italiam ad Confœderatos veniens, maioribus è Francia ac Heluetia subsequentibus copiis, pulso Lodouico Lodronio, Bosium oppidum, deinde & Alexandriam, in potestatem redigit: tum positis ad Papiam seu Ticinum castris, verberataque tormentis arce, in vrbem, cæso præsidio, captoque Duce, fine mensis Septembris irrumpit, Antonio Leua, propter copiarum exiguitatem, Mediolani (vbi à Borbonio Romam proficiscente fuerat relictus) manente. Non enim præter ducentos equites, ac tria peditum millia habebat. Atqui Romæ adhuc grassabantur Cæsaris milites, donec Lautrechi irruptione excitati, cùm se abundè præda satiassent, insuperque singuli duos à Vastio aureos accepissent, Ducum se imperiis subiicientes, Romam deserunt. Obierat mense Octobri Caietæ Carolus Lanoius Belga, Prorex Neapolitanus, successitque illi Philibertus Challonius Aurantij princeps, admodum adhuc iuuenis, Hugone Moncada multæ experientiæ sed duri ingenij viro, res cum eo administrante. Pridie Kal. Nouembris iterùm Cæsar cum Pontifice transigit: superioribus tantùm
„ conditionibus additum; pecunia, quæ in Hispania ad sacrum erat col-
„ lecta bellum, ac decimæ è sacris vectigalibus collectæ, Cæsari cederent,
„ eique in rebus Mediolanensibus ac Neapolitanis non aduersaretur;
„ Ostiam ac ciuitatem veterem, pignora Cæsari traderet. Circa finem anni classis Confœderatorum, disputantibus Ducibus, Sardiniáne an Sicilia esset inuadenda, ingenti tempestate disiecta, ac aliquot mersis nauibus valdè diminuta, cùm nil memoria dignum gessisset, varios portus tenuit. Lotrechius quoque expectans, quis inter Cæsarem Regemque longæ, sed arcanæ tractationis exitus esset futurus, in agrum Bononiensem, Parmensem ac Placentinum, in hibernis militem distribuit; Cæsariani verò Germani in agro Romano, ac finibus Regni Neapolitani, hiemabant. Vltraiecti hoc anno is erat rerum status. Sexto Kalend. Iunij exules tentant nauigiis sub portam Telonariam vrbem occupare, sed frustrà. Inde decimo quarto Kal. Augusti exules ad se purgandos, & Vltraiectẽses ad eos accusandos, Dorestatum seu Wicam ab Antistite euo-

1527

Ferit quoque Rex Angliæ fœdus cum Franco contra Cæsarem.

Francus Papiam seu Ticinum recuperat.

Lanoio Proregi Neapolitano defuncto, Aurãtij Princeps subrogatur.

Classis Cõfœderatorum tempestate disiicitur.

Exules Vltraiectini frustrà vrbem occupare tentant.

1527 cantur, cognitioque causæ Transisulanis datur. Intereà in speciem agitur, vt cum Geldro (neglecto Burgundo, hoc est Cæsare) perpetua pax sanciatur; nec minùs Buranus sub idem tempus Episcopum Dorestati inuisit, post diutinum morbum quasi valetudinem gratulaturus, pluresque dies cum ipso & ciuibus festiuè transigit. Kalendis Augusti Episcopus veritus ne quid Vltraiectini innouarent, eò proficiscens, condicto à Burano equitatu, qui suo equitatui in itinere se iungeret, ingressis iam coquis & familia, ipse circa Vechten pagum, portas sibi clausas intelligens, noctu plenus irarum in Oostbroeck diuertit. Missi sunt Legati ex vrbe eo die & sequenti, dimitteret externa auxilia, patere sibi tunc portas: (equites auxiliares erãt ducenti, pedites quingẽti.) Ille hoc recusabat. Et tandem, Agite, inquit, quando ita stat sententia, omnia deinceps armis agenda erunt. Hinc factiosi missis tabulis cum Geldro transigunt, & Nonis Augusti clauibus portæ Consuli Vulueno vi extortis, postridie lucente aurora ducentos equites Geldros admittunt, & paulò pòst adhuc equites centum & quinquaginta, & peditum cohortem vnam. Episcopus ad intercludendum vrbi commeatum ostium Leccæ munit, præfectis Pilano Amersfortio, Pellito Buscoducensi, & Sombreno cum ducentis equitibus. Vtrimque in agro hostilia eduntur. Sed tribus mensibus elapsis, ita Episcopi opes sunt accisæ, vt iam debellatum esset, nisi ad externa auxilia respexisset. Itaque Florentium Buranum Dorestatum euocat: apertè quod diu meditati erant, aggredi pergunt: ille celeriter Bruxellam contendit. Conuentus Scoonhouiam indicitur. Adsunt 17. Kalend. Decembris hinc Episcopus cum suis, illinc Comes Hoochstratanus, Buranus, & alij; tandem transigitur his legibus: Margarita „ Austriaca, Cæsaris nomine, octauo Kalend. Decembres in militares „ sumptus dabit Antistiti sexdecim millia florenorum, ac in quinque „ proximos menses singulis mensibus quinque millia, quibus contra „ Geldrum mille pedites stipendio ordinario Antistes alet. Intereà An- „ tistes Diplomate à Summo Pontifice obtento, potestatem transferendi „ ditionem Vltraiectinam ac Transisulanam, in Cæsarem eiusque suc- „ cessores, procurabit. Quæ cùm innotuissent, non multò pòst Amersfortij „ Antistitis mediocre accipiunt præsidium; Gelder verò vt Vltraiecto, Rhenæ, ac Hasselio, aliisque oppidis à se occupatis prospiceret, quòd tanto bello sustinendo non satis esse in Martino Rossemio auctoritatis censeret, Fredericum Meursij Comitem cum noua peditum equitumque manu Vltraiectum mittit, eique Rossemium parere iubet. Mense Ianuario anni 1528. Burgis in Hispania Franciæ ac Angliæ Regum Legati bellum Carolo Cæsari indicunt, præsentibus Oratoribus Venetorum ac Sfortiæ. Hilari Cæsar fronte denuntiationem accipit. Sed Regis Angli

Episcopus Vltraiecto excluditur.

Hinc apertum, etiam contra Episcopum, bellum, aduocantibus ciuibus auxiliares Geldros.

Episcopus impar belli sumptibus per Buranum cum Margarita Cæsaris sorore transigit.

Amersfortij pro Episcopo faciunt.

1528

Legati Regum Franciæ & Angliæ, præsentibus Oratoribus Venetorum ac Sfortiæ, Cæsari bellum indicunt.

Angli Oratore dimiſſo, reliquos cuſtodiri iubet, præfatus ſuos Oratores ab his in Italia detineri. Tum ab vtraque parte ingentes fiunt apparatus; motiſq; Lotrechius Francus Bononia caſtris, per Æmiliam Flaminiam ac agrum Picœnum in Regnum contendit Neapolitanum, captaque Aquila, ad interiora Regni Neapolitani progrediebatur, oppidis ac ciuitatibus paſſim deditionem facientibus, præſidiaque admittentibus; redegiſſetq; in poteſtatem vniuerſum cum vrbe Regia Regnum, niſi clàm numerante Cæſarianis Pontificè aliquot menſium ſtipendia, exercitus Germanorum, Hiſpanorum ac Italorum Roma deductus, Neapolim contendiſſet, ac ciuitates aliquot munitiores inſediſſet. Diſceſſere Roma decimo ſeptimo Februarij; delectúque habito, ex viginti quatuor millibus armatorum, vix duodecim millia peditum ac mille quingentos equites recenſuere; ceteros peſtis luxuſque abſumpſerat. Antonius Leua, militem in officio retenturus, Mediolanenſes auro exhauriebat; inque extremam calamitatem coniectos, vrbem fortunáſque deſerere coëgiſſet, niſi educta præſidij parte Leucum recepiſſet, Muſſiniúmque eius Præfectum à Confœderatis ad Cæſaris partes traduxiſſet, adiutus ab eo pecuniæ ac commeatus non exigua copia; quem ob hoc beneficium Cęſar Leucij Marchionis titulo ornauit. Fine mẽſis Aprilis Lautrechius caſtra ad vrbem Neapolim communit, expectans Confœderatorum claſſem, quò vrbem terra maríque premerent. Intereà Cæſariani, qui Neapoli in præſidio erant, ſpem concipiunt opprimendæ claſſis Aurianæ, quæ in ſinu erat Salernitano, præerátque ei Philippus Auria. Conſcendunt Neapoli claſſem Hugo Moncada, omnium Pręfectus, Vaſtij Marchio, Cæſar Faramuſca, Aſcanius Columna, Princeps Salernitanus, Camillus Columna, Cruceus, Gobbius, Serenonius, ac clariſſimi quique Præfecti, cum mille veteranis Hiſpanis ſclopetariis, exceptis ordinariis claſſis militibus, ac ad hoſtem contendunt. Sed qui de eorum conſilio per fidos exploratores ante biduum præmoniti, acceptis à Lautrechio ſexcentis ſclopetariis omnia ad pugnam neceſſaria pararant. Congrediuntur in alto; emiſſóque prior Auria è ſua prætoria ingentis tormenti globo, vltra quinquaginta Hiſpanos occidit, vulnerátque plures. Tum Moncadę tormentum (quamquam rectè libratum exoneraretur) non tamen Auriæ tantum intulit detrimenti. Tandem Cæſariani virtute ſuperati, claſſem perdidere, Proceribus omnibus, quos nominaui, cum Præfectis in hoſtium poteſtate relictis, excepto Moncada & Faramuſca, qui pugnantes occiſi in mare ſunt deiecti, cum mille qui ceciderant militibus. In Auriana claſſe tamen nullus ferè ſine vulnere diſceſſit, periereque quam plurimi; tam difficile fuit ſuperare veteranos. Exinde arctiùs Neapolis obſideri eſt cœpta, emiſſuſque vrbe magnus imbellium hominum nume-

1528

Inuadente Franco Regnum Neapolitanum, ſic demum Cæſariani Romam deſeruere.

Mediolanenſium etiam res tunc anguſta.

Claſſis vtrimque inſtructa.

Cruentâ pugnâ claſſis Cæſariana à Confœderatis Duce Auria ſuperatur.

1528 numerus. Litteras quoque ad Cæsarem, quibus terra maríque auxilium ac pecuniam petebant, destinauerant; sed interceptæ, Lautrechio summis etiam difficultatibus implicato animum addidere. Laborabant enim Franci inopia aquæ, equitum, ac pecuniæ. Leui armatura equitum Cæsariani superiores erant; ac proinde non semel ereptum Francis commeatum ac vinum ad vrbem detulerant. Orta etiam erat, iamque grassabatur intra & extra vrbem pestis, Germanorum maximè vtrobique negligentia. Lautrechius quoque frustrà militem & pecuniam è Francia expectabat. Intereà Antonius Leua, eductis Mediolano copijs, Papiam vi expugnat, omnibus Francis, qui intus erant, interfectis. E Germania verò Henricus Brunswici Dux cum decem millibus peditum, ac sexcentis equitibus, Cæsaris pecunia conductis, in auxilium Neapolitanorum profecturus, in agrum Veronensem descendit, oppidaque aliquot capit. Sed cùm Antonius Leua aurum non expediret, summa verò per omnem Italiam esset rerum omnium ac præcipuè panis inopia; Germani, conuersis signis, mense Iulio in Germaniam redière, duobus millibus exceptis, qui cum Leua mansêre, omni Neapolitanis auxilij spe velut sublata; nam & decimo Iunij Veneta classis viginti duarum triremium in sinum Neapolitanum appulerat, impediens, ne quid ampliùs mari in vrbem adueheretur. Sed hoc rerum statu ecce Andreas Auria, relictis Regis Francisci stipendijs, Cæsari dat nomen, causatus inter alia patriæ suæ Genuæ libertatem à Franco opprimi, ac ad Sauonam omnem rei maritimæ mercaturam transferri. Expugnarant captiui Præfecti Cæsaris ægrum eius animum, promissa Genuensibus libertate; ad quam confirmandam ad Cæsarem in Hispaniam virum nobilem Generalem Franciscanorum miserant. Quo reuerso, his nomine Cæsaris cum Auria legibus conueniunt: Genua Cæsaris patro- "
cinio libera esto. Sauoua Genuensibus pareto. Quod olim Auria in Hi- "
spanos odium exercuit, obliuiscitor. Auria Cæsari cum duodecim tri- "
remibus suis militato, eoque nomine quotannis sexaginta millia aureo- "
rum in stipendium, cum Principatu Melphitano accipito. Post hæc "
Philippus Auria quarto Iulij cum sua classe Neapolim deserit, menseque Augusto Andreas Auria cum duodecim triremibus suis Caietam, quæ in Cæsaris erat potestate, venit; dimissísque captiuis Proceribus, qui eum ad transitionem pellexerant, Cæsaris militare signum exponit, Régique Francisco torquem aureum cum insigni D. Michaëlis remittit. Intereà pestis ac nouus ille tum ex Veneris immoderatione, tum ex rupti aquæ ductus Poggij aquis in castris Francorum diebus canicularibus computrescentibus, morbus adeò Francorum ad Neapolim castris grassabatur, vt vix centum Lautrechio (præter rationem obstinatissimè in obsidio-

Hinc Neapolis arctè à Confœderatis obsidetur.

Intereà Leua Papiam vi expugnat, omnibus Francis interfectis.

Andreas Auria, relictis Francis, ad Cæsarem inclinat, & quare.

Pactum Cæsaris cum eodem Auria, seu Doria.

Grassatur in castris Gallorum ad Neapolim nouus quidam morbus, quo mortui sunt plurimi Duces & milites.

obsidione perseueranti) superessent sani equites, pedites vix mille. Decumbebat ipse, vt & plures Proceres, grauiter, ac tandem Lautrechius, Vaudemontius, ac complures alij viri illustres moriuntur. Ægrotabat quoque vehementer Salutius qui Lautrechio in imperium successerat, Nauarrus, ac Guido. Quare Hugo Maramaldus, qui cum Prorege Aurantio Neapoli cum imperio erat, Capuam, Puteolos, ac Nolam, eiectis Francis, recuperat. Non enim solùm Franci cum peste, sed & cum fame luctabantur. Demum mali magnitudine victâ peruicaciâ, nocte clàm castra Neapoli Auersam mouent. Sed abitu à Cæsarianis percepto, inuaduntur ac sternuntur. Capitur Nauarrus, ac cum eo clariores Præfecti multi. Salutius Auersæ sine commeatu inclusus & ipse paulò pòst se dedit, captiuúsque cum Ducibus detinetur, militi sine armis discedendi copia facta. Et hic finis obsidionis Neapolitanæ. Prorex Aurantius, habita de his quæstione qui duris temporibus aliquid contra Cæsarem erant conati, Fredericum Ducem Caietanum, ac Henricum Bouiani Ducem, cum quatuor aliis viris illustribus, publicè Neapoli in foro securi percuti iubet. Mensibus Augusto ac Septembri nihilominùs in Ducatu Mediolanensi bellum à Confœderatis contra Cæsarianos acerrimè fuit gestum. Adueniente enim è Francia iustis cum copiis Fani D. Pauli Comite, vltraque duodecim millia peditum ac bis mille quingentos equites adducente, Cæsarianis negotium facessebant. Antonius enim Leua octo millia tantùm peditum ac octingentos equites habebat; quibus copijs cùm ciuitates præsidiis essent firmandæ, Francis loco aperto par esse non poterat. Intereà Andreas Auria Genuam, eiectis Francis, in potestatem redigit, ac Cæsaris voluntate liberam esse iubet, arce mense Octobri funditus diruta. Receperant Genuenses & paulò antè Sauonam dignitatis suæ æmulam; cuius portum inutilem redditurí, lapidibus & ruderibus replerunt. Sub idem tempus Antonius Leua, vt militem aleret, Mediolanensibus prohibet, ne quisquam domi panem pinsat, nec molitum frumentum habeat, præter eos qui id iuris à se numerata pecunia redemissent (hi octo continuis mensibus tres ei aureos in singulos modios numerauêre) qua pecunia per totum ferè annum peditem equitemque Germanum ac Hispanum aluit, Insubriamque miserrima calamitate pressam Cæsari seruauit, Italis peditibus intereà præda viuentibus. Hoc anno etiam feruebat apud Vltraiectinos bellum. Dies Episcopo & Transisulanis à Burgundis Dordraci dictus erat, quibus Ducibus ad Kalend. Maias contra Geldrum gereretur bellum. Designati sunt Buranus, Rennenbergius, & Schenkius; decreta sedecim millia peditum, equitum sesquimille. Nec tantisper quies. Nam mox circa Nonas Martias magna vi frumenti Vltraiectum à Geldro congesta,

1528

Cæsariani recuperant Capuam, Puteolos, ac Nolam.

Frãci morbo fameq; fracti Neapoli discedunt.

Nihilominùs Fœderati apud Mediolanenses bellum prosequuntur.

Genua eiectis Francis, & diruta arce, libera esse iubetur.

Graue tributum; sed quo tamen Insubria Cæsari seruata.

Feruet apud Vltraiectinos bellum, hinc Burgundis illinc Geldris auxiliantibus.

1528 congesta, recensuit exercitum ad mille trecentos pedites. Ex quibus, paucis vrbi præsidio relictis, cum reliquis Martinus Rossemius, copiarum Geldricarum Dux, Hagam-Comitis per medium hosticum pergens diripit, tertioque die quàm Hagam profectus fuerat opimus spoliis, acceptisque præterea pro viginti adhuc aureorum millium persolutione obsidibus, Vltraiectum regreditur. Circa idem tempus Schenkius in Trãsisulanis, Bubile, præsidium Geldrorum munitum iuxta Campos, obsidet, & vi potitur; inde ad Hassaliam castra transfert, tandemque multo sanguine ea potitur. Quinto Kal. Iunij Florentius Comes Buranus castra è statiuis Leccæ mouens in Velaniam, primò Amisianum præsidium capit, inde tertio die Hattemum contendit. Vbi iunctus ei Schenkius simul oppidum obsidione premunt. Demum post octenos grauissimos insultus deditione capiunt; & paulò pòst Elburgani etiam se dedunt. Decimo sexto Kal. Iulij Harderwica trinis castris à Burgundis seu Cæsarianis circumsessa oppugnatur, paucísq; pòst diebus & ipsa deditur. Intereà Vltraiecti omnia motu plena; miles pro stipendio tumultuatur, calices sacri & alia dantur. Denique Kalend. Iulij, tribus fratribus in suburbio Insulari (*de VVeert*) potissimùm auctoribus, qui portæ eius Præfectum longa ebrietate sibi deuinxerant, & tunc cum suis planè vino obruerant, miles Episcopi eam portam manè ingressus, vrbem Vltraiectinam recuperat. Pedites Burgundi tantùm erant octoginta, equites ducenti quadraginta quatuor, reliqui Amorsfortij voluntarij & exules, in vniuersum quadringenti. Pugnatum acriter in foro Boario, & vico Prætorio. Cæsi Geldri quadraginta duo, Amorsfortij tres desiderati sunt, capti Geldri ad centum pedites, qui ab equitatu Burgundico prohibiti à publico, intra hospitia sua se continuerant. Reliqui milites in omnem partem dilapsi, & maximè per Telonariam portam euaserunt. Pacati nominis ciuibus dictum est, Palatinum (Episcopi nomen) foribus inscriberent; reliqui prædæ dati; senserunt tamen & pacati nonnulli damnum. Durauit direptio triduum. Sæuitum denique in nudos & omnibus spoliatos. Capti hi: Decani duo, ad S. Saluatorem & S. Petrum; Canonici plures; Consulares, Fredericus Vochtius Consul eo anno, Ioannes Huchtenbrouckius, Arnoldus Vuluenus, Godefridus Regius Prætor vrbis, Gerardus Semmius, & alij. Equestres, Gisbertus Varaus, Ioannes Wicanus Loripes; ciuium præterea ingens multitudo. Decanus maioris Ecclesiæ pietate vxoris Vordij exulis latuit; & non multò pòst Montfortium euasit. Quarto Nonas Iulij Episcopus in vrbem venit; octauo Idus, populus in forum Boarium vocatus, Episcopo nouo iuramento obstringitur. Sub 14. Kalend. Augusti in foro Boario gladio admoti sunt Godefridus Regius Prætor, Gisbertus Varaus, & alij tres.

12. Ka-

Rossemius Præfectus Geldrorũ Hagam-Comitis spoliat.

Alia parte Burgundi multa loca munita Geldris adimunt.

Auxiliares Episcopi Vltraiectum armis recuperant.

Durauit direptio vrbis triduum.

Duodecim capite puniti, plures capti.

12.Kalend.eiusdem itidem capite plexi Ioannes Wicanus Loripes Eque- 1528
ſter,& ſex alij; ſeptimus Petrus Coppius produci iuſſus,per foricam carceris portæ Catherinianæ euaſit. Poſtridie Epiſcopus Doreſtatum rediit, ſecum abducens Solmum Decanum ad D. Petri, Venrodium & Cunretorſium Canonicos,& Equeſtrem Huchtenbrouckium. Ex his Venrodius & Cunretorſius culeis inſuti crudeliter in Rhenum abiecti & ſubmerſi ſunt; reliqui vincti plures viginti, reſcripto Burgundico, antequam vlteriùs ſequiretur,ſubtracti ſunt.Tertio Nonas Octobris,pax inter Geldrum & Cæſarem Gorcomij, ac deinde alibi, promulgatur his legibus: Dux Geldriæ Carolus in perpetuum Francico fœderi renuntiato,cum Cæſare nouum perpetuumque inito. Cæſar, deductis præſidijs, Duci capta Geldriæ oppida reddito. Dux, eiuſque virilis tantum ſtirpis liberi è legitimo matrimonio procreati, Geldriam Zutphaniamque vt clientalia beneficia à Cæſare, legitimiſque eius heredibus, non vt à Cæſare, ſed vt ab Hollandiæ Comite ac Brabantiæ Duce, obtineto poſſidetoque. Deficiente legitima virili ſtirpe, Geldria ac Zutphania Cæſari, legitimiſque vtriuſque ſexus eius heredibus,relinquuntor. Si Dux mortuus filiam aut filias ex vxore reliquerit, Cæſar eiúſque heredes, eam aut eas recipito, pro dignitate educato, nubiles cum ſe digna dote viro nobili ac claro in vxorem collocato. Cæſar Duci præfecturam trecentorum ordinariorum equitum concedito, annuam quoque pecuniariam ad vitam penſionem trium millium florenorum perſoluito. Tanti fuit bellum Geldricum, quod annis quinquaginta per interualla tenuit,redimere. Porrò Vltraiectini quoque decimo tertio Kalend. Nouembris ſe Cæſari tradiderunt hiſce Tabulis iam tum 13. Auguſti conceptis: Quoniam Carolus Geldriæ Dux, nullo iure nullaque legitima de cauſa, vrbem Vltraiectinam occupauit, ac ex ea bellum Antiſtiti Heinrico Bauaro intulit, occupatoque oppido Rhena, arce Horſtia ac Emą, vniuerſam ditionem Vltraiectinam ad grauiſſimarum exactionum ſolutionem coëgit, nullo in recuſantes, ſiue profani ſiue ſacri ordinis homines,ſæuitiæ nec calamitatis genere omiſſo, adeò vt vniuerſam tandem prouinciam ſubegiſſent, niſi Caroli Quinti Cæſaris Duces obſtitiſſent, ac pedite equiteque adducto Geldrum repreſſiſſent:ne rurſum in eaſdem recideremus calamitates, ac aliqua ratione Cæſari de factis huius belli cauſa ſumptibus ſatisfieret,communi conſilio,liberaque voluntate conſenſimus, ac tenore præſentium conſentimus, Heinricus Bauarus Antiſtes noſter Cæſari Carolo, tamquam Brabantiæ Duci & Hollandiæ Comiti, pro ſe ſuiſque ſucceſſoribus vtriuſque ſexus legitimis liberis cedat, inque perpetuam poſſeſſionem tradat vrbem Vltraiectum, Amersfortium, Rhenam, Wicam, reliquaque oppida, arces, caſtel-

Canonici duo culeis inſuti, in Rheno merſi.

Pax cum Geldro ſancitur.

Tabulæ publicæ, quibus Vltraiectini ſuo Epiſcopo facultatem concedunt iuriſdictionem ditionis in Cæſarem transferendi.

Nota, Vltraiectinæ ditio tradita Cæſari, tamquã Brabantiæ Duci & Comiti Hollandiæ, non alio titulo.

1528 castella, ac munitiones Prouinciæ agrique Vltraiectini cum omni ap- "
paratu bellico, pagis, villis, prouentibus, cum iurisdictione summa, me- "
dia, infima, mixta, ac denique vniuersum absolutumque profanæ iuris- "
dictionis imperium, ea ratione ac modo quo id præcedentes Antistites "
supra nongentos possedêre rexeréque annos, ac vt absolutum decet Do- "
minum Principemque, cum vniuerso Nedersticht (nempe Ouerstichtij, "
id est Transisulani, dudũ antè in Ianuario se tradiderant) nihil inde exci- "
pientes præter sacram iurisdictionem, ac annuos eius prouentus, qui An- "
tistiti eiusq; successoribus in sempiternum sarti tecti manebunt, quem- "
admodum Curia Episcopalis, quæ est in vrbe Vltraiecto, ac altera An- "
tistite digna in hac Prouincia, quam eliget. Ad hæc Cæsar Carolus An- "
tistiti Heinrico Bauaro singulis numerabit ad vitam annis duo millia "
florenorum, donec tot ei sacerdotia procurarit, quæ dictam in singulos "
annos summam conficiant, eaque in perpetuum Episcopatus reditibus "
adiungi curarit: supplicantes & orantes Romanum Pontificem, hæc "
omnia sua auctoritate approbare, confirmare, ratáque habere dignetur. "

Episcopo relinquitur sola iurisdictio sacra, eius prouentus, duplex Curia, & à Cæsare duo millia florenorum annua.

Hæc primùm à quinque Canonicorum Collegiis, deinde ab Abbatibus, tum ab vrbis Senatu ac Nobilibus fuêre subsignata, sigillisque munita, ac tandem anno sequenti à Papa Clemente 13. Kal. Septembris confirmata. Antistes suæ renuntiationis litteras 12. Octobris huius anni cõsignauit, & Cæsaris Legato Antonio Lalaino Comiti Hoochstratano die 13. Kalend. Nouembris solemniter tradidit; ac postero die populus Vltraiectinus Cæsari sacramentum dixit, hinc 3. Nonas Nouembris Amersfortij, & non multò pòst etiam Wicani & Rhenani. Hoochstratanus, antequam Vltraiecto in Brabantiam rediret, Præfectum vrbis dixit Ioannem Erremondum; Consules Henricum Verborchium & Petrum Merfeltium, Prætorem Ioannem Culenburganum. Mense

Populus Vltraiectinus Cæsari sacramentum dicit, hinc & Amersfortij, & alij.

1529 Aprili anno 1529. Alfonsus Daualus Vastij Marchio contra reliquias Francici exercitus, eorumque Confœderatos, in Regno Neapolitano bellum gessit, eósque maiori oppidorum ac ciuitatum parte eiecit; sed Calabros ac Apulos, defendente eos Melphi Principe Frederico Caraffa, ac Simone Romano (qui duo fortuitis casibus his conatibus periêre) subigere non potuit. Intereà Fani D. Pauli Comes pro Francis in Mediolanensi ditione bellum varia gerebat fortuna, frustrà conatus Genuam Sauonamque recuperare, ac cum suis Confœderatorumque copiis Mediolanum obsidere. Quare Papiam cum altera exercitus parte proficiscitur: quam cùm Mense Iunio occupare iterùm conaretur, ab Antonio Leua iuxta Landrianum pugna superatur ac capitur, cumque eo Ioannes Chastillonnius, Rangonius, Liniacus, Carbonius, ac aliquot alij clariores Præfecti, cum omnibus impedimentis ac tormentis. Qua clade

Vastius cõtra reliquias Frãcorũ in Regno Neapolitano strenuè agit.

Leua quoque ad Lãdrianum in Insubribus Francos superat.

clade territi Franci, vniuersa derelicta Insubria, in Franciam reuertuntur, Confœderatorumque Italorum animi ad pacem inclinari cœperunt. Exinde pax iterùm inter Pontificem ac Cæsarem vigesimo nono ,, Iunij Barcilonæ his transigitur conditionibus: Inter Pontificem & Cæ- ,, sarem pax perpetua esto. Cæsar Alexandrum Medicem, tradita ei in ,, vxorem filia notha Margarita Austriaca, Florentiam reducito, ac in ma- ,, iorum auctoritate constituito. Vt Apostolicæ Sedi sine fraude Imperij ,, restituatur Ceruia, Rauenna, Mutina, Rhegium ac Rubercia, Cęsar ope- ,, ram dato. Pontifex Cæsari Diploma de iusta Regni Neapolitani posses- ,, sione concedito, niueique tantùm coloris equi tributum accipito. Pon- ,, tifex ac Cæsar in Italia ad colloquium prodeunto. Cæsar Francisci Sfor- ,, tiæ rationem habeto, eiúsque causam Iudicibus non suspectis commit- ,, tito. Iurauitque Cæsar dicto die 29. Iulij solemniter Barcilonæ in has conditiones. Miserat paulò antè Cæsar Margaretæ amitæ in Belgium summam absolutamque potestatem transigendi cum Rege Francorum, liberandisque eius liberis; id enim valdè vrgebant, Pontifex potissimùm & Angliæ Rex. Conueniunt Cameraci septimo Iulij, hinc Margarita Austriaca cum Senatu Belgico, illinc Ludouica Regis Francisci mater cum Consilio Francico. Aderat ab Anglo Antistes Londinensis ac Suffolciæ Dux, à Summo Pontifice Capuanus Archiepiscopus, itemque parergôs Confœderatorum Legati. Post varias altercationes, rem maximè promouente Pontificis Legato, Nonis Augusti hæ inter ceteras pu- ,, blicantur conditiones pacis: Pax Madriliana, paucis mutatis, rata esto. ,, Contentus esto Cæsar actione iureque quod sibi tempore fœderis Ma- ,, driliani ac anteà in Ducatum Burgundiæ, Comitatum Auxerroi & vi- ,, cina, competebat. Rex reditu annuo mille librarum Viennensium, quas ,, in Salinas Ducatus Burgundię prætēdebat, cedito. Margaritam Austria- ,, cam, eiusque successores, in perpetuum quoque omni tributo, quod in ,, Salinas Comitatus Burgundiæ Rex obtendebat, liberato. Rex pro re- ,, demptione duorum filiorum Cæsari vigesies centena aureorum lilio- ,, rum millia, puri puti auri persoluito; mille ducenta millia, ante instantis ,, Martij Kalendas, quibus Rex filios est recepturus; ducenta nonaginta ,, millia nomine Cæsaris Regi Angliæ, redditis Cæsari syngraphis; & pro ,, restantibus quingentis ac decem millibus, annuo reditu quinque ad ,, centum, singulis annis viginti quinque millia ac quingentos, donec sors ,, soluatur, super omnia bona Ducis Vendomi in Belgio & aliorum Fran- ,, corum. His rebus perfectis Cæsar, dato Regi Diplomate, eum à pacis ,, Madrilianę legibus liberum pronuntiabit. Sed Rex decimo quinto ante ,, filiorum liberationem die ex Italia omnes milites reuocato, ac exaucto- ,, rato; ditionem Hesdinam cum oppido, arce, ac tormentis Comitatui

1529

Noua iterùm leges fœderis inter Pontificem & Cæsarem.

Agente Pôtifice & Anglo, Legati Cameracum conueniunt sanciendæ etiam paci Franciçæ.

Demum his legibus fit pax.

Inter alia Frācus pro redemptione filiorum vigesies cētena aureorum liliorum millia pendito.

1529 Atrebatensi restituito. Rex iterùm omni iure & prærogatiua quam in « Flandriam, Artesiam, Tornacum, Mortangam, Duacum, Insulas, ac Orciacum allegare potest, libera voluntate cedito, eáque à prouocatione ad « curiam Parisiensem in perpetuum liberato. Ex aduerso Cæsar iuribus & « actionibus quas in ciuitates ad Somonam amnem sitas allegare potest, « absolutè renuntiato. Leonora Cæsaris soror Regi nuptura, cum Regis filiis in Franciam proficiscitor: dotem illi pecuniariam Madrilij promissam Cæsar dato; cui Rex centum millia aureorum liliorum addet, nomine sex millium peditum quæ Cæsari se missurum receperat. Rex Roberto Marcano auxilia nulla mittito, Ducatumque Bullionium à Cæsare « Antistiti adiudicatum relinquito. Philiberto Challonio Aurantij Principatum restituito. Carolus Egmondius, Geldriæ Dux Cæsari reconciliatus hoc fœdere comprehenditor. Hæc Nonis Augusti acta, subsignata ac sigillis munita ante decimumquintum Septembris fuere publicata. Post receptos filios an Rex ista omnia præstiterit, dicetur anno sequenti. Dum hæc Cameraci nondum essent transacta, Cæsar iter in Italiam parans, Proregi Aurantio scribit, omnibus in vnum coactis copiis, Pontificem Clementem ac Medicæos Florentiam vi aut amicitia reducat, ceteraque omnia, quæ Pontificij iuris essent, illi subigat. Aurantius ad Aquilam copias parans, fine Iulij Romam proficiscitur, ac cum Pontifice de belli ratione, militumque stipendiis agens, certam ab eo pecuniæ summam, tormentaque aliquot accipit. Germanis in vnum coactis, Vastius cum Hispanorum peditatu expectabatur. Intereà Cæsar rebus omnibus in Hispania constitutis, vxore filioque Philippo bienni ipsis in Principem relicto, cùm integro septennio in Hispania fuisset, onerariis ac nauibus longis mille equites ac nouem millia peditum imponens, Barcilone classem soluit, ac post quindecim dierum molestam nauigationem duodecimo Augusti Genuam appulit, statimque nuntium de pace Cameracensi accepit, Felicemque Furstenbergij Comitem cum octo millibus Germanorum peditum, ac mille equitibus pecunia sua conscriptis, aduenisse intelligit: qui apparatus Confœderatos Italos insigniter terruit, maximè cùm à Franco Cameraci se desertos viderent. Exceptis Venetis, omnes variis de causis Legatos gratulatum ad Cæsarem misere. Ille Hispanos pedites in Insubriam ad Antonium Leuam mittit, Germanos apud se retinet. Intereà Aurantius cum veteranis Italis ac Germanis decimo nono Augusti Florentiam versus mouet, in itinere Spoletum recipit. Florentini enim, pulsis eiectisque Medicæis, populare Imperium induxerant. Eam iniuriam familiæ suæ factam Papa Clemens Septimus, inita cum Cæsare pace, eius auxilio vindicare cupiebat. Cæsar trigesimo Augusti Placentiam venit, vt inde

Francus omni iure in Flandriam, Artesiam, & Tornacũ, & vicissim Cæsar in ciuitates ad Somonam sitas cedito.

Ducatus Bullionius Episcopo Leodiensi adiudicatus maneto.

Iubet Cæsar Medicæos vi aut amicitia Florentiam reduci.

Cæsar ex Hispania venit Genuam.

Aurantius cum copiis Florentiam versus mouet.

vt inde Bononiam profectus cum Pontifice colloqueretur, reiectis Florentinorum (nisi Medicæos recepissent) ac Ferrariensium Legatis. Aurantius cum copiis haud procul Perusia consederat; quo loco ad eum Vastius cum Hispanico peditatu venit; factaque cum Malatesta compositione, Perusiam obtinuere, ac Pontifici reddidere. Decimo Septembris Cortonenses Aurantio deditionem, persolutis viginti millibus aureorum, fecere. Hos Aretini decimonono sunt secuti. Fine Octobris Aurantius tormentorum inopia lentè progressus, ad mœnia Florentina castra ponit, statímque conspexit, eam se vrbem vnico exercitu expugnare non posse. Certatum est per totum mensem Nouembrem leuibus vario euentu prælijs: quo tempore Pontifex Bononiam profectus, Cæsarem post paucos dies eodem venientem summo cum honore ac gratulatione excepit. Tum Cæsar Franciscum Sfortiam eius se fidei sistentem, ac Venetorum Legatos audit; annitentéque Pontifice, tandem cum vtroque vigesimo tertio Decembris his conditionibus „ transigit: Franciscus Sfortia Cæsari nongenta millia aureorum num-„ mûm persoluito, dimidiam partem ante duodecim instantium men-„ sium finem, alteram partem intra proximum decennium: intereà Cæ-„ sari pignoris loco arx Mediolanensis ac Comensis maneto; qui eas Sfor-„ tiæ primæ pensionis solutione facta, restituet, ac Ducale tum Diploma „ addet. Veneti Rauennam ac Ceruiam Pontifici restituunto, iuris sui in „ his actione seruata. Veneti ante elapsum mensem Cæsari omnia, quæ „ in Regno Neapolitano occuparunt, reddunto, duóque millia auri pon-„ do ex veteris fœderis debito soluunto. Cæsari alia auri millia pondo nu-„ meranto, quingenta ante decem mensium finem, reliqua fine anni. His capitibus firmatis, Cæsar statim Sfortiæ non solùm Insubriam, dimissis militibus, restituit, sed etiam paulò pòst ei cognatam Christianam è Christierno Daniæ Rege ac Elisabetha sorore, decimum agentem tum annum despondit. Veneti quoque extemplò Pontifici Æmiliæ ac Cæsari Apuliæ ciuitates restituêre. Hoc anno mense Septembri nouum morbi genus, quod Sudorem Anglicum dixere, Germaniam & Belgium grauiter afflixit. Antuerpiæ tridui spatio quadringentos aut quingentos homines periisse testatur Erasmus epist. 56. libri 26. Itaque cùm solemnem supplicationem Clerus, Senatus ac populus Antuerpiensis, ipso die S. Michaëlis, placando Deo instituisset, subitò malum serpere desijt. Hoc eodem anno negotium Religionis in Germania æquè erat afflictum. Dicam verbis Cochlæi: Fuit rursus Spiræ celebratus Conuentus Principum. Nam & Turcarum tyrannus potentior iam erat, subacta Vngaria, captaque Buda; & maiori cum exercitu in Germaniam tendere dicebatur: & in Religione indies magis ac magis gli-

1529

Tendit Cæsar Bononiam ad colloquium Pontificis.

Perusia Cæsarianis deditur, & Pontifici redditur: hinc Cortona quoque & Aretium.

Pontifex summo honore Cæsarem Bononiæ excipit

Pactum, Veneti Pontifici Rauennã & Ceruiam redderent, Cæsari ea quæ occuparant in Regno Neapolitano.

Sudore Anglicano quadringenti aut quingenti triduo Antuerpiæ moriuntur.

1529 scebat dissensio; Zuingliana enim factio & apud Heluetios, & apud plerasque vrbes Imperiales, Argentinam, Constantiam, Vlmam, Augustam, Lutheranorum sectæ iam præualebat. At Rex Ferdinandus nulla potuit contra Turcam à sectis auxilia impetrare, nisi pacificè ac securè agere in opinionibus suis eas permitteret. Necessitate igitur cogente consensit in publicum decretum, quo vnicuique quantum ad fidem & Religionem attineret, liceret sic agere, vt de factis suis sciret & Deo & Cæsari rationem reddere. Sed Cæsar illud decretum non probauit. Sub idem tempus librum Teutonicum edidit Lutherus de Bello contra Turcas; vbi defendit suum Articulum, Quòd præliari aduersus Turcas sit repugnare Deo; item, Quòd Deus & Turcam & Papam simili percutiat cæcitate; & similia. Ex quibus denique factum, vt Turcarum tyrannus Solimannus, vastata Vngaria, Viennam caput Austriæ venerit die 21. Septembris, habens in exercitu suo quadringenta millia militum, circumdans vrbem sexdecim castris per circuitum, quæ ad tria aut quatuor milliaria extendebantur; occupans prætereà & pontem Danubij, & suburbia. Iussa fuerat vrbe excedere omnis imbellis turba, quæ magna ex parte in manus hostium incidit. Infantes dissecuerunt medios; mulieres ac senes, quos in seruitutem abducere nolebant, perfoderunt palis, transfixerunt verubus, dissecuerunt gladijs. Rex Ferdinandus fortissimo munierat vrbem præsidio, cuius supremus Capitaneus erat Illustrissimus Dux Bauariæ Rheniquc Palatinus Philippus. Hostes, qui bombardas magnas non aduexerant (quia vrbem subitò occupare intendebant) maxima vrbi præsidioque pericula intentabant cuniculis antrisque subterraneis, quibus vrbem velut pensilem faciebant, & imposito puluere tormentario, eoque incenso, terribilissimis fragoribus rupturísq; muros demoliebantur. Vrbe magna ex parte muris nudata, fecerunt creberrimas oppugnationes, sed inuictum præsidij robur semper cum damno eos repulit. Intereà Rex Ferdinandus, qui in oppido Lintz velut in specula ad Danubium morabatur, magna vndiq; cōciebat auxilia, vt obsessis opem ferret, quorum magna pars in procinctu iam erat. Quod vbi animaduertit Turca, soluit obsidionem incensis castris suis die decimo sexto Octobris, & inglorius Cōstantinopolim reuersus est. Hæc Cochlæus horum pænè spectator. Sub idem tempus, (nempe 14. die Octobris,) Margareta Austriaca Belgij Gubernatrix promulgat Edictum, cuius hæc præcipua verba sunt, ex Gallico translata, vt sunt impressa cum aliis Diplomatibus, Gandaui anno 1559. Cæsar suis fi- «
delibus salutem. Tametsi contra errores & nouitates Martini Lutheri & «
aliorū varias ediderimus Ordinationes, appositis certis pœnis gratiosis, «
(vide suprà ad annū 1526.) nec tamen proficiamus; idcircò vltra ea quæ «
supe-

Vt hæretici simul contra Turcam conferrēt, permittit eis Ferdinandus quæ frater paulò pòst reuocauit.

Publico scripto conatur defendere Lutherus hinc suum Articulum, Quòd præliari aduersus Turcam sit Deo repugnare.

Obsidet Turca Viēnam Austriæ, & maximas etiam in imbelles edit crudelitates.

Actis variis cuniculis fecerat Viennam velut pensilem.

Nihilominùs post quatuor ferè hebdomadarum obsidium Constantinopolim inglorius reuerti cogitur.

1529

Edictum iterùm Belgicum, quo venia fit hæreticis omnibus ante statum diem errores suos eiurantibus.

„ superioribus Edictis à nobis constituta sunt, præcipimus quatenus om-
„ nes in terris nostris habitantes, vel conuersantes, ante vigesimum quin-
„ tum Nouembris proximum, ad manus primarij Præfecti loci, vbi ha-
„ bitant vel versantur, deferant omnes libros & scripta, quæ habent, di-
„ cti Lutheri aut aliorum opiniones continentia, sub pœna confiscationis
„ corporis seu vitæ eius qui hoc facere neglexerit. Et tamen, vt omnes in-
„ telligant, nos neque vitæ neque facultatibus aliorum inhiare; moti mi-
„ sericordia, & de speciali gratia consentimus, vt quicumque priuatim
„ seu etiam publicè perperàm de Fide, de Sacramentis vel Ecclesię consti-
„ tutionibus senserint, si pœnitentia ducti ante dictum vigesimum quin-
„ tum Nouembris apud primarium loci Præfectum errores suos & per-
„ peràm facta eiurauerint, quòd nobis & Iustitiæ hac ratione per omnia
„ censebuntur satisfecisse, saluo, quòd ante finem quindecim dierum pro-
„ ximè sequentium, à Pastore suo vel alio potestatem habente doceant se
„ etiam Ecclesiæ Catholicæ esse reconciliatos; ijs tantùm exceptis qui se-
„ mel in gratiam recepti iterùm lapsi sunt, aut qui in vinculis detinentur,
„ aut quorum lis pendet, qui corrigentur secundùm sua delicta, eorúm-
„ que exigentiam. Datum Bruxellæ decimo quarto die Octobris an-
„ no 1529. Hac hieme (vt diximus) sedebat cum copijs Aurantius ad Florentiam. Intereà Bononiæ ad coronandum corona aurea Cæsarem per Pontificem Clementem necessaria instruebātur: quibus paratis, eam Cæsari magna cum pompa imposuit die 24. Februarij anni 1530. die natali Cæsaris (quo die & Aquisgrani corona argentea fuit redimitus, & Rex Franciscus captus) cùm ante biduum ferream Lombardici Regni coronam capite suscepisset. Peracta coronatione Cæsar multos diuersis ornat honoribus, ac inter alios Antonium Crouiacum Reussij Dominum Comitem renuntiat. Exinde in gratiam recipit Ferrariæ Ducem, ei Carpium oppidum, acceptis sexcentis auri libris, in perpetuum beneficium concedens. Tum Mantuam venit, omniquc magnificentiæ genere à Marchione Frederico excultus, eum ante abitum, dato Diplomate, Ducem creat. Pontifex fine Martij Romam reuertitur. Iam Francorum Rex Franciscus omnia pararat, quæ ad recipiendos obsides filios è promisso fœderis Cameracensis erant necessaria, Cæsarisque syngraphas ac pignora ab Angliæ Rege impetrarat. Itaque Anna Mommorancius, primus Curiæ Regalis Præfectus, mox mense Ianuario huius anni cum auro ad Fanum Ioannis Lusij venit. Comestabilis verò Castellæ cum Regis filijs Fontarabiam, cuius mœnia allabitur amnis Tolosa, Galliam ab Hispania eò loci separans. In hoc amne longa stabat nauis vtriusque Regni ripam ferè contingens anchoris firmata. Hîc monetarij ab vtraque parte de auri natura disputantes, idque examinantes

Excipiuntur tamen hi qui relapsi sunt; aut nunc in vinculis detinentur.

Coronatur Cæsar à Pontifice Bononiæ corona aurea.

1530

Varios variis ornat honoribus & titulis.

Fit apparatus redimendis Regis Franciæ liberis.

1530 (nempe singuli frustulum habebant vnius massę, de qua in fœdere conuenerant) tres ferè triuere menses. Eò tandem descensum, vt Franci summæ mille ducentorum millium, adhuc quadraginta millia addiderint. Tum demum auream monetam naui imponunt, traduntque Comestabilis Castellæ ministris; illi verò Mommorancio sanos restituunt Regis Francisci filios, ac sponsam Leonoram: quos Rex, qui hactenus Burdigalis substiterat, summo cum gaudio suscepit, ac sub anni initium Leonoram in vxorem ducit, menseque Martio corona aurea ad Fanum S. Dionysij redimiri, solemnesque Parisijs nuptias celebrari curauit. Augebatur intereà indies Aurantij ad Florentiam exercitus, quòd facta per Italiam pace, non nisi hoc bellum Florentinum restaret. Vastius, qui trans flumen Arnum vrbem premebat, cum iusta manu Florentia profectus, Empolim expugnat; Volaterras ter frustrà oppugnat. Florentini ab alia parte Ducibus Stephano Columna ac Malatesta, ante auroram Germanorum castra inuadunt. Sed Malatesta tardiùs subsequente, qui priores castra inuaserant, multis trucidatis à posterioribus in vrbem repelluntur. Post captam Monopolim Florentini commeatu egere cœperunt. Eius comparandi causa Ferruccius Florentinorum Dux cum iusta manu Pisas profectus, copias augebat, vi commeatum in vrbem importaturus. Rebus omnibus paratis, cum copijs Pisas egreditur. Aurantius de eius aduentu ac viribus dudum certior factus, cum maiori manu obuiàm progreditur, ac in Pistoriensibus montibus Ferruccium adeptus, prælium committit. Cumque non Ducis, sed equitis officio functurus, inter primos equum calcaribus incitat, bombardæ manualis globo traiectus cadit; Florentini tamen funduntur. Captus Ferruccius à Maramaldo priuatæ inimicitiæ causa occiditur; capitur & Ioannes Cæres cum plerisque clarioribus Præfectis, cecidere è militum vulgo multi. Hac pugna fracti Florentini, cùm denuò castra Cæsariana inuadere statuissent, Malatesta se secuturum negante, quòd res temeritatis plena esset, nihil est factum. Cumque ad seditionem res spectaret, prudentium intercessione necessitati cedentes, quarto Idus Augusti quatuor Oratores in castra ad Ferdinandum Gonzagam (qui Aurantio cæso, Vastio ad Cæsarem profecto, successerat) pro compositione mittunt, ac postero die his legibus conueniunt: Florentini Cæsarianis militibus debita hoc bello stipendia persoluunto. Vrbis status è Cæsaris arbitrio intra tres proximos menses componitor. Libertas sarta tecta maneto. Omnium iniuriarum obliuio esto. Baleonius Malatesta cum duobus peditum millibus vrbis custodiæ præesto. Medicæis patria ac bona restituuntor. His ita transactis Cæsarianorum præsidium in vrbem admittunt, redeuntibúsque cum eis Medicæis, Reipublicæ munia commit-

Demum post trium mensium altercationem addenda adhuc erant quadraginta millia.

Ducit Rex Francia Leonoram sororē Cæsaris.

Florentini obsessi commeatus inopia laborare incipiunt.

Pugna acris, qua Aurantius occubuit vincētibus tamen Cæsarianis.

Leges quibus Florentini Cæsari se tradunt.

committuntur; pauloque pòst Cæsar Alexandrum Medicæum, è Pontificis voluntate, Hetruriæ Ducem renuntiat, tradita ei in vxorem Margarita filia notha. Tenente obsidione Florentina, Cæsar ad Comitia Augustæ in 8. Aprilis à se indicta erat profectus, venitque eò tardiùs, varijs honoribus & pompis in itinere à Venetis & alijs detentus. Ceterùm quis fuerit successus horum Comitiorum, istis verbis commemorat Cochlæus ibidem præsens: Die 15. Iunij in profesto Corporis Christi Cæsar venit Augustam, ab omnibus solemni pompa exceptus. Illoq; adhuc vespere, & altero die manè per suos egit cum Electore Saxoniæ aliisq; Principibus Lutheranæ factioni adhærentibus, vt antiquo more irent simul cum Maiestate ipsius aliisq; Principibus ac Statibus Imperij in Processione publica, qua deportaretur Venerabile Sacramētum Corporis Christi. Illis autem excusantibus sese, & multa obtendentibus, quę circa eam rem suæ obsisterent fidei; petijt tandem, vt si nollent propter honorem Dei comitari, facerent saltem propter ipsum Cæsarem, vt Vasalli & Principes Imperij. At nec ea ratione persuaderi potuerunt. Vnde factum est vt Processionis tempus vsq; in meridiem protractum fuerit. Cæsar verò nihilominùs vnà cum alijs Principibus ac Statibus Imperij, suisque cum Proceribus Hispanicis Burgundicisque, eam Processionem deuotissimè simul & splendidissimè peregit. Lutheranorum verò contumaciam Cęsar ęgerrimè ferens, voluit, vt mox altera die cum saluo conductu abirent domum. Alij autem Principes, pacis & concordiæ auidi, supplicarunt eius Maiestati, vt sedata ira, daret eis publicam audientiam, iuxta tenorem Edicti per quod vocati fuerant. Sic die 20. Iunij incepta sunt Acta publica. In proximo consessu audientiam dedit Lutheranis Principibus, qui ex scripto fecerunt recitari fidei suæ Confessionem Teutonicè; quam & Latinam exhibuerunt, cuius architectus pręcipuus fuerat Philippus Melanchthon. Parant Catholici confutationem, ostendentes Lutherum anteà longè aliter docuisse, exhibueruntque eam Cæsari, Cæsar Principibus Catholicis. Quibus cùm videretur leniùs respondendum, eáque omittenda, dum mutaretur confutandi modus, abierunt dies aliquot. Exhibitus deinde breuior modus, iterùm consultatione Principum in disquisitionem venit, resque vltra tres septimanas extrahitur; gloriantibus intereà Lutheranis, Papistas obmutuisse. Tandem confutatio in publico recitata fuit, & multa vltrò citróque sunt disputata. Intereà Lutherus varios edebat libellos, quibus & Cæsarem Germanis, & Episcopos plebi odiosos redderet; & palàm Augustę prope curiam Electoris Saxonię vēdebantur, in quorum vno inter cetera hæc sunt: Non possum non sollicitus esse pro paupere, misera, derelicta, prodita ac vendita Germania. Post Lutheranos aliam

1530.

Alexandrum Medicæum Cæsar Ducem Hetruriæ renuntiat, dátq; ei vxorem Margaritam filiam notham.

Dux Saxonum Lutheranus cum suis recusat comitari Cæsarem in Processione Venerabilis Sacramenti Augustæ.

Vehementer hinc commotus Cæsar, tamen tādem adhuc eis dat publicam audientiam.

Exhibetur Cæsari Cōfessio, dicta Augustana, architecto Philippo Melanchthone.

quoque

1530

Item aliam fidei confeſſionem exhibent Cæſari quatuor ciuitates Imperiales ex officina Zvvinglij.

quoque fidei Confeſſionem exhibuerunt Cæſari Oratores quatuor ciuitatum Imperialium, Argentinenſis, Conſtantienſis, Memmingenſis, & Lindauienſis, qui ſectam ſequebantur Zwinglij. Quam Cæſar per eoſdem Theologos, qui Lutheranam confutauerant, confutari iuſſit: quæ confutatio publicè itidem recitata eſt. Cæſar diſceſſuris Lutheranis certos propoſuit Articulos in publico Receſſu; nempe, vt intra 15. diem Aprilis proximè futuri darent ſigillatum reſponſum, An per omnia cum ſua Maieſtate & cum aliis Principibus Statibuſque Catholicis in fide conuenire velint, nec ne. Item, vt intereà temporis nihil noui in cau-

Non recipiunt Lutherani Articulos à Cæſare in Receſſu præſcriptos.

ſa fidei ſinerent in terris ſuis edi aut venumdari. Item, vt aduerſus Zwinglianos & Anabaptiſtas cum Catholicis conuenirent. Verùm illi eiuſmodi Articulos recipere noluerunt, & ſine concordia diſceſſerũt. Cæſar autem nihilominùs poſteà cum omnibus aliis Electoribus Statibuſque in generali Receſſu, vt vocant, firmiter concluſit, vt omnes conſtantiſſimè in priſca Maiorum ſuorum religione ac fide permanerent. Hæc acta ſunt Auguſtæ, & ſigillatim ſubſcripta die 19. Nouembris. Deinde diſceſſerunt omnes, Cæſar & Rex frater eius & multi cum eis Principes verſus

Subſcribũt tamen iiſdem Articulis quinque Electores, Principes & Equites ampliùs centum, ciuitates 39.

Coloniam, alij domum. Hæc Cochlæus: qui ad annum ſequentem Lutheri calumniis reſpondens aſſerit, Receſſui huic ſubſcripſiſſe, ſiue per ſeipſos ſiue per legitimos Procuratores, quinque Electores, Principes alios Eccleſiaſticos triginta, ſæculares viginti tres, Abbates viginti duos, Comites & Barones triginta duos, ciuitates Imperiales triginta nouem. Et paulò pòſt, pridie Kalend. Decembris Mechliniæ è viuis decedit Margarita Auſtriaca Cæſaris amita, ætatis anno ferè quinquageſimo

Moritur Margarita Gubernatrix Belgij, ſuccedente Maria ſorore Cæſaris.

ſecundo, Belgicæ gubernationis circiter vigeſimo tertio; ſepelitúrque, vt iuſſerat, corpus Burgis in Hiſpania iuxta fratrem Philippum, cor Brugis Flandriæ apud matrem, Mechlinia, vt patria, ſibi viſcera ſeruante. Iuſtis pro dignitate ſolutis, Cæſar in eius locum Belgis præeſſe iuſſit ſororem Mariam viduam Hungariæ Regis, quam ex Auſtria Auguſtam

1531

Ferdinandus Rex Romanorũ Aquiſgrani coronatur, fruſtrà reclamante Saxone.

perductam, in Belgium ſe proficiſcentem ſequi voluit. Nonis Ianuarij anni 1531. Ferdinandus Bohemiæ ac Hungariæ Rex, Cæſaris frater, Coloniæ Agrippinæ, præſente Cæſare, à maiori Septem-virûm parte Romanorum Rex renuntiatur, reclamante, facta obteſtatione, Saxone, omnibus Proteſtantibus, tertióque Idus Ianuarij corona Caroli Magni argentea Aquiſgrani magna cum pompa redimitur; Cæſarque publicis litteris edicit, eum omnes Imperio ſubditi pro Rege agnoſcant, reci-

Venit Cæſar cum ſorore Maria Hũgariæ vidua in Belgiũ.

piant, ac obediant, expreſsè eadem de re ad Saxonem omneſque Proteſtantes ſcribens. Decimo Nono Kal. Februarij, cùm ſe Aquiſgranenſes Romanorum Regi ſacramento obſtrinxiſſent, poſtero die Cæſar cum ſorore Maria in Brabantiam, Rex Romanorum in Auſtriam contendit.

Hunc

Hunc annum Cochlæus iſtis verbis proſequitur: Cùm Cæſar, aliíque 1531
Principes ac Status Imperij in generali Receſſu conſtanter concluſiſſent,
permanendum eſſe in antiqua fide ac religione Patrum, nihílque inno-
uandum ante Generalis Concilij determinationem, Lutherus, qui probè
ſciebat, quàm fortiter eſſent Electori Saxoniæ confœderati aliquot Prin-
cipes ac ciuitates ſectæ ſuæ, cœpit ferociſſimè proteruire, edens Teuto-
nicè libellos duos; quorum vnum inſcripſit, Gloſſam in prætenſum
Edictum Imperiale; alterum, Præmonitionem ad Germanos ſuos dile-

Lutherus innixus Saxoni & Fœderatis Principibus immẽſùm furit.

ctos. In vtroque ſanè proteſtatur ſe non ſuadere bellum aut ſeditionem,
» cùm interim nihil faceret ſtudioſiùs. In priori iſta habet inter alia: Ve-
» rumtamen cùm videam quòd hunc præcipuum articulum diabolus
» ſemper blaſphemat per ſuos porcinos Doctores, neque quieſcere aut ceſ-
» ſare poteſt; dico ego Doctor Martinus Lutherus, Domini noſtri Ieſu
» Chriſti indignus Euangeliſta, quòd hunc Articulum (Fides ſola, abſque

Vocat ſe Euangeliſtam, proteſtaturq́; contra Imperatorem, Papam, totumq́; mũdum, ſimul cum omnibus dæmoniis.

» omni opere, iuſtificat coram Deo) firmum atque inconcuſſum permitte-
» re debet Romanus Imperator, Turcicus Imperator, Tartaricus Impera-
» tor, Perſarum Imperator, Papa, omnes Cardinales, Epiſcopi, Sacerdotes,
» Monachi, Moniales, Reges, Principes, Domini, totus mundus ſimul
» cum omnibus dæmoniis, & debent inſuper habere ignem infernalem
» ſuper capita ſua, & nullam gratiarum actionem. Hæc Lutherus illo Tra-
» ctatu. Et Tractatu altero: Turca ſanè tam inſanus non eſt, vt contra
» ſuum Alcoranum pugnet aut inſaniat, ſicut faciunt diaboli noſtri Papi-

Probare nititur Lutherus Papiſtas peiores eſſe Turcis, & meros diabolos.

» ſtæ, qui contra proprium ſuum Euangelium furunt atque inſaniunt:
» atque per hoc faciunt Turcam purum ſanctum, ſe verò meros ac veros
» diabolos. Et rurſum: Omnia ſunt per Papæ aſinos obſcurata & oppreſſa:
» ſunt vtique aſini, & quidem magni, rudes & indocti aſini in negotiis
» Chriſtianis. Nam & ego vnus eorum fui, & ſcio me hîc veritatem dice-
» re. Iſta Lutherus. Pergit Cochlæus: Dum hæc in Saxonia fierent, ac gran-
de ad Lutheranæ ſectæ defenſionem conflaretur coniurationis fœdus
quorumdam Principum, Comitúmque & Ciuitatum, Cæſar verò in
Germania inferiore (vbi multas habet Prouincias hereditarias) occupa-
tus eſſet, apud Heluetios multis iniuriis vexabantur Catholici, maximè

Heluetij Catholici contra Tigurinos hæreticos ſe vexantes armaparant.

à Bernenſibus & Tigurinis, qui ceteris erant potentiores. Vnde factum
eſt vt Quinque Cantones Catholici, nempe Lucernenſes, Vrienſis, Sui-
tenſes, Subſiluani, atque Zugenſes, communi decreto bellum Tigurinis
indixerint die quarta Octobris. Mox igitur, hac denuntiatione facta, ad
pugnandum ſeſe ex vtraque parte parauerunt. Die itaque vndecima
Octobris Tigurini, præmiſſo eorum Capitaneo cum cohorte vna ac ſex
bombardis rotatis, ipſi cum optimo quoque milite ac viginti bombardis
grandibus ſubſecuti, tranſcenſo Albi monte, prope Monaſterium quod

1531 Cappella dicitur, tres Cantones Catholicorum, nempe Suitenses, Zugenses & Subsiluanos aggressi sunt. Catholici autem, positis insidiis, statim post congressum retrocesserunt, fugam simulantes. Mox verò valido cum agmine prorumpentes, Tigurinos in fugam verterunt, numerusque cæsorum fuit ad mille quingentos. Repertus fuit in ea strage & Zwinglius omnis discordiæ inter Heluetios auctor, & alij Apostatæ insignes, nempe Abbas & Prior Cappellæ, Commendator Risnacensis, & alij; & ex ciuibus fortissimi quique. Alterum deinde prælium commissum est die decimo septimo Octobris, iterùm Catholicis secundum, hæreticisq; aduersum. Nam Tigurini seu Turicenses post acceptam cladem vocauerunt in auxilium Bernenses, collectóque exercitu circiter triginta millia peditum processerunt in campum, partitóque exercitu in duo agmina, Turicenses versus Zugam, Bernenses versus Lucernam profecti sunt. Quinque autem Cantones Catholici, coniunctis viribus ad octodecim millia peditum habuerunt, congressiq; cum Bernensibus circa fluuium quemdam, compulerunt eos in fugam: in fluuio autem perierunt quingenti, & cæsi sunt in prælio septingenti. Rursus præliatum est die vigesimo quarto Octobris. Tigurini enim ac Bernenses accersierant in auxilium Basilienses quoque & Schafhusenses, volebántque noctu in hostes imparatos irruere. Catholici non omnes erant simul. Lucernenses enim propter Bernenses seorsum habebant exercitum. Alij autem quatuor Cantones, intellecto hostium proposito, albas camisias super arma sua induerunt, vt noctu inter se cognitionis signum haberent. Inito igitur prçlio, primum certamen adeò asperum atque cruentum fuit, vt Catholici circa principia ad quintum vsque membrum seu ordinem cæderentur. Deo autem adiutore, vicerunt tandem, atque hæreticos in fugam compulerunt, cæsis sex millibus eorum. Neque tamen quieuit ira hostium. Vltimo enim die Octobris in Vigilia omnium Sanctorum rursus congressi sunt Turicenses contra quinque Cantones Catholicos, sed nihilo feliciùs quàm priùs. Nam Catholici secunda hora noctis sex millibus inuaserunt eorum castra, cæsisque quinque millibus hostium, reliquos qui non aufugerant, ceperunt. fuerant autem iisce castris octo millia. Tandem intercedentibus multarum ciuitatum Imperialium Imperatoribus, hæretici concordiam cum Catholicis Quinque Cantonibus inierunt, Turicenses quidem die 16. Nouembris, Bernenses verò die 24. eiusdem mensis; hac lege primaria, Singuli singulos absque dis-„ putatione circa suam fidem quietos dimitterent. Hæc Cochlæus. Eo-„ dem hoc anno circa Kalend. Octob. Christiernus Secũdus, Daniæ Rex, exul exactusque, cùm iusta neque à Cæsare, neque ab alio Principe auxilia impetrare potuisset, consensu Cæsaris à Belgis mutuò accipit duodecim

Primum prælium, vincẽtibus Catholicis, vbi cæsus Zvvinglius, aliiq; mille quingenti.

Secundum prælium apud Heluetios, iterùm hæreticis aduersum.

Tertium prælium, pugnantibus iam pro Tigurinis hæreticis non solùm Bernensibus sed & Basiliensibus & aliis.

Cruentum sanè prælium, tamẽ inclinante tandem victoria ad Catholicos, cæsis hæreticorum sex millibus.

Quartum prælium itidem Catholicis prosperum.

Tandem pax sancitur.

decim onerarias naues maiores, ac mediocrem pecuniæ summam, coactisque circiter decem millibus peditum, ac aliquot voluntariis, classi imponit, Norwegiamque versus contendens, inde se Daniam amicorum ope facilè subacturum sperabat. Appellit cum classe Ansloium, munitionémque Aggershusianam deditione obtinet. Ex aduerso adiuti à Lubecensibus Fredericus Electus Daniæ, ac Gustauus Sueciæ Rex, conatibus Christierni facilè restitere. Nam propter hiemis summam ea in regione asperitatem, agi ab vtraque parte parum potuit, nauibus non paucis tempestate deletis. Cuius belli occasione factum est, vt summa annonæ apud Hollandos esset caritas. Lubecenses enim Danis coniuncti Zontam clauserant, nec Hollandos eam transire volebant, ægerrimè ferentes, quòd nauibus & milite eorum instructus Christiernus nouum eis concitasset bellum; quamquam eò Regem Christiernum redegissent, vt Ansloij muris inclusus, se defendere cogeretur, qui & non multò pòst per speciem compositionis in hostium classem cum paucis ingressus, causantium (sed falsò, vt volunt) quòd leges induciarum violare esset conatus, Sundeburgi arci Holsatiæ munitissimæ captiuus includitur, in qua post annos vigintiquinque obiit. Tandem sequenti Iunio Belgæ cum Danis ac Lubecensibus Coppenhauiæ congregati, firmam æternámque pacem fecerunt. Tertio Decembris Cæsar in Germaniam profecturus, primùm Tornacum certis de causis contendit, ibique eo die Equitum Aurei velleris numerum, nouis aliquot adscitis, supplet. Mense Ianuario anni 1532. Cæsar è Belgio Ratisbonam ad Comitia contendit; Kalendisque Februarij Moguntiam veniens, Archipræsule ac Palatino petente, concedit, cum Protestantibus de pace agi liceat. Sed numquam res ad optatum finem peruenisset, nisi Solymannus Turcarum Rex cum trecentis virorum millibus ad expugnandam Austriæ Viennam aduenire fuisset nuntiatus. Quare concedente Cæsare, vt ad tempus Generalis aut Prouincialis Concilij Protestantes sine vlla molestia Religionis nouæ ritibus vterentur, communibus omnes consilijs ac animis auxilia Cæsari contra Solymannum mittunt. Erant autem in Protestantium fœdere Germaniæ Principes septem, Ciuitates viginti quatuor. His se non Religionis causa, sed quòd Ferdinandum Rom. Regem creatum non probarent, Bauari fratres iunxerant; Rex quoque Francorum, qui apud Bauaros centum millia aureorum liliorum deposuerat. Erat & eis operam pollicitus Anglus, qui repudiata Cæsaris matertera, Annam Boulainam ex se in adulterio grauidam vxorem ducere animo decreuerat. Ita Heuterus. Sed Cochlæus huius æui Scriptor in hunc modum narrat ad annum præsentem: Cæsar vt eiusmodi motus conspirationesque sectarum in Germania incruentis consilijs reprimeret,

1531

Auxilia Christiernus Danus à Belgis accipit recuperando Regno, sed nullo fructu.

Tandem Christiernus ab hostibus in carcerem compingitur, vbi post aliquot annos obijt.

1532

Conceditur à Cæsare Lutheranis ad tempus quies vt simul auxilia mittant contra irruentem Turcam.

1532 ret, atque compesceret, indixerat Dietam, vt vocant, Imperialem, Spiræ celebrandam. Verùm vbi intellexit maximum Turcarum apparatum & exercitum appropinquare, transtulit eam Dietam Ratisponæ celebrandam. Vbi cùm conuenissent Cæsar Statusque Imperij, Lutherani Principes cum confœderatis suis seorsum conuenerunt Sueinfordiæ in Franconia. Ad quos Cæsaris consensu profecti sunt duo Electores, Moguntinus & Palatinus Rheni, vt cum ipsis tractarent de maturando aduersus Turcas (qui iam cum maximis copijs in Vngariam peruenerant) auxilio, in Augustana Dieta promisso. Quantum hi apud eos profecerint, non est vulgo cognitum; retulerunt autem Cæsari Ratisponæ. Intereà Turcarum tyrannus maximis cum copijs per Vngariam versus Austriam, vt Viennam rursus obsideret, contendebat. At Cæsar, misso illuc valido præsidio, festinatum, & iampridem Augustæ promissum auxilium exigens, è Burgundia quoque & ex Inferiori Germania egregium accersiuit equitatum. Accurrerunt itaque plurimi vndique è Germania milites versus Viennam: quorum omnium Dux & Imperator per sese voluit esse Cæsar, qui Turcarum tyranno iam denuntiauerat suum aduentum, ad ineundum cum eo prælium. At Turca, qui totis viribus paruum circa fines Austriæ oppidum nomine Gynsam oppugnabat, multis diebus; cùm expugnare non posset, miratus præsidij virtutem, euocauit in colloquium oppidi Præfectum Regi Ferdinando fidelissimum: qui vulneribus, laboribusque & vigilijs confectus animi virtute Turcis admirationi spectaculoque fuit. Vbi cùm accepisset Turca, aduenisse ipsum Cæsarem Viennam vsque, à qua nouem tantùm milliaribus distabat Gynsa, immemor addicti prælij, soluta obsidione turpi fuga retrò abijt, cùm esset alioqui bellicæ gloriæ auidissimus. Ne tamen impunè aufugeret, Cæsar septemdecim millia Turcarum, qui populando moram fecerant, assecutus, internecioni dedit. Dimisso deinde exercitu, relicta Germania, in Italiam redijt; cùm paulò antè, moliente contra Turcas Cæsare, Dux Saxoniæ Ioannes Princeps Elector non longè à Wittenberga in loco venationis mortuus esset. Hactenus Cochlæus. Habuerat Cæsar iuxta Viennam in castris, vt nonnulli scribunt, ducenta sexaginta hominum millia. At flos peditum centum millia, equitum triginta millia non superabat. Dixisse Solymannus ad familiares fertur, non se temulentos Germanos, sed Caroli fortunam reformidasse. Cæsar, cognito Solymanni regressu, in Italiam reuerti statuit, quidquid frater Ferdinandus rogaret, Ioannem Vaiuodam Hungariâ eijceret; cui nil aliud tribuit, quàm vt Itali Austriacis iuncti, Duce Maramaldo, in Hungaria bellum gererent. Sed Itali in seditionem versi, ad octo millia virorum, inuitis Ducibus, domum contendêre,

Cæsare agente Comitia Ratisponæ, Lutherani Principes seorsim in Franconia conueniũt.

Intereà Turca cum maximis copijs iterùm versus Austriam venit.

Occurrens ei Cæsar denuntiat ei prælium.

Turcarum Imp. relicta obsidione Gynsæ, turpi fuga retrò abit; cæsi palabundi Turcæ à Cæsare ad septemdecim millia.

Dictum Solymanni Turcarum Imp. de fortuna Cæsaris.

tendêre, reliqui cum Maramaldo mansere. Cæsar cum veteranis Ger- 1532
manis ac omnibus Hispanis, per Forum-Iulij Venetorumque ditiones
amicè ac pacatè incedens, Mediolanum peruenit, mensequе Nouembri
ad Ordines Imperij dat litteras, iubens pacem Ratisponēsem obseruent,
fratremque Rom. Regem agnoscant, sibi necessariò ex Italia in Hispa-
niam proficiscendum. Sub anni finem Cæsar ac Pontifex iterùm Bono-
niam conuenere, sed in negotiorum communicatione non satis consen-
sere. Optabat Cęsar, Catharinam Medicæam Vrbinatium Ducis filiam
Francisco Sforiæ in vxorem daret; asserebat Pontifex, se eam Duci Au-
reliano Regis Francorum filio promisisse. Tractabant tamen de nouo
inter se ceterósque Italiæ Principes fœdere ineundo, quod demum an-
no 1533. die vigesimo quarto Februarij (die Cæsari toties fausto) perfe- 1533
ctum fuit. Comprehendebantur hoc fœdere Pontifex Clemens, Cæsar,
Rom. Rex, omnésque Italiæ Principes, exceptis Venetis. Hi ad præsentis
Italiæ status defensionem se inuicem obstrinxere, exprimentes, quem
quisque militum numerum ac quantum auri esset collaturus, si quis Ita-
liæ bellum intulisset, atque Antonium Leuam (quem Mediolani ma-
nere volebant) Confœderatorum Imperatorem nominant. Sub hoc
tempus (Cochlæo testante) missi fuerunt in Germaniam Oratores duo:
vnus à Papa Clemente, alter à Cæsare Carolo, qui Principibus ac Stati-
bus Imperij annuntiarent futuri Concilij Generalis celebrationem in
vna ex his tribus ciuitatibus, Mantua, Bononia, vel Placentia. Elector
Saxoniæ differt responsum, donec cum suis cōsultet in Conuentu Smal-
kaldiensi sub finem Iunij habendo. Facta igitur ibi deliberatione, scri-
pserunt responsum, in quo vbique prætulerunt Pontifici Cæsarem, fla-
gitantes vt in Germania celebraretur Concilium. Hæc & plura Coch-
læus. Quæ dum in Germania aguntur, Cæsar sinceræ voluntatis suæ te-
stimonium Italis quoque præbiturus, euocata è Belgio Christierna Da-
na, sororis Elisabethæ filia, eam Francisco Sforiæ in vxorem dat; Fel-
trio Vrbinatium Duci Soram restituit; Columnios Proceres magnis
donis prosequitur; Andreæ Auriæ Principatum Melfitanum confir-
mat; Mantuæ Duci Montferrati Marchionatus Diplomatis spem facit;
Ferrariæ Ducem, adiudicata illi Mutina ac Rhegio, suum paulò antè fe-
cerat; Venetos, restituto Sfortia, sibi conciliarat; Pontificem, debellata
subactaque Florentia, ac desponsata Alexandro Medicæo Margarita fi-
lia, sibi deuinxerat. Atque in hunc modum rebus Italicis constitutis, ini-
tio veris Cæsar Bononia profectus Papiam venit, camposque sua vi-
ctoria, ac capti Francorum Regis, cæsique exercitus memoria nobilita-
tos, extantesque adhuc Francorum castrorum reliquias, monstrante
Vastio, summo cum gaudio inspicit, pleneque de eius pugnæ occasione,

Rursum colloquuntur Pontifex & Cæsar Bononiæ in Italia.

Ipsi, Principesq; Italiæ, exceptis Venetis, fœdus inter se sanciunt.

Denuntiatur Germanis de indicendo Generali Concilio.

Cæsar antequam in Hispaniam traiiciat, omnes passim Italos sibi beneficiis deuincit.

initio,

1533 initio, progreſſu, ac ſucceſſu edoctus, Mediolanum venit. Sfortia arce egreſſus, eam Cæſari relinquit, in priuatam quam in vrbe habebat, diuertens domum. Hîc ſe venationibus, donec omnia ad profectionem parata eſſe ex Auriæ litteris didiciſſet, recreat. Tum Genuam profectus, in ſuburbanis Auriæ magnificentiſſimis hortis excipitur, pauloque pòſt claſſem ſoluens, haud procul Maſſilia ſuborto ſecundo vento in altum delatus, paucis diebus in Hiſpaniam appellit. Hac æſtate dictus Andreas Auria Cæſarianæ claſſis Præfectus, Coronem Græciæ ciuitatem, quam ſuperiori anno, eiectis Turcis, occuparat, Hiſpanorumque præſidio munierat, iuſta Solymanni claſſe obſeſſam liberauit, ac de rebus neceſſarijs recreauit, Turcarum claſſe in varias partes diſſipata, terreſtrem quoque obſidionē relinquere ijs coactis. Intereà Francorum Rex Pōtificem omni pollicitationum genere demulcens, tandem pridie Nonas Octobres Maſſiliam pertrahit, ac poſteaquam admodum amicè inter ſe aliquamdiu communicaſſent, Catharina Medicæa Vrbinatium Ducis filia, inſpiciente ſummopereque lætante Pontifice, Henrico Aureliæ Duci Regis Franciæ filio natu ſecundo, qui poſteà patri in Regno ſucceſſit, nubit, eique decimum ſextum nondum annum ingreſſo mox prima nocte in amplexus venit. Menſe Nouembri Pontifex, rebus omnibus Maſſiliæ cum Francorum Rege ex animi ſententia peractis, Genuam, indeque terreſtri itinere Romam peruenit, hominibus variè de hac eius profectione & Catharinę nuptiis iudicantibus. Hoc quoque anno Henricus Octauus Angliæ Rex, repudiata Catharina Cæſaris matertera, cum qua per viginti annos coniunctè vixerat, filiumque qui paucis diebus vixit, ac filiam Mariam Cæſaris filio Philippo poſteà nuptam ſuſceperat, Annam Boulainam Reginæ Catharinæ pediſequam, ex ſe grauidam, in vxorem, vti credi volebat, acceperat, ac Londini quarto Kal. Iunij corona redimiri iuſſit. Peperit Anna ſeptimo Idus Septembris filiam Eliſabetham, quæ ſorori Mariæ in Regno Angliæ ſucceſſit. Anno 1534. die vigeſimo tertio menſis Martij Rex Angliæ Henricus ob dictum repudium, & putatitias nuptias nullis ſacris admonitionibus

1534 aures præbens, lata Romæ ſententia condemnatur, & Boulainæ coniugium adulterium eſſe pronuntiatur. Quare grauiſſimo contra Romanam Eccleſiam concepto odio, cùm nullam ſui vindicandi aliam conſpiceret rationem, reiecta Sedis Apoſtolicæ obedientia, per ſuum Parlamentum die tertio Nouembris edicit, Regem ſummum caput Eccleſiæ Anglicanæ omnes agnoſcant, capitis pœna his qui non parent conſtituta. In Germania Philippus Haſſiæ Lantgrauius, Auſtriacæ creſcentis potentiæ æmulus, ac dudum à Franco ad concitandum Cæſari in Germania bellum inductus, clàm hoc anno in Franciam proficiſcitur, acceptaq; à Re-

Cæſar Mediolanum, hinc Genuam, inde in Hiſpaniam trāſmittit.

Auria inſignem cladem Turcis in Græcia infert.

Nubit Catharina Medicæa Pontificis neptis Henrico ſecundogenito Regis Frācorum.

Henricus VIII. Angliæ Rex, reiecta vxore, cum qua 20. annos vixerat, iungit ſe Annæ Boulainæ.

Declarato Romæ, Boulainæ coniugium eſſe adulterium, Anglus publicè edicit ſe caput Eccleſiæ Anglicanæ omnes agnoſcāt pœna capitis.

à Rege pecunia, negotium restituendi Vlrichi Ducis Wirtembergij, ante decennium à Sueuico fœdere pulsi, suscipit. Cogit è suis ac sociis pecunia Francica iustas peditum equitúmque copias, ac tribus locis Ducatum Wirtembergicum ingressus, maioréque parte in potestatem redacta, ad oppidum Laufenum, Ferdinandi Rom. Regis copias, quibus Philippus Palatinus præerat, promptioribus cæsis, in fugam agit. Sed mense Iulio pax certis legibus, Vlricho restituto, componitur: quam ea conditione Cæsar confirmauit, vt Vlrichus eiúsque heredes Ducatum Wirtembergij ab Austriæ Archiduce beneficiario iure obtinerent, feminæque in eum non succederent, sed deficiente virili herede Ducatus ad Austriacos deuolueretur, tum certum peditum equitúmque numerum contra vrbem Monasteriensem, quam Anabaptistæ, eiecto Antistite, occuparant, mitteret. Etenim dicti Anabaptistæ ob seditiosa absurdaq; dogmata, è Flandria, Hollandia, vicinísque locis dudum pulsi, cùm in Westphalia magno numero consedissent, tandem qui Monasterij erant, mense Februario huius anni res suas satis ex animo procedere videntes, digladiantibus ibidem toto biennio inter se Catholicis & Lutheranis, vt numero aucti certiùs vim facerent, Coesveldiam, Wesaliam, Warendorpium, ac Osenbruggum ad suæ sectæ homines scribunt, datum sibi à Deo Monasterij Vatem, qui rectam eius voluntatem hominibus exponeret. (Hic erat Ioannes Beukelarius sartor Leidensis Hollandus, paulò pòst Rex ab iis constitutus.) Proinde quamprimùm Monasterium se conferrent, nihil eis defuturum, sed in summa rerum affluentia victuros. Lectis litteris clàm magno numero è dictis oppidis Monasterium confluunt, ac ciuium dissidio opportunè & prudenter vtendum statuentes (ne se Lutherani anticiparent) meliori ciuium parte per seditionem pulsa, Rempublicam inuadunt, Senatum è suis legunt, opportuna vrbis loca præsidiis muniunt, sacella, Nobilium ædes, similiáque in ciuitatis circuitu diruunt. Tum templa eorúmque ornatum diripiunt, ac vt fanatici (diuino enim se Spiritu concitari iactabant) per vrbem discurrunt, horribilique eiulatu ad populum vociferantur, de præteritis pœniterent, ac diuinæ iræ flagella impendentia auerterent. Et post hæc subitò correptis armis, omnes vrbe pellunt qui rebaptizari nolebant, eorúmque bona inuadentes in prædam vertunt. Et quoniam non dubitabant, quin Antistes suis amicorúmque viribus Monasterium esset oppugnaturus, scribunt Harlemum, Amstelrodamum, ac ad aliorum oppidorum præ-
„ cipuos suæ sectæ Præfectos, his inter cetera verbis: Charissimi fratres ac
„ sorores, certiores vos facimus, à Deo nobis patefactum iniunctúmque,
„ singuli vestrûm quàm primùm se instruant profectioni versus nouam
„ electámque à Deo Ierusalem. Tumultus enim horribilis toti instat ter-

1534

Initia belli Germanici occasione pulsi nuper Ducis Wirtembergij.

Restituitur idem Dux certis legibus.

Anabaptistæ Rempublicã Monasteriensem inuadunt.

Pulsis omnibus qui rebaptizari nolebãt, ad resistendum se instruunt.

Inuitant omnes ad fanaticam suam nouam Ierusalem.

1534 rarum orbi, de qua locutus est Ieremias capite quinquagesimo primo, « dicens: Fugiat è Babylone, qui animam suam saluam cupit. Plura non « dico, sed Dei nomine vobis præcipio, vt obediatis, ac opportunum tem- « pus elabi non sinatis. Nemini curæ sit incredulus maritus, nec vxor, « quemadmodum nec immorigeri liberi; opes ac diuitias, maritos, vxo- « res ac liberos noua Ierusalem abundè ac affluenter habet & dabit. Pro- « inde nulla re vos onerate, præterquam auro, argento, panno lineo, veste « vna præcipuaque, ac commeatu, quo in itinere exiguo tempore egebitis. « Curate autem vt ad dimidium milliaris præter Hasselium iuxta Mon- « tis Monasterium, vigesimo quarto Martij circa meridiem conueniatis, « nec anteà nec posteà. Si qui verò venire neglexerint, sanguinis eorum in- « nocens esse volo, eaque de re obtestor. Subscriptum erat, Emanuel. His « litteris in varias ciuitates ac pagos dimissis, conuenere vigesimo primo Martij iuxta Hollandiæ oppidum Monikendamum onerariæ supra triginta varij generis, alter de alterius profectione ignari; nisi quòd singulis in nauibus vnus erat rerum conscius, qui omnium se inscium simulans, diuino prorsus Spiritu impulsos naues huc direxisse, famam spargebat. Id autem stulti imperitique lubenter credebant. Communicatis igitur consiliis, eodem die naues soluunt, ac Swartewateram contendunt. Sed quòd ante vel post vigesimum quartum Martij conuenire non debebant, vno die medio Sinu in anchoris quiescunt. Intereà Transisulani varijs locis de eorum aduentu certiores facti, ignarique quò tanta tenderet quídve moliretur classis, Ducibus Drossardis Vollenhouio ac Geelmudano è proximis ciuitatibus ac pagis magna multitudine cum armis in vnum conueniunt, ac Swartewateram contendentes, descensum Anabaptistis, nisi iustam aduentus dedissent causam, impedire constituunt. Illi Deo fidentes, à nemine vim timebant, ac propterea in terram sine armis pro parte descenderant. Quare facilè ab armatis capti, cùm aliquot Præfecti in tortura rei veritatem edidissent, armorumque ingens repertus numerus verba comprobasset, capite puniuntur, vulgo in nauibus retruso ac custodito, donec Bruxella à Principe Maria didicissent, quid de eis statui vellet. Princeps interfici omnes iussit, qui sectam eiurare nollent, ceteros minis oneratos nudos dimitti. Nautæ cum nauibus sunt dimissi, quòd ignorasse se docuissent qua de causa essent conducti. Reperta est in classe auri argentiq; magna copia, lineæ telæ complures, aliquot millia lancearum pedestrium, gladiorum, sclopetorum cum puluere tormentario, tympana quatuor, & signa militaria quatuor. Hoc auxilio frustrati Monasterienses, è vicinis ciuitatibus ac pagis auxilia contraxerunt, vt Cochlæus subducit, ad trecentos (necquidquam Antistite vias obsidente) ac populum Monasteriensem partim metu, partim

Omnium esset copia, sed tamen auro & argento & lineo panno, nulla re alia, se onerarent.

Onerariæ supra triginta hominum fanaticorum ex Waterlandia illuc tendunt.

Insigniter castigantur à Drossardis Vollenhouio ac Geelmudano.

Omnes qui sectam eiurare nolebant, interfecti sunt, ceteri nudi dimissi.

tim mendaciſſimis promiſſis in partes tractum, ad muniendam vrbem, 1534
propulſandoſque Antiſtitis conatus ſe conferunt. Erant autem huius factionis præcipui auctores Ioannes Matthæi piſtor Harlemenſis, Ioannes Beukelarius ſartor Leidanus, Ioannes Ghelanus, ac Ioannes Campenſis, qui ſe ſummi Dei Vates credi volebant. Hi è ſui ſimilibus Magiſtratum legunt viginti quatuor virorum, è quibus duo Conſules creabantur, Bernardus Cnipperdollius, ac Gerardus Cuipenbrouc. Ciues verò vno conſenſu omnibus occluſis tabernis, ad muniendam vrbem confluebant, cibum è publico accipientes. Primo die dabantur eis carnes recentes; altero, fumo induratæ; tertio, haleca, butyrum, caſeus. Hic modus obſeruabatur ſemper in ordinem rediens; nec ab opere domum ire licebat, niſi tertio quoque die ſemel, idque tempore pomeridiano, ſed ante tenebras redeundum erat. Nocte nemini abeſſe licebat. Singulis quoque diebus ſinguli Vates ad vrbis portas per continuam concionabantur horam, animabantque populum ad defenſionem nouæ Ieruſalem, ac Regni Sion. Premebat Antiſtes vrbem obſidione, ſed erumpit cum trecentis deuotis Retinctis eorum Dux, Vates Ioannes Matthæi Harlemius; ac Antiſtitis caſtra, illata clade non ſemel inuadit, ſpoliaque opima in vrbem refert. Quo euentu ex audaculo temerarius factus, quodam die cum triginta tantùm viris caſtra inuadit; pauciſque cæſis mox repellitur, ac cum maxima ſuorum parte interficitur, magno populi ſtupore, qui primum præcipuumque Vatem numquam à Deo deſertum iri, ſibi perſuaſerant. Sed in huius locum ſuccedit Ioannes Beukelarius Leidanus; qui nocte quadam è lecto euolans, nudus per vrbem diſcurrit, clamitans, Rex Sion adeſt; domumque reuerſus, mutum ſe per triduum ſimulat, ſcribens, Deum linguam ſuam immobilem tenere. Tertio die redditum ſibi linguæ vſum dicens, multa quæ ad belli ac politiæ ſtatum ſpectabant, ex diuina, vt dicebat, inſpiratione ordinauit. Tum prodit in publicum, ac vt ſinguli fortunas omnes in commune adferant, Deum iuſſiſſe ait, eum ſingulis neceſſaria liberaliter largiturum affirmans. Faber quidam ferrarius nomine Hubertus, liberiùs in hos Vates iocatus, ab alio Vate tormenti globo traiicitur, dicente, iuſſiſſe Deum ita faceret. Moyſaicis enim vtebatur verbis auctoritate plenis: Hæc dicit Dominus. Omnibus verò Edictis ac Statutis vitæ pœna tranſgreſſoribus erat conſtituta; periereque ſimiles ob cauſas, aut quòd clàm defectionem meditarentur, ſupra quinquaginta viros, Vatibus ſemper carnificum officio fungentibus. Octauo Kal. Auguſti nouus Vates, opere aurifex, nomine Ioannes Duſentſchuir Warendorpius, in publicum prouolat, feſtinanſque ad Ioannem Beukelarium Leidanum, magno populi confluxu, furenti ac inſanienti ſimilis, Deum iubere ait, Beukelarius

Quatuor Vates Monaſterienſes, creatis Senatoribus & Cõſulibus, ciues omnes vt occluſis tabernis ſe ad muniẽdam vrbem conferant, edicunt.

Prabebatur cibus omnibus è publico, mira œconomia.

Vnus Vatũ in caſtra Antiſtitis erumpens, primò victor, poſteà victus cadit.

Fingit Vates alius iuſſiſſe Deum, omnes in commune facultates conferrent.

Tertius iactat, Beukelarium ſartorem Leidanum à Deo Regem conſtitui.

1534 rius in Dauidis Regnum ſuccedat, Principeſque terrarum omnes ob impietatem ſubigat, pijſque Regnum perpetuum conſtituat, tandem id Chriſto traditurus. Hac ratione Beukelarius omnium conſenſu Monaſterij Rex conſtitutus, Bernardum Rotman Interpretem ſuum nominat, ordinarios ſtipatores duodecim, Conſiliarios quatuor hos, Gerardum Boucbinder Swollanum, Bernardum Crechtinc, vtrumque Sacerdotem apoſtatam, Henricum Rec ac Gerardum Reninc ciues Monaſterienſes. Deinde & Magiſtratum mutat, bellique Præfectos pro arbitrio conſtituit. Poſtremùm conuocato vniuerſo populo ad publicam cœnam, quæ in cœmeterio ſummi templi apparabatur, conuenere hominum vtriuſque ſexus quinque millia, appoſitæque fuere primùm carnes fumo induratæ, tum recentes elixæ (Belgæ *Hutſpot* vocant) potus tantùm cereuiſia fuit. Abſoluta ferè cœna, aduenit Rex, nigra holoſerica amictus tunica; torques aureus à dextro humero ad ſiniſtri ferè lateris femur propendebat, appendebatque illi orbis terræ aureus à duobus tranſuerſis gladijs perforatus. Capitis eius tegumentum aurea ornabatur corona è puro puto auro, dextra eiuſdem metalli ferebat ſceptrum. Deinde (verba ſunt Cochlæi) ſumpſerunt Rex & Regina placentas triticeas, quas fregerunt, aliiſque porrexerunt, dicentes: Accipite & manducate, atque annuntiate mortem Domini. Similiter & cantharum vini cum hiſce verbis: Accipite & bibite ex eo omnes, atque annuntiate mortem Domini. Sic & ſedentes poſteà, alter alteri porrexerunt ſub hiſce verbis: Accipe frater, aut ſoror, & comede ex hoc; ſicut Chriſtus ſe tradidit pro me, ita & ego me tradam pro te. Sic poſteà Rex quoque & Regina cum miniſtris ſuis, atque cum ijs qui ex vigilijs aduenerant, cœnam itidem celebrarunt aſſidentes menſæ. Peracta autem cœna, interrogauit Rex in genere totum cœtum, An parati eſſent omnes facere ac pati voluntatem Patris? Cunctis annuentibus, ait: Hæc eſt voluntas Patris, & hoc eius mandatum, vt aliquos veſtrûm emittam ad annuntiandum mirabilia eius quæ nobiſcum fecit. Deinde nominatim ex ſcheda legit eius Propheta, ſex qui irent Oſnaburgum, ſex qui Caſfeldiam, & alios aliò. Hæc Cochlæus eius temporis Scriptor. Addit Heuterus, quòd cùm quædam concubinæ Regis (erant eæ numero tredecim) iſta non probaſſent, falſo obiecto adulterio capite punitæ ſint, ipſo Rege hanc eis operam dignante. Reliqua dicentur mox anno ſequenti. Hoc anno Romæ moritur Papa Clemens Septimus diuturno morbo tabefactus: ſuccedit Alexander Farneſius Romana familia natus, qui Paulus Tertius nominari voluit, Romanis lætantibus quòd pòſt tredecim Pontifices, ſpatio centum ac trium annorum, iterùm Romani generis Papam in D. Petri Sede ſecundo nonas Nouembris ſedentem vidiſſent.

Sumit ſibi Rex fanaticus ſtipatores duodecim, omniaq́ pro arbitrio conſtituit.

Rex omnibus dat cœnam veſtitu planè regio.

O impios irriſores Cœnæ Dominicæ!

Mittit ſuos Rex ad vicinas vrbes, ipſe ſe interim oblectās concubinis tredecim.

Mortuo Clementi Septimo ſuccedit Paulus Tertius Farneſius Romanus.

Cona-

Conabantur intereà Anabaptistæ varijs Hollandiæ ac Frisiæ locis vires colligere, ac Monasteriensibus auxilio proficisci, sed semper detectæ coitiones fuere. Ianuarij die vigesimo quarto anni proximi 1535. Leidam 1535
Hollandiæ claram ciuitatem occupare voluerunt; sed in tempore aperta Magistratui proditione, armatæ ciuium tribus vi obuiàm eorum cœptis iuere; captiui gladio ac igne periere, feminæ aquis sunt suffocatæ. In Frisia mense Aprili Audecloosteram occupant, muniuntque, sed expugnati, cæsi ac puniti plerique sunt, ceteri in varias partes diffugêre. Decimo Maij Amstelrodami res in summo fuerat periculo. Ædem enim publicam seu Prætoriam occuparant, auxiliaque expectantes, contra ciues aliquamdiu defenderant, discurrentibus interim eorum fautoribus nonnullis per plateas, viris ac feminis partim nudis partim vestitis, ac horrendum inclamantibus, Væ, Væ, Væ, pœniteat vitæ anteactæ, adest postremus mundi dies; nouum Christi instat regnum; impij omnes (Catholicos indicabant) iam iam pœnas sunt daturi. Sed tandem interfecti viginti octo, ceteri capti, aqua, igne, gladio aut laqueo periere: ex ciuibus etiam desiderati aliquot, interque hos alter Consulum. Turbarum architectus fuit Ioannes Ghelius, de quo suprà, Vates Monasterio inter ceteros à Rege emissus, qui simulata pœnitentia, Bruxellæ gratiæ Diploma obtinuerat, atque eo tutus Amstelrodami considebat. Is, cùm aliquamdiu sclopeti continua exoneratione ciues irritasset, globo traiectus occubuerat. Harlemij etiam quidam eius sectæ ædium tecta ascendentes, è cælo consilium ac cibum expectabant. Idem & alij, qui proceras conscenderant arbores, à Deo se extorturos persuaserant. Sed cùm in vanum aliquot diebus rogassent ac expectassent, fame deficientes penum inuisunt. Non pauci stultitiæ pœnas dantes, capti, irrisi ac ignominia notati, ciuitatibus pulsi sunt. Nec melior fuit eorum qui in alias partes missi fuerant, fortuna, de quibus sic Cochlæus Auctor grauis eius æui: At miseri (inquit) ac fanatici homines illi, etsi gratiosi primùm à ciuibus auditi atque recepti fuerunt, præsertim Warendorpiæ & Cosfeldiæ, tamen breue fuit gaudium eorum. Episcopus enim, admoto milite, statim compulit eos ciues, vt furiosos Prophetas in manus ipsius traderent. Osnaburgi quoque mox qui eò venerant, comprehensi fuerunt. Alij item octo qui Susatum venerant, vbi compertum fuit quòd seditionem excitare intenderent, capti ac vltimo affecti sunt supplicio. At qui Episcopo traditi fuerunt, tum liberè tum per torturas interrogati omnia intrepidè confessi fuerunt, ad mortem ita parati, vt ne vnus quidem ex ijs, oblata sibi venia, reuocare aut agnoscere suum errorem voluerit; vsque adeò validè afflati erant à sæuo ac sanguinario spiritu. Interrogati itaque de statu ciuitatis Monasteriensis, multa conformiter respon-

Frustrà tentant Anabaptistæ Leidam suam facere.

Item Amstelrodamum, vbi interfecti viginti octo, ceteri capti pœnas dedere.

Harlemij quidam & alij huius sectæ è cælo frustrà cibum expectant.

Warendorpiæ, Cosfeldiæ, Osnaburgi & Susati de fanaticis his sumptum supplicium.

1535 reſpondiſſe feruntur, quanta eſſet adhuc abundantia in auro, argento, alijſque pretioſis rebus; item in ſiligine, in hordeo ac lardo, in puluere tormentario. Ceterùm modicum ſupereſſe ſalis, caſeorumque & butyri: eſſe autem ibi adhuc bis mille ac ducentos viros armis ac bello validos, quibus ſenæ ſint vxores, ſinguliſque noctibus vigilare quingentos: Regem autem eorum expectare nouas copias ex Friſia & Hollandia; quibus receptis, vellet egredi, totamque terram ſibi ſubiugare. Hoc igitur modo extracta eſt obſidio vſque ad feſtum Natiuitatis Ioannis Baptiſtæ huius anni 1535. Tum verò per transfugam quemdam monſtrata eſt militibus via trāſeundi per aquam ad portam vnam quæ negligentiùs cuſtodiebatur. Per quam noctu ingreſſi milites, occiſis cuſtodibus, ſeſe ibi coniungentes, ac primo manè agminatim irruentes, quoſlibet obuios occiderunt. Deinde commiſſo prælio circa maiorem Eccleſiam, vbi munitiones ſuas habebant Anabaptiſtæ, victi ac cæſi ſunt quicumque arma portabant. Rex verò cum duobus præcipuis Conſiliarijs latitans in turre quadam, inde extractus eſt à militibus, multiſque menſibus in carcere cum alijs duobus reſeruatus, tandem dirum horrendi ſupplicij ſpectaculum factus eſt. Hęc Cochlęus. (nempe anno ſequenti die 22. Ianuarij Rex Beukelarius Sartor, & Conſiliarij duo Cnipperdollinchus & Crechtingus, forcipibus candētibus per horam integram vellicati necantur, extinctique caueis ferreis ſinguli illigati, è ſumma vrbis turri ſuſpenduntur, Rex etiam paulò ſublimior aliis.) Hoc eodem anno 1535. (pergit idem Cochlæus) optimi & doctiſſimi viri Ioannes Fiſcherus Epiſcopus Roffenſis & Thomas Morus ſupremus Cancellarius Regni aliquamdiu captiui, cùm neque diuortium neque defectionem Regis, qua ab obedientia Rom. Pontificis diſceſſit, ſeque ipſum ſupremum caput Eccleſiæ Anglicanæ conſtituit, approbarent, tandem ambo capite truncati, & vltimo ſupplicio publicè affecti ſunt. De quorum ſane paſſione (loquitur idem Cochlæus) ſcripſit quidam in hæc verba: Sexto Nonas Iulij obtruncatus eſt in Britannia Thomas Morus, non minorem conſtantiam in iudicio & ſupplicio præſeferens, quàm iniquiſſimo Athenienſium Senatuſconſulto condemnatus Socrates; paucis diebus ante illum interfecto Epiſcopo Roffenſi. Sed & audi quod vincit omnem feritatem. Caput Roffenſis inditum ſtipiti multis diebus omnium oculis fuit expoſitum; quod non modò non contabuiſſe, verùm etiam multò venerabilius eſſe factum ferebatur. Vbi is rumor percrebuit, mox amotum eſt loco. Et ne quid in Mori capite exiſteret, quo populus religione turbaretur, renouata eſt Thyeſtæa cœna, & caput eius non niſi longa coctura maceratum, quò celeriùs difflueret, haſtili eſt impoſitum. Secuta ſunt & alia plus ſatis Tragica & immania in pleroſque

Monaſterium armis recuperatur, omnibus obuiis occiſis.

Rex Beukelarius & duo Conſiliarij capti, forcipibúſque candētibus diſcerpti, è turri ſingulis caueis appenduntur.

Epiſcopus Roffenſis & Thomas Morus Cācellarius in Anglia capite truncantur, quòd nollent probare diuortium defectionémque Regis.

Caput Roffenſis inditum ſtipiti post multos dies etiam venerabilius conſpicitur.

roſque Monachos in publico edita ſupplicia: demolita quoque Mona- 1535
ſteria, quorum locupletiſſimi cenſus Regis fiſco ſunt addicti. Hęc Cochlæus illius temporis Scriptor grauis. Eodem hoc anno Cæſar certior factus, Hariadenum Barbaroſſam, Argerij in Numidia Regem, Turcicæ claſſis Præfectum, eiecto Rege Muliaſſe, occupaſſe Regnum ac vrbem

Parat Cæſar expeditionem Tunetanam.

Tunetum haud procul veteris Carthaginis ruinis ſitum, Muleaſſem à ſe auxilium petentem reſtituendum decernit, numquam alioqui Siciliæ, Italiæ nec Hiſpaniæ littora à Turcarum inuaſionibus tuta fore iudicans. Itaque condito teſtamento, vxoreque grauida relicta, Hiſpaniæq; cura ei commiſſa, poſtridie Kal. Martij Madrilio Barcilonam proficiſcitur; quò paulò pòſt conuenerunt Belgarum onerariæ, militem & commeatum vehentes, tum & Luſitanorum carauallæ: demum paratis omnibus, trigeſimo Maij, quadriremem quam Andreas Auria cum viginti duabus triremibus adduxerat, conſcendit. Iunij die duodecimo Calarim Sardiniæ appellit, ac in Siciliam veniſſe intelligit Germanos, Hiſpanos & Italos, tum etiam Pontificias Antonij Auriæ, ac Procerum Melitenſium naues, eratque hæc claſſis viginti quatuor triremium, ac triginta ſex onerariarum; ſimul verò coniuncta claſſis ſeptingentarum nauium numerum excedebat. Audito Cæſariani Sacro, claſſem decimo quarto Iunij

Conſcendit Cæſar claſſem, & poſtero die Africam conſpicit.

mari committentes, poſtero die Africam, hoſtiúmque ignes in promontoriorum ſpeculis conſpiciunt. Occupant triremes Portum Farinæ, quatuor milliaribus Guleta diſtantem, vbi Cæſar iactis anchoris, onerarias, quæ poſt tres horas adfuere, expectat. Tum propius Guletam Cæſar mouet, ac Barbaroſſam, qui haud procul cum ſua claſſe abeſſe diceba-

Franciæ duæ naues Tuneto venientes, à Cæſare captæ, dicunt iam edoctũ Turcam de cius aduẽtu à Secretario Regis Frãcorum.

tur, opperitur. Sed cùm aliquamdiu fruſtrà expectaſſet, duæ tãtùm Francorum exploratoriæ naues audaciùs prouectæ capiuntur. Examinati adeò obſtupuere, vt ad propoſita non reſponderent. Receptis animis faſſi ſunt ſe Tuneto ac Guleta venire, tendereq; Maſſiliam: addebantque, Secretarium Franciæ Regis Foreſtium, qui paulò antè cum Barbaroſſæ Legato è Francia venerat, ab eodem Conſtantinopolim miſſum, vt Solymannum de Cæſaris claſſe edoceret; inſtituiſſe verò Barbaroſſam tam Guletæ quàm Tuneti nouas, docente Foreſtio, munitiones. Iunij die decimoſexto pedites equiteſque ac tormenta Cæſariana in terrã exponuntur, expugnatíſque aliquot munitionibus Guletæ appropinquant. Vaſtius productis tormentis à decimo octauo Iunij die vſq; ad vigeſimum

Leuibus prælijs certant Barbari cum Cæſarianis.

tertium continuè Guletanas munitiones rumpit. Guletani leuibus quotidie præliis æquata clade cum Cæſarianis certabant. Habebat in proximis oliuetis Barbaroſſa militum ſtationem, qui Cæſarianis caſtris tormentis ſuis detrimentum inferebant. Cæſar ipſe eò profectus, captis tormentis, cæſiſque ſexaginta Turcis, ceteros pellit, deſideratis nouem viris,

ac

1535 ac leuiter ſauciato Marchione Mondeiari. Iunij die vigeſimonono Muleaſſes ducentis comitatus Afris ad Cæſarem venit. Promittebat ingentia auxilia, ac multum commeatus, ſed verba fuerunt. Quarto Iulij omnibus ferè copiis Guletani erumpentes, pabulatores noſtros, qui magno numero exierant, inuadunt; & quamquam tempeſtas cum fulgure & tonitru omnia perturbaret, repelluntur. Diſpoſitis terra marique omnibus tormentis, decimo quarto Iulij ipſa aurora contra Guletam exonerari incipiunt, durauitque vis vſque ad horam ſecundam pomeridianam. Tum omni exercitu, qui triginta millium erat virorum, ad pugnam parato, cùm Cæſar acies circumequitans militem ad fortiter agendum inflammaſſet, ſignum inuaſionis datur. Cumque aliquamdiu acriter vtrimque eſſet pugnatum, tandem Cæſariani vi irrumpunt, obuióſque omnes ſternunt. Cecidere multi, nec tamen inulti. Capta ſunt Guletæ quadraginta tormenta, inter quæ & Francica, liliis ac iridibus inſignita. Captæ & centum quinquaginta Barbaroſſę naues in ſinum Guletanum ſubductæ. Quidquid erat, exceptis tormentis, militi in prædam ceſſit. Deinde relictis Guletæ ſexcentis militibus, mortuíſque magnis foſſis coopertis, Cæſar vigeſimo Iulij Tunetum verſus mouet, Andrea Auria ad claſſem, vt tormenta reduceret, relicto, ſex tantùm muralibus ac totidem campeſtribus militum corporibus attractis, Cæſarem ſequentibus; milites quinque dierum cibaria adferre iuſſi, cetera erat Auria ſubminiſtraturus. Cæſar vndique armis tectus, Hiſpanico inſidebat militari equo, ferream manu gerens clauam, perequitánſque peditum ordines, verbis vultuſque alacritate omnes animabat. Deinde ad equitum aciem in dextro latere reuerſus, ante cruci affixi Chriſti imaginem ſolus equitabat. Pedites Germani cum tormentis ac impedimentis in medio ibant, à lateribus Hiſpani Italique ſclopetarij, præcedente equitatu. Haud procul Tuneto in oliuetis ſedebat Barbaroſſa centum millia inermium Afrorum habens, ſed decem millibus Turcarum peditum, quos Conſtantinopoli aduexerat, fidens. Appropinquante Cæſare, (neceſſariò enim hac illi iter erat) tormentis vltrò citroque exoneratis, pugna variis locis initur, magno Afrorum cum vlulatu, ac incondito noſtrorum clamore. Afri cùm facta impreſſione nil proficerent, cedebant, iterúmque reuertebantur. Sed magno detrimento à ſclopetariis accepto, haſtatorum Germanorum phalangem horrebant, vitabántque; cúmque ab hac illato pede vrgerentur, inde nimbo pilarum obruerentur, in fugam abeuntes, Turcis pugnam relinquunt, qui pro veteris virtutis fama conſtantiſſimè fortiſſiméque pugnantes, tandem numero obruti, ruptis ordinibus, pro maiori parte cæduntur. Barbaroſſa, deſertis tormentis ac impedimentis, Tunetum re deſperata ſe recipit, maiorem accepturus cladem, ſi Cæſa-

Ruina facta, inuaditur ſumma vi Guleta, ac tãdem capitur.

Milites quinque dierum cibaria parare iuſſi: cum his Cæſar Tunetum proficiſcitur.

Pugnant fortiter, illinc centum ampliùs millia Barbari hinc vix triginta millia Chriſtiani, victoria tandem ad noſtros inclinante.

Cæsariani siti propè enecti insequi potuissent. Vulgus militum, exuta veste linea, repertáque aqua turbida eam immergebat, ac exsugebat. Sed nox necessitati, repertis puteis, auxilium tulit. Summo manè, vigesimo primo die Iulij, castra Cæsar mouet: ac ab aliquot fugitiuis Christianis fit certior, Barbarossam cum equorum ac tormentorum parte, deserto Tuneto, in proximum montem castra posuisse, postero die reliqua ablaturum, ac arcem, incenso puluere tormentario cum captiuis Christianis, ac quidquid auferre non posset, absumpturum; sed captiuos, de prælij euentu, Cæsarísque aduentu certiores factos, ruptis catenis se liberasse, Barbarossam, occupata arce, exclusisse, eúmque deinde Gerbam vsque profugisse. Hæc, albis vexillis expositis, captiui vera esse ex arce testabantur; moxque nonnulli eorum emissi, tutóque ad Cæsarem delati, eum de rei veritate edocuere. Quare nemine resistente Tunetum intrat, seruosque Christianos omnes, qui viginti millium numerum superabat, liberos pronuntiat, vestésque singulis ac aureum donat; quo accepto, tanta cum lætitia Cæsari exercituique fausta precabantur, vt omnibus lacrymas excuterent. Francos seruos Cæsar ad Regis Francisci Legatum mittit; Hispanos, Italos, ac Germanos vt suos tractat, maioremque partem id petentem, militiæ suæ adscribit. Reperta sunt in arce Tunetana tormenta omnis generis complura, tentoria eximij operis, arma varia, erepta etiam Francis infelici expeditione Regis Ludouici sancti. Rex Muleasses ciuibus iratus, quòd nil in tanta opportunitate pro se mouissent, consentiente Cæsare vrbem militi dat diripiendam, fuereque non pauci, qui sibi suísque hîc opes quæsiere, aliis quinquaginta, aliis centum millia aureorum corradentibus. Vigesimo tertio die Iulij Cæsar
» Muleassem in Regnum restituit, tributum ei annuum duorum falco-
» num ac pernicium equorum imponit, vtque deserta Solymanni amici-
» tia, suam colat, præsidiariisque Guletanis stipendia persolui curet. Volebat Cæsar & Algerio Barbarossam pellere, sed impeditus alui fluxu, quo miles promiscuè laborabat, in Siciliam cum classe contendit, Guletæ præficiens Bernardinum Mendosam cum præsidio mille Hispanorum peditum, iustoq; tormentorum numero, ac commeatu, additis decem, Duce Antonio Auria, triremibus. Exinde Cæsar Ioannem Lusitanum vxoris fratrem cum sua classe domum dimittit, ipse tandem vigesimo secundo Augusti Drepanum venit. Hîc militi persolutis stipendiis Cæsar classem dimittit, seruatis tantùm veteranis Hispanis, ac bis mille veteranis Germanis. Cæsarem Siculi centum quinquaginta millibus aureorum honorarunt. Deinde auditis populi querelis, ob malè administratam iustitiam, auctores partim capite plectit, partim exilio aut auro mulctat; restitutáque legibus auctoritate, Ferdinandum Gonzagam Si-

1535

Cæsariani siti penè enecti.

Tuneto à Barbarossa derelicto Cæsar potitur.

Liberantur captiui Christiani ad viginti millia.

Restituit Cæsar Muleassem in Regnũ Tunetanum, tantùm vt præsidiariis Guletanis stipendia solui semper curaret.

Venit Cæsar in Siciliam ac inde Neapolim.

1535 ciliç Proregem nominat. Exin Messinæ conscensa classe, felici nauigatione mense Nouembri Neapolim peruenit. Intereà vigesimo quarto Octobris Mediolani moritur Franciscus Sfortia, Insubrum Dux, nullis ex vxore Christierna, quæ nondum pubuerat, relictis liberis; causa noui inter Cæsarem ac Francum belli. Amicos igitur Francus sibi paraturus, decimo nono Decembris Guilielmum Bellaium Smalcaldiam ad congregatos Protestantes mittit, petens in fœdus admitti. Illi non recusant, modò contra Cæsarem, vt dicebant, nil sanciatur. Idem Regis Angliæ Legato respondent. Cumque fœdus Smalcaldicum in annum tantùm vnum hucusque fuisset initum, ac iterùm sæpiùs renouatum, nunc in de-

Moritur Sfortia Insubriæ Dux nullis relictis liberis, quæ iterùm causa noui belli.

1536 cennium continuauere. Mense Ianuario anni 1536. obiit Catharina Arragona, Cæsaris Caroli matertera, ante triennium à marito Henrico Octauo Angliæ Rege repudiata, ac nunc, vt volunt, veneno sublata, nubili relicta filia Maria, quæ posteà Philippo Regi nupsit. Intereà Franciscus Franciæ Rex, quòd mortuo Sfortia, missis ad Cæsarem Neapolim Legatis pro ditione Mediolanensi, responsum pro voto non obtinuisset, copias rupta pace cogit, Duce Chabotio Ammirali, iubens auunculum Sabaudiæ Ducem ditione pellat, causatus se maternæ hereditatis portionem, cùm amicitia non posset, armis obtenturum. Sciebat enim, hac occupata prouincia, Mediolanum euadere manus suas non posse. Sub idem tempus Geneuenses confœderati Bernensibus, auctore Ioanne Caluino, Archipræsulem suum cum tota religione Catholica eiecerant. Cui cùm Sabaudus auxilio venisset, victores Confœderati, pulso Sabaudo, multa ei ad lacum Lemanum ac Rhodanum opportuna loca adimunt. Accedit & hoc malum à Chabotio: qui cum Francicis copiis in Sabaudiam irrumpens, vniuersam ferè occupat; transgressusque Alpes Pedemontanam regionem inuadit, nullibi iustis, quæ resisterent, repertiis copiis. Vnde facilè in potestatem redigit Turrinum, Fossanum ac Cherium, munitissima Prouinciæ oppida. Vercellas, Antonio Leua præsidium submittente, capere non potuit. Carolus Dux, maiori ditionis parte exutus, cum vxore, filio, ac thesauro ad Cæsarem est profectus. Ineunte vere Cæsar Neapoli Romam profectus, à Pontifice Paulo ac Romanis summo cum honore excipitur. Româ Senas, inde Florentiam, coëuntibus vndiq; copiis venit. Florentiâ Lucam proficiscitur, indeque, transgresso Apennino, Astam veniens, ab Antonio Leua Fossanum expugnatum, ac Franciscum Salussium, deserto Franco, suas partes amplexum discit. Quo felici rerum initio, ad Alpes maturè transcendendas, atque ad interiora Franciæ inuadenda, mirum in modum est inuitatus. Rebus igitur omnibus paratis, subsequente per Liguriæ littora cum instructissima classe ac Italicis cohortibus Andrea Auria, Cæsar per maritimas

Francus rupta pace copias cogit, & primùm in Sabaudia sibi proponit maternam hereditatem.

Eodem tempore confœderati Heluetij hæretici multa Sabaudo quoque adimunt.

Itaque Carolus Sabaudiæ Dux cum vxore, filio, ac thesauro ad Cæsarem confugit.

timas

timas Alpes, ac Tendanos colles, Lugdunensis prouinciæ fines iusto 1536 cum exercitu intrat. Auria Antipolim ac Gratiam capit diripitque. Cæsar, recensitis copiis, circiter quadraginta millia inuenit; promotisque ad Fanum Maximini castris, captisque aliquot oppidulis ac arcibus, Francos compluribus minutis præliis non sine detrimento superauerat, tandemque ad Aquas Sextias, indeque haud procul Massilia castra locans, inspecto vetustæ vrbis situ, Arelatensem agrum latè vastat. At verò dum Francus cogendis contra Cæsarem copiis est intentus, ecce nuntium accipit Delphinum filium, è tribus natu maximum, octodecim annos natum repentino morbo extinctum. Volunt Franci veneno sublatum instinctu Antonij Leuæ Ducis Cæsariani. Sed quæ illi causa, cùm adhuc superessent duo Regij filij? Massæus eo tempore viuens sic habet: Mense Augusto primogenitus Regis mortuus est non sine toxico; quod aiunt sibi propinatum à seruo fratris eius, vt herus suus fieret Delphinus. Hæc ille. Alij explicatiùs inuentum vxoris eius Catharinæ Medicææ interpretantur. Rex Franciscus, receptis præter Francos suos Heluetiorum viginti millibus, ad Cabilonem castrametatur, Cæsarianos pestilenti fluxu alui grauiter laborantes pressurus. Prælio enim nec tunc cum fortunatissimo Cæsare certare ausus erat. Sed is, antequam maiori incommodo vrgeretur (morbo in castris desiderato Antonio Leua viro fortissimo) quo venerat itinere in Liguriam est reuersus, perditis morbo multis viris præclaris, ac supra duodecim millibus militum. Dum Cæsar ad Aquas Sextias castra habet, Henricus Nassauij ac Adrianus Reussij Comites, eductis viginti millibus peditum ac sex millibus Belgarum equitum, in Picardiam contendunt. Capiunt Braiam ad Somonam amnem sitam. Guisam, cæsis præsidiariis, expugnant, arce deditionem faciente. Tum vlteriùs in Franciam profecti omnia in prædam vertunt; quodque auferre non poterant, igne consumunt. Hinc Peronam obsident forti præsidio insessam. Productis tormentis, Cæsariani tribus locis oppugnationem aggrediuntur, factisque ingentibus ruinis, instructis aciebus, cùm continuis quinque horis atrocissimè esset pugnatum, Nassauius, desideratis trecentis viris, receptui canit; desiderarunt Peronenses octoginta quinque viros. Rursum Augusti die vigesimo sexto iterùm Perona vehementissimè oppugnatur, itemque octauo Septembris, sed pari euentu. Nassauius ac Reussius obstinatè ac fortiter resisti videntes, appropinquareque noua Francorum auxilia, deserta Perona, copias ac tormenta diuidunt. Reussius cum Belgis Cameracum, Nassauius cum Germanis Atrebatum proficiscitur. Cæsar, dimisso Genuæ exercitu, conscensisque triremibus, cum Carolo Sabaudiæ Duce, eius vxore sorore Imperatricis, ac filio, deducente Auria, in Hispaniam contendit, ac decimo

Cæsar infestis cum copiis Lugdunensis prouinciæ fines inuadit.

Delphinus Franciæ subitò moritur, non sine suspicione veneni.

Cæsar exercitu pestilenti alui fluxu laborante (quo & Leua obiit) in Italiam reuerti cogitur.

Alia parte Belgæ Picardiam inuadunt, Braiam & Guisam capiunt.

Hinc Peronam, factis ruinis, sed frustrà oppugnant.

Cæsar traiicit in Hispaniam, vnà cum Duce Sabaudiæ, eius vxore, sua sorore, & filio eius.

1536 cimo Decembris felici nauigatione Barcilonam appulit. Hoc iterùm anno Anabaptistæ Pouldikij in Hollãdia, occupata domo munita, se armare conati, à milite quem Senatus Hollandiæ eò miserat, superati dissipantur; capti vtriusque sexus vario mortis genere perierunt. Mense Maio ciuitas Delfensis apud Hollandos fortuito igne ferè tota conflagrauit: & quinto Idus Iulij moritur Basileæ Desiderius ille Erasmus Roterodamus. Æstate huius anni Carolus Geldrus, etsi ferè septuagenarius, quietis impatiens, per speciem domandorum Groningensium, qui ab auctoritate sua, pulso Carolo filio notho, quòd eum Anabaptistis fauere dicerent, paulò antè discesserant, ac ceteros imitati Frisios ad Cæsarem transierant, inaugurato ibi octauo Iunij Cæsaris nomine Georgio Sceinckio, in ea ditione ac Frisia dissimulando Cæsari bellum infert, inito fœdere cum Christierno Tertio Daniæ Rege Cæsaris hoste, causa Regis Christierni Secundi. Meinardus Hammius ac Ioannes Hackeuordius Christierni Tertij nomine tria millia peditum cõscribunt, occupantq; Dammum. Augetur indies è Geldria, Frisia ac Groninga numerus, quòd impunè rapto viuerent. Sub idem tempus Christiernus Tertius obsidebat in Dania Coppenhauiam, pro Christierno Secũdo facientem. Hanc vt Cæsar obsidione liberaret, militem conscribi iubet, ac Frederico Comiti Palatino (qui in vxorem duxerat Dorotheam Christierni Secundi filiam alteram) vt vxoris in Regnum Daniæ ius persequeretur, naues ac pecuniam pollicetur. Palatinus statim in Belgium mittit fratrem Wolfgangum cum quatuor millibus Germanorum peditum, iubetque iungens se Belgis auxilio Coppenhauiis proficiscatur. Sceinckius se breui Dammum expugnare posse existimans, copias omnes Daniæ destinatas Dammo Frisico adhibet. Sed præsidiarij ac ciues pecunia & commeatu Regis Daniæ animati (qui destinere tantùm volebat tantisper Cæsaris vires, donec ipse Coppenhauia potiretur) adeò Dammum munierant, vt nulla vi Sceinckius expugnare posset, quamquam non semel, maioribus tormentis disiectis munitionibus, non sine exiguo detrimento id esset expertus. Quare erectis opportunis ac necessariis locis castellis, fame ad deditionem eos cogere molitur. Intereà Coppenhauij extrema rerum omnium inopia pressi Christierno Tertio deditionem faciunt. Quo intellecto, Wolfgangus Palatinus ad fratrem in Germaniam redit. Tandem & Dammij fame pressi Idibus Septembris Sceinckio se dedunt, nulla alia conditione, quàm vt præsidiarij vacui, albam manu virgulam ferentes, in Geldriam ac Daniam liberi abirent. Exinde Dammi munitiones, Groninganis instantibus, demoliuntur; fossæ replentur, portæ diruuntur, leges ac immunitates abrogantur. Vigesimo secundo die Septẽbris Sceinckius arcem Weddanam ad deditionem cogit. Tum Groningam

Geldrus concitat Danos in Cæsarem.

Occupant Dani Dãmum Frisiæ.

Sceinckius frustrà Dammum aliquoties oppugnat.

Coppenhagia hactenus pro Christierno Secundo faciens, tãdem Christierno Tertio se dedit. Sceinkius Dammo fame domito, ad alia loca à Geldris insessa copias trãsfert.

ningam reuersus, rebusque necessariis constitutis, vxoreque Ioanna Egmondia ibi relicta, ad exercitum, quem ad obsidendam Couuordiam ac Bronckhorstium à Geldris insessa miserat, venit. Post alterum obsidionis mensem Couuordia, rebus omnibus saluis, cum arce deditionem facit. Postridie Kal. Decembris Bronckhorstium iisdem conditionibus in potestatem venit. Coëgerant Geldri haud procul Dauentria iusti exercitus speciem. Contra hos properat Sceinckius, in itinere arcem Diepenhorstiam expugnans: quo eius successu territi Geldri, desertis castris, domum dilabuntur. Posteà pax iterùm cum Geldro est facta, & vigesima secunda Decembris Bruxellæ publicata, militesque omnes qui in Frisia, agro Groningano, Geldria, ditione Vltraiectina, ac Trans-Isulania erant, in Brabantiam, indeque in Artesiam conueniunt, ituri cum Burano ceterisque Cæsaris Ducibus contra Francos. Anno 1537. Kalendis Februarij missa à Rege Francisco Terowanam, dudum ne quid inferretur à Belgis obsessam, auxilia, oppidum noctis obscuritate, ac ingentis tempestatis beneficio deceptis Cæsarianis, intrauere. Tum coactis in vnum copiis, Anna (seu Annæo) Mommorantio Legato constituto, contra Belgas mittit. Deditionem illi statim facit arx Auchiaca. Inde ad oppidum Hesdinum ditionis Atrebatensis castra locat. Cæsariani oppidi imbecillitate diffisi, ad arcem, quæ munitissima erat, se contulere. Præerat ei nomine Cæsaris Sansonius Namurcæus, Borbesij Dominus, cum quingentis peditibus, ac Estrumellius cum totidem aliis. Habebat Rex in exercitu vltra viginti quinque virorum millia: cumque actis cuniculis parum proficeret, productis tormentis ingentem in muro ruinam facit. Aduolant ad hiatum Francorum aliquot cohortes, sed non exiguo accepto detrimento, clarisque aliquot desideratis viris repelluntur, cadente inter alios Carolo Builio, Sanxerræ Comite. Sed cùm Cæsariani non diu se vim sustentaturos censerent, res incolumes pacti, Regi arcem cum oppido ac tormentis reliquere. Hîc Sercinij Domino in præsidio relicto, Fanum D. Pauli, quod hucusque neutrius fuerat partis, cum arce occupat, ac muniri ingenio arteq; Antonij Castelli iubet; interim dum opera fiunt, cum exercitu Pernesij, ne quis ea impediret, sedens. Paulò pòst occupat & Lillerium, præsidioque firmat: expugnat Venantiam in palude sitam, prælio vtrique parti cruento; Marauillæ idem conaturus, nisi Reussius cum quatuor peditum millibus ac sexcentis equitibus aduenisset. Fano D. Pauli nondum planè permunito Rex præficit Ioannem Tureuillium Villaboni Dominū, attributis illi bis mille peditibus, ac sexcentis equitibus; arci verò Reinerum Pallierium cum mille peditibus; qui omnes, æquato cum fossoribus labore, cœpta opera perficere conantur. Exinde Rex Dorlanum reuersus, exercitum dimittit, exceptis octo

1536 — 1537

Pax iterùm cum Geldro.

Franci Terovvanam commeatu recreant.

Occupant Hesdinum & arcem, etsi non sine sanguine.

Itē Fanum D. Pauli & alia quadam loca.

1537

Rex Francorum, ſuis in præſidia diſpoſitis, in Franciam reuertit.

millibus Germanorum peditum, quos Guilielmus Furſtenbergij Comes ducebat, quem Dorlani, additis aliquot equitibus, in præſidio reliquit, vt Fano D. Pauli, exigente neceſſitate, auxilio eſſet. Noua enim opera Reuſſius, cum mille ducentis equitibus ad oppidum vſque excurrens, diligenter inſpexerat. Menſe Iunio Reuſſius Lentſij apud Atrebates copias cogit, ac cum Burç Comite ad Fanum D. Pauli veniens, aperiri portas Cæſari iubet. Reſpondent Franci, expugnata Perona, ſe deliberaturos, quid eſſent facturi. Ægrè fert miles Germanus ſe irrideri. Quare tormentis facta ruina, acceptoque oppugnationis ſigno, ira perciti ad oppidum conuolant. Reſiſtunt acriter Franci. Dumque ad ruinas dubio

Cæſariani cruenta oppugnatione Fanum D. Pauli ſibi vindicant.

Marte pugnatur, quinque Cæſarianæ cohortes ab altera oppidi parte, iuſtum præſidium non reperientes, interfectis viginti quinque cuſtodibus, in oppidum perrumpunt, ac propugnantes à tergo inuadunt. Cæſariani qui ad ruinas pugnabant, ſuos in oppidum perueniſſe intelligentes, tandem quoque vi irrumpunt, nemini parcunt, Præfectos cum militibus interficiunt, capto tantùm Villabonio, Bellaio, Laubino, Blerencurtio, Iuillio, cum paucis aliis. Cecidêre in oppido ac arce circiter quater mille quingenti Franci præſidiarij, exceptis ciuibus; feminis quoque nec pueris parcitum eſt; tanto furore crebris Francorum ſcommatibus irritati fuerant Germani. Inclinante die, Buranus, educto milite, captiuos omnes ad ſe perduci iuſſit. Villabonius Grauelingam miſſus, poſteà pro libertate decem millia aureorum liliorum ſoluit. Rex, intellecta Fani D. Pauli oppugnatione, Annam Mommorantium cum Delphino Henrico in auxilium miſerat. Sed certiores de expugnatione, ad fines

Buranus incenſo oppido dirutaque arce ac munitionibus exercitum ſuum recenſet.

defendendos rediere. Buranus, incenſo oppido, diruta arce, ac demolitis munitionibus, poſteà exercitum recenſet, repperitque circiter quindecim millia Germanorum, ac octo millia Wallonum peditum, Belgarumque equitum octo millia. Motis Fano D. Pauli caſtris, cùm Heſdinum tranſiiſſet, Monſtreulij muros productis tormentis verberat. Canaplæ Dominus, oppido diffidens, impetrata ciuibus ac militibus rerum omnium incolumitate, excundique cum armis poteſtate, Burano

Franci iterùm Terovvanæ res neceſſarias inferunt.

deditionem facit. Eodem tempore Terowanam Franci iterùm de rebus neceſſariis recreant. Iunij die vigeſimo ſecundo Delphinus cum Mommorantio omnibuſque copiis Ambianum venit, euocatoque ad ſe cum Germanis peditibus Furſtenbergio, his alia Germanorum peditum quatuor millia bello Danico ac Monaſterienſi exercitata, quos ducebat

Diſiecta erant Terovvanæ à Burano mœnia & vallum.

Nicolaus Ruſtikius, dictus Gibboſus, iungit; qui cùm Abbeuillam conueniſſent, Annibaldo iubet Terowanam puluerem tormentarium, ac ſclopetarios pedites introduceret. Buranus enim, diſiectis mœnibus ac vallo, in ſummum oppidanos periculum adduxerat. Proficiſcitur Heſdino

dino Annibaldus cum quadringentis ſclopetariis peditibus, ac aliquot 1557
equitibus, ſingulis è humero ſacculum tormentario puluere plenum deferentibus: qui ſine detrimẽto Terowanam intrauere. Annibaldus certo extra oppidum loco cũ equitibus grauis armaturæ eos expectat equites, qui pedites Terowanam erant comitati. At ij pugnandi deſiderio flagrãtes, contrà quàm iuſſum erat, aduenietes Cæſarianos excipiunt, temereq; prælium committunt. Altera enim Cæſarianorum equitum pars auio vſa itinere, Annibaldo à fronte occurrit, inuaditque. Committitur duobus diuerſis locis inter equites acre prælium, deteriori Francorum conditione, quòd à fronte ac tergo interclusi, iniquo loco reſiſterent. Quare tandem, multis deſideratis ſauciatiſque, ruptis ordinibus in fugam coniiciuntur. Annibaldus equo deiectus capitur, ac cum eo Piennæ Dominus, Comes Villarſij, Doius, Capuſſenantius Epirotarum Præfectus, Franciſcus Bernardinus, Sanſacus, aliique nonnulli ordinum ductores. Capuſſenantius capite eſt plexus, quòd à Cæſare ad Regem transfugiſſet. Piennius, liberato Seneſchalco Hannoniæ, liber eſt factus. Hæc ad Guinegatam ſeu Blangiſium, locum Belgarum contra Francos victoriis non ſemel nobilitatum, ſunt acta. Exinde Delphinus cum Mommorantio ad Terowanæ expugnationem impediendam cum viginti ſex millibus peditum, ac grauis armaturæ mille ſexcentis, leuis bis mille equitibus, intra Guinegatam ac Terowanam ad flumen Canchæam munito loco, vnde non facilè ad pugnam cogi poterant, caſtra locant, in omnem rerum agendarum occaſionem intenti. Sed menſis Iulij initio, trium menſium induciæ inter Belgas ac Francos, moderante hinc Arſchoti Duce cum aliquot Cæſarianis Conſiliariis, inde Poietto Præſide Senatus Pariſienſis, ac Berterauo Regis Secretario, his conditionibus conci-
» piuntur: Hoſtilia vltrò citroque ceſſanto. Alter alterius fugitiuos ne re-
» cipiunto. Rex durantibus induciis, in ditionem nec oppidum Fani
» D. Pauli militem mittito, nec locum aliquem munito. Subditi vtrim-
» que liberè commeanto. Rex duobus viris nobilibus, ac ſex eorum co-
» mitibus, tutum per Franciam iter concedito, vt cum mandatis ac litteris
» à Maria Auſtriaca in Hiſpaniam ad Cęſarem pacis tractandę cauſa pro-
» ficiſcantur. Actum Bonnij ſecundo Kal. Auguſti. Subſignauere Delphinus, Maria Auſtriaca, Florentius Buræ Comes, Dux Arſchoti, Anna Mommorantius, ac Conſiliarij. Dum hæc in Belgio aguntur, Alfonſus Daualus Vaſtij ac Piſcarij Marchio, mortuo Antonio Leua, à Cæſare Inſubribus Præfectus, coacta in vnum valida peditum equitumque manu, contra Francos, qui vniuerſam Sabaudiam ac partem Pedemontis, pulſo Duce Carolo, occuparant, contendit, ac Carmagnolam, cùm aliquamdiu obſediſſet, deditione in poteſtatem redigit. Cùmque auxilia

Inſigni prælio vincuntur Franci à Cæſarianis.

Panguntur induciæ inter Francos & Belgas ad tres menſes.

Vaſtius in Sabaudia recuperat Carmagnolam.

1537 Germanorum, Duce Frederico Furstembergio, Guilielmi fratre natu maximo, Vastio superuenissent, iisque sex millia Hispanorum ac quatuor millia Italorum peditum cum iusto equitatu iunxisset, Francos viribus inferiores cedere, ac in præsidia se conferre coëgit. Præerat hoc tempore Francis Humeriæ Dominus, qui militum inobedientia ac Præfectorū dissensione nil poterat, nisi quòd, missis Turinum viginti quinque millibus aureorum nummûm in præsidiariorum stipendium, Pedemontem Vastio relinqueret, cum copiis Sesanam profectus. Vastius Astę in vnum coëgerat 25000. peditum, ac tria millia equitum, tormenta maiora viginti quatuor; cum quibus tertio Kalēd. Septembris Quersium obsidet, pauloque pòst expugnat, diripitque: Albam Pompeiam, dedente Iulio Vrsino, recipit, præsidiariis cum armis & impedimentis Pignarollam in tutum deductis. Hinc Quieram, quam Fregosius præsidio obtinebat, mouet. Sed cùm bis reiectus, tertiam pararet oppugnationem, expectare Fregosius non ausus, Vastio Albanorum conditione Quieram dedidit, ac ad Humerij castra cum præsidiariis proficiscitur. Hinc Vastius Pignarollam ciuitatem amplam, vastam, arte ac iusto prędisio munitam contendit. Præerat vrbi Franciscus Ponteremius, cum quinque millibus peditum Italorum. Quare Vastius vi nil tentandum cēsens, distributo in circuitu exercitu, vrbem obsidet. Intereà Rex Franciscus Lugduni exercitum cogebat, & Delphinum Annamq; Mommorantium secum proficisci ac cum parte copiarum præire in Sabaudiam præcipit. Octobris die decimo profecti Lugduno, Brisonsonij Humerio se iungunt, inde Chaumontium proficiscuntur, Cæsarianosque, qui se, Duce Cæsare Masio Neapolitano, ac Camillo Columna Romano, Susanis vallibus munierant, proximis occupatis montibus pellunt. Vastius Susanæ vallis ac Saltuum amissione intellecta, deserta Pignarolla, Riuolam se cum exercitu confert, Regem, qui in itinere erat, eò loci exspectaturus. Ducenti Hispani, arcem Susanam custodientes, Burrio Regiorum tormentorum Præfecto deditionem, concessa corporum impedimentorumque incolumitate, faciunt. Tum Vastius mutato consilio Riuola profectus, ad flumen oppidi Moncallerij castra locat. Mommorantius cum Delphini copiis Vastium sequens, in itinere arcem Villanam expugnat, ducentosque Hispanos præsidiarios ad vnum omnes interficit. Inde castra Greuillam transfert, tribus à Vastio, qui Moncallerij adhuc erat, milliaribus: qui se imparem Regiis sentiens, deserto Moncallerio, relictisque Quiersij quatuor peditum millibus, Duce Antonio Aragonio, Astam cum exercitu rediit. Cùm Padum Mommorantius, occupato Moncallerio, traiecisset, munitiones ac oppidula omnia quæ circa Fossanum, Albam, Quiersiam, ac Astam erant, in potestatem redigit, vbique

Itē Quersium, Albam Pompeiam, Quieram.

Rex Francorum collecto exercitu Vastio in Sabaudiam occurrit.

Deditur Franco arx Susana.

Vastius Francis impar Astam se recipere cogitur.

1537

vbique ingenti reperta commeatus copia, quo Turino in annum prouidit, eoque loci Regem expectare constituit: qui cùm Carignanum venisset, Delphinum ac Mommorantium ad se vocans, de belli ratione consultant. Intereà nuntius adest, tractari de pace, ac in eam rem inducias vsque in vigesimum secundum Februarij anni sequentis pactas, vnoquoque quod tum obtinebat retinente. Publicantur tertio Kal. Decembris nomine Cæsaris Astæ, ac nomine Regis Carmagnolæ. Kalend. Decembris Vastius, clarioribus comitatus ordinum ductoribus, Carmagnolæ Regem, Delphinum, ceterosque Francorum Proceres inuisit. Dimissis vtrimque exercitibus, Rex in citeriorem Franciam, Vastius Mediolanum rediit, missis Locatam Legatis, qui de pace agerent. Sed cùm de conditionibus conuenire non possent, inducias in sex menses, hoc est in vigesimum secundum Augusti sequentis anni prolongant, mirum in modum Leonora Cæsaris sorore, Regis Francisci vxore, pro pace laborante. Mense quoque Maio Maria Austriaca nomine Cęsaris, magno Belgarum commodo, in tres annos inducias facit cum Christierno Tertio Daniæ Rege, restituta Belgis Zondæ nauigatione. Hoc anno (loquitur Cochlæus) Romanus Pōtifex Paulus III. indixit Generale Concilium Mantuæ celebrandum; ad quod Lutheranos quoq; Principes vocauit. Quod vbi intellexerunt Lutherus & complices eius, variis machinationibus ac scriptis, Concilij auctoritatem impugnare cœperunt. Etenim Wittembergæ euulgarunt 30. Propositiones, contra Concilia publicè disputandas. Inter quas duodecima sic habet: Concilium aut Episcopi congregati errare possunt, æquè benè sicut alij homines. Et sequens hanc ita ait: Si autem non errent, hoc fit à casu, aut ex merito alicuius sancti ac boni viri, qui inter eos est. Sic ibi. Hoc anno Gandenses tumultuari incipiunt, de quo pleniùs biennio pòst. Sub initium sequentis anni 1538. Cæsar cum Pontifice Paulo Tertio ac Venetis nouum 1538
fœdus facit, stipulante pro Cæsare Manrico Aguillarij Marchione, pro Venetis M. Antonio Contareno. Pontifex ipse in Vaticano, vbi hæc agebantur, propria manu subscripsit. Sexto igitur Idus Februarij Pontifex Paulus, Cæsar, ac Veneti, diuisa inter se Græcia, contra Solymannum Turcam Italiæ minitantem bellum decernunt, promittente Cæsare octoginta duas triremes, totidem Venetis, Pontifice triginta sex; quibus Cæsar atque Genuenses onerarias, conuehendo commeatui pedestribusque copiis, addebant, Ferdinando Gonzaga Siciliæ Prorege iis præfecto: vniuersæ verò Confœderatorum classi Andreas Auria Cæsaris nomine erat imperaturus; Pontificiæ Marcus Grimannus, ac Paulus Iustinianus, Venetæ Vincentius Cappella præerat. Sed tantis in vnum coactis viribus, quamquam contrà prodiisset Solymanni Præfectus Hariadenus

Nuntius adest, tractari de pace, & inducias vsque annum sequentem prorogatas.

Induciæ quoque in tres annos cum Danis, restituta Belgis Zondæ nauigatione.

Edunt Lutherani suas Propositiones cōtra Concilium Generale tunc indictum.

Fœdus sanciunt Pontifex, Cæsar, Veneti cōtra Turcas.

Maximis coactis viribus, nullum tamen operæpretium factum.

1538 denus Barbarossa, nihil dignum memoria actum est, Auria pugnam artificio (vt volunt) detrectāte; at paulò pòst nihilominùs Turcarum classe ingenti tempestate fœdè disiecta. Quo perspecto Veneti, soluto fœdere, vel cum Reipublicæ suæ incommodo pacem à Solymanno petiêre ac impetrauêre. Intereà Pontifex certior factus, Locatę nil inter Cæsarem ac Regem Franciscum de pace transigi potuisse, Legatis ad vtrumq; missis effecit, ipsi Principes, eius conficiendæ causa, ad Nicæam prouinciæ Lugdunensis ciuitatem, Sabaudo parentem, se venturos pollicerentur, Pontifice eadem de causa tertio Martij Româ proficiscente, ac decimosexto Maij, ætatis suæ anno septuagesimo quinto, honorifico cum comitatu Nicæam intrante. Exceptus est à Cæsare (qui pridie Villafrancam haud procul Nicęa sitam, mari ex Hispania appulerat) summa cum reuerentia. Paulò pòst Rex Franciscus terrestri itinere Villanouam Nicææ propinquam venit. Vterque Princeps solus cum Pontifice locutus, necessitates ei suas sigillatim exponit. Verùm quamquam Pontifex, summique hinc inde vtriusque sexus Proceres diligentissimè pro pace laborarent, nil tamen aliud quàm decennales inducias impetrare potuerunt, his legibus: Induciæ decimo octauo Iunij huius anni incepturæ, in decennium durantote. Subditi liberè vltrò citroque terra marique commeantote. Quæ nunc vterque tenet, retineto. Agris vtrimque pulsi restituuntor, Neapolitanis ac Siculis rebellibus exceptis. Sabaudus, Genuenses, Florentini, ac quicumque voluerint, induciis comprehenduntor. Factæ Bommij induciæ ratæ sunto. Actum Nicææ decimo octauo Iunij. Pontifex summopere laborabat, Cæsar ac Rex sese inuiserent, amplexarenturque. Sed magnis, vt aiebant, de causis id facere recusarunt, Pontifice tanto honore se frustratum non parum dolente. Promulgatis Nicææ induciis, Leonora Franciæ Regina fratrem Cæsarem inuisit, salutatque; qui statim cum Pontifice Genuam est reuersus, despondítque filiam notham Margaritam, Alexandri Medicæi Florentiæ Ducis viduam adolescentulam, Octauio Farnesio, filio Petri Ludouici Farnesij, qui Pontificis Pauli è legitimo matrimonio erat filius. Genua Cæsar, valedicto Pontifice, in Hispaniam traiecturus, ad oppidum Aquæ mortuæ dictum (olim Fossæ Marianæ) contendit, iis in partibus Regem Franciscum hærere intelligens. Cui cùm per Legatum nuntiari iussisset, se eum amplecti salutareque velle, Rex lætatus ad Cæsaris quadriremem accurrit, eamque cum paucis intrans Proceribus, per horam cum eo solus est collocutus, admisso paulò pòst ad manus osculum Andrea Auria. Postero die Cæsar per præconem edici iubet, ne quis è classe in continentem exeat. Tum ad Regem pransurus contendit, qui cum Regina, duobus filiis, ac magno Procerum numero obuiàm Cęsari prodiens,

Cùm de pace inter Cæsarem & Francum nihil transigi posset, Pontifex arbitrum se offert.

Pontifex maior septuagenario Nicæam ad Reges veniens, nihil tamen præter inducias decennales impetrauit.

Cæsar cum Pontifice Genuam venit, & filiã Margaritam nepoti Pontificis despondet.

Cæsar in Hispaniam reditum parat.

In itinere valdè amicè congrediuntur Cæsar & Francorum Rex.

prodiens, eum ad aulam deducit, apud quem & cœnatus ea nocte dormiuit, poſteroque die iterùm prandet. Exinde ad claſſem honorificè deductus, iterùm Rex cum exiguo comitatu Cæſaris quadriremem intrat; ac aliquamdiu hilariter combibentes, amiciſſimè tandem inuicem amplexi ac valedicentes, Cæſar ſua cum claſſe Hiſpaniam verſus, Rex in citeriorem Franciam contendit. Hæc cùm vtriuſque ſubditi intellexiſſent, ſolemniter gratias Deo egerunt, extructiſque publicis ignibus multa ſibi bona pollicebantur, quamuis pauca ſint ſecuta. Hoc anno pridie Kalendas Auguſti Arnhemi è viuis diſcedit Carolus Egmondius Geldriæ ac Iuliæ Dux, Comes Zutphaniæ, ætatis anno ferè ſeptuageſimo primo, nullis legitimis liberis relictis, nothis verò vtriuſque ſexus quamplurimis, poſtquam quinquaginta ferè annis, vt ſuprà retulimus, bella cum vicinis vario euentu geſſiſſet. Poſitum eſt illi Arnhemi „ſummo in templo Latinum tale Epitaphium: Admirabilis magnifi„centiæ Princeps illuſtriſſimus Carolus Dux Geldriæ & Iuliæ, Comes „Zutphaniæ, Friſiorum, Groningæ, Couuordæ, Tencterorumque Do„minus, ad ærumnas ſuperandas vt alter Hercules natus, & vario rerum „turbine tota vita iactatus, ad omnes fortunæ caſus inuictum animi ro„bur geſtabat. Chriſtianam inferioris Germaniæ Eccleſiam, prauis opi„nionum ſimultatibus pollutam, pectoris verè Chriſtiani conſtantia vel„uti ſacra anchora piiſſimè ſtabiliebat. Poſt infinita præclariſſimè geſta, „tandem mentis iniquo vulnere confectus, obdormiebat in Chriſto, an„no M.D.XXXVIII. Iulij die ſecunda, noctis hora vndecima: vixit 70. an„nos, menſes 7. dies 21. horas 14. Sic Epitaphium. Et quamquam veteris actionis iure, poſtremiſque fœderis legibus ſolus Cæſar eiuſque heredes ei ſuccedere debebant, odij tamen inueterati contra Burgundos cauſa, Dux Carolus dictas regiones, cùm Francis, quod paulò antè tentarat (recuſantibus Geldris) relinquere non potuiſſet, Guilielmo Marcano Cliuiæ Duci, adoleſcēti viginti duorum annorum, Ordinum aliquot aſſenſu, conceſſit: qui paulò pòſt à Geldris in Ducem inauguratus, præcipuis ciuitatibus præſidia impoſuit: quæ res, vt narrabimus, paulò pòſt calamitoſiſſimo bello cauſam præbuit. Obiit etiam hoc menſe Euerardus à Marka, Cardinalis, Antiſtes Leodienſis. Nonis Octobris Leonora Regina Franciæ ac Maria Auſtriaca Cæſaris ſorores Cameraci ſe inuiſunt, ac de initis induciis congratulantur. Poſtero die Rex Franciſcus eòdem venit, nonoque Octobris die ad Fanum D. Quintini perductas, honorificentiſſimè per aliquot dies recreat. Inde Compengam reuerſus, in periculoſiſſimum ex maligno vlcere, quod in ventre eruperat, incidit morbum. Cùm conualuiſſet, in Pedemontem Præfectum mittit Annibaldum; qui ſtantibus induciis, adeò oppida muniuit, ac arcibus in officio populis

1538

Moritur Carolus Geldrus anno ætatis ſeptuageſimo primo, nullis relictis legitimis liberis.

Eius Epitaphium Arnhemi, vbi ſepultus eſt.

Cliuiæ Dux ſcriptus à Geldro heres, Geldriæ inauguratur.

Franciſcus hinc ſe pacem velle, inde nolle oſtendit.

1538 populis continendis instruxit, vt numquam posteà inde Franci vi eiici potuerint. Accidit hoc anno in Hispania illud memoria dignum. Cæsar extra vrbem Toletanam nobiles, equestri ludicro certamine ex prouocatione concurrentes, spectatum, cum Imperatrice iuerat, ac cum eo præcipui totius Hispaniæ Reguli. Ad vrbem redeuntes præcedebat & subsequebatur ingens hominum turba. Præcedebant in equis Proceres, discurrebant Præfecti Magistratuum cum oblongis pro more regionis virgulis turbam dimouentes; quorũ vnus ad præcedentes Proceres adequitans, iter accelerent, aduenientique cum Imperatrice Cæsari locum facerent, admonebat. Infantasiæ Dux, è Mendosiorum familia ortus, Procerum Hispaniæ potentissimus ac ditissimus, sentiens & suum ab eius virga verberari equum, Præfectum rogat, an se nouisset. Affirmat ille, vtque properet, admonet, adesse enim Cæsarem. Dux euaginato gladio Præfectum in capite grauiter vulnerat. Vulneratus Præfectus ad Cæsarem se conuertens, de vi ac iniuria coqueritur. Is se præsente factum molestè fert, moxque Ronchillius Iurisperitus, vnus è tribus Aulæ Cæsaris rerum capitalium Præfectus, ad Ducis latus dextrum modestè adequitans, significabat se eum captiuum Cæsaris iussu ducere. Ægrè id Dux, ægriùs multò eius comites viri nobiles ferre; è quibus vnus Ronchillium accedens, discederet, eum bis seriò admonet: qui vim quoque ac vulnera timens, paret, abitque. Exinde Dux ad aulam suam Toletum reuertitur, comitantibus ferè omnibus, deserto Cæsare, Proceribus ac Nobilibus. Cæsar pro tempore arrogantiam ac iniuriam à Duce sibi legibusque illatam dissimulandam iudicauit, nil in eum grauius statuens, quàm vt domi eum relinqueret, operaque eius in posterum numquam vteretur, renuntiari ei iubens, saucium Præfectum secundùm leges à Iudice pro merito puniri curaret. Dux, actis Cæsari gratiis, cùm se tangi verborum sale perciperet, Præfectum suo sumptu curari, & posteà quingentos ei aureos numerari iussit. Kalendis Maij anno 1539. Toleti è partu obiit Elisabetha Lusitana Cæsaris vxor, filium, qui paucis diebus vixit, enixa, relicto filio Philippo, Maria ac Ioanna filiabus. Rex Franciscus celeberrimas ei Parisiis celebrauit exequias. Eodem mense Gandenses longa Cæsaris absentia, militumque exauctoratione insolescentes, coniurare inter se primùm in vrbe, deinde totam Flandriam, quod in se erat, turbare cœperunt: quod cùm diu clàm esse non posset, iamque famam spargi audirent, Magistratum Cæsarisque Præfectos vrbe pellunt, complurium ædes diripiunt, arreptisque armis, custodias in portis ac muris constituunt. Prima verò seditionis ac coniurationis causa hæc fuit. Anno 1536. vigente ardenteque cum Francis bello, Maria Austriaca Belgarum Gubernatrix, conuocatis omnium Prouinciarum Ordinibus, in Franci-

Magno fastu Mendosius Præfectũ Regium in Hispania vulnerat præsente Cæsare.

Castigat Mendosium Cæsar hoc tantùm, quòd numquam ampliùs eius opera vtetur.

1539 *Moritur Elisabetha Cæsaris cõiunx è partu.*

Gandenses in Flandria tumultuãtur, pulso Magistratu, Præfectisq; Cæsaris.

Francicum bellum obtinuit duodecies centena millia florenorum; è quibus Flandri pro sua parte erant soluturi quadringenta millia. Opposuêre se soli Gandenses Reginæ Mariæ, ceteris consentientibus Flandris. Quare illa ciues Gandenses Bruxellæ, Mechliniæ, Antuerpiæ, aliisque locis repertos honesta custodia asseruari iubet, donec vrbs satisfecisset. Gandenses, re intellecta, anno 1537. mense Augusto Bruxellam mittunt alterum vrbis suæ Syndicum, hominem turbulentum, Leuinum Blommium, qui vrbis nomine Reginæ offert libellum supplicem, petens, ciues dimittantur, allegans Gandenses ad extraordinarias pecuniarum collationes cogi de Iure non posse, ob priuilegia à tribus diuersis Comitibus vrbi collata; primùm anno 1296. à Comite Guidone; deinde anno 1334. à Comite Ludouico Neuersio; tertium anno 1477. à Maria Burgunda, Caroli Audacis filia. Perplacet Reginæ Mariæ, de his iuridicè à Senatu Mechliniano, aut Bruxellæ in arcano Cæsaris Concilio disputetur, priuilegiaque examinentur, se staturam cuiuscumque voluerint Concilij sententiæ; ea tamen lege, intereà suam è quadringentis millibus portionem numerent, si ciues dimitti cupiant. Gandenses Brugas, Iperas, ac ad Franconates mittunt Legatos, petentes contra dictam pecuniariam exactionem secum excipiant. Illi (paucis oppidulis exceptis) fœdus inire recusant. Interim mittunt communi nomine ad Reginam Mariam vigesimo quarto Septembris dicti anni Flandriæ Ordines supplicem libellum, petentes executionem differat, donec Cæsar in Hispania, de controuersia edoctus, sententiam declarasset. Dat in hanc rem Regina Flandris menses tres. Contenti sunt illi: soli Gandenses in pertinacia persistentes, pridie Kalendas Ianuarij contrà obtestantur, breuius esse tempus, quàm vt intereà Cæsar pro rei magnitudine plenè edoceri possit: obtestationemque suam à publico Tabellione in Acta referri petunt, offeruntque Reginæ è veteri more contra Francos in certos menses vrbis sumptu peditum numerum; ac nisi acceptet, de damno ac interesse per Tabellionem obtestantur. Ceteri Flandri, hac in re à Gandensibus dissentientes, consensu Reginæ in Hispaniam ad Cæsarem mittunt. Cæsar audita legatione, lectisque sororis litteris, pridie Kalend. Februarij anni 1538. Gandensibus ac Flandrensibus rescribit, Reginæ Mariæ, vt sibi præsenti pareant; & si aliqua in re iniuriam immunitatibus suis fieri existiment, Senatui id Mechliniano, aut arcano Concilio definiendum committant, horumque in aduentum suum sententiæ stent, nisi pro seditiosis ac rebellibus haberi malint. Gandenses, his intellectis, contumaciores fiunt, ac hoc anno supplicem libellum admodum prolixum ad Cæsarem in Hispaniam, alterúmque ad Reginam Mariam Bruxellam tertiò mittunt, iterùm loco pecuniæ militem offerentes. Huic libello

1539

Aperiuntur eiusdẽ tumultus causa initia, prætextus, progressus.

Placet Mariæ Gubernatrici, de priuilegiis allegatis iuridicè decernatur, interim concessa ad belli sumptus priùs præstentur.

Nihilominùs concedit adhuc mẽses tres, vt intereà ad Cæsarem in Hispaniam mittant.

Gandenses oblatum nihili faciunt; ceteri Flandri mittunt, sed frustrà.

Gandenses etiam contumaciores fiunt.

1539 Cæſar non reſpondit, ſed iter in Belgium animo conſtituens, quid poſteà egerit, ſequenti anno narrabimus. Gandenſes ad rebellionem parati, etſi ceteras Flandriæ ciuitates inſaniæ ſuæ comites fieri nolle ſatis conſpicerent, tamen, cùm Mariam Auſtriacam, non liberatis ciuibus pedites equiteſque cogere, Senatum Mechlinienſem contra ſe ſententiam protuliſſe, eámque executioni mandare cœpiſſe viderent; arma, pulſis executoribus, capiunt, proximaque vrbi munita loca occupant; mox deſperatione in timorem verſi, captiuos aliquot dimittunt. Deinde iterùm reſumptis animis conueniunt, dant nomina, & coniurationi ſubſcribunt;

Miſſis litteris & Legatis ſe cũ vniuerſa Flandria Regi Francorum offerunt.

miſſiſque in Franciam ad Regem clàm litteris, Legatiſque, ampliſſimis cum mandatis, ei vrbem cum vniuerſa Flandria, ſi ſe ſuaque omnia in protectionem ſuſcipere vellet, offerunt. Rex, negotio rectè perpenſo, inducias nulla ratione violandas, oblatione incerti commodi iudicauit, maximè quòd ſpe pacis Ducatum ſe Mediolanenſem à ſincera Cæſaris liberalitate breui pro filio ſuo Carolo obtenturum confideret.

Mittit Francus Gandenſium litteras in Hiſpaniam ad Cæſarem.

Perſcribit igitur ſtatim Cæſari in Hiſpaniam, quid Gandenſes moliantur, eorumque ad ſe ſcriptas litteras vnà mittit. Tum Cæſar, re diu multumque perpenſa, per Franciam in Belgium proficiſci ſtatuit, etſi plures Regi non fidendum eſſe affirmarent, præmiſſoque Granuellano, accepta fide Regia & publica, ea conditione pacis leges conſcriberentur, quas in Belgio confirmaret, ne in Francia coactus feciſſe videretur, itineri ſe menſe Nouembri paruo cum comitatu committit,

Hinc ergo, etſi periculoſa profectione, Cæſar per Franciam celeriter in Belgium tendit.

præficiens Hiſpaniæ Ioannem Talaueram Cardinalem Toletanum, ac Commendatorem Couos. Rex Franciſcus, valetudine nondum planè cõfirmata, Compenga Cęſari obuiàm proficiſcitur, filio Carolo ad Fanum D. Sebaſtiani, Delphino ad Fanũ Ioannis Luſij pręmiſſo. Vnde cum Cæſare Baionam, Burdegalem ac in Pictauiam menſe Decembri terreſtri itinere peruenere, cùm paulò antè Octobris die vigeſimo quarto Buræ obijſſet Florentius Egmondius Buræ Comes, Dominus Iſelſteinij, Leerdami, &c. vir conſilio manuque promptus. Menſe
1540 Ianuario anni 1540. Cæſar Chaſtellerautium venit, vbi Regem cum Regina Leonora repperit, à quibus ſummo cum honore pompaque receptus eſt.

Amboſiæ ſummo cũ honore põpaq; à Rege Francorum excipitur.

Inde Amboſiam Reges noctu intrauère, tot in arce, quæ in edito eſt colle ſita, reſplendentibus tædis ac facibus, vt mox meridiem referret. Intrante Cæſare priorem arcis turrim, vnus facem ferens (caſu an ſtudio mihi ignotum) eam ſecretè incendit: cuius flamma cùm tapetes vndique inuaſiſſet, fumum ingentem excitauit, ita vt Cæſar cum pleriſque aliis ferè fuerit ſuffocatus. Capti aliquot perpetrati facinoris ſuſpicione laborantes, cùm eos Rex ſtrangulari iuſſiſſet, exorante Cæſare vitam ſeruauere. Amboſia Bloſium, inde Aureliam Reges peruenere;

nere; disputatumque hîc fertur, variantibus sententiis, de retinendo Cæsare; sed contradicente Comestabile Mommorancio, nil fuisse conclusum. Aurelia Fonteneblaum, inde Parisios Cæsar venit, non aliter ab omni hominum ordine, sexu ac genere exceptus, quàm si Rex ipse primùm inaugurandus aduenisset. Septem in vrbe Regia moratus dies, Chantilli, Comestabilis arce, honorificè tractatur; emensúsque Picardiam, ac à Rege ad Fanum vsque D. Quintini deductus, Cameracum, indéque vigesimo primo Ianuarij Valencenas Hannoniæ venit, hucusque eum Baiona, Regijs filijs, Comestabile, ceterísque Franciæ Proceribus comitantibus: qui cùm aliquot diebus honorificè ac lautè Valencenis fuissent excepti, à Regina Maria, Belgarúmque Proceribus deducti, valedicto Cæsare, in Franciam ad Regem patrem reuertêre. Valencenis Regis Francisci Legatus à Cæsare petit, pacis conditionibus in Francia conceptis ex promisso subscribat. Respondet Cæsar, Ordinum Belgij, fratrísque Ferdinandi, qui in itinere erat, consensus accederet, se optare. Qui cùm sub idem tempus in Belgium venisset, duabus Germanorum peditum legionibus comitatus, cum eodem, comitante sorore Maria, omnibúsque ferè Belgarum Proceribus, mille quingentos equites adducentibus, Cæsar Gandauum vigesimo quarto Februarij intrat; statímque ad omnes vrbis portas, murorúmque ambitum custodiæ, ne quis elaberetur, collocantur. Tum euocato Procerum Senatúsque Flandriæ Concilio, Aduocatum Fiscalem accusationem contra rebelles Gandauenses instituere iubet. Repetit is ea quæ diuersis temporibus Gandenses suprà à nobis commemorata fecissent, exactè respondens ad allegata ab ijs priuilegia, à dictis tribus Comitibus concessa. Vtpote Comitis Guidonis priuilegium tantùm loqui docebat de pecuniaria impositione, non vniuersæ Flandriæ facta, sed soli vrbi Gandensi imperata; imò addita conditione, si maior pars ciuium, qui ex annuo viuunt censu, in imperatam pecuniam consensissent, omnes tum Gandenses teneri; quantò igitur eos magis debere teneri, cùm vniuersa Flandria rogationem admisisset? Quod ad Ludouici Neuersij priuilegium attinet, id loqui non de Flandriæ Comitibus, sed singularibus hominibus in vrbe aut ditione tyrannidem contra Comitem molientibus. Mariæ Burgundæ priuilegium, quam cæso patre captiuam in vrbe detinebant, vt vi extortum eos allegare non posse, quòd non solùm fuerit violentum, sed etiam quòd Maria eodem tempore contrà sit obtestata. Pudere igitur Gandenses potiùs debere, quòd tam iniquum Diploma producant. Adhæc Gandenses anno 1485. eidem priuilegio etiam cessisse: tum anno 1525. certa de causa iam dictis tribus priuilegijs prolatis, ac è Iuris formula examinatis, pronuntiatum fuisse, ijs non obstantibus,

1540

Deducitur Cæsar à Rege vsque ad Fanum D. Quintini, sed à Regiis liberis vsque Valencenas.

Cæsar cinctus duabus Germanorum peditum legionibus & mille quingentis equitibus Gandauum ingreditur.

Aduocato Flandriæ Concilio, iubet Fiscalem suũ cõtra Gandenses rebelles Iure agere.

Respondet Fiscalis ad singula priuilegia à Gandensibus allegata.

Exaggerat idem Fiscalis varias Gandauensium insolentias, concluditq́; petens eos Maiestatis reos decerni.

1540 Flandriæ Comites pecuniarias per prouinciam collationes de iure imperare posse. Gandenses Reussij Comitem, Gandauum à Cæsare cum litteris missum, irrisisse, suppositítiasq́; litteras dixisse, donec sacramento vir tantus contrarium affirmasset; quo tamen non obstante, frigido cum responsó dimisso Reussio, nec Cæsari nec Reginæ Mariæ scripto respondere esse dignatos. Hinc ad alia digressus, ac quàm varijs rationibus crimen læsæ Maiestatis incurrissent edocẽs, tandem concludit, Gandenses, quíque cum eis fecissent, non solùm priuilegia omnia ob rebellionem amisisse, sed vitæ etiam bonorumque omnium pœnam incurrisse; petere se ex merito, iuris æquitatísque dictatu, sententia proferatur.

Gandensium Aduocatus prolixè respondet, sed frigidè, ac demum ad Cæsaris clemẽtiam eos confugere testatur.

Ad hæc Gandensium Aduocatus ex scripto prolixè respondet, sed frigidè ac eneruè; ac tandem conclusurus, quæcumque ad mouendam commiserationem facere poterant, adfert, ádque solam Cæsaris innatam clementiam Gandenses confugere profitetur. Cæsar diu ac maturè cum Proceribus ac Consiliarijs habito super lite consilio, tandem pridie Kal. Maij hoc anno, in publico Senatus consessu, ceteris paulò altiùs eminens, sententiam his verbis inter cetera pronuntiari iubet:

Cæsar tandem hanc in publico Senatus cõsessu sententiam pronuntiari iubet.

« Notum facimus, consilio Procerum Aurei velleris, Præsidum diuersarum Curiarum, ac complurium aliorum magnæ eruditionis ac prudentiæ virorum examinata accusatione contra Gandenses instituta, eorumque defensione, nos definitè declarare, vrbem incolásque Gandenses omnes ob ausam rebellionem incurrisse crimen læsæ Maiestatis, perdidisseque omnes immunitates, priuilegia, ac quæcumque vim, auctoritatem ac iurisdictionem hanc aut similem habent. Declaramus ad hæc ac pronuntiamus bona, census annuos, ædes, apparatum bellicum, campanam dictam Rolandus, ac similia quæ vrbis Gandensis, Tribuni textorum, quíque cum eis faciunt, propria ex publico sunt, fisco nostro cedere; inhibentes, ne in posterum bellica tormenta vlla ampliùs conflari curent, nec habeant.

Sublatis priuilegijs, præterea certo numero ex Magistratu & ciuibus, nigris induti, nudis capitibus compareant. Item alij linea tantùm supra nudum vestiti, & collo laqueum gestantes, omnes ad genua Cæsari prouoluti veniam petant.

Postremò vtriusque Banchæ hoc tempore Magistratu fungentes, Syndici, Scribæ, cum triginta clarioribus ciuibus, quorum nomina edemus, Præfectus quoque textorum, ac Legati supremi Decani, induti vestibus talaribus nigris, discincti, capitibus nudi, quibus iungentur è singulis opificum collegijs sex, è textorum tribu quinquaginta, ac ex ijs qui initio seditionis nominari voluêre *Cresers*, quinquaginta, (qui centum nostro legentur arbitrio) Creserij verò linea tantùm supra nudum corpus talari veste induti, collo laqueum gestabunt. Hi omnes post tertium diem, loco ac hora, quam declarabimus, vestiti, vt diximus, Æde publica exeuntes, ad genua se hîc nostra prosternentes, alta intelligibilíque voce à Syndico, omnium nomine dici curabunt, se summopere pœnitere, ob admissam contra nos Reginamque Mariam sororem

„ sororem nostram rebellionem, ac læsæ Maiestatis crimen. Ad hæc con- 1540
„ demnamus vrbem Gandensem (excepta portione quam adhuc debent)
„ in summam centum quinquaginta millium florenorum semel, ac sin-
„ gulis annis in sex millium florenorum perpetuos reditus, veteribus no-
„ stris Dominijs adiungendos; itémque liberamus Fiscum nostrum de
„ annuo reditu quingentarum quinquaginta Flandricarum librarum,
„ quas hactenus vrbi soluit; qua de re datæ à proauo nostro Tabu-
„ læ vt discindantur exuranturque iubemus. Volumus quoque sta-
„ tim in potestatem nostram constituant plenam absolutámque Reip.
„ Gandensis gubernationem, eiúsque nunc ac in singulos annos disposi-
„ tionem. Quibus perfectis, Gandensibus singulis ac omnibus speciali
„ gratia remittimus ac condonamus, quidquid in hunc vsque diem com-
„ misere. Actum præsente, audiente ac approbante Cæsare, pridie Kal.
„ Maij, anno 1540. Eodem etiam die post meridiem promulgatum est Edictum, secundùm quod deinceps vrbs Gandensis regeretur, omni potestate tribuum & opificum, & quas vocant *de VVijcken*, sublata. Atque eadem ratione Cæsar Audenardijs omnia vetera Priuilegia ademit, ac nouas quoque leges tulit, quòd enixissimè rebellibus Gandensibus studuissent. Hísque rebus peractis, è Gandensibus viginti sex capite plectuntur, aliqui ad longinquas peregrinationes damnantur; centum partim è textoribus, partim è Creserijs æquo numero lecti, capite pedibúsque nudi collo laqueum gestantes, ac ad Cæsaris pedes se prosternentes, veniam impetrauere. Imposita etiam mulcta paulò pòst fuit persoluta, ac arx ad D. Bauonis absoluta, Monachis ad summum vrbis Templum D. Ioanni Apostolo sacrum translatis, ac in Canonicorũ Ordinem transmutatis, Abbate Prępositi titulo Summi Pontificis auctoritate ornato. Hæsit Cæsar per tres menses Gandaui, ac inter Flandriæ Senatores publicè ius dixit; lata etiam capitis bonorumque sententia contra Reinerum Brederodæ Dominum, qui, ducta è Marcanis vxore, cum ijs se Francorum Regi addixerat, Hollandiæ Zelandiæque se Comitem, quòd ex his ortum duceret, se futurum sibi persuadens, ac proinde gentilitia Hollandię Comitum insignia apertè ferens. Sed domitis Gandensibus, Cæsar paulò pòst sententiam moderauit, gratiamque petenti, ac per horam in genua, præsente Senatu Flandrico, Præside Hollandiæ, præcipuísque Proceribus, dum Cæsar eum alloqueretur, sedenti, vitam donauit; pauloq; pòst, Proceribus omnibus pro eo interpellantibus, cùm Francico ac Marcano fœderi renuntiasset, bona etiam omnia restituit. Hoc eodem anno, die Februarij vigesimo quarto, Cæsar Protestantium Germanorum Legatos audit, ac per Cornelium Schepperum ita respõdet, pacémne an bellũ essent habituri vt ignorarent. Eodem mense obijt Geor-

Insuper Gandenses magnam vim auri pendunt.

Hinc noua dãtur Statuta Gandensibus ad quæ deinceps vrbs regatur.

Itemq; castigantur Audenardij Gandẽsium pro parte socij.

Viginti sex Gandenses capite plectũtur, alij vt condictum erat, supplices facti veniam impetrant.

Arx Gandaui constructa, manente ibi Cæsare ad menses tres, & publicè sæpè inter Senatores ius dicente.

Cæsar Bredenrodium primùm capitis dãnat, deinde per horam in genua sedentem iterùm in gratiam recipit.

Moritur Sceinkius Frisiæ Gubernator, succedente Maximiliano Burano.

1540 Georgius Sceinkius Frisiæ ac Groningæ nomine Cæsaris Gubernator, cui successit Maximilianus Buræ Comes, Florentij filius. Postridie Kal. Aprilis obijt Antonius Lalanus, primus Hooghstratæ Comes, Hollandiæ Gubernator. Mense Maio ad Cæsarem eiúsque fratrem Ferdinandum Romanorum Regem, Bruxellam Brabantiæ venit Guilielmus Marcanus, Cliuiæ ac Iuliæ Dux, de Ducatu Geldriæ, ac Comitatu Zutfaniæ, in quibus ius prætendebat, coràm transacturus. Sed cùm nullo eum iure niti Cæsaris Consiliarij docuissent, domum re infecta reuersus, ad Regis Franciæ amicitiam animum conuertere adolescens malè consultus cœpit. Maij die decimotertio Rom. Rex è Belgio in Austriam reuertitur, Cæsar verò Gandauo Brugas contendit, indéque in Zelandiam ac Hollandiam profectus, vt ius subditis æquissimè diceretur, laborauit, aliquoties in Haga-Comitis hac de causa in Senatu præsens; tandemque inuisis maioribus Hollandiæ ciuitatibus, Vltraiectum, inde Vianam, tum Buram, Gorinchemum, Buscoducum, ac tandem in fine mensis Augusti Bruxellam redijt, duas hoc itinere Germanorum legiones secum ducens. Æstas huius anni siccitate memorabilis, à multis sæculis similem non habuit. Secuta est rerum omnium caritas extrema, excepto vino, quod non solùm generosissimum, sed etiam ingenti fertilitate prouenit.

Profectus Cæsar in Hollandiã, etiam ibi sæpè in Senatu præsens ius dixit.

Venit Cæsar Ratisponam ad Comitia.

1541 Anno 1541. (dicam verbis Cochlæi) Cæsar tempestiuè Ratisponam venit, & longa expectatione ibi permansit, donec alij aduenirent Principes & Status Imperij. Aduenit quoque Româ Cardinalis Legatus de Latere, Gaspar Contarenus, die 12. Martij. Aduenerunt etiam Lutherani Principes & Status cum suis Concionatoribus, qui in domibus profanis ad populum concionabantur, & à Catholicorum sacris, ieiunijsque & ritibus prorsus alieni erant, & venationibus operam dabant, etiam in sacratissimis diebus Hebdomadæ sanctæ, atque adeò in ipso quoque die Parasceues. Conscriptus autem fuit liber quidam, & Cæsari traditus tamquam pacis & concordiæ conciliator commodissimus. Constituti sunt ex vtraque parte Collocutores, qui vltra mensis spatium considendo librum discutiebant, omnibus interim alijs Imperij negotijs posthabitis. Tandem Principes ac Status Lutherani his verbis inter alia scripto Cæsari respondent: Rogamus, quandoquidem de gloria Dei & luce Euangelij agatur, non sint confirmandi vitiosi cultus aut opiniones. Et quanti abusus confirmantur, recepta inuocatione Sanctorum, & alijs cultibus sine verbo Dei institutis? Item: Quale vinculum inijceretur Ecclesiæ, si fateremur, prorsus nullum lapsum Generalium Synodorum reprehendi posse? Hæc illi; sicque perditis tot pro concordia studijs, Cæsar dato Recessu Imperiali, discedens in fine mensis Iulij per Italiam profectus, pulcherrima instructa classe, cõtra Algerium expeditionem

Lutherani Principes etiam ipso die Parasceues venationibus indulgent.

Frustrà agitur de concordia Religionis, allegantibus Lutheranis, etiam Concilia Generalia posse errare.

nem

nem fecit, transfretans in Africam mense Octobri, vbi graue passus est 1541
naufragium. Ita breuiter Cochlæus Ratisponæ præsens. Sed prolixiùs paulò expeditio illa, & quæ præcesserunt, sunt narranda. Mense Maio Guilielmus Marcanus, Cliuiæ Iuliæque Dux, sparsa fama se ad Comitia Ratisponensia proficisci, Ambosiæ ad Regem Francorum peruenit, diuersis itineribus comitatu eódem subsequente. Exceptus est à Rege perhumaniter & amicè. eius enim operâ breui bellum resumere statuerat. Tum de Cliuij ac Ioannæ Nauarreæ, impuberis adhuc puellæ, coniugio est agi cœptum. Id quamquam pater puellæ materque non probarent, volente tamen Rege, circa Idus Iunij nuptiæ magna cum solemnitate celebrantur, ipso Rege sponsam ad templum deducente, epulúmque magnificum exhibente. Post aliquot dies Cliuius, clàm cum Rege diu collocutus, intacta sponsa, domum reuertitur, eam apud parentes relinquens, donec viro matura fieret. Hac de re Cæsar in Comitijs Ratisponensibus mense Iulio ad Principes summopere conqueritur, demonstrato iure, quod in Geldriam ac Zutfaniam morte Ducis Caroli habebat; responderéque conantibus Cliuij Legatis, ac pro eo deprecantibus, consurgens irato vultu Cæsar abijt. Ratisponensia pro parte decreta hæc

Cliuius clàm in Franciam profectus, cum Nauarræa impubere, Rege agente, nuptias celebrat.

„ fuêre: Omnia quo tum in Germania erant statu manerent, donec Ge-
„ nerali indicto Concilio, controuersiæ Religionis causa exortæ tolleren-
„ tur. Cæsari ius suum in Geldriam ac Zutfaniam persequi liberum esset.
„ Concilium Cæsar intra proximum sesquiannum in Germania celebra-
„ rí curaret. Instabant intereà Regis Francisci apud Cæsarem Legati, promissum in Francia Carolo Aureliano Mediolanensem Ducatum traderet. Cùm diutiùs rem Cæsar differre nequiret, aperto animi interiori decreto, ait sese magnis de causis ditione Mediolanensi decedere non posse, in eius verò compensationem polliceri Carolo Aureliano filiam Mariam vxorem, daturumque cum ea dotis nomine Belgarum Prouincias. Rex Franciscus nil in Italia quàm quod armis posset obtenturum se videns, rumpere inducias, summisque viribus bellum resumere constituit. Sub idem tempus Franciscus Antonij Lotharingiæ Ducis filius in vxorem ducit Christiernam Cæsaris ex sorore neptem, viduam intactam Sfortiæ, Francorum Rege has nuptias non minùs ægrè ferente, quàm Cæsare Cliuij cum Nauarræa. Exinde Cæsar, conscriptis in Germania duabus peditum legionibus, & mille equitibus, per Tridentinas Alpes in Italiam contendit, omnibus (etiam Venetis) certatim ei honoris causa occurrentibus. Tandem Mediolani insigni cum pompa exceptus, paulò pòst Genuam contendit: vbi fratris Ferdinandi litteris de Turcarum contra Hungaros victoria, Germanorum clade, ac Solymanni aduentu, est certior factus. Pontifex Paulus Româ Lucam paulò antè

Acta præcipua Comitiorum Ratisponensium.

Loco ditionis Mediolanẽsis promissæ filio Franci secundò genito, offert ei Mariam filiam & Belgium dotis nomine.

Cæsar ex Germania in Italiam venit.

1541 peruenerat, aduenientemque Cæſarem, miſſo cum inſigni comitatu Cardinale Alexandro Farneſio, honorificè exceperat. Cæſar ter Pontificem adijt, ac enixè de indicendo Concilio, aliiſque de cauſis cum eo egit. Ipſe ſemel Cæſarem inuiſit, diu communicans, ac Concilium in ſequentem annum ſe indicturum promittens; cumque fruſtrà pacem cum Franco renouare eſſet conatus, Romam redijt. Cæſar comitante genero Octauio Farneſio, cum claſſe, quam dudum adornari ac

Comparato exercitu & claſſe in Africam traycit Algerium ſubacturus.

armari iuſſerat, è Portu Lunenſi ſoluit. Vehebat hæc pedites equiteſque Germanos ac Italos cum multo commeatu, magnóque tormentorum apparatu. Corſicam præteruectus ad Baleares inſulas venit, indéque Siciliæ littora emenſus, auctúſque Ferdinandi Gonzagæ Proregis Siciliæ claſſe, quæ Hiſpanos vehebat, poſt biduum, vigeſimo tertio Octobris Algerium (olim Iulia Cæſarea) Numidiæ oppidum appellit, Mendoſamque cum Hiſpanica claſſe eódem veniſſe repperit. Vniuerſa claſſe ad oppidi conſpectum in anchoris ſtante, biduum tranſijt: quo

Expoſitis in terram viginti circiter millibus, & tormentis, maior pars claſſis tēpeſtate perijt.

tempore Cæſar circiter viginti millia peditum cum maxima equorum ac tormentorum parte in terram expoſuerat, & ad expugnandum Algerium neceſſaria parabat. Inclinante die, ſubitò exorſus procelloſus imber tota nocte vniuerſum exercitum aqua pluuiali perfudit, ingentíque allato incommodo, ne tormentis ſclopetíſque vti poſſent, effecit. Ad hæc diuerſiſſimis mundi è plagis exorti ſubitò venti, tantam tempeſtatem excitarunt, vt inſpectante ac gemente exercitu, paucis horis circiter centum quadraginta varij generis nauigia, quæ velis agebantur, cum ingenti commeatus copia generoſiſque equis perirent. Triremibus quindecim in littus adactis, & conquaſſatis, cùm homines abiectis armis in ſeruitutem ſe offerrent, à ſæuis Numidis interficiuntur; nihilque toto littore ſpectabatur præter hominum equorumque cadauera, ac natantis ſupellectilis diuerſas ſpecies. Turcæ ac Numidæ, qui Algerij in

Hinc erūpentes Afri nō paruam quoq; cladem noſtris inferunt.

præſidio erant, occaſioni non deerant, ſed varijs locis caſtra inuadentes ſtationes cædebant, prælia que excitabant; deſiderauitque hoc die Cæſar vltra trecentos viros, ac inter hos non paucos præclari nominis veteranos Præfectos. Vulnerati ſunt circiter ducenti. Cæſar tribus inſtructis

Diſceſſum parantes Cæſariani etiam fœdiori tempeſtate in varias partes diſiiciuntur; Cæſar vix tandem in Siciliam redit.

aciebus Algerio diſcedit, ac non ſine difficultate duobus ſuperatis amnibus ad Matafuſij promontorium, quò Auria triremes reliquas adegerat, cum exercitu venit; inque dirutæ ciuitatis ruinis contra Numidas conſedit, equorum carne exercitum alens. Cùm vis ventorum nonnihil ſe remiſiſſet, milites claſſem conſcendere, equos verò omnes, etiam generoſiſſimos in mare eijci, vt eorum loco vel viliſſimus reciperetur calo, Cæſar iubet. Sed vix dimidia pars hominum naues intrarat, cùm tempeſtas priore validior, incumbentibus diuerſis è partibus ventis inſurgit.

git. Quare cùm classis certum tenere cursum, nec alter alterum expe- 1541
ctare iuuareque posset, in varias disiecta plagas, nonnullæ cum hominibus periere, aliæ in diuersos Italiæ portus, rebus omnibus amissis, peruenêre. Cæsar terrestri itinere, Auria remigio, Vticam peruenit, cuius hodie portus Farinas dicitur; vbi eos Muleasses Rex Tunetanus omni commeatus genere affatim recreauit fouitque. Hinc Drepanum Cæsar traijcit, inde ad Baleares cursum dirigit, tandemque sub finem Nouembris Carthaginem nouam in Hispaniam saluus peruenit, non paucis locis hostibus eius à piscibus voratum iactantibus. Sed paulò pòst Cæsarem enatasse, sequientémque fortunam superasse, sunt experti. Carthagine Cæsar Occagnam peruenit, filias ibi agentes visens, filiumque Philippum Hispaniarum Principem expectans: quorum præsentia abundè recreatus Madrillium proficiscitur, vbi multis diebus à lassitudine ac tempestatis iactatione corpus reficiens, animum variis cogitationibus ac negotiis occupatum habuit. Sub idem tempus Cęsar fit certior, Francum, ruptis induciis, suis hostilia moliri. Causa hæc obtendebatur: Legati Francici (vt credebatur, ad Solymannum Turcam) Fregosius Genuensis & Rincon exul Hispanus, Pado Venetias proficiscentes, à Cæsarianis quibusdam militibus, occupato nauigio, sub initium mensis Iulij interfecti erant. Excusabat Vastius, nequaquam suo iussu aut scitu id factum, latronésque cum præda se subduxisse; nihil itaque hîc se teneri. Tandem Georgius Austriacus Cæsaris Maximiliani filius, Archipræsul Valentinus, ex Hispania per Franciam in Belgium proficiscens, à Franco Lugduni in vincula conijcitur. Itaque vere anni 1542. Rex Franciscus 1542
simul & Rex Daniæ Christiernus Tertius superbissimis verbis Cæsari per Castrenses Legatos bellum indixêre, perque omnes Regni sui prouincias publicari iussere. Idem apud Belgas fit vigesimo quarto Maij. Rex Frãciscus, duobus collectis exercitibus, vni Henricum Delphinum, alteri Carolum Aureliæ Ducem præficit, vtrique viros illustres, bello exercitatos, qui filios adolescentes moderarentur, adiungens. Delphinus Rossillonios apud Cantabros erat inuasurus, Aurelianus Lutzenburgios. Rex tertio loco bellum (præter illud quod in Pedemonte erat) facturus, Bossuum Longeualli Dominum ad Guilielmum Cliuiæ Iuliæque Ducem cum sexcentis mittit equitibus, vt iusta peditum equitumque coacta manu Brabantos inuadant, ne Maria Austriaca, domestico implicita bello, Lutzenburgijs succurrere posset. Aurelianus enim cùm in vnum coëgisset duodecim millia Germanorum peditum, sex millia Francorum, cum tribus equitum millibus, inter quos quingenti erant Dani, comitante Claudio Guisiorum Duce, eius filio Aumalæ Comite, Borbonio Anguiani Domino, & aliis, Lutzenburgios mox mense

Iactatum tunc ab hostibus Cæsaris, eum à piscibus deuoratũ.

Causa obtensa à Franco, cur ruperit inducias.

Francus & Danus Cæsari simul bellũ indicunt.

Primùm Francus auxilia Cliuio mittit, quibus Brabantiam inuadat.

1542 mense Iunio inuadit, oppidumque Damuillerium diripit, inceditque. Deinde Iuosium, paucis diebus oppugnatum, compositione recipit. Tum Arlonium in deditionem accipit. Hinc ad vrbem Lutzenburgensem exercitum ducit, quæ & ipsa post paucorum dierum oppugnationem deditione ei cedit; similiterque Momedium, nullo eis auxiliante; nihilque in vniuerso Ducatu reliquum erat præter Theonuillam.

Illinc exercitũ destinat qui iũctis sibi Danis Lutzenburgi multa loca subitò occupat.

Eodem enim tempore Cliuius, coactis in vnum duodecim peditum millibus, ac mille quingentis equitibus, hísque iis iunctis copiis, quas Longouallius è Francia adduxerat, Martinum Rossemium præfecerat. Is per causam adducendæ è Francia Cliuij sponsæ, transitum à Leodiensibus petierat. Sed dissuadente Antistite Zeuenbergio, Leodienses, rusticos suos armantes, transitum non concedunt. Antuerpiani, re intellecta, suamque vrbem Francicam sponsam esse quam peteret Rossemius, verentes, cohortes aliquot consensu Reginæ Mariæ conscribunt, ac rusticis in Pelandia cum armis congregatis in auxilium mittunt: qui contra Rossemianos illos qui Mosam iam transierant, contendentes, eos denuò trans amnem ad Rossemium redire cogunt; deinde positis armis, rustici domum reuertuntur. Senatus nihilominùs Antuerpianus Rossemio non fidens, necessaria ad vrbis defensionem parat. Intereà Rossemius iuxta Rauastainum copias omnes Mosam traducit, atque sine maleficio aliquamdiu militem in Brabantiam ducit. Consulatum hoc anno Antuerpiæ gerebant Lancelotus Vrsulus ac Nicolaus Schermerus, qui cum ceteris Senatoribus diligenter ad vrbis defensionem incumbebant.

Rossemius pro Cliuio armatus prodiens, fingit se in Franciam proficisci.

Paulò pòst Senatus fit certior, Rossemium, detecto animo, hostilem in pagos declarasse voluntatem, diripuisse Fanum Oienroyæ, Orschotum ac Hiluarenbecam; locatísque ad Oosterwicum castris, ditionem Langestratanam ad rerum omnium iniquissimam redemptionem cogere. Deinde nuntiatur Rossemium Berlam ac Hooghstratum contendisse, munitissimamque arcem, rusticis deditionem facientibus, in potestatem redegisse, magnamque tormentorum ac pulueris copiam inde vehere. Intereà Reinerus Nassauius, Aurantij Princeps, in vnum coactis quingentis equitibus, ac circiter tribus peditum millibus, partim ab Antuerpianis partim à Buscoducensibus conscriptis, vigesima quarta Iulij Breda mouens, magnis itineribus Antuerpiam contendit, vrbi his copijs præsidio futurus.

Diripit idẽ Rossemius multos pagos Campiniæ Brabanticæ.

Breda ac Hooghstrato Antuerpiam proficiscentibus viæ ad pagum Brescotum concurrunt. Quare Aurantius ac Rossemius, vt singuli propositum tenerent, rem in celeritate positam videntes, incitato vterque passu Brescotum contendunt. Sed Aurantium Rossemius diligentia vicit, occupatoque Brescoto, insidias illi loco aperto, nouo hoc modo ponit. Quadringentos atratos equites Holsa-

Pugnant Aurantius ac Rossemius ad Brescotum, vincente Rossemio insigni stratagemate.

1542

Holſatos iuxta Breſcoti exitum, vbi rara hinc inde dumeta ſunt, in acie conſiſtere iubet, pedites verò omnes in genua ſedere, poſitis humi ad latera armis, ne ab Aurantiis viderentur. Appropinquat Aurantius, exploratorumque inopiâ de ſtratagemate non præmonitus, contemptis quadringentis Danis equitibus, Lubertum Turcam equitum ſuorum Præfectum eos inuadere iubet, ipſe cum peditum legione ſolito ſubſequebatur paſſu. Turca facilè cum galeatis lancearíis, equitibus cataphractis, Holſatos ſclopetis minoribus vtentes in fugam conijcit, adque proximum dumetum refugientes ſclopetis ſe defendere cogit. Properat eódem ſtatim cum peditum legione Aurantius. Sed vix pugnam inierat, cùm ſtatim variis è locis Roſſemij pedites exurgunt, & Aurantianos vndique circumſiſtunt, ceteris Roſſemij equitibus variis è latebris erumpentibus, ac vndique Aurantium prementibus. Sed is cum equitatu intenta fuga Antuerpiam contendit, feliciterque, multis deſideratis, euaſit.

Roſſemij pedites ex inſidiis emergentes Aurãtium fugere Antuerpiam compellunt.

Pedites ad duo millia, abiectis armis, deditionem fecere. Intrauit Aurantius paucis cum equitibus vrbem veſperi circa horam ſeptimam, ipſo D. Iacobi feſto die, perturbatoſque ſua clade ciues, præſentiâ animauit, rebuſque neceſſariis procuratis, ad Reginam Mariam proficiſcitur. Vix diſceſſerat, cùm mox infelici quoque pugna elapſus Lubertus adeſt Turca, diuerſo rumore à populo exceptus: natione enim Gelder erat, ſed Cæſari ſemper militarat. Roſſemius poſt hanc victoriam, Breſcoto vrbem verſus motis copiis ad ſuburbium Dammum caſtra locat, miſſoque caſtrenſi Legato vrbem Regi Franciæ ac Daniæ aperiri petit. Reſpondetur, Antuerpianos præter Cæſarem Carolum nullum agnoſcere Principem. Cumque Cæſarem à piſcibus voratum diceret; reddunt, tertio die cum Iona reuicturum. Hoc cum reſponſo Kipdorpiâ portâ emiſſus venire ampliùs prohibetur.

Locatis Roſſemius caſtris ad Dammũ. Antuerpienſem vrbem dedi poſtulat, ſed inſigne fert reſponſum.

Vagabantur Roſſemiani gregatim per maturas in campo Willebrordiano ſegetes. In hos Antuerpiani maiora tormenta continuò exonerant, multoſque interficiunt. Poſtero die è Ditione Waſiana, quæ eſt ab altera Scaldis ripa, mille ducenti feroces Flandrorum iuuenes vrbem intrant, ac à Magiſtratu armis inſtructi, ad neceſſaria cuſtodienda defendendaque loca diſtribuuntur; eodemque die quidquid iuxta vrbem erat ædium ac ſacrorum locorum, ciues iuſta manu egreſſi, magno dominorum dolore, igne iniecto exuſſêre, ne hoſti ad obſidionem ac locandas inſidias vſui eſſent.

Antuerpienſes ad reſiſtẽdum ſe parant, ſed nimis citò ſuburbana propria exurunt.

Sed dum Roſſemius Conſulum vigilantia, inſidias inflammandæ vrbis per proditores quas ſperarat, non ſucceſſiſſe videret, vigeſimo ſeptimo Iulij cum aurora mouet caſtra. Clara luce hoſtem abire vident, conflagrare omnes molas quæ in campo erant Willibrordiano, cũ pago Merxheimio, Dammo, ac omnibus diuitum mercatorum nobiliumque virorum

Reliqua diſcedens ſecundo die Roſſemius flammis conſumit.

1542 rum hortis, maximè ad vrbis Orientalem ac Borealem plagam ædificatis. Eadem ratione sæuiunt Burgerholstij. vnde ad oppidum Liram declinantes, propiùs accedere à præsidiariis oppidiq; tormentis prohibentur. Hinc Duffelam ac Ranstum occupant, diripiunt, incenduntque; Rosendalam pecunia mulctant. Walemum direptum cũ pulcherrimo templo exurunt, quòd pontonem, qui currus homines ac equos per amnem Netham transmittere solet, in aduersam ripam traduxissent. Tum coactis vicinis è pagis doliis vasisque ac cupis in quibus feminæ lintea lauant, amnem nullo ordine, ac non paucis aqua absorptis traiiciunt, & Mechliniam vsque excurrunt, sed tormentorum formidine propiùs non accessere. Venerat quippe huc Bruxella Regina Maria; quare hostes ad Meridiem declinantes Keerbergam contendunt, inde Veldonckium, Scrikiam, Werchteram, Rotselaram, Hachtam, Tieldonckum ac Wespelarum veniunt, in quosdam igne sęuiunt, maiorem partem pecunia mulctant. Tandem Louanium contendunt, ac iuxta Monasterium Bethlehem prima locant castra, Heretum ac Winckesselum exurunt; motisque Terbanckium castris, ad portam Bruxellensem considunt. Miserat Regina Maria Louanium Georgium Rollinum Aimeriæ Dominum cum ordinaria equitum suorum turma, quemadmodum & Conrardum Warneburgij Comitem cum trecentis peditibus, ac Philippum Dorlainum Gallicæ Brabantiæ Balliuum cum ducentis peditibus. Sed defendere se posse, propter amplissimum murorum ambitum tantillis copiis Musarum domicilium diffidentes, concepto timore, se inde cum copiis proripiunt; quod non parum ciues terruit. Rossemius de Ducum fuga, militum discessu, ac ciuium perturbatione certior factus, Legatum castrensem ad vrbem mittit, dediqueeam Regi Franciæ petit. Idem quod Antuerpiæ fert responsi. Tum paucorum dierum fiunt induciæ, ac procurantibus aliquot proditoribus (qui à Rossemio pecunia conducti copiarum eius magnitudinem tormentorumque multitudinem mirum in modum auxerant) de conditionibus, quibus Rossemius ab vrbe discederet, agi est cœptum; cùm tantùm hac specie occupare eam conaretur. Petit pro exercitu commeatum, tormenta vrbis maiora omnia, dolia certa pulueris tormentarij, ac octoginta aureorum liliorum millia. Offerunt Louanienses quinquaginta millia, ac pro Rossemij & Longeuallij domestico comitatu vinum ac commeatum. Admittuntur conditiones, vinóque ab equis ad portam attracto, studiosi aliquot bonarum litterarum (vt est ibi celebris Academia) funes, quibus attrahebatur, discindunt, vlteriúsque protrahi vetant, verentes, ne dolo occupata porta, hostes, qui non longè inde retro vineta in acie stabant, irrumperent. Quare ex composito, tumultu excitato, vinum commeatúmque diri-

Item populatur latè omnia circùm circà.

Proficiscitur Louanium cũ illud à præsidiariis paucis desertum intellexisset.

Certis conditionibus Louanienses cũ Rossemio trãsigunt.

Nihilominus agentibus litterarum Louanii studiosis, irrisus Rossemius Louanium relinquit.

diripiunt, portam aperiri prohibent, ac mox è vallo tormenta aliquot in Rossemianos exonerant: quæ causa fuit, vt vrbis Præfectus Meierus, cognomine Bleheimius, ac Damianus Gousius, qui Senatus populique nomine, durantibus induciis, ad hostes exierant, statim ab iis in vincula coniicerentur; nec liberantur, nisi persolutis duobus aureorum liliorum millibus. Rossemius, nullam restare spem capiendi Louanij videns, valedictis Musis, Corbecum castra mouet; inde Rasburgũ, Neer-Ischam, Sartum, Floriuallum, ac Shertogendalam transit; hos exurens, illos pecunia mulctans. Louanienses hoste liberati, portis egrediuntur, ac casu Hieronymum Longum è proditoribus vnum capiunt; qui in quæstione conscios prodens, cum iis in foro strangulatur. Rossemius ac Longeuallius in Gallicè loquentem tendunt Brabantiam, primùm Grauam, tum Waueram, deinde Meleinium, Longeuillam, Geldenacum, Gemblourſium, Argentonium, ac Stappansium. Arcem Conroiam insidebant octoginta rustici: expugnati ad vnũ omnes interficiuntur. Inde Floruanum veniunt, Abbatiamque ingenti pecunia mulctant, totumque fermè Comitatum Namurcensem similiter diuexant. Sombræ Sabim amnem traiiciunt, rusticosque, ingentibus factis fossis, arbores ingentes deiecisse, intercludendisq; publicis viis in transuersum abiecisse reperiunt. Sed omnibus his superatis difficultatibus, magnis itineribus ad Aureliæ Ducem, Lutzenburgios vastantem, festinabant. Certiores enim facti erant, Cæsarianos, collectis vndique copiis, Ducibus Aurantio, Burano, ac Bossuo, citato itinere insequi. Quare traiecta iuxta Maseriam Mosa, quòd id Francici iuris oppidum esset, munito loco confidentes, militi aliquamdiu requiem largiuntur. Cumque hoc loco inter Rossemium ac Longeuallium de prædæ diuisione controuersia non exigua oriretur, eam Aurelianus sua auctoritate componit, Rossemiumque, persolutis eius copiis, in Geldriam Cliuiamque dimittens, deinde cum suis, subacto, vt suprà diximus, toto Lutzenburgico Ducatu, excepta Theonuilla, ad patrem reuertitur. Sed vix de tantis victoriis potuerant inuicem gratulari, cùm certiores fiunt, Reinerum Nassauium iustis cum copiis Lutzenburgios inuasisse, ipsámque vrbem cum omnibus paulò antè à se occupatis oppidis, excepto Iuosio, ad vetus Cæsaris obsequium reduxisse; Guisium tamen prouinciæ à se præfectum Iuosij inclusum, se fortiter defendere, ac aliquoties Nassauium repulisse. Durauit hæc Aurantij contra Lutzenburgicos expeditio ad mensem ferè Octobrem. Tum enim pro maxima parte, recepta ditione, in Iuliam mouet, Cliuio pro euastata per Rossemium Brabantia talionem redditurus. Sub idem tempus Antonius Vendomæ Dux Picardiæ Gubernator, mediocribus in vnum coactis copiis, munitissimam arcem Tourneham cum oppido Liler-

1542

Vastat Rossemius Gallo-Brabantiam.

Item Comitatum Namurcensem.

Demum insequentibus cum Cæsarianis, in Franciam euadit.

Nassauius recuperat omnia, excepto Iuosio, quæ paulò antè Francus in Lutzenburgo Cæsari ademerat.

Altera parte Frãcus iterùm multa dãna infert Artesiæ.

1542 Lilersio ad deditionem cogit, ac vtrumque cum omnibus vicinis munitionibus funditus diruit, euastatisq; agris oppidorum Fani D. Audomarij, Airæ, Bethuniç ac Atrebatensium, Comiteq; Reussio in fugam acto, cum ingenti præda in Picardiam reuertit, copiasque in præsidia distribuit. Eodem modo Franci ac Belgæ mari varia fortuna inter se confligabantur. Dum Aurelianus in Lutzenburgios bellum gereret, Delphinus, coactis ad Auignonem quadraginta peditum millibus, inter quos quatuordecim millia Heluetiorum erant, ac quatuor millia equitum, Narbonam proficiscitur, vt Perpinianum Rossilonij Ducatus primariam vrbem expugnaret, eratque spes omnis in celeritate posita. Sed Ferdinandus Toletanus Albæ Dux cum magno tormentorum apparatu, iustoque veteranorum manu, Perpinianum ante Delphini aduentum intrarat; necessariisque locis erectis munitionibus, adeò Francica castra tormentis vexat, vt de expugnatione desperantes, tandem Monpellerium re infecta ad Regem redirent. Veterani in Pedemontem missi sunt, vbi toto hoc anno vario euentu Franci ac Cæsariani inter se confixerunt, modò his modò illis victoribus. Mense Octobri Aurantius Cliuio, vt diximus, bellum infert, incendiis pecuniarumque extorsionibus Rossemianam in Brabantos expeditionem vindicans, vniuersam ditionem Iuliacensem euastat, Zittardam, Iuliacum, Hensbergam, Susteram ac Duram in potestatem redigens, passim muros ac valla diruit, fossasq; complanat, excepta Dura. Sed discedente Aurantio militem Cliuius colligit; acceptisque à Saxone ac aliis aliquot Germanis auxiliis, circa finem mensis Decembris, Cæsariana præsidia adortus, omnia dicta oppida recipit, Duramque insigniter munitam, firmissimo imposito præsidio, de commeatu ac tormentis abundè prouidet. Exinde Cliuius copias omnes Hensbergam transfert, oppidúmque obsidet. Sed mox cum exercitu obsessis in auxilium accurente Aurantio, deserit, in recessu non mediocri accepto detrimento, ac Iuliaco, quod paulò antè munierat, se includit. In Kalendas Nouembris huius anni indictū erat Concilium generale Tridentinum, vt patet ex litteris Indictionis datis vndecimo Kal.

1543 Iunij eiusdem anni, sed non nisi biennio pòst cœptum est. Anno 1543. ineunte vere, Regina Maria, iusto è Belgis exercitu coacto, Philippum Crouiacum Arschoti Ducem præficit: qui cùm mense Martio in profesto Paschatis Hensbergæ commeatum inuexisset, ac in recessu Cliuianis ad Zittardam obuiàm factus, iniquo loco acies duceret, confligere coactus, post acrem diuturnámque pugnam in fugam agitur. Cecidêre è Cæsarianis peditibus circiter tria millia, multò plures capti cum omnibus tormentis ac impedimentis, quæ Cliuiani Ruremondam detulere; indeque Limburgensem, Dalanam ac Valkenburgensem ditiones flamma

Frustrà tentat idem Perpinianum, obsistente sibi Albæ Duce.

In Pedemõte vario euentu hoc anno pugnatum.

Aurantius Iuliam inuadēs, omnia oppida occupat excepta Dura; sed quæ Cliuius mox recuperat, excepta Hensberga.

Frustrà Cliuius Hensbergam obsidet.

Cæsariani haud paruam cladem accipiūt à Cliuiis & Geldris.

ma ac ferro depopulantes ingentem prædam auexere. Tum vigesimo secundo Iunij ad Hensbergæ obsidionem redeunt, sed eam bis frustrà oppugnatam, aduenіente cum nouo exercitu Aurantio, post alterum obsidionis mensem relinquere sunt coacti. Intereà Martinus Rossemius Cliuiorum Præfectus militari astu occupat Amersfortium, Helmondam ac Endouiam, vbi ordinariam equitum turmam oppressit, ac ferè omnes in Geldriam captiuos abduxit; nempe Aurantio contra Francos in Hannoniam profectionem adornante. Siquidem eodem mense Iunio Rex Franciscus contra Belgas profecturus, Annibaldum cum iusta manu præmiserat; cuius præcursores Auennam vsque excurrentes, inde conuersis equis ad Landresium ad Sabim amnem situm castra faciebāt. Præsidiarij loco diffisi, antequam includerentur, oppido igne iniecto, se in siluam Mormaucianam occuluere. Vendomius, veteribus in vnum collectis copiis, eódem tendebat, iterque per Atrebates faciens, Bapaumam occupat; arcémque Belgis relinquens, Cambresium ad Regia contendit castra. Inde vnà profecti ad pagum ac Abbatiam Marollam castra locant, Rege cum duobus filiis in Abbatia diuertente, ac donec Landresium nouis quatuor ingentibus terreis munitionibus esset firmatum, manente. Tum Landæum nobilem militarémque virum Landresio præficit, ac de commeatu, apparatúque bellico abundè prouidet. Intereà Rex Delphinum cum parte copiarum ad interiora Hannonię mittit; qui, quòd copiæ Cæsarianæ contra Cliuium profectæ nondum adessent, statim fugientibus præsidiariis, occupat munitissimam Aimeriæ arcem, Barlamontium, Mabugam, vsque Bergarum Hannoniæ ac Valencenensium portas excurrens. Nec contentus Rex Franciscus tam diuersis locis eodem tempore tum hoc tum superiori anno Cæsarem bello lacessisse, insuper à Solimanno Turcarum tyranno per Legatum Polinum iustam classem, quæ Duce Hariadeno Barbarossa Cæsarem quoque oppugnaret, impetrauit, vtque huius anni vere educeretur effecit. Habebat Barbarossa centum quinquaginta actuarias diuersi generis naues, præteruectúsque Messanæ fretum, Rhegium cum arce occupat, incendítque, ciuibus in seruitutem abductis. Hinc Ostiam Tiberinam præternauigans, ac Hetruriæ Liguriæq; oram lambens, in Massiliæ portum classem infert, expectans cui loco Rex Franciscus vim inferri vellet. Tandem Nicæam Prouinciæ ciuitatem Sabaudo parentem expugnare iubetur. Admouet Barbarossa classem, exponit militem, producit tormenta. Mittit & suam classem Rex Franciscus, quæ viginti duarum erat triremium, ac octodecim onerariarum, vehens octo millia peditum cum ingenti commeatus copia. Huic classi præerat Franciscus Borbonius Anghiani Dominus, viginti annorum adolescens, Pædagogum

1543

Martinus Rossemius Cliuiorum Præfectus militari astu occupat Amersfortium, Helmōdam ac Endouiam.

Franci eodem tempore varia loca in Hannonia & Artesia inuadunt, & haud pauca obtinēt.

Quin & Turcam auxiliarem contra Cæsarem Francus vocat.

Simul Frācus & Turca Nicæam Sabaudo parentem vrbem oppugnant.

1543 habens Virginium Vrsinum. Nicæam bis frustrà à Turcis ac Francis oppugnatam, ante tertiam oppugnationem, ciuibus libertatem ac fortunas incolumes promittens Anghianus in deditionem accepit, præsidiariis cum Præfecto in arcem concedentibus: quam cùm aliquamdiu frustrà oppugnassent, aduentu Vastij, qui cum iustis copijs in itinere erat, Turcæ Francique territi, reductis ad naues tormentis impedimentisque, direpta incensaque contra fidem datam Nicæa, ciuiumque parte in seruitutem abstracta, cum classe, re infecta, discessere;

Expugnata vrbe, adueniente Vastio, ab expugnatione arcis desistere tamen coguntur.

Anghiano Massiliam, Barbarossa in Portum oppidi Tollonij, consentiente Rege, vbi hiemaret, contendente; vnde paulò pòst viginti quinque triremes ad Hispaniæ oram euastandam misit. Cæsar intereà quoque classem in Hispania instruxerat, filioque Philippo Maria Ioannis Lusitaniæ Regis filia desponsata, conscensa classe, in qua septingentos Hispanos equites ac octo millia peditum imposuerat, cum quadraginta triremibus multisque onerariis Barcilona soluens, circa finem Iunij Genuam appulerat, magnificè vbique exceptus.

Venit Cæsar in Italiam, frustrà agens vt Pontifex Francum hostem kabere vellet.

Venerat quoque Pontifex Paulus Bononiam vsque cum Cæsare collocuturus. Sed is congressum vitabat, quòd se Pontifex Franco hostem declarare nollet. Tandem tamen Buxeti oppido inter Cremonam ac Placentiam in colloquium venerunt. Hinc Pontifex Bononiam, indeque Romam; Cæsar in Germaniam contendit. Spiram veniens Protestantium Legatos audit, eisque pro parte satisfacit; sed deprecante pro Cliuio Archipræsule Coloniensi, ac Legato Saxoniæ Ducis, nullam esse respondit aliam pacis rationem, quàm vt Geldria & Zutfania sibi diu debitis cedat.

Comitiis in Germania celebratis, in Cliuium tendens, Bonnæ recenset exercitum.

Dederat ordinum ductoribus negotium, militem in Germania describerent. Itaque finitis Comitiis, Bonnam ad Rhenum Cæsar profectus, ibi exercitum recenset. Repperit Hispanorum ac Italorum peditum decem millia, Germanorum quatuordecim millia, Belgarum duodecim millia, equitum octo millia. Cum his copiis primùm contra Cliuium, deinde contra Francum profecturus, Legatum constituit totius exercitus Ferdinandum Gonzagam Siciliæ Pro-Regem, Stephanum verò Columnam castrorum Magistrum, alios aliis honoribus ornat.

Dure duplici fossa munito oppiido copias admouet.

Bonnâ mouens tertio die ad Duram munitissimum Ducatus Iuliæ oppidum castra locat. Cingebatur Dura duplici fossa, ac lateritio muro, cui ingens incumbebat vallum, ac inter vtramque fossam agger circum oppidi ambitum procurrebat. Præerat oppido nobilis Iuliacus Gerardus Vlattemus vir militaris, cum duobus electorum veteranorum peditum millibus, ac octingentis equitibus. Appropinquante Cæsare, erumpunt præsidiarij equites, positis idoneo loco anteà insidiis; in quas post acerrimam pugnam protracti equites Itali funduntur, desideratis inter ceteros etiam tribus nobili-

nobilibus viris. Exinde summo manè producuntur quadraginta maiora tormenta. Quatitur opportuno loco agger ac murus. Facto hiatu, Hispani ac Itali iniussu prouolant. Germani cum equitatu in acie consistunt. Superant vmbilico tenus priorem fossam, inque primum aggerem euadentes, expositi Durensium maioribus minoribusque tormentis, magno numero cadunt. Conijciunt se in alteram fossam, ac hastis scalisque in præruptum muri hiatum nituntur; cominusque congressi, audacissimum ac cruentum cum Duranis committunt prælium, eo tamen euentu, vt tandem per ruinas deiecti, ad castra, non leui accepto detrimento, se reciperent. Non cessabant intereà maiora tormenta, nec vlla Duranis sarciendarum ruinarum dabatur quies, adeò vt iterùm Hispani Italique ad easdem iniussi prouolantes ruinas obstinatissimè depugnarent, Gonzaga ac Feriæ Comite insigniter eos concitante. Vlattemus oppidi Præfectus ingenti cum gladio (*slaghsweerdt*) quem vtraque regebat manu, è propinqua ruinæ domo acerrimè cum delecta iuuentute rem gerebat. Quod cùm tormentorum Magistri, docente Gonzaga, animaduertissent, statim aliquot maiora tormenta in domum conuertunt, perfractisque tecti maceriis ac tignis, Vlattemum, ruente tecto, cum omnibus qui intus erant, oppressere. Tum Durani remissiùs languidiúsque se defendere, ac animis cadere; Hispani verò ac Itali, quinto incursu, omnibus viribus annixi, per suorum hostiliumque cadauerum aceruos vigesimo quarto Augusti in oppidum perrupere, ciues præsidiariosque omnes interfecêre. Qui euasere, grauissimis à milite tormentis excruciati, fortunas commonstrare ac tradere sunt coacti. Mulieres ac virgines, quæ cum pueris ad templa non confugerant, militum libidini cessere. Oppidum direptum inscio Cæsare conflagrauit. Qui ad Diuorum templa confugerant, seruati sunt, ac Cæsaris iussu primùm ad castra, deinde in tutum dimissi. Periêre Duræ supra bis mille quingentos homines, ex Cæsarianis verò circiter octingenti. Tristis cladis hoc exstat Distichon numerale:

1543

Facto tormentis hiatu, cruentè Duram Cæsariani inuadunt, sed ita vt demum retrocedere cogerentur.

Strenuè rem gerit Vlattemus Duræ Præfectus.

Demum quinto incursu armata manu Dura capitur; cæsi supra bis mille quingentos; oppidum direptum, inde arsit.

DVra InCensa IaCet, dVra CerVICé rebeLLIs:
QVo rVIt, AVgVSti MensIs & ensIs erat.

Excidio hoc perterrefactæ ceteræ Iuliæ Geldriæque ciuitates, mox vno consensu Cæsari, allatis clauibus, deditionem fecere; Venlonij etiam ac Ruremondani, etsi firma satis haberent presidia. Ipse Guilielmus Cliuię Dux in castra ad Venlonium translata adducitur, & Legatis Archipræsulis Coloniensis deprecatoribus vsus, ad Cæsaris genua cum aliis octo magni nominis viris nigris indutis se coniicit. Tum, Patere, inquit, clementissime Cæsar, adolescentiæ meæ ignorantia, Francorum magnificis promissis decepta, apud te veniæ locum reperiat: errata virilis ætas con-

Territæ ceteræ Cliuiæ & Geldriæ ciuitates omnes se Cæsari dedunt.

Quin & ipse Cliuiæ Dux ingenua Cæsari prouoluitur.

1543 constanti erga te fide sarciet. Hæc verba eius excipiens Cancellarius, in genua etiam sedens, breui submissaque oratione Cæsarem ad clementiam mouere est conatus, leges quas daturus esset, Ducem æquo animo recepturum affirmans. Cæsar, dum hæc agerentur, composito ad grauitatem vultu, ne vnum quidem respondit verbum; sed seuerè procumbentes intuitus, tandem iis relictis surgit, ac Aurantio Granuellioque præcipit, deditionis leges scribant, tum abit. Dux ab Aurantio è terra subleuatur. Leges septimo Septembris scriptæ hæ erant: « Ab Ecclesiæ Catholicæ Romanæ Religione nec ritibus discedito. « Mutata in Religione restituto. « Fidem obedientiamque Cæsari ac Imperio promittito seruatoque. « Fœderi Francico ac Danico renuntiato. « Geldriæ Ducatu, ac Zutfaniæ Comitatu, Cæsari eiusque heredibus in perpetuum cedito. « Cæsar Cliuio Iuliæ Ducatum reddito, Hensberga ac Zittarda exceptis; « quæ in Cæsaris manebunt potestate, donec Cliuius promissam Cæsari fidem abundè probarit. « Martinus Rossemius Cæsaris militiæ dicto sacramento adscribitor. « Cæsar publicam fidem Ioannæ Vendomiæ, Ducis filiæ, vt è Francia per Belgium in Cliuiam proficiscatur, dato. « His legibus finis bello imponitur. At paulò pòst Dux Wilhelmus in vxorem accepit Mariam filiam Ferdinandi Ro. Regis, vt suo loco dicam, quòd Rex Francus & Vendomius ob renuntiatum fœdus Francicum ei Ioannam Vendomiam negassent. Intereà cùm subsignatis Tabulis in leges Dux iurasset, more Principis Imperij Cæsarem salutat, gratias agit, ac mensę familiariter adhibetur. Tum productum Martinum Rossemium à sacramento sibi dicto liberat, nouumque Cæsari dicere, eique militare permittit; qui exinde ad extremum vsque spiritum Cæsari fidelissimus, multis bellis præclaram præstitit operam. Nec minor in Cliuio exstitit erga Cæsarem familiamque Austriacam, dubiis etiam temporibus, constantissimè culta fides. Exinde Aurantius ac Pratæus ad Geldros Zutfaniosque, à Cliuio paulò antè de dicto sibi sacramento liberatos, profecti, nouo accepto, in Cæsaris verba adigunt, ac solitis ceremonijs eius nomine inaugurantur. Tum Cæsar relictis apud Geldros ac Zutfanios necessariis locis præsidiis, Diestum Brabantiæ oppidum venit; conuocatisque omnibus Belgarum Ordinibus, ingentem auri vim, tam ad debita soluenda stipendia, quàm ad bellũ Francicum liberaliter obtinuit. Etenim dum Cæsar Cliuio bellum infert, Rex Franciæ non contentus inuasione Hannonica, de qua suprà egimus, iterùm quoque Lutzenburgios per filium Carolum Aureliæ Ducem ac Annibaldum inuaserat. Primo impetu occupant Vicetonium ac Arlonium. Hinc decimo Septembris die ad vrbem Lutzenburgensem castra faciunt. Erant in ea, exceptis incolis, tria millia quingenti pedites, Duce Ægidio

Itaque reconciliatur Cliuius Cæsari certis legibus.

Consensu Cliuij Rossemius Cæsari sacramentum dicit; atque inde vterque Cæsari fuere semper fidelissimi.

Occupato Cæsare apud Cliuios iterùm Fráci Lutzenburgũ inuaserant, non contenti inuasione Hannoniæ.

Ægidio Leuantio, ac Ioanne Huio Metensi, cum quadringentis equiti- 1543
bus: qui parum honoris memores, non expectata vel vnica inuasione, armis fortunisque incolumibus vrbe cum Cæsaris Senatu exiere. Lutzenburgo præfectus est Longouallius, cum duobus Germanorum peditum millibus, ac trecentis equitibus Frãcis. Cúmque, excepta Theonuilla, vniuersum Rex in potestatem redegisset Ducatum, cum filio Aureliano, maximáque exercitus parte, in Regnum reuertit, certior Cæsarem, deuicto Cliuio, contra se cum victore exercitu properare. Obsidebant tum Belgæ, Duce Reussio, Landresium Hannoniæ. Aduenerat verò Ferdinandus Gonzaga cum parte Cæsariani exercitus, subsequenti graui armatura, ac Landresium Guisámque simul premebant. Cæsar verò valetudinis curandæ causa, quam articularis morbus nonnihil conuulserat, Quesnoi substiterat, habens in exercitu quatuordecim millia Germanorum, nouem millia Hispanorum ac Italorũm, sex millia Wallonum, decem millia Anglorum, duodecim millia Belgarum peditum Germanicè loquentium, ac tredecim millia equitum diuersarum nationum. Legatus eius erat Ferdinandus Gonzaga; huius verò Ferdinandus Toletanus Albæ Dux. Aderant & præcipui Germaniæ Belgarúmque Proceres. Regem enim in pugnam processurum constans erat fama. Constitutis tormentis, Gonzaga Landresij vallum ac propugnacula verberat, factóque ingenti hiatu, ab oppugnatione tamen abstinuit, fame se oppidum domiturum sperans. Instantibus Kalendis Nouembris, Landresiani ad extremam commeatus inopiam peruenerant. Quare Rex in vnum coactis omnibus copijs, ad arcem Cambresianam castra locat; Cæsar sua trans Sabim, pugnandum existimans, in vnum contrahit. Quo facto, Franci postrema acie cum multo commeatu Landresium intrant, impositóque nouo præsidio, veteríque educto, ad Regem conuolant. Ille Landresij compos voti factus, circa Nonas Nouembris in Franciam redit. Cęsar quoque, quòd hiems esset, motis Landresio castris Cameracum proficiscitur. Intellexerat enim, vrbis aliquot primarios ciues de se militibúsque suis questos coniurasse, inclinaréque ad Francos. Introducto igitur in vrbem præsidio, statum eius componit. Deinde munitissimam arcem excelsissimo eius loco extruit, præsidióque firmat. Hoc anno, præter quòd in Pedemonte vario Marte vtrimque res gereretur, Belgæ quoque mense Maio, cum decem armatis onerariis in Burdigalensem portum inuecti, septemdecim naues, vino aliísque mercibus in Normandiam tendentes, capiunt, ac in Zelandiam abducunt, ceteris omnibus incensis, ac è continenti non exigua in naues auecta præda. Hoc quoque anno Antuerpiæ à Cæsare pomœrium est prolatum, addita, vt vocant, Noua Vrbe, mœniáq; certis propugna-

Tendit victor exercitus contra Francos in Hannoniã.

Franci Lãdresio commeatum inferunt, nouúmque præsidium imponunt.

Cæsar Arcem Cameraci extruit, quòd primarij quidam Franco studere essent delati.

1544 culis aduersus hostes munitiora sunt reddita. Initio Ianuarij anno 1544. Cæsar è Belgio in Germaniam profectus, Spiram, Imperij Comitia celebraturus, venit. Adfuere (quod rarò est visum) Septem-viri omnes, ac totius Germaniæ pręcipui Principes, ipseq; Cliuius. Quo Conuētu Cęsari aduersus Francum decernuntur equitum quatuor, peditum viginti quatuor millia, qui sex mensibus Imperij sumptu militarēt: promisitq; hanc ob causam Cęsar Protestantibus, primo quoque tempore in Germania aut Generale, aut nationis Germanicæ Concilium se procuraturum, Summo Pōtifice Paulo factum ægerrimè ferente, qui superiori anno Tridentinum Concilium indixerat. His quoq; Comitiis Cæsar, magno Belgarum gaudio cōmodóque, pacem facit cum Christierno Tertio Daniæ Rege, cohonestatque nuptias Lamoralis Egmondij Comitis cum Sabina Bauara in vrbe Spirensi. Intereà Anghianus à Rege Francorū Pedemontiis præfectus, accepto à Buterio exercitu, nouisque additis copiis, Carinianum in medio suorū pręsidiorum à Vastio permunitum, ac à veteranorum firmo præsidio defensum, obsidere, faméque ad deditionem cogere, aut, si Vastius auxilium ferre conaretur, prælio decernere constituit. Facto vtrimque apparatu, Vastius occupato pago Ceresola, castra ponit, transitáque proxima valle, in propinquis patentibus campis acies constituit. Pugnatum est ad Ceresolam acriter postridie Idus Apriles, occisáque feruntur duodecim millia virorum, sed maximè Germanorum. Adducta enim fuere vtrimque in aciem supra quadraginta virorum millia. Nec incruenta tamen Francis fuit victoria, profligato sinistro cornu. Ducit hoc anno in vxorē Philippus Hispaniarum Princeps Mariam Ioannis Portugalliæ Regis filiam sibi anno superiori despōsatam, è qua filium suscepit Carolum, qui innuptus anno 1568. obiit. Sub idem tempus Cæsar ac Angliæ Rex, maximis veteranorum habitis delectibus, ingentes copias, quibus Franciam inuaderent, parabāt; quorum vires vt Francus separaret, Anghianum nouis copiis iuuat, ac Cæsari in Insubria graue bellum conflat, duce Strozza exulum Florētinorum Principe. Is frustrà tentato Mediolano, tādem ad Saraualli oppidi plana cum Cæsarianis concurrit. Primùm Strozza tanta Cæsarianos vi propulerat, vt duo tormenta maiora eriperent, ac victoriam inclamarēt. Quare omnes eò Strozzianæ copiæ, dissolutis ordinibus, conuertuntur: in quorum aperta latera inuectus Lanoius, momento temporis omnes in diuersas partes præcipites agit, cadente Vlysse Vrsino, ac cum eo aliquot ordinum ductoribus militibusque non paucis. Maior pars, proiectis armis, cum omnibus signis militaribus in Vastij potestatem peruenit. Qui effugere, Quierassium, ac inde Carignanum ad Anghianum euasere. Incidit hæc pugna circiter Idus Iunij. Attamen circa Kalendas

In Comitiis Spiranis magna auxilia in sex mēses Germani Cæsari contra Francum addicunt.

Sancitur ibi quoque pax cum Daniæ Rege.

Vincunt Franci in Sabaudia, sed cruento vtrimque prælio.

Nouū hostem excitat Francus Cæsari Strozzam exulem Florentinorū Principem.

Cæsariani in Italia & Sabaudia nunc vincunt, nunc vincuntur.

das Iulij Pyrrhus Stipicianus, extrema famis necessitate coactus, cum 1544 Anghiano transigit, ac Carinianum ei cedit. Iam ad inuadendam Franciam Cæsar Spiræ Germanorum copias parauerat. Henricus Angliæ Rex, ingenti peditum equitumq; suæ nationis coacto exercitu, Caletum transmittit; missoque Nortfolchi Duce cum parte copiarũ ad Belgarum castra, qui Monstreulium in Picardia obsidebant, ipse cum reliquis terra marique Boloniam premit. Cęsar cum exercitu Spirâ profectus, Metim venit, indeque Furstenbergium cum copiis ad obsidendum Lutzenburgum præmittit, quod decimoquinto obsidionis die commeatus penuria deditionem facit, Estaugæ Vicecomite cum præsidio, rebus omnibus incolumibus, exceptis tormentis, in Franciam abeunte. Tum Cęsar ad exercitum venit, breuique ad deditionem compellit Comercium, Vaucolurium, Lineum, ac cetera omnia quæ superiori anno Franci in Ducatu Lutzenburgico ceperant, captis Briennæ ac Roussij Comitibus, cum Eschenaij Domino. Inde ad Fanum Desiderij castra locat. Rex Franciscus tribus locis à tribus diuersis oppugnatus exercitibus, summa celeritate militem cogit, adeò vt omnibus in vnũ coactis, quadraginta millia peditum, ac sex millia equitum in Regio recenserentur exercitu. Oppugnabat mense Iulio Cæsar Fanum Desiderij, oppidum munitum; captoque Vitrio, Francorum etiam pedites equitesque suis commeatum intercipientes clade affecerat. Defendebant Fanum Desiderij Comes Sancerræ ac Landæ Dominus, defensi Landresij fama clarus; qui posterior 17. Iulij, minoris tormenti globo in domum eius peruolante, per cerebrum traiectus occubuit. A Cæsaris verò parte Reinerus Nassauius Aurantij Princeps, oppidum è regione arcis premens, casu quoq; vitam amittit. Emissa enim oppido maioris tormenti pila, cùm in proxima dirutæ domus rudera incidisset, frustáque hinc inde dissiliissent, earum vna dextram Aurantij scapulam transuerberat, alamque vniuersam vitiat. Decumbentem Cæsar inuisens, testamenti faciendi potestatem concedit. nullos enim ex Anna Lotharingica relinquebat liberos. Quare, cùm Guilielmum Nassauium patruelem, in assem heredem constituisset, altero die obiit. Cùm tormenta inuadendi viam strauissent, primi omnium Hispani iniussi ad ruinas prouolant; ac cùm ampliùs quàm horam obstinatissimè collato pede pugnassent, repelluntur. Succedunt mox equites octingenti, ferocissimeque pugnantes, tandem etiam reiiciuntur. Tum Germani pugnam suscipiunt: sed cùm per horas duas non minori virtute rem gessissent, nec quidquam proficerent, receptui Cæsar cani iubet. Desiderauit his oppugnationibus Cæsar viros fortes circiter septingentos, Franci ducentos, ac vltra quadraginta equites primarios. Exinde ad obsidionem Cæsar totum se conuertit. Sed non

Anglis & Belgis Picardiam inuadentibus, intereà Cæsar Lutzenburgum vrbem recuperat.

Inde & alia eius ditionis oppida: hinc ad Fanum Desiderij castra locat.

Occumbũt, intus Landæ Dominus, foris Aurantij Princeps, cùm annuente Cæsare Guilielmum Nassauium scripsisset heredem.

Inuadunt Cæsariani vrbem fortiter tertiò, sed fortiùs repelluntur.

Petuntur duodecim dies, intereà si auxilia non adsint, certis legibus Franci se tradent.

1544 non diu Sanſerrius obſidionis incommoda ferre ſtatuens, hiſce legibus cum Cæſare tranſigit: Duodecim dierum induciæ inter Cæſarem ac oppidanos ſunto, intereà obſeſſi ad Regem pro auxilio aut deditionis conſenſu mittunto. Auxilio denegato, aut ad conſtitutum diem non miſſo, Cæſari oppidum dedito. Equites pediteſque omnes more militari cum quatuor maioribus tormentis incolumes in Franciam abeunto; cetera omnia in oppido Cæſari relinquito. Stantibus induciis, munitiones non augeto, nec reficito. Hiſce de rebus quatuor obſidibus caueto. Quibus adductis, Gonzaga, nobilem Hiſpanum nomine Conteriam in oppidum mittit, obſeruaturum ne nocte vel die munitiones reſtaurarent. Ad has honeſtas obſeſſis conditiones tribuendas Cæſar adducebatur incredibili deſiderio inuadendæ Franciæ, cogendiq; Regis, de rerum ſumma nobili prælio decerneret. Angliæ quoque Rex ad idem expeditionis pugnæque deſiderium trahebatur. Rex Franciſcus, cùm rationem liberandorum obſeſſorum non reperiret, dedi oppidum dictis legibus eſt paſſus. Hac ratione fine menſis Auguſti Fanum Deſiderij in poteſtatem Cæſaris venit, poſteaquam id per ſex hebdomadas oppugnaſſet. Sexto Septembris in Belgium venit ſupradictus Guilielmus Naſſauius, duodecim annorum adoleſcens. Rex Franciſcus, conſpecto rerum ſuarum periculo, ſi Cæſar ac Anglus in fœdere perſiſtentes, bellum contra ſe continuaſſent, pacis auctores circumſpicere cœpit. Repertis hominibus idoneis, tãtum promiſſis ac donis effecit, vt Martinus Guſmannus Ordinis Prædicatorum, Cæſari à Cõfeſſionibus, ſe ea de re cum Granuellio acturum, Cæſarique verba facturum promitteret. Stetit promiſſo, effecítque initio menſis Septembris (bello tamen nullis induciis datis) Cæſar permitteret, certi viri de pace acturi Chauſſeam conuenirent. Iuere nomine Cæſaris Gonzaga ac Granuellius, nomine Regis Claudius Annibaldus ac Cheuanſij Dominus. Ad Angliæ Regem hac de cauſa eſt miſſus Cardinalis Bellaius, & alij duo Franci. Cæſar certior factus ingentem Eſparnaij commeatus vim à Franco coactam, cum exercitu profectus, oppidum cum commeatu occupat; vlteriuſque progreſſus, caſtrum Theodori, oppidumque eiuſdem nominis in poteſtatem redigit; quibus locis Rex commeatum pro exercitu congeri iuſſerat: ex quo Cæſariani, qui inopiam ſentire cœperant, mirificè ſunt recreati. Inde per Valloſios ad Sueſſonum antiquam vrbem Cæſar caſtra ponit: vbi paulò pòſt iterùm de pace agi eſt cœptum, cuius leges à parte Cæſaris moderabatur Ferdinandus Gonzaga, Nicolaus Perenotus Granuellij Dominus, ac Commendator Calameæ Ordinis Alcantaræ; à parte Regis Claudius Annibaldus, Carolus Nullius, ac Baiardus, eamque tandem Creſpij poſt varias diſceptationes die Septembris decimooctauo his conditionibus conclu-

Iis lapſis, Fanum Deſiderij Cæſari deditur.

Subornantur, qui pacem iterùm tentent; non tamen ideò ceſſatur ab armis.

Occupat Cæſar Eſpernaium, itemq; caſtrũ Theodorici, & ad Sueſſionem caſtra ponit.

» conclusere: Inter Cæsarem Carolum, Regemque Franciscum, ac qui- 1544
» cumque has leges admittent, pax firma æternáque esto. Subditi vtrim-
» que vetera tantùm soluendo portoria commeanto, mercaturámq; exer-
» cento. Quidquid hinc inde ab induciis Nicæanis est occupatum, resti-
» tuito; nihil præter commeatum propriáque tormenta abducito. Sabau-
» diæ Duci sua omnia ab vtraque parte restituito, quemadmodũ & Mar-
» chioni Montferretano, Duci Mantuano, ac Lotharingiæ. Rex ditioni ac
» Abbatiæ Gorzianæ cedito, Cæsarique obsides, donec conditiones hæ
» fuerint implete, Medoni Cardinalem, Guisæ Ducem ac Lauallæ Comi-
» tem dato. De bello Turcis inferendo Cæsar ac Rex conuentum indici-
» to, inque eam expeditionem Rex sexcentos equites lancearios, ac decem
» millia peditum, cuiuscum; Cæsar iusserit nationis, mittito. Rex factam
» Madriliana pace, sequentibusque fœderibus, Regni Neapolitani, Sici-
» liæ, Ducatus Mediolanensis, Comitatus Astensis, iuris patronalis, quod
» habuit in Flandriam, Artesiam, Insulas, Duacum, Orchiacum, Torna-
» cum, Mortangam ac Fanum D. Amandi, cessionem ratam firmámq; ea
» ratione, qua superioribus fœderibus est conuentum, habeto. Priuilegia
» alia vetera nouáque vtrimque manento. Vt verò hæc pax seriò rata per-
» petuáque consistat, Cęsar in pacis fauorem Carolo Aureliæ Duci filiam
» Mariam, aut fratris Ferdinandi natu secundam, (nempe primogenita
» Cliuio addicta erat) despondeto; qua de re animum quarto à publicata
» pace mense declarabit. Quòd si Cæsaris filiam Carolus duxerit, Belga-
» rum Prouincias cum Comitatu Burgundiæ ac Charoloij in dotem acci-
» pito: possessionem verò Carolus Aurelianus, eiúsque liberi masculi, non
» nisi mortuo Cæsare inito; Belgæ tamen, se viuo, in Aureliani verba no-
» ménque iurent, filiusque Philippus hæc approbet curato. Carolum,
» perfectis nuptiis, Cæsar Belgis præficito. Ex parte altera Rex Franci-
» scus, eiusq; filius Henricus Delphinus, in æternum omni actione, quam
» in Ducatum Mediolanẽsem ac Comitatum Astensem allegare possunt,
» cedito. Quòd si Carolus Aurelianus in vxorem duxerit secundam Ro-
» manorum Regis filiam, cùm ea in dotem accipito Ducatum Mediola-
» nensem cum Comitatu Astensi, quæque ad hæc spectant; manente, do-
» nec vixerit, in Cæsaris potestate arce Mediolanensi ac Cremonensi; eis-
» que Cæsar, eorúmque liberis tantùm masculis Imperialem inaugura-
» tionem dato. Nuptias Aureliani vltra annum à publicata pace non dif-
» ferto. Rex Franciscus filio Carolo Aureliano in dotem dato Ducatum
» Aureliæ, Borbonij, Chasteleraudij, ac Engulesmæ Comitatum. Si Au-
» relianus prior decesserit, Cæsaris filiæ ad vitam quinquaginta millia li-
» brarum Turonensium in singulos annos persoluito, Rom. verò Regis fi-
» liæ triginta millia. Hæc præcipua, acta transactáque Crespij decimo-
tertio

Pax iterũ inter Francum & Cæsarẽ, dicta Crespiana.

Ante omnia Sabaudo & aliis sua restituantur.

Ad bellum Turcis inferendum Francus sexcentos equites, & decem millia peditum alat.

Franci filius Carolus, si velit, filiam Cæsaris Mariam habeat, & Belgium in dotem.

Aut, si malit, filiam ducat Ferdinandi; & cũ ea Ducatum Mediolanensem & Comitatum Astensem.

Nuptiæ tamen hæ alterutræ vltra annum non differantur.

1544 tertio Kalend. Octobris, ac primùm dictorum Legatorum manu subsignata, deinde Cæsaris ac Regis; postremò sigillis solito more communita. Exinde Cæsar Comiti Burano ac Reuslio, qui cum Anglo Monstreulium obsidebant, mandat, relicto oppido, exercitum dimittant. Ipse è Suessionibus motis castris, Crespium venit, indéque Feram ad Flumen Osam, vbi eum nobili cum comitatu inuisit Carolus Aureliæ Dux, futurus gener aut affinis; & cum eo Lotharingiæ Cardinalis, Mindonij Cardinalis, Comes Lauallius, ac Habandaius, qui obsidum loco cum Cæsare Bruxellam iêre, donec oppida Pedemontana essent reddita; ad quam rem perficiendam Cæsar ad Vastium, Rex ad Anghianum misit. Dum de pacis cõditionibus Crespij disputatur, Cęsar Antonium Perrenotum Antistitem Atrebatensem, Granuellij filium, Boloniam ad Henricum Angliæ Regem miserat, eumq; de ineunda pace certiorem reddiderat: qui Cæsari liberam tractandi potestatem fecerat, modò nil in rerum suarum præiudicium contraxisset. Oppugnabat enim pertinacissimè Anglus Boloniam, omnibus rebus necessariis instructissimam.

Venit ad Cæsarem Carolus Aurelius & alij, simul obsides futuri, dũ loca singula suis Dominis restituerentur.

Sed imbellis Præfecti Veruini animus effecit, vt sine cruentis oppugnationibus ea potiretur, præsidiariis in tutum cum omnibus fortunis abeuntibus, ingenti Anglis tormentorum & commeatus apparatu concesso: qua de causa paulò pòst Veruinus Parisiis iussu Regis capite plexus est. Monstreulij fortiùs agentes, omnémque Belgarum ac Anglorum vim perferentes, Regi oppidum seruauere. Rex Anglus, Bolonia de rebus necessariis instructa, Caletum, indéque in Angliam cum exercitu est reuersus. Cæsar, nullis implicitus bellis totam hiemem Bruxellæ egit, inuisente eum sorore Leonora Franciæ Regina, Carolo Aureliæ

Anglus Bolonia Gallica potitus, inde redit in Angliam.

1545 Duce, ac duobus fratris sui Ferdinandi filiis. Vere anni 1545. Cæsar Belgarum aliquot ditiones inuisit, statúmq; earum componit. Et quamquam hoc anno Cæsari læta obuenisset pax, ingentibus tamen animo angebatur curis, qua ratione Germaniæ charissimæ patriæ eamdem procuraret. Id enim vnum ad summam sibi felicitatem deesse videbat. Non enim, impacata Germania, contra Turcam, quod semper optabat, Europæ vires conuertere se feliciter posse perspiciebat. Quare tandem constituit, omnibus ingenij viribus anniti, in Religione Germani vnum sentirent. Id verò, indicto Generali Concilio, constitutóque plena cum auctoritate, Cameræ Imperialis iudicio se obtenturum sperabat; quibus si obtemperare recusassent, iustissimo se tum bello contumaces debellare, armísque ad obsequium, Deo adiutore, cogere posse videbat. Quod ne fieret, iamdudum Protestantes inter se fœdus Smalcaldij fecerant (est id oppidum ad limites Thuringiæ & Hassiæ) sæpiúsque diuersis cõuentibus renouarant, diuersósque Principes ac Ciuitates eódem attraxerant.

Facta pace cum Franco, angitur Cæsar quomodo eam etiam Germaniæ paret.

Videbat multũ sibi obstare fœdus Smalcaldicum, nec tamen animum despondet.

Octauo

Octauo die Septembris Carolus Aureliȩ Dux cum patre fratréque Delphino contra Anglos Boloniam ingenti cum exercitu contendentes, ardenti febre, quæ omnia Medicorum respuebat remedia, continuò vexatus, vitam cum morte, ętatis anno vigesimo secũdo commutauit. Erat adolescens summis animi corporísque dotibus ad admirationem ornatus. Non parum eius morte Rex Franciscus, omnésque Francorum Proceres doluere, quòd durum Delphini ingenium formidarent, videréntq; Aureliani morte conditiones pacis Crispianæ haudquaquam diuturnas fore. Augebat formidinem, quòd vulgò, dato veneno vtrumque fratrem, consilio operáque vxoris Italę, Delphinus Henricus clàm è medio sustulisse mussitaretur. Rex ad Cæsarem Antuerpiæ agentem mẽse Nouembri Ammiralem Claudium Annibaldum ac Oliuerium Franciæ Cancellarium mittit, petens, inita paulò antè pax nouis legibus, tempori ac rebus seruientibus, firmaretur. Cúmque aliquamdiu Legati Cæsarẽ essent secuti, nil aliud obtinuere, quàm quòd polliceretur, hostilitatem à sua parte Regi, nisi eam prior intulisset, non esse verendam. Indixerat hoc anno Cæsar Wormatiam Germaniæ Principum Comitia, Præside Romanorum Rege: sed ob Principum præcipuorum absentiam nihil dignum actum est. Hoc anno, mense Augusto, fine Comitiorum Wormatiensium, Cæsar fit certior, nurum suam peperisse filium, cui Caroli nomẽ esset inditum: sed eam quarto ab enixo infante die, partus incommodis è viuis excessisse. Mense Ianuario anni 1546. Cæsar Vltraiecti Comitia Aurei velleris celebrat. Inde in Geldriam proficiscitur, summóque cum honore vbiq; susceptus muneribus excolitur, ac in Ducem Geldriæ Comitémque Zutfaniæ, Arnhemi, Zutfaniæ ac Neomagi inauguratur. Hinc Traiectum ad Mosam, inde in Lotharingiam ac Germaniam contendit; Comitiis Ratisponensibus, quæ post Wormatiensia indixerat, initium daturus. Sub idem tempus è tota Christiana Europa Tridentum Episcopi ac Theologi confluebant, Concilio Vniuersali exordium facturi; cùm die decimooctauo Februarij Martinus Lutherus subitò abreptus est. De eius morte sic Cochlæus: E Wittenberga Islebium profectus, vt tractatui sęculari in causis profanis discordię, quę inter Comites à Mansfelt erat, interesset, eò quòd sub illis Dominis Islebij natus esset, die 17. Februarij, peracta in publico cum aliis cœna, eáque largiter sumpta, & facetiis hilariter extracta, eadem nocte interiit. Et post multa: Stulta de eius morte Ionæ Coci historia refert hanc quoque Lutheri morituri tam impiam quàm ridiculam stultitiam; quòd eadem nocte qua periit, dixerit ipsi Ionæ & Cælio, aliisque circumstantibus: Orate pro Domino nostro Deo, & eius Euangelio, vt ei benè succedat; quia Concilium Tridenti & abominabilis Papa grauiter ei aduersantur.

1545 — *Intereà Aurelius, cui tota penè pax Frãcica innitebatur, moritur.* — *Itaq; cùm tract. pacem tempori accommodari peteret, saltem spondet Cæsar, à sua parte nihil hostile metuendum, si non ipse prior inferat.* — *Nascitur Carolus Cæsaris ex filio nepos, matre quarto inde die è viuis discedente.* — *1546* — *Ex tota Europa cõueniunt Patres Tridentum ad Concilium generale.* — *Stulta & ridicula oratio Martini Lutheri morientis.*

1546 tur. Quis vmquam audiuit orandum esse pro Domino nostro Deo? Hæc Cochlæus. Eodem anno pridie Kal. Aprilis obijt Alfonsus Daualus, Vastij Marchio, Cæsaris à morte Piscarij, Leuæ ac Borbonij apud Mediolanenses Præfectus, sui temporis Dux belli præclarus. Sepultus est Mediolani in Choro summi Templi magna pompa, successitque illi Ferdinandus Gonzaga. Hoc fermè tempore fama non falsa per Germaniam spargi est cœpta, Cæsarem, Rom. Regem, Papam Paulum, facto inter se fœdere, bellum contra Protestantes, fœdusque Smalcaldicum iterùm tunc renouatum, summa ope parare. Scribit hac de re Philippus Hassiæ Lantgrauius litteras ad Nicolaum Perenotum Granuellæ Dominum, ac quid constans fama ferat, aperit, seque credere asserit, quòd Cæsar cum Solymanno Turca fœdus fecisset. Rescribit Granuellius, Cæsarem conscribere militem, quòd idem vicini Principes faciant (Smalcaldicos Protestantes intelligebat:) cum Turca in annum fecisse non fœdus, sed inducias, culpâ Germanorum, numquam de mittendis contra Turcam auxilijs aliquid statuentium. Consulere se, Cæsarem ipsum Ratisbonam tendentem in itinere hac de re conueniat. Quarto Idus Aprilis Lantgrauius Spiram ad Cæsarem venit, cum eo de sparsa belli fama agit; multisq; verbis vltrò citroque in speciem amicè habitis, discedunt. Postridie apud Septem-virũ Palatini Comitem cõueniunt, Lantgrauius, Granuellius, Nauius, Masbachius, & quidam alij, eadémque simulatione de pace agunt, sed nil decernunt. Quare iterùm Lantgrauius Cæsarem adiens, peramico, sed dubio accepto responso, in Hassiam reuertit, Cæsar verò Ratisbonam contendit. Tandem decimosexto Iunij Protestantes audacter Cæsarem adeunt, ac in quem vsum militem paret, sciscitantur. Respondet, se pacem in Germania constituere decreuisse; qui eam admiserint, omnia honesta se impetraturos; qui reiecerint, pro Imperatoria auctoritate in hos se de iure acturum: inque eamdem sententiam ad Ciuitates scribit Imperiales. Granuellius ac Nauius Legatos Ciuitatum qui aderant, ad se vocatos docent, bellum quod Cæsar parat, contra eos institui, qui propria auctoritate occupatis aliquot Antistitum, Abbatum ac Monasteriorum fortunis Maiestatem læsere, in neminem verò alium. Protestantes his verbis facilè se peti intelligebant, ac nisi deserta Lutheri secta, Smalcaldicoque fœdere, ad veteres Ecclesiæ Romanæ ritus essent reuersi, bellum expectandum. Mauritius Saxo, cùm Ratisbonæ diu multumque cum Cæsare Regeque Ferdinando palàm ac clàm esset locutus, tandem decimonono Iunij secretum cum vtroque fœdus his inter alias conditionibus facit: Dux " Mauritius erga Cæsarem, Rom. Regem, Imperium, ita se gerito, vt fide- " lem obsequentemq; decet Imperij Principem. Iudicio Imperiali stato. "

Fama spargi incipit de fœdere Cæsaris, Rom. Regis, & Papæ, contra Protestantes Germanos.

Facta & induciæ cum Turca in annũ.

Tandem Protestantibus audacter Cæsarem interrogantibus cur militem colligeret, respondit, se velle pacem in Germania constituere.

Explicant mẽtem eius pleniùs eius Consiliarij.

Mauritius Saxo secretum ferit cum Cæsare fœdus.

Dux

„ Dux Concilij Vniuerſalis decretis ſeſe eò vſque ſubmittito, quò ceteri 1546
„ Germaniæ Principes ſunt facturi; nihil intereà in ſua ditione quod ad
„ Religionem attinet, innouato. Actum Ratisbonæ die decimonono
„ Iunij, anno 1546. Proteſtantium Legati, apertè Cæſarem arma parare, ac Mauritium clàm cum eo tractaſſe edocti, non ſalutato Cæſare diſcedunt, moxque Proteſtantes copias pecuniamque expediunt, Ioannes Fredericus Saxo Septem-vir peditum quadraginta nouem ſigna, equitum turmas octodecim, Heſſus quadraginta octo vexilla peditum, equitumque turmas duodecim, alijque quiſque pro facultatum ratione; ita vt eorum copiæ, habito delectu, ſupra centum peditum ac quindecim equitum millia cenſerentur. Fredericus Comes Palatinus Septem-vir ducentos quos miſerat equites mox è via domum reuocat, Legatum Ratisbonam ad Cæſarem mittit, vtque ſe pacificatorem admittat, petit. Reſpondet per Granuellium Cæſar, ſalua Concilij Generalis auctoritate & ſua id licere. Palatinus reſponſum Saxoni, Heſſo, ac Wirtenbergio communicat, rogans, communis Germaniæ quietis cauſa aliquid de iure opinioneque ſua cedant. Illi datis ad Cæſarem ſuperbiſſimis, ac in Concilium Tridentinum Summúmque Pontificem criminoſiſſimis litteris, omnem pacis rationem abrupere. Intereà apud Belgas Maximilianus Buræ Comes, iuſta peditum equitúmque conſcripta manu, Cæſaris expectabat mandatum. Sed ſumma Heſſi diligentia effecit, vt ſeriùs vocaretur. Coadunatis enim, vt diximus, ſuis ſociorumque copijs, decimoquinto Kal. Auguſti in Cæſarem ducit. Scartlæus Auguſtanus, copiarum Auguſtæ, Vlmæ, ac Argentorati Præfectus, in alteram partem miſſus cum ſuis, Ducis Wirtenbergij copijs Fieſſam Antiſtitis Auguſtani oppidum, arcemque Erebergam ditionis Rom. Regis, cum oppido Cluſa in anguſto Alpium tranſitu ſita, occupat, impediturus ne Hiſpanorum Italorúmque copiæ ex Italia ad Cæſarem proficiſcerentur. Is autem Ratisbonæ agens, frumentum vetus nouúmque ex agris in vrbem conuehi curat, tormentorum magnum numerum cogit, farinæ molitæ ingentem copiam coëmit, bis mille quingentas operas conducit, cohortéſque quas tota Germania diuerſis conſcripſerat locis, ad ſe vocat; quibus mox acceſſit ſua cum legione Bauariæ Ducis filius nothus. E Belgio in itinere erant decem millia peditum ac quinque millia equitum Duce Burano; trahebántque tormenta maiora duodecim, comitante eos Mendoſio cum trecentis veteranis Hiſpanis, & Antinoro cum ducentis veteranis Italis. Ex Italia mouebant circiter nouem millia veteranorum Hiſpanorum peditum. Itali, Duce Octauio Farneſio, à Pontifice miſſi ad duodecim millia peditum: ducebántque ſinguli ſuis turmis conuenientem equitatum, ita vt ſi copiæ Cæſaris in vnum coiiſſent,

Proteſtantium copiæ ſupra centum peditum & quindecim equitum millia.

Tentat Palatinus pacem, ſed fruſtrà.

Quin Proteſtantes priores in campum prodeunt, anguſtiaſq; Alpium arcendis Italicis auxilijs occupant.

Nihilominùs omni parte auxilia Cæſari veniunt, & maximè à Belgis.

1546 ſent, eſſent ad quinquaginta peditum millia, & ſupra ſexdecim millia equitum, exceptis Rom. Regis ac Mauritij Saxonis equitibus, qui in Saxoniam miſſi erãt. Intereà dum conueniunt copiæ, belli ſedem Cæſar ſtatuit Ingolſtadium, quod nouem milliaribus Germanicis Ratisbona abeſt, Legatum ſibi nominans Ferdinandum Toletanum Albæ Ducem; quem cum parte recentium copiarum, quæ longo circuitu capto, partim ex Italia, partim ex Germania Ingolſtadium venerant, ad recuperandam Cluſam mittit. Sed loci ſitu, ne vim tentaret, territus, re infecta ad Cæſarem redijt, eódem pridie aduenisse gaudens alios aliquot Hiſpanos pedites, ac Neapolitanos grauis armaturæ equites. Scartlæus Proteſtantium Dux, occupata Cluſa, Oenipontem (*Inſbrug*) cum copiis tendebat. Sed reperiens Rom. Regem cum duodecim millibus peditum vrbem ac opportuna quęque loca occupaſſe, conuerſo exercitu, direptiſque in itinere Monaſterijs ac Templis, ad Danubium, quò Proteſtantium conueniebant copiæ, ſe confert. Duodecimo Kal. Auguſti Cæſar Saxonem, Heſſum, omneſque qui cum ijs ſtabant, proſcribit. Illi verò quarto Kal. Auguſti copias omnes cum Scartlæo iungunt; quibus mox acceſſere Germani milites, qui à Franco, facta paulò antè cum Anglo de Bolonienſi Comitatu pace, erãt exauctorati. Hoc tempore Ferdinandus Rom. Rex filias duas matrimonio collocat: Annã Alberto Bauaro, Mariam Guilielmo Cliuiæ Iuliæq; Duci. Negata enim ei Nauarræa, ac poteſtate alterius ducẽdæ à Summo Pontifice accepta, huc ſe conuertit; impetratáque vxore, nuptię magna cum ſolemnitate Ratisbonæ ſub huius belli initium ſunt celebratæ. Die 7. Auguſti ingentem Mechlinia cladẽ ab incenſo à fulmine puluere tormentario accepit. Erat iuxta portã Neckerſpouliam turris Santporta dicta, in cuius fundo concamerato ad ſeptingenta dolia pulueris tormentarij in belli vſum cuſtodiebantur. Turris verò aliquot locis vetuſtate rimas agebat. Conqueſta fuerat hac de re ad Magiſtratum non ſemel vetula paupercula, in ea gratis habitãs. Quę cùm pomeridiano tẽpore iam dicto die tonitrua ac fulgura excitari vehementia conſideraret, formidine correpta circa veſperam aliò diuertit: & ecce nocte hora vndecima, redeuntibus tonitruis ac fulminibus, pérq; rimas iam dictas turrim peruadentibus, omnis puluis tormentarius incenditur; quadratique lapides turris per vrbem diſiecti, in proximo vltra 200. ciuium domos, ac totidem in ſuburbio euertunt. Ciuitatis foſſa ab vtraque dirutæ turris parte ad 200. paſſus ſicca erat, cùm paulò antè aqua pedeſtris lanceæ altitudinem ferè æquaſſet, muruſque ad idem ſpatium erat exciſus. Homines vtriuſque ſexus variæ ætatis vltra quingentos oppreſſi, vulnerati ad bis mille. Temporis puncto hæc clades incidit, ac ceſſauit, tota exinde nocte ſumma in aëre fuit ſerenitas. Reperta fuère

Belli ſedem ſtatuit Cæſar Ingolſtadium Bauariæ vrbem, Legatum Albæ Ducem.

Scartlæus vnus Proteſtantium fruſtrà Oenipontem tentat.

Cæſar Saxonem, Heſſum, omneſq; qui cum eis faciebant, ſolemniter proſcribit.

Magna clades Mechliniæ hoc tempore à puluere tormentario à fulmine incenſo.

Oppreſſi vno momento hac clade homines vltra quingentos, vulnerati bis mille.

fuêre mortua mutilaque corpora ad ſeſquimilliare extra ciuitatem variis locis diſiecta. Eſt de his chronologicum illud antiquum: 1546

TVrres ContrItæ LaCerant VI pVLVerIs ædes,
septena AVgVſtI ,fVLgVre MeChLInIæ.

Vndecimo Auguſti Proteſtantium Duces, è caſtris Donauerdicis miſſis ad Cæſarem litteris, qui ad Landishutum in Bauaria caſtrametatus erat, bellum ei, recitatis aſperè cauſis, indicunt. Cæſar reiectis litteris, nec legere legíve volens, ne quis in poſterum à rebellibus cum litteris ad ſe veniat, niſi gulam frangi laqueo cupiat, ſeuerè iubet, tradens adoleſcenti ac tibicini, qui litteras attulerant, Proſcriptionis Tabulas, rebellibus Principibus perferendas. Actum in Proteſtantium Concilio fuerat, quo nomine Cęſar in litteris foret compellandus. Saxo Hiſpaniȩ Regem appellabat, Heſſus Carolum Gandenſem. Sed tandem conueniunt ſcriberetur, Carolus qui ſe pro Cæſare gerit. Inde motis caſtris Ratisbonam contendunt. Ad Cæſarem verò tandem venêre Pontificia auxilia, ſuperiùs commemorata, Duce Octauio Farneſio, ac Alexandro Farneſio Cardinale Pontificis fratre, ſequebanturque hos auxilia Ducum Florentiæ ac Ferrariæ. Vniuerſæ rei frumentariæ præerat Otto Cardinalis Auguſtanus. Auctus his copiis Cæſar, hoſtes tardiùs Ratisbonam contendentes præuertens, ex oppidi armamentario viginti tormenta muralia, ac triginta ſex campeſtria educit, iuſtoque in oppido relicto præſidio, Ingolſtadium redit. Neoſtadij verò in ripa Danubij caſtra locans, mirabili celeritate amnem duobus locis, pontibus ex lintribus confectis, iungit. Vetus enim pons à rebellibus tenebatur, qui Ratisbonam contendentes, iuxta Ingolſtadium dubio cum Cæſarianis equeſtri prælio certauêre, vtrimque aliquot cæſis ac captis. Pridie Kal. Septembris Saxo ac Heſſus, reperto in Danubio vado, exercitum traducunt, inque proximo colle, vnde in Cæſaris caſtra erat deſpectus, poſitis tormentis ſe muniunt. Intereà Maximilianus Egmondius Buræ Comes, Aquiſgrani poſtremo delectu Belgarum habito, iter ingreditur, ac eodem die Andernacum venit; vbi ei iunguntur pedites Itali ac Hiſpani, qui iuſſu Cæſaris Anglo, qui paulò antè pacem cum Franco fecerat, militarant. Pridie Nonas Septembres, Proteſtantes, cùm per triduum fruſtrà ad Ingolſtadium contra Cæſarem ſediſſent, ac ſex millium tormentariorum globorum ictibus vix centum triginta homines neci dediſſent, nec inuadere Cæſarem auderent exiguo aggere ſeptum, ipſi numero duplo ſuperiores, caſtra mouerunt; nonnihil diſcordes, quòd Heſſus prælium ſuaſiſſet, Saxo diſſuaſiſſet. Cæſar equitatum, qui veſtigiis inſiſteret, mittit. Sed adeò prudenter aciebus in hunc euentum Heſſus præuiderat, vt Cæſariani nequaquam vim tentandam iudicarent. Cæſar ponte Danubium

Proteſtantes aſperè Cæſari bellum indicunt; ille, ne quis amplius ab ijs Legatus veniat, ſeuerè edicit.

Proteſtátes Ratisbonã verſus mouent, veniuntq́; intereà ad Cæſarem auxilia Italica.

Pugnatur leui prælio, pari vtrimque damno.

Proteſtantes Cæſarẽ inuadere non audent, etſi numero duplo ſuperiores.

1546 bium ſternit, vt ſui commodiùs pabularentur. Cumque rebelles contra Buranum tendere conſpiceret, cum omni peditatu equites ſuos ſubſequitur, caſtraque in hoſtium collibus metatur. Illi verò Niburgi conſedêre. Intereà Rom. Rex ac Mauritius Saxo, coniunctis copiis, è Bohemia Saxonis Septem-viri ditionem inuaſerãt, cùm is fruſtrà Bohemos prior ad arma contra Regem Rom. capienda ſollicitaſſet. Sed victi diligentia Rom. Regis, territique fortuna Cæſaris, à iuſta defectione, vt mox dicemus, abſtinebant. Quare Rom. Rex ac Mauritius Saxo facilè, inuaſa Saxonia, omni cladis genere eam peruaſtabant. Oppidorum maiorem partem ad deditionem coëgerant, nil Septem-viro præter Wittembergam, Iſenacum ac Gotham relinquentes. Quibus rebus Proteſtantes intellectis, tranſmiſſo Danubio Danouertum profecti, Vendingæ caſtra locant, inde rectà aduerſus Buranum contendentes. Is ne tantæ multitudini cum exiguis ac itinere feſſis copijs occurreret, cùm triduum militi ad reficienda corpora tribuiſſet, prima noctis vigilia ſilentio copias educit, ac compoſito, ſed ſilenti agmine procedẽs, in proxima ad Ingolſtadium ſilua, eluſo hoſte, conſidet. Manè copiis in tres acies diſtributis ad Cæſarem contendit, ſummaq; cum congratulatione exceptus, in eius Procerumq; omnium complexus proceſſit: militi quies & lautia data. Decimoquinto Kal. Octobris, cùm exercitum quatuordecim diebus armis ac impedimentis grauem per impeditos ſaltus ſiluáſque ad decipiendum hoſtem raptaſſet, Cæſar Proteſtantium diſceſſu, motis caſtris, Niburgum in deditionem accipit, præſidiarios, cùm ampliùs contra Cæſarem arma ſe non ſumpturos iuraſſent, dimittens. Proteſtantes auri indigi, fruſtrà à Venetis, Anglo, ac Franco mutuum petiêre. Initio menſis Octobris circa Norlingam Cæſaris Proteſtantiumque exercitus conueniunt, inſtructiſque aciebus ad pugnam ſe parant. Sed cùm leui in prælio Albertus Brunſwicanus cecidiſſet, ad caſtra reuertuntur. Octauius Farneſius, educta ſuorum parte, Donauertum, fugientibus præſidiariis, deditione capit. Et dum hac ratione in Sueuia bellum geritur, in Saxonia, vt diximus, Rom. Rex Ferdinandus ac Mauritius Saxo omnia perturbant, cladibuſque miſcent. Scartlæus Auguſtanus, qui primus contra Cæſarem copias eduxerat, Ducum variantibus ſententiis de prælio deſperans, ac nulla ratione commeatu Cæſarem prohiberi poſſe conſiderans, abductis Auguſtam copiis, primus etiam ſocialia caſtra deſeruit. Exinde Cæſar Dillingam, Hochſtetum, Laugingam, Gundelfingam ad amnem Brentãm in deditionem accipit, hacque ratione Danubij poſſeſſione potitur, traiectoque Brenta, Vlmam petit. Sed Proteſtantibus ex altera Brentæ ripa occurrentibus, propoſitum tenere non potuit. Transfert igitur caſtra iuxta Sonthenium,

Prote-

Motis caſtris tendunt vt Burano è Belgio venienti trãſitum præcludant.

Intereà Ro. Rex & Mauritius Saxo, omni cladis genere Saxoniam vaſtant.

Eluſo hoſte, Buranus incolumis cum copiis ad Cæſarẽ venit.

Accipit Cæſar in deditionem Niburgum, inde & Donauertum.

Mox plura etiam oppida Cæſari ſe tradunt.

Protestantes ad Giengam, interlabente Brenta: vbi cùm paruis aliquot prœliis esset certatum, & frustrà intentatæ ab vtraque parte insidiæ, Cæsar pridie Kal. Nouembres in vetera ad Laugingam castra reuertit. Præter assiduos enim imbres, annique tempus, pestis etiam, etsi non sæua, Cæsariana ac Protestantium inuaserat castra. Tum Reinoa Cęsari deditionem facit. Tot ciuitatum defectione, Saxoniæ euastatione, pecuniæ inopia, pestisque pullulantis malo fracti Protestantes, nil in commune consulebant, sed, vt Scartlæus fecerat, quisque ad propria oculos conuertebat; atque hoc rerum statu, Norlinga quoque Cæsari portas aperit. Demum Protestantes, diuisis copiis, instantibus Decembris Kalendis ad sua discedunt, cùm petita priùs à Cæsare pace, eam quibus volebant conditionibus obtinere non potuissent. Kalendis Decembribus Hessus Francofurtum venit: vbi cùm Magistratus ab eo consilium peteret, respondit, se pro tempore aliud non habere, quàm vt vnaquæque vulpecula (hac enim vtebatur similitudine) suam tueretur caudam. Saxo cum copiis domum tendens, inopiâ pecuniæ proximis Catholicorum agris plurimum auri extorquet, Moguntinorum, Fuldensium, Bambergensium, & Herbipolensium. Cæsar per litteras Catholicos consolatus, Idibus Decembris Rottenburgo Hallam Sueuiæ contendit, plerisque oppidis ad Rhenum vergentibus in deditionem acceptis. Hallæ aliquot diebus curando articulari morbo hæsit; datisque ad Ducem Wirtenbergensem seuerioribus litteris, iubet, se suaque omnia sine vlla conditione in suam potestatem constituat, nisi grauiùs ob rebellionem puniri malit. Is humillimis verbis veniam rogans, culpam deprecatur, animoque consternatus, relicta ditione, in munitissimam arcem Tuelam, in præcelsa præruptaque rupe sitam, cum liberis rebusque pretiosissimis fugit. Venit Hallam ad Cæsarem veniam petiturus Fredericus Comes Palatinus Septem-vir, qui modestè obiurgatus, quòd initio belli hostibus quadringentos misisset equites, etsi eosdem retraxisset, veniam obtinuit. Paulò pòst etiam Vlmenses in gratiam sunt recepti, numeratis centum millibus aureorum Rhenensium florenorum, deditisque duodecim maioribus tormentis, ac in præsidium receptis decem peditum signis. Exinde Buranum cum Belgicis copiis domum remittit, ac ex itinere Francofurtum occupare omni arte iubet. Albanum verò cum parte exercitus in Ducatum Wirtenbergensem immittit: qui oppida partim expugnat, partim in deditionem accipit, agros verò insigniter deuastat. Sed initio mensis Ianuarij anni 1547. operâ Palatini, facta Wirtenbergius deditione, his legibus inter alias in gratiam recipitur:
" Aduersa valetudine impeditus Wirtenbergius, quàm primùm Legatos
" supplices veniam imploraturos mittito: ipse intra sextam septimanam,

1546

Protestantes, cùm pacem qualem volebant impetrare non potuissent, quisque in hiberna concedit.

Cæsar aliis etiam vrbibus in potestatē redactis, Ducem Wirtenbergensem acribus litteris vehementer terret.

Hinc Palatinum quoque obiurgatum in gratiā recipit, & Vlmenses.

1547

Tandem & Wirtēbergius Cæsari reconciliatur.

1547 ſi valetudo permiſerit, idem facito. Cæſaris conſtitutiones omnes ac-« ceptato ſeruatoque. Nullum commercium nec fœdus cum rebellibus « facito. In belli à Cæſare factos ſumptus ducenta millia aureorum Rhe-« nenſium florenorum numerato, dimidium extemplò, reliquum ſpatio « viginti quinque inſequentium dierum; cautioniſque nomine Cæſari « dato Asburgium, Kirchemum, Scorendorfium, ac in his præſidia reci-« pito. Ducem ſtatim imitantur Ciuitates liberę complures. Memmingij « veniam obtinent, perſolutis quinquaginta millibus aureorum Rhenenſium. Tum Bibracij, Rabeſpurgij, Campodunenſes ac Iſmenſes, ſinguli pro facultatibus pecunia ſimiliter mulctati, tormentorumque maiori parte exuti, in veterem libertatem reſtituuntur. Septem-vir Saxo in ditionem ſuam reuerſus, tum ſuis tum Heſſi pro parte copiis non ſolùm omnia ſua recuperat, ſed etiam patruelis Mauritij Saxonis oppida omnia, excepta Lipſia ac Dreſda, in poteſtatem redigit: tum Magdeburgenſem ac Halberſtatenſem Præſulatum, Ioanne Alberto Præſule ad iniquam tranſactionem compulſo, ad ſe traducit: quibus de rebus certior Cæſar factus, iubet Alberto Brandeburgio cum equitatu peditatúque Germanico ſtatim Duci Mauritio in auxilium proficiſci, pollicitus ſe quàm primùm cum Hiſpanis ac Italis ſecuturum. Tum Vlmâ Cæſar profectus, Lindauienſes ac Eſſlingenſes pro facultatum conditione mulctatos in gratiam recipit. Auguſtani quoque non diutiùs expectare auſi, opera ac deprecatione Antonij Fuckeri à Cæſare in gratiam recipiuntur, perſolutis centum quinquaginta millibus aureorum Rhenenſium, ac duodecim maioribus tormentis Cæſari traditis, receptoque in vrbem præſidio. Buranus à Cæſare in Belgium, vt diximus, dimiſſus, ex itinere infeſto exercitu Heſſiam depopulatur, ea maximè parte qua Francofurto eſt contermina, oppidumque Darmſtattum per deditionem recipit, ac cum exercitus expeditiſſima parte Francofurtum ad amnem Mœnum contendit, non animo expugnandæ vrbis (nulla enim videbatur ſpes) ſed ex præſcripto Cæſaris cauſa vrbem tentandi. Senatus, ne Wormatienſes aut Moguntini (quos in hoc incumbere didicerant) celebres Nundinas ad ſe dono Cæſaris transferrent, ecce mox Legatos Burano obuiàm mittunt, ac cùm nil minùs expectaret, omnia Cæſari patere renuntiant, deprecantes, ne vis aut iniuria ciuibus eorumque immunitatibus fieret. Buranus iuſta manu vrbem ingreſſus, hac de re ad Cæſarem Legatos mittit, quibus & ſuum Oratorem Magiſtratus iungit. Impetrant veniam numeratis octoginta aureorum Rhenenſium millibus, traditiſque omnibus maioribus tormentis, admiſſoque Belgarum præſidio. Miſerat fine anni ſuperioris Cæſar Cruningum Zelandum cum octo millibus peditum ac mille ducentis equitibus in fines

Receptæ in gratiam quoq. multæ Ciuitates liberæ, ſingulis certa pecuniaria mulcta indicta.

Mittit Cæſar auxilia Mauritio Saxoni, ad Saxoniam ſubigendã ipſe mox ſecuturus.

Tradit ſe Cæſari Auguſta mulctata centũ quinquaginta millibus Rhenenſium.

Item Francofurtum mulcta octoginta millium.

1547

in fines Saxoniæ, maximè vt impediret, ne maritimæ Ciuitates Protestantibus opem ferrent. Is igitur mense Ianuario & Februario ibi quoque rem strenuè gerebat, & post eum Ericus Brunswicanus Luneburgij Dux; saltem quòd Bremenses, Hamburgenses, & vicinos ibi distinerent. Sub idē tempus Albertus Brandēburgius Mauritio in Saxonia laboranti in auxilium, vt diximus, missus, nona Ianuarij Hailbrunna Rochlitium contendit, iuxtáque oppidum castra ponit, parte copiarum intrò admissa: vbi cùm negligentiùs ageret, Saxo per exploratores certior factus, ex Altorpio cum Duce Ernesto primis tenebris citato itinere proficiscitur, ac postridie Kalend. Martij manè sub ipsam auroram Alberti castra, oppidumque Rochlitium, vno eodémq; tempore tanta vi inuadit, vt profligatis Alberti copiis, ac vi occupato oppido, obuios cæderet, aut proiectis armis in fugam ageret, Alberto cum Georgio Luchtenburgensi capto, ac Gotham cum multis aliis in custodiam misso. Desiderauit Albertus mille trecentos viros, ac quatuordecim tormenta. Paulò antè circa Idus Februarij Argentoratenses, missis Vlmam ad Cæsarem pro pace Legatis, reiectísque magnificis Septem-viri Saxonis litteris, cum Antonio Perenoto Antistite Atrebatensi tractant: (Granuellius ipse pater Besontium erat profectus; Nauius non ita diu obierat) impetrántque vigesimo primo Martij æquissimis conditionibus pacem, persolutis tantùm triginta millibus aureorum Rhenensium, traditísque duodecim maioribus tormentis, nulloque admisso præsidio, nouum sacramentum Cæsari dicentes. Econtrà Bohemi coniurati, intellecta Saxonis contra Brandenburgium victoria, arma contra Romanorum Regem capiunt, minima occasione vim facturi, si quid Cæsari durius accidisset. Hoc anno instantibus Februarij Kalēdis è viuis discessit Henricus Octauus Angliæ Rex, cùm eum paulò antè frustrà Protestantium Legati de auxilio interpellassent. Ante paucos quoque dies vitam miserabili casu perdiderat Franciscus Borbonius Anghiani Comes. Cùm enim hac hieme nix multa ex aëre decidisset, adolescētes aliquot Nobiles, Rocheguioni, vbi tum Rex Franciscus cum Delphino agebat, inter se pugnæ speciem edituri, pars occupatam domum niueis pilis defendit, pars iisdem impugnat. Dux propugnatorum ex pacto manet Delphinus, oppugnatoribus præfuturus exit Anghianus. Sed vix pedem vestibulo extulerat, cùm petulans quidam arreptam ligneam arcam è fenestra deiicit; quæ in caput Anghiani cadens ita cerebrum ac iugulum læsit, vt paulò pòst extremum diem clauderet. Moritur & hisce diebus Anna Hungarica, Ferdinandi Rom. Regis vxor, quindecim liberorum mater, cui Cæsar Vlmæ iusta soluit. Pridie quoq; Kalendas Aprilis è viuis discedit Franciscus Primus Francorum Rex, in arce Ramboletana, quæ Parisiis vnius diei

Septem-vir Saxo cladem aliquam infert Brandenburgio Cæsariano.

Argentoratenses recipiuntur in gratiam mulctati tantùm triginta millibus.

Moritur Henricus Octauus Angliæ Rex.

Item è viuis discedunt Anna Hungarica Ro. Regis vxor, & Rex Franciæ Franciscus.

1547 diei itinere abeſt, ſuccedente illi filio Henrico nominis Secundo, ſolo è tribus filiis ſuperſtite, annos nato viginti & octo. Paulò antè, nempe decimo Kalend. Aprilis, Cęſar Norlinga Norimbergam, inde Egram cum copiis contendit; coniunxeréque ſe ei hoc loco cum non contemnendis copiis Rom. Rex, Mauritius ac Auguſtus Saxones fratres, multum perpeſſi, antequam per Herciniæ ſiluæ ſaltus, à coniuratis ſuccisis arboribus præmunitos, cum milite euaderent. Hinc ſimul in Myſiam profecti, circa finem Aprilis ad flumen Albim, è regione oppidi Mulbergi, haud

Cæſar cum omnibus copijs in Saxoniam penetrat, ſedente Septem-viro ab altera fluminis parte.

procul Miſeno, vbi ab altera fluminis ripa Septem-vir Saxo caſtra habebat, conſident. Habebat is pares Cæſarianis virtute ac numero copias. Peditum enim viginti, equitum quinque millia illi aderant, pontémque ſublicium, qui erat ad oppidum Mulbergum, incenderat, poſitiſque in in ripa Albis variis locis tormentis, ac ſclopetariis, qui Cæſarianos tranſitu amnis prohiberent, cum maiori exercitus parte, lento paſſu Wittenbergam tendebat. Sed Hiſpani ſclopetarij audacter flumen ingreſſi, ita rem geſſere, vt mox Saxones ripam desererent, ac ad Septem-virum properarent. Ex Hiſpanis aliquot nandi gnari, gladios ore ferentes in hoſtilem ripam tranſnatant, repertáſque ſcaphas ad Cæſarem retrahunt:

Septem-viro Wittenbergam ſecedente, quàm celerrimè Cæſar maiorem partem exercitus flumen Albim traducit.

qui ex his, & quas habebat, ponte facto, maiorem exercitus partem Albim traducit. Leuis Hungarorum armatura, reperto vado, quod ruſticus ob abactos à Saxonibus equos monſtrarat, tranſiit; tandémque omni tranſmiſſo exercitu, Saxonem Septem-virum audiendæ concioni intentum, ad ſiluam Lochanam aſſequuntur. Is de Cæſaris diligentia obſtupefactus, dimiſſa concione, acies inſtruit. Idem facit Cæſar, ac ex omni equitatu duas acies educit. In prima erat Albanus, Lanoius, Spinellus, Mauritius ac Auguſtus Saxones; in altera Cęſar, Rom. Rex duobus cum filijs, ac Sabaudiæ Dux. Contra hos prodit Ioannes Fridericus Septem-

Pugnatur à meridie ad noctem vſque; tandē Septem-vir Saxo vincitur & capitur.

vir Saxo; ac à meridie ad noctem vſque variis locis acerrimè pugnans tandem ſuperatur, cumque in tutum ſe fuga elapſum exiſtimaret, caſu capitur. Equites enim Hiſpani quatuor, totidémque Itali, ac duo Hungari, palantes longiùs proſecuti, in Septem-virum à ſuis deſertum incidunt, eumque circumſtantes, ac ſinguli capere conati, in ſiniſtra gena, dum ſe pertinaciùs defendit, ſauciant, dederéque cogunt, reuerſiq; cum nobili captiuo ad Cæſarem, lætum ei omnibúſque Proceribus ſpectaculum præbent. Ab Albano ad Cæſarem adductus, ait: Tuus, clementiſ-

Verba captiui Saxonis ad Cæſarem, & Cæſaris ad eum.

ſime Cæſar, iure belli ſum captiuus: rogo me in morem Principis viri cuſtodiri ac tractari iubeas. Tum Cæſar: Benè habet, quòd nunc tibi ſim Cæſar; vt meritus es, excipieris. Ille ſuſpirans obticuit. Rom. Rex acerbiùs cum eo agens, exprobrabat, quòd ſubditos ſuos Bohemos ad arma concitaſſet. Captus eſt & Erneſtus Brunſwicanus. Ioannes Septem-

viri

viri Saxonis filius natu maximus, ſaucius Wittenberga Gotham euaſit; 1547
Bichlingus ac Recrodus cum quadringentis equitibus Wittenbergæ ſe ſeruarunt. Cecidere ſupra bis mille pedites, ac quingenti equites. Nox ac propinqua ſilua maiorem partem periculo exemere. Signa militaria viginti octo relata, ac inter hæc Septem-viri ſummum. Tormenta maiora quindecim, poſtero die alia ſex, cum multis impedimentis capta ſunt, & peditum ingens numerus. Cęſar centum circiter viros deſiderauit. Septem-viri ac Erneſti cuſtodia Alfonſo Viues Hiſpano demandatur. Pugnatum eſt ad Albim octauo Kal. Maij. Biduo militi ad quietē Cæſar dato, tertio die Torgam ducit, eáq; in fidem recepta, Wittenbergam Saxoniæ Septem-viratus caput, firmiſſimúmque propugnaculum contendit. Bohemi, nuntio capti Septem-viri accepto, poſitis armis à Rom. Rege pacem petunt. Intereà Wittenbergam Cæſar obſidebat, cōtráque Septem-virum, vti læſæ Maieſtatis reum, capitis ſententiam profert. Sed Ioachimus Septem-vir Brandeburgius pro Saxone ad Cæſarē cum Guilielmo Cliuiæ Duce interpellās, impetrauere his inter cetera legibus vita concederetur:

Cæſi ea pugna ex Proteſtantibus ſupra bis mille pedites, equites quingentis ceteros nox & vicina ſilua ſeruauit.

Cæſar Wittenbergam obſidens, ſententiam capitis in Septem virum pronuntiat.

,, Dignitati Septem-virali pro ſe ſuiſq; liberis ac
,, ſucceſſoribus in perpetuum renuntiato, eamque Cæſaris arbitrio relin-
,, quito. Bona Saxonis omnia Cęſari cedunto; qui eorum partē Rom. Re-
,, gi, partem Mauritio Saxoni donato; qua de cauſa Mauritius ſingulis an-
,, nis, Ioannis Frederici Saxonis liberis quinquaginta millia aureorum
,, Rhenenſium numerato. Saxo oppidum Gotham, diruta arce, ſerua-
,, to. Ad diſſoluendum Saxoni æs alienum, Mauritius illi ſemel centum
,, millia aureorum perſoluito. Bona Saxoni relicta, liberi eius habentote,
,, ac vtuntor; ipſe poſthac Cæſarem aut eius filium Philippum ſequitor.

Tandem tamen certis legibus ei vitam concedit.

Wittenbergij, à dicto Saxoni ſacramento liberati, Cæſari apertis portis deditionem faciunt, ſupplicéſque orant, ne externum militem introducat. Pollicetur Cæſar, ac præſtat. Philippus Haſſiæ Lantgrauius, ex eo tempore, quo Ingolſtadio Proteſtantes diuiſis copiis diſceſſiſſent, domum profectus, quietus, belli Saxonici finem expectarat. Eo confecto, generum Mauritium Saxonem de pacis cum Cæſare conditionibus pro ſe agere permittit: qui tandem Hallæ cum Cæſare tranſigit. Inde enim in Heſſum expeditionem Cæſar parabat, niſi leges accepiſſet. Venit Heſſus Hallam decimotertio Kal. Iunij ſub veſperam. Pacis gratiæq; leges

Territus Heſſus & ipſe Mauritium generum rogat, agat pro ſe apud Cæſarem.

,, hæc fuere: Philippus Haſſiæ Lantgrauius, ſe ſuamque Prouinciam Cę-
,, ſari ſine vlla conditione dedito. Ad Cæſarem venito, gratiámq; ſupplex
,, petito. Quæ Cæſar pro ſalute Reip. Germanicæ decreta faciet, edictáq;
,, publicabit, ſine tergiuerſatione obſeruato. Interuallo quatuor menſium
,, Cæſari in factos belli ſumptus centum quinquaginta millia aureorum
,, Rhenenſium numerato. Arces munitioneſque omnes præter Zegen

Itaq; Heſſus quoque certis conditionibus Cæſari ſe tradit, imò, vt primus Articulus habet, ſine vlla conditione.

hemum

1547 mum ac Castellum diruito; horum præsidiarios in Cæsaris nomen ad- “
igito. Bellica tormenta omnia cum omni apparatu statim tradito. Pro “
harum legum obseruatione Septem-vir Brandeburgius gener Mauri- “
tius Saxo, ac Wolfgangus Palatinus fide iubento. Soli Cæsari harum le- “
gum interpretationem deferto. Pij, liberi, ac Generalis Concilij decre- “
tis, vt ceteri Germaniæ Protestantes, stato. His ab Hesso subsignatis, sub “
horam quintam post meridiem, à Mauritio genero, & Brandeburgio Septem-viro ad Cęsarem Hessus adductus, in genua procumbit; iuxtáq; cum eius Cancellarius, qui è scripto culpam recitans, demissè gratiā orabat. Tum Cæsar per Georgium Seldum respondet, se eum merito supplicio, proscriptione, perpetuo carcere, mulctáque omnium bonorum berare; & contentum esse formula conceptæ pacis, audiente maxima Procerum omnis nationis multitudine. Hessus Cæsari gratias agēs, cùm nullus eum surgere iuberet, iniussus consurgit. Deinde à Brandeburgio ac Mauritio ad Albanum cœnaturus deducitur. A cœna Septem-viri, aliquamdiu cum Albano ac Antistite Atrebatensi collocuti, ad Hessum accedunt, factáque ingenti excusatione, illi inter custodes ibi pernoctandum nuntiant. Ille ad eorum verba obstupefactus, fidem eorum implorat, à quibus persuasus eò venisset. Promittunt se apud Cæsarem intercessuros, nec quieturos, donec in libertatem esset restitutus. Postridie Cæsarem adeunt, ac de existimationis suæ periculo agi conqueruntur, nisi Hessus dimittatur. Reddit Cæsar, se libertatem promisisse, sed non euestigiò, tantumque perpetuo carcere liberasse. Inter has disceptationes Hesso nuntiatur, necesse esse Cęsarem comitari, nisi in Hispaniam abduci malit. Paret necessitati. Vt verò citiùs libertatem promereretur, præscriptam pecuniariam mulctam paulò pòst repræsentat, munitiones arcesque dirui iubet, ducenta ænea tormenta tradit; quibus iuncta, quæ ab aliis Cæsar acceperat, quingentorum tormentorum numerum excessere: quæ cùm aliquamdiu Francofurti in triumphi modum stetissent, tandem pars Mediolanum, Neapolim, pars in Hispaniam ac ad Belgas sunt auectæ. Cæsar abducto Wittenberga præsidio, oppidum Mauritio Saxoni tradit, qui accepto à ciuibus sacramento, id cum arce insigniter muniuit. E Thuringia Cęsar Norimbergam deflexit, Bohemis, ad quos cum copiis profectus erat Romanorum Rex, è propinquo formidinem iniecturus. Sed ij Cæsaris victoria planè animis consternati, à Rege Romanorum in arce Pragensi supplices veniam petentes, datas leges accepere, mulctati parte Priuilegiorum, pecunia, armis; nonnulli etiam vita, bonis, aut exilio. Exinde Lubeca Legati ad Cæsarem gratulatum de victoria venere. Hi enim Protestantium fœderi numquam subscribere, nec auxilia mittere voluerant. Bremensium quoque ac Hamburgensium

Nihilominùs dicit Cæsar se eum liberare merito supplicio, proscriptione, perpetuo carcere, & mulcta omnium bonorum.

Obstupescit Hessus, dù detinetur, itemq; eius intercessores. Sed Cæsar causam reddit.

Aenea tormenta hoc bello protestantibus adempta vltra quingenta.

Bohemi rebelles, & ipsi cum Rom Rege in gratiam redeunt.

ſium Oratores aderant; qui operâ Regis Daniæ gratiam, mulctati pecunia, obtinuere. Sed Magdeburgij non ſatisfecerant Cæſari: in quos cùm iam eſſet ducturus, Francorum artibus aliò vocatur. Henricus enim Franciæ Rex in Germania, Duce Sebaſtiano Vogelsbergio, militem cōſcribebat: quo conſilio, ignorabatur. Fama erat, vt Regi Rhemis inaugurando eſſent præſidio. Cæſar verò, quòd pacem cum patre Franciſco initam non approbaſſet, bellum ſuſpicabatur. Quapropter ad conſtituendum Germaniæ ſtatum in menſem Septembrem Comitia, peſtis cauſa, Vlmâ Auguſtam transfert. Deinde Bambergâ Norimbergam peruenit; ac aliquot Saxoniæ ciuitates, quæ ſupplicatum venerāt, in gratiam recipit. Exarſit hoc tempore ingens ciuium Neapolitanorum contra Petrum Toletanum ac Hiſpanos milites ſeditio. Is enim eo in Regno ac vrbe Inquiſitionem contra Catholicæ fidei hoſtes primò modeſtè, cumque non ſuccederet, per vim introducere conabatur. Sed ciues armis ſe opponentes, exuleſque in vrbem recipientes, cruentis aliquot præliis cum Hiſpanis conflixere. Poſt aliquot dierum mutuas cædes, territi Neapolitani tot tantiſque Cæſaris victoriis, Legatos ad eum in Germaniam, Proregem accuſantes, mittunt. Sed arma ponere iuſſi, cùm obedirent, omnibus adimuntur. Tum nonnulli bonis, alij exilio, quidam etiam vita & bonis mulctantur. Inquiſitionis tamē vſus ad populi conditionem naturamq; nonnihil mitigatus eſt. Intereà Cæſar ab Imperij Ordinibus, ob factos eorum cauſa ſumptus, pecuniam poſcit: conferuntque liberaliter Germani, omnibus qui aliquā ratione cum Proteſtantibus fecerant, pro conditione ac opibus mulctis impoſitis: ferturq; auri quod partim à Germanis dono accepit, partim hoſtibus deuictis impoſuit, ſummā exceſſiſſe millies ſexcenties centena millia aureorum Rhenenſium, exceptis donis, quæ eius familiaribus & Conſiliarijs fuerunt oblata. Exinde Magdeburgicos in obſtinata rebellione perſtantes, euulgatis libellis Cæſar proſcribit. Romanorum quoque Rex ingentem pecuniæ ſummam ab iis recepit Proteſtantibus, qui belli initio ditionibus ſuis vim intulerant; inter quos præcipui fuère Vlricus Dux Wirtembergij, Auguſtani ac Vlmenſes: quæ etiam vrbes Cardinali Auguſtano ac Tridentino ſimiles ob cauſas pecuniam numerare ſunt coacti. Sub finem menſis Iulij Cæſar cum Saxone Auguſtam venit, Heſſo Danouerti cum Hiſpanorum cuſtodia relicto. Kalendis Septembris Comitia Auguſtæ frequentiſſimo Principum conuentu cœpta ſunt. Nam præter omnes Septem-viros ac magnam Procerum multitudinem, aderat etiam Cliuius, Cardinalis Tridentinus, Maria Cæſaris ſoror, Belgij Gubernatrix, & alij. Maximilianus filius Rom. Regis, annuente Cæſare patruo, primus omnium verba fecit. Inſtantibus Kalendis Octobris, cer-

[Margin: 1547]

[Margin: Conſcribit Rex Franciæ Henricus militem in Germania: id ſuſpectum Cæſari.]

[Margin: Magni tumultus & cruenti Neapoli contra Inquiſitionem.]

[Margin: Proſcribuntur à Cæſare Magdeburgij in rebellione perſiſtentes.]

[Margin: Celebrat Cæſar Comitia Auguſtæ.]

1547 tior fit Cæſar, Ferdinandum Gonzagam Inſubrum Præfectum Placentiam occupaſſe; cùm intellexiſſet, Petrum Ludouicum Farneſium Parmæ Placentiæque Ducem ab Auguſtino Landi Comite, eiuſque complicibus, in arce Placentina trucidatum.

Intereà nuntiatur Farneſium & alios in Italia trucidatos, quaſi Genuã Franco tradere voluiſſent.

Ferebatur Farneſius vnà cum aliis Genuam (nam & Iannekinus Auria erat interfectus, & Andreas Auria vix effugerat) Francis voluiſſe tradere; certè ex eo tempore ſpem omnem recuperandæ Genuæ Franci eorumque fautores abieciſſe videntur. Intereà Cæſar Auguſtæ id vnum præcipuè moliebatur, vno Germani omnes animo ſe Concilij Tridentini decretis ſubiicerent, ſed paruo ſucceſſu, totique reliqui huius anni menſes tranſacti ſunt, variis ad Summum Pontificem à Cęſare miſſis litteris ac Oratoribus, eiuſque ad Cæſarem reſponſionibus, quòd Pontificis iuſſu menſe Aprili Tridento Bononiam Concilium eſſet tranſlatum, ob morbi vim Tridenti graſſantem, Prælatorumque, vt Bulla habet, ſecuritatem.

Concilium Generale ob vim peſtis Tridẽto Bononiam transfertur, non probante Cæſare.

Agebat ſcilicet Cæſar, ne hac ratione tergiuerſarentur Germani Proteſtantes, de loco minùs ſibi libero excipientes. Denique cùm Pontifici perſuadere non poſſet, vt Patres Tridentum reuocaret, menſis Ianuarij initio anni 1548. Friſcum Vergam ac Martinum Velaſcum Oratores Bononiam
1548 mittit; adhibitíſque aliorum etiam Regum & Principum Legatis, in Patrum conſeſſu obteſtatur de periculo quod Reſpublica Chriſtiana ex hac tranſlatione Concilij ſit incurſura.

Itaque ne Proteſtantes exciperent de loco Concilij minùs libero, curat conſcribi Cæſar librum dictum INTERIM.

Et non multò pòſt, nominatis aliquot viris doctis, dat negotium, libellum de Chriſtianis dogmatibus, cærimoniis, atque Eccleſiaſtica diſciplina conſcriberent. Primò tentatum non ſucceſſit: iterùm id negotij Cæſar dat Iulio Pflugio Antiſtiti Numburgico, Michaëli Sidonio, ac Ioanni Iſlebio Agricolæ. Hi libellum conſcribunt, ſæpiúſque ſub incudem reuocatum, tandem Cæſari exhibẽt. Titulus libello erat, INTERIM, ea de cauſa, quòd hac doctrinæ formula eò vſque omnes per Germaniam eſſent vſuri, donec per Concilium Generale liberum de controuerſijs eſſet definitum.

Præfecti tres pro Franco militẽ in Germania conſcribentes capite plectuntur.

Menſe Februario capiuntur Wiſſeburgi, opera Lazari Schuendij, Sebaſtianus Vogelsbergius, ac alij duo ſub eo cohortium Præfecti, perductique Auguſtam, quòd Imperio ſubditi contra Cæſaris Edictum primùm Proteſtantibus militaſſent, deinde pro Franco militem colligerent, in ſummo foro capite plexi ſunt.

Tradit Cæſar ſolemni ritu Septẽviratum Saxoniæ Mauritio, inſpiciente pridem Septem-viro captiuo.

Sexto Kalend. Martij Cæſar Mauritio Saxoni Auguſtæ in foro vinario ſolemni cum cærimonia, conſuetóque Imperij more, de manu tradit Septem-viratus Saxoniæ inſignia, inſpiciente ſuo ex hoſpitio Ioanne Frederico Saxone captiuo, pridem Septem-viro. Tradidit autem Mauritio Cæſar ea lege, vt eadem dignitas ad liberos eius maſculos, aut, ijs non procreatis, ad fratrem eius Auguſtum liberóſque eius maſculos tranſiret. His Comitiis Poloniæ Regis Oratores à Cæſare ac Prin-

ac Principibus audiuntur,contendentes Prussiam non Germanico Imperio,sed Regno Poloniæ subiectam; Albertumq; Brandéburgium,qui ducta vxore ex Magistro Prussiæ se clientem Poloniæ Regis declararat, Ducisque titulum contempto Cæsare assumpserat, hac de causa proscriptum liberari petebant. Sed contrarium docente Wolfgango Prussiæ Catholico Magistro, Alberti proscriptio rata manet. Idibus Maij Cæsar celeberrimo Conuentu de suo erga Germanos amore prolixè disserens,tandem pacem inter eos nulla ratione constitui posse asserit,nisi de Religione idem sentiant. In eam rem summo suo studio coactum esse Tridenti Concilium,vbi quia prolixiùs disputaretur, se petere, omnes Religionem administrent, secundùm decreta Libelli suo iussu conscripti nomine INTERIM, quem omnibus ibi offert. Tum Moguntinus assurgens,Cæsari gratias agit; & quòd is pro communi omnium assensione recepisset,nullam posteà excusationem Cęsar admisit, si quis contra libelli INTERIM decreta aliquid ausus esset:qui mox Latino Germanicoque sermone in publicum emittitur. Hoc ferè tempore Maximilianus Austriæ Archidux,Rom.Regis filius natu maximus, Augustâ in Hispaniam contendit,ducturus in vxorem Mariam Cæsaris patrui sui, dispensante Pontifice, filiam. Comitatus est eum Cardinalis Tridentinus; præcesserátque paulò antè Dux Albanus, necessaria paraturus, ac cum Cæsaris filio Philippo rediturus. Hessus, cùm frustrà apud Cæsarē de libertate egisset,tandē Danouetto Norimbergam,inde Hailbrunum, tum Hallam Sueuiæ perducitur. Exinde Cæsar iterùm proscribit Hubertum Comitem Bichlingum, Sebastianum Scartlæum, aliosq; nonnullos Protestantes adhuc rebelles; pronuntiatáque sententia pro Comite Nassauio de lite diu inter eum ac Hassiæ Lantgrauium agitata pro ditione Catzenellebogica,factoque Statuto, vt secundùm libellum INTERIM Religio vbiq; exerceretur, finem Comitiis Augustanis imponit. Constantienses, ad quos Scartlæus & alij proscripti confugerant,sæpè ad Cæsarem Legatos pro pacis conditionibus, quas ipsi præscribebant, frustrà miserant. Quare eorum arrogantiam castigaturus Cæsar, Alfonsum Viuem suis cum cohortibus eò mittit: qui occupato suburbio, cùm ciuitatem aggredi pararet, à ciuibus, post diuturnam in suburbio pugnā, maioribus tormentis est repulsus. Vltra centum ciues cecidere,quos vnà cum suis, incenso suburbio, Hispani cremauere. Tum Constantienses à Cæsare proscripti,Ferdinando Rom.Regi deditionem faciunt,eum legitimosque heredes Dominos accipiunt. Is nobilem virum eò mittit Præfectum,qui dato acceptoque sacramento, res publicas omnes ad se translatas è re Romanorum Regis constituit. Cæsar composito Augustæ pro arbitrio Reipublicæ statu, idem Vlmam profectus facit. Tum

1548

Publicatur libellus INTERIM, omnibusq; seruandus præcipitur.

Maximilianus filius Rom. Regis in Hispaniam tendit, ducturus filiam Cæsaris.

Pronuntiatur lis diu agitata de ditione Catzenellebogica.

Constantienses primò tumultuantes, demum Ferdinando Rom. Regi se dedunt.

1548 Spiram, inde Moguntiam, tandem Coloniam Agrippinam intrauit: vbi cùm Argentoratensium Legati ei satisfecissent, Cameræque Imperatoriæ Tribunal Spiræ firmasset, loco motis Senatoribus de hæresi suspectis, aliisq; integris in eorum locum subrogatis, cum Saxone ac Hesso, mense Septembri in Belgium proficiscitur, atq; exinde Cæsar Ioannem Fredericum Saxonem semper secum habuit: Philippum Hassiæ Lantgrauium primùm Audenardæ in Flandria Hispanis custodiendum commisit; indeque Mechliniam transmissum in Palatij sui posteriori parte è regione Cœnobij Atrarum Sororum, eorumdē Hispanorum custodia circumsepsit. Sexto Kalendas Decembres Philippus filius Cæsaris vnicus (relicta Hispaniæ gubernatione tantisper patrueli Maximiliano Austriaco) cum quinquaginta triremibus, totidemque onerariis, duce Andrea Auria seu Doria, qui & Maximilianum in Hispaniam transportauerat, Genuam appellit, comitante inter alios Cardinale Tridentino, Duceq; Albano. Postridie Kalend. Decembres Genuam ingreditur, ingentiq; cum pompa suscipitur. Octauo pòst die liberaliter donatus, Mediolanum decimonono Decembris intrat, incredibili cum pompa exceptus: præstò ei adfuere, Emanuel Philibertus Sabaudiæ Dux, Oratores Venetorū, Florentinorum, Ferrariensium, ac Genuensium. Erat hoc tempore Cęsar Bruxellæ Brabantiæ, receperátque Nonis Decembris è Francia sororem Leonoram, viduam Francisci Primi Francorum Regis, ad se migrantem. In profesto Natalis Christi obiit Bruxellæ Maximilianus Egmondius Buræ Comes, vnica tantùm relicta filia heredeque Anna, quæ posteà Guilielmo Nassauio Aurantij Principi nupsit. Princeps Hispaniæ Philippus Mediolano Mantuam, indeque Tridentum venit, ac mense Ian-
1549 uario 1549. Spiram Nemetum, indeque Lutzenburgum proficiscens, in Brabantiam ad patrem Cæsarem contendit. Miserat is obuiàm in Germaniam vsque Philippum Crouiacum Ducem Arschotanum cum insigni quingentorum cataphractorū equitum comitatu, inter quos erant & præcipui Belgarum Proceres. Septem-vir Mauritius Saxo, Mantuam Venetiasque inuisens, venienti Philippo Tridentum vsque obuius profectus erat, ac pro socero Hesso enixè interpellarat: promiseratque Princeps eius se rationem apud patrem Cæsarem habiturum. Cùm Brabantiæ limites Princeps Philippus attigisset, vniuersa ei Cæsaris aula, ac quidquid erat Bruxellæ Nobilitatis, Waueram vsque obuiàm proficiscitur; inde præclaro comitatu ad arcem Vuranam, duobus Bruxella ac Louanio milliaribus distantem, contendunt. Hîc enim Princeps expectabatur à Regina Maria, ac comitatu Reginæ Leonoræ, alterius amitæ, quæ ob aduersam valetudinem comitari non potuerat. Tum altero die ipsis Kalendis Aprilis oriente sole, Vurâ Princeps cum amita Maria vniuer-

Germanicis rebus vtcumque compositis, motisq; è Tribunali Spirensi de hæresi suspectis, Cæsar cum captiuis Saxone & Hesso in Belgium proficiscitur.

Adest Philippus vnicus Cæsaris filius ex Hispania in Italia, vbique incredibili pompa exceptus.

Obuiàm proficiscuntur Philippo Dux Arschotanus, Septem-vir Mauritius, alij.

Occurrit ei tota Cæsaris aula Waueram vsque.

vniuersoque comitatu ad campum veniens Harenheiam dictum, dimidio Bruxella milliari situm (vnde conspici sereno cælo possunt Bruxella, Louanium, Viluordia, Mechlinia ac Antuerpia) cum amita ac Proceribus in amplissimum intrauit tentorium, à quo non longè stabant erectæ munitiones duæ. Vni præerat, cum septingentis partim peditibus partim equitibus, viridi colore vestitis, Princeps Pedemontanus Sabaudiæ Ducis vnicus heres; alteri, cum totidem viris albo colore indutis, Reussij Comes; qui Principi eiusque comitatui per horæ spatium prælij speciem summa cum voluptate exhibuere: quo Principis nutu finito, sumpto omnes cibo Bruxellam contendunt. 1549

Ad campum Harenheiam, (vnde conspici possunt Bruxella, Louanium, Viluordia, Mechlinia) insigni ludicro certamine ad horam detinetur.

Intranti portam Louaniensem, Magistratus obuiàm factus aduentum gratulatur. Gratias agit ore Antonij Perenoti Antistitis Atrebatensis. Ad vrbis interiorem portam veniens, ordinem Ecclesiasticum habet obuium, à quo ad summum Altare Templi D. Gudilæ perductus: Deo gratias agentes, canunt Te Deum laudamus. Princeps, absoluta prece, Templo exiens equum repetit; descendensque versus Berghstratam, vix se satiare potuit inspiciendis diuersarum scenarum spectaculis, vbique magno numero occurrentibus.

Ingressus Bruxellam antequam patrem videat, in tẽplo solemni cantico Deo gratias agit.

Veniens ad Forum gramineum, fons ordinarius, loco aquæ, rubrum toto die fudit vinum. Inde transiens D. Magdalenæ Sacellum, rectà ad Aulam patremque tendit, tot vbique detentus sacris profanisque conspiciendis scenis, vt aliquot horas ijs dederit.

In viis inter varia spectacula, etiam fons toto die fundit rubrum vinum.

Ad Aulam veniens, cùm ex equo descendisset, ab vtraque cum osculo receptus amita, in media earum constitutus, ad patrem Cæsarem cum festinatione auidéque contendit; exceptusque est tanto cum gaudio, vt vnicum filium ab optimo parente excipi potuisse credibile est. Annum agebat tum vigesimum secundum.

Tandem incredibili cum gaudio à patre Cæsare excipitur.

Exinde Cæsar, præmonitis omnium Belgicarum Prouinciarum Ordinibus, necessaria parari iubet, vt filius Philippus ab omnibus in Principem inauguraretur. Cæsar cum sororibus Leonora ac Maria filium comitatus, ingenti Procerum Nobiliumque subsequente turba, Bruxella Louanium, vrbem Brabantiæ primariam, venit; vbi Princeps Philippus quinto die Iulij in Ducem Brabantiæ & Limburgi, Valkenburgijque & Dalemi Dominum, inauguratur, accepto præstitoque sacramento solito; nisi quòd solemni Ordinum consensu & voluntate, reiectis obscuris, nonnihil paulò antè fuisset idem sacramentum elucidatum. Iuramenti Principis hæc præ-

Inauguratur Louanij Philippus præstito sequenti iuramento.

,, cipua sunt capita: Vnicuique ius administrabimus secundùm ius loci.
,, Nullum suscipiemus bellum ratione dominiorum, nisi cum consen-
,, su ciuitatum & Prouinciæ. Fouebimus septem Consiliarios idoneos:
,, quorum vnus Cancellarius, Brabantus natus, peritus trium linguarum,
,, Latinæ, Gallicæ, & Teutonicæ, sigilli nostri sit custos; quatuor, item

1549

Per ſeptem Conſiliarios, quorũ vnus Cancellarius, adminiſtrabit omnem iuſtitiam.

Brabanti, vel ſaltem ratione nuptiarum Brabantiæ noſtræ Feudales; & duo reliqui pro noſtro arbitrio, callentes tamen linguam Teutonicam: per quos ſeptem, & alios quos ijſdem adiungere placuerit, Nos, noſtérve Locum-tenens, omnem iuſtitiã adminiſtrabimus tam in prouiſionibus quàm ordinarijs Iuſtitiarum, Statutorum, Placitorum, Edictorum, Mandatorumque, cum conſilio & deliberatione eorumdem & ſupradictorum Brabanticorum Conſiliariorum, ita vt in his à nullo impediri poterunt, nulliuſque nutum aut ordinationem reſpicere tenebuntur, quàm noſtram vel noſtri Locum-tenentis. Nihilominùs qui Conſiliarij aut Secretarij noſtri futuri ſunt, promittent tribus Ordinibus Brabantiæ, ſe nullum contractum confirmaturos, quo Prouinciæ Brabanticæ & Tranſmoſanæ ciuitas vlla, arx, pagus, vel quæcumque bona à reliquo corpore ſeparentur, vel quoquomodo oppignorentur, niſi cum conſenſu dictorum trium Ordinum.

Nihilominùs quædã non poterit facere niſi ſimul cum conſenſu trium Ordinum.

Item nullum curabimus cudi nummum in Brabantia, niſi cum conſilio, voluntate & aſſenſu iam dictæ Prouinciæ. Nullum in dicta Prouincia captum ex illa auehi permittemus. Comitia celebrabimus ijs locis ad quæ Ordines Prouinciæ liberè & ſine metu accedere & recedere poſſint. Nemo deinceps boni nominis & famæ per torturam examinari poterit, niſi informatione per Prætorem Senatoribus loci exhibita, id priùs iudicialiter ab ijſdem ei fuerit permiſſum, excepto crimine Priuilegiato, & de quo Senatores ciuitatum aut pagorum non habent cognoſcere, ſed ad noſtram vel ſupradicti Conſilij noſtri auctoritatem pertinet.

Nemo torquẽdus niſi iudicialiter permittente Senatu loci: excipitur tamen crimen Priuilegiatũ.

Si Nos aut noſtri heredes vllum eorũ quæ prædicta ſunt infregerimus, aut infringi permiſerimus, conſentimus & permittimus, Brabantiæ Prælati, Barones, Equites, ciuitates, municipia, omneſque omnino ſubditi nullam nobis opem aut obedientiam præſtent aut debeant, donec quod delictum eſt, fuerit plenè reuocatum. Hæc inter cetera cùm Princeps ſolemniter iuraſſet, aureamque & argenteam monetam promore in populum ſparſiſſet, ad prandium ſe conferunt.

Inde etiam Bruxellæ inauguratur, mox & in Flandriæ vrbibus.

Octauo Iulij Principibus Bruxellam reuerſis, poſtero die Princeps Philippus etiam ibi inauguratur, ac duodecimo Iulij Teneramondæ in Flandria, decimoquarto Gandaui, vigeſimoprimo Brugis, vigeſimoſexto Ipris, vigeſimoſeptimo Bergis D. Winoci. Inde Dunkercam, Nieuportum, Greuelingam ac Borburgum proficiſcuntur. Kalendis Auguſti ad Fanum D. Audomari, tertio Auguſtæ Bethuniæ, quarto Auguſti Inſulis, quinto Tornaci, pranſuſque Orchiaci, nono Auguſti Duaci, decimo Atrebati admittitur, duodecimo Cameraci, decimoquinto Bouchainij, decimoſexto Valencenis, decimoſeptimo Queſnoij, inuiſoque Landreſio, cœnant cubántque Auennæ. Decimooctauo prandent Treſlonij, cœnant Chimaij.

Item in vrbibus Arteſiæ & Cameraci & Valencenis.

Chimaij. Decimonono prandent Marieburgi, manentque vſque in vigeſimum primum diem: tum prandent Frochapelli, cœnant Baumontij. Vigeſimoſecundo Binſtium veniunt, Reginæ Mariæ oppidum; quæ paulò antè præceſſerat, inſpectura, num quæ iuſſerat parata eſſent. Nil certè fuit omiſſum, quod regali magnificentia ad tantum excipiendum cum herede filio Cæſarem aliqua ratione requiri poterat. Octo diebus Binſtij omni lętitiæ genere conſumptis, pridie Kalend. Septembres poſt meridiem Binſtio profecti Bergas Hannoniæ cubitum veniunt, poſteroque die in Comitem recipitur. Poſtridie Kalend. Septembris Cæſar, relicto filio cum ſorore Maria, Marimontium venit, inde Gennapiam, Breinam, Hallam Hannoniæ, tandemque Bruxellam Brabantiæ. Princeps Philippus, inſpecta magnifica Boſſui Comitis arce, Nonis Septembris Soignij inauguratur, eodemque die circa noctem Bruxellam quoque reuertitur, donatus toto itinere, vt ferebatur, amplius ducentis aureorum liliorum millibus. Octauo Septembris Cæſar cum ſororibus filium comitatus Mechliniam venit, filiuſque in Dominum recipitur. Vndecimo die Liræ inauguratur. Die duodecimo Antuerpiam ingreditur, ab omni ordine incredibili ſumptu pompaque, ſimulque à Deo copioſo imbre exceptus, manſitque inſpiciendis ſpectaculis, ludicriſque belli certaminibus vſque in diem decimumſeptimum. Tum Cæſar cum ſorore Leonora Bruxellam reuerſus eſt. Princeps Philippus cum amita Maria, quæ per omnes eum Prouincias ciuitateſque eſt comitata, decimonono Septembris Bergas ad Scaldim venit; inde actuaria naui Romerſwalum traiicit; quò totius Zelandiæ Legati venere, Principique vlterioris nauigationis moleſtiam erepturi, ſacramentum dixere, munera obtulere, ac vt ceteri omnes, Immunitatum confirmationem retulere. Bergas ad Scaldim reuerſus, vigeſimoſecundo Septembris Bredam venit, indéque Buſcumducis profectus, vigeſimotertio inauguratur. Recepit Princeps hoc itinere à Brabantiæ minoribus oppidis, vt volunt, circiter ſexaginta octo millia florenorum, exceptis vrbium maiorum donariis. Septembris die vigeſimoquarto Heuſdam ingreditur, pranſuſque ac inauguratus, traiecto Moſa, Gorichemi pernoctat. Vigeſimoquinto Dordracum proficiſcitur, poſteróque die in Comitem recipitur. Idem fit vigeſimoſexto Roterodami, vigeſimoſeptimo Delfis, vigeſimooctauo Hagæ-Comitis, vigeſimonono Leidis, trigeſimo Harlemi. Kalend. Octobris Harlemo naue vectus Amſtelrodamum ingenti cum pompa ſumptúque excipitur inauguratúrque. Quarto Octobris Traiecti ad Rhenum (vulgò Vltraiectum) in Dominum admittitur, quinto Amersfortij, inde Harderwichi ac Elburgi in Geldria, die ſexto Campis apud Tranſ-Iſulanos, ſeptimo Zwollæ, nono Dauentriæ; quò om-

1549

Hinc Mõtibus, aliiſq; vrbibus Hannoniæ.

Tum per Bruxellam reuerſus, Mechliniæ Liræ & Antuerpiæ inauguratur.

Romerſvvalij totius Zelandiæ Legati ei ſacramentum dicunt.

Per Bredã Buſcumducis & Heuſdam in Hollandiam venit.

Hinc Vltraiecti & apud Trãſ Iſulanos inauguratur, Friſiis Legatos ſuos Dauentriam mittẽtibus.

1549 omnium ceterorum oppidorum eius Prouinciæ Consules venientes, sacramentum dixere, donáque attulere. Idem à Frisijs ac Groninganis Principem vlterioris profectionis laboribus liberaturis, eodem tempore & loco est factum. Is verò in Frisiam ac Groningam suo nomine mittit Ioannem Lignæum, Arenbergæ Comitem, earum ditionum Gubernatorem; cui præstito, acceptóque ab eo sacramento, Principi donant quindecim & amplius aureorum liliorum millia. Octobris die decimotertio Princeps Zutfaniæ in Comitem recipitur. Decimoquarto Arnhemium proficiscitur, posteróque die, dicto acceptóque sacramento, in Geldriæ Ducem inauguratur; decimoseptimo similiter Neomagi, decimonono Venlonij, vigesimoprimo Rurmondæ; donaruntque Principi Geldri tredecim millia aureorum liliorum. Tum Mosa traiecto, vigesimosecundo Wartum venit, primarium Comitatus Hornæ oppidum, vbi honorificentissimè à Philippo Mommorancio Hornæ Comite est exceptus. Regina Maria Venlonio à Principe discedens, Turnholtum suum præcesserat, nepotémque vigesimotertio Octobris venientem summo cum honore pompáque recipit, & per aliquot dies recreat. Turnholto Liram Brabantiæ reuertitur, indéque summo manè Mechliniam contendens, prandénsque, cùm iam multa nox esset, Bruxellam intrauit. Præcedebat semper Regina Maria cum Francisco Henrico Hispano, Principi ab eleëmosynis; qui vbique egentibus, pauperioribúsque Monasteriis eius nomine liberaliter elargiebatur. Cumque Bruxellæ Proceres Belgæ ac Hispani, Nobilésque non pauci se instruxissent, vt Principi, exhibitis ludicris belli certaminibus, de feliciter peracta inauguratione gratularentur, Cęsaris articulari morbo, quo is tum temporis vehementissimè excruciabatur, impediti, ac nuntio mortis Summi Pontificis Pauli Tertij, (qui obijt quarto Idus Nouẽbres ætatis anno octogesimo secundo) ad initium vsque sequentis anni bellica spectacula distulere. Intereà Principes certiores fiunt, septimo Idus Februarij anni 1550. Romæ in Summum Pontificem electum Cardinalem Ioannem Mariam Montanum, assumpto Iulij Tertij nomine. Ad
1550 hunc Cæsar congratulandi causa Legatum mittit Ludouicum à Zuninga Commendatorem Alcantaræ, Princeps verò Philippus Gomezium à Figueroa. Sexto Kal. Martij Princeps Philippus Bruxellæ cum Proceribus Belgis armatus equester decurrit, ac inter se Belgæ & Hispani summa animorum contentione pro gloria certarunt. Tertio Idus Martij Cæsar ad Ordines Imperij è Belgio scribit, se impeditum aduẽtu filij, morte Papæ Pauli, aëris inclementia, ac podagra, tam citò quàm desiderarat, in Germaniam redire non posse, sed recuperata valetudine itineri se accincturum, indiceréque eam in rem ad septimum Kal. Iulij Augu-

Demum per Geldriam in Brabantiam redit.

Vbique ei viam parat Regina Maria, cũ eleemosynario largè passim pauperibus donante.

Mortuo Paulo Tertio succedit Iulius Tertius.

Indicit Cæsar Comitia Augustam, iubetq́ quàm frequentissimi adsint.

Auguſtam Windelicorum Principum Conuentum, velle ſe, quàm frequentiſſimi conueniant, aut Legatos cum ampliſſimis abſolutiſque mandatis mittant; cupere enim ſe ſemel tollere diſſidia, Germaniæque Rempublicam conſtituere; plurimis enim locis nihili fiebat eius Edictum INTERIM, ſuperioribus Comitiis ſancitum. Scribit quoq; intereà Cæſari Mauritius Saxo, Septem-vir ab eo creatus, ſe Tridentini Concilij decretis ſtare non poſſe, niſi Proteſtantium Theologis libera inter alios definiendi poteſtas Tridenti concederetur, ac Papa ſummi Præſidis munere cederet. Quibus rebus grauiter offenſus Cæſar, metuenſque ne rebellis Germania ſimul Belgium ad rebellionem pelliceret, graue promulgat die vigeſimo nono Aprilis contra nouarum doctrinarum fautores Edictum his inter cetera verbis: Carolus Dei gratia, &c. 1550

Mauritius Septē-vir nuntiat Cæſari ſe ſtare non poſſe decretis Concilij Tridentini, niſi &c.

„ Tametſi ſemper ſolliciti fuerimus, vt antiquam Orthodoxam fidem in „ Prouinciis noſtris ſartam tectam ſeruaremus; nihilominùs ſimplex po„ pulus paſſim adhuc ſeducatur, ſic vt neceſſarium videatur, cōtra huiuſ„ modi ſeductores diligentem inquiſitionem curamque adhibere; moni„ tis ſuper his, in Comitiis nuper hîc Bruxellæ celebratis, Prouinciarum „ noſtrarum Ordinibus, quiſque vt reſpectiuè ad hoc conniteretur; Hinc „ eſt quòd ordinamus & ſtatuimus vt Edictum perpetuum, id quod ſe„ quitur: Primùm, nemini liceat imprimere, ſcribere, nec ſcienter habere „ vllum ſcriptum vel librum Martini Lutheri, alterius hæretici, vel eo„ rum fautoris, ſecundùm ſpecificationem Theologorum Louanienſium „ hîc adiunctam, etiam quoſcumque libros in poſterum ſine nomine „ Auctoris, Impreſſoris, aut loci. Nemini quoque liceat domi ſuæ aut ali„ bi celebrare aut celebrari permittere ſecreta conuenticula, in quibus di„ cti hæretici & ſeductores errores ſuos ſecretò diſſeminant, diuerſaſque „ conſpirationes contra Eccleſiam & publicam quietem moliuntur: ſub „ pœna qui in aliquo prædictorum offenderint, puniantur vt ſeditioſi „ & perturbatores noſtri ſtatus & publicæ quietis, declarantes eos, ex quo „ die contra hoc Edictum deliquerint, vel in prædictas hæreſes incide„ rint, inhabiles fore diſponendis ſuis facultatibus; eruntque omnes alie„ nationes, donationes, ceſſiones, venditiones, legis operæ, teſtamen„ ta, & vltimæ voluntates per eos ex eo die factæ, nullæ & irritæ. Item „ cùm quis deprehenſus fuerit deliquiſſe contra noſtram ordinationem „ (maximè in his quæ tendunt ad ſcandalum, turbationem populi aut „ ſeditionem) quicumque id ſciuerint, tenebuntur mox illud ſignificare „ Procuratoribus noſtris, eorúmve ſubſtitutis, vel Magiſtratibus loci, „ ſub pœna quòd alioqui cenſebuntur hæreticorum fautores, receptato„ res, & ſequaces, vtque tales punientur. Datum Bruxellæ 29. Aprilis. 1550.

Hinc Cæſar metuens ſimul Belgio, ſeuerum Edictum in hæreticos promulgat.

Interdicit omnia hæreticorum tamquam perturbatorum Reipub. conuenticula.

Hinc teneri vult omnes vt delinquentes deferant.

Extat integrum, impreſſum cum aliis placitis Gandaui anno 1559. apud

Vanden

1550 *Vanden Steen.* Occaſione eius quod in pœnis erat, omnes alienationes vel venditiones delinquentium irritas decerni, aliquot diebus negotiatio Antuerpiæ pro magna parte ceſſauit; quare nec ibi fuit publicatum Edictum niſi poſteà, vt ſuo loco dicemus, nonnihil mitigatum.

Princeps Philippus Traiecti ad Moſam & in vicinis locis inauguratur, illac cum patre in Germaniã proficiſcẽs.

Ad exitum menſis Maij Cæſar cum filio Philippo ac Ioanne Frederico Saxone (Heſſo Mechliniæ ſub Hiſpanorum cuſtodia relicto) Bruxella diſcedens, Louanium venit, inde Thenas, tum ad Fanum S. Trudonis, Tungros, demum Traiectum ad Moſam, vbi Princeps poſtridie Nonas Iunij ſolita cærimonia ingentique cum honore inauguratur, adfuereque Legati ditionum Valkeburgij ac Dalemi cum Gubernatore ſuo Vaudemontij Comite, Principíque præſenti ſacramentum dixere, donumque trium millium aureorum liliorum attulere, totidémque Traiectini. Legati etiam Burgundiæ Comitatus hoc loco Principem dono quindecim millium aureorum liliorum honorarunt. Exinde Cæſar Auguſtam cum Principe filio contendit, ſeptimóque Kalend. Auguſti Comitia his propoſitis capitibus auſpicatur:

Quidquid Cæſar in Comitiis molitur, caret effectu: interim moritur ibi eius intimus Conſiliarius Granuellius.

Agatur de ſarcienda in Religione concordia; de Concilij Tridentini admiſſione; de exequendis decretis ſuperiori anno Auguſtæ conceptis; de reſtituendis ſacris bonis; de mulctandis rebellibus non reconciliatis. Sed quidquid in his Cæſar moliebatur, carebat effectu. His Comitiis mẽſe Auguſto è viuis Auguſtæ diſceſſit Nicolaus Perenotus Granuellæ Dominus, ex familia plebeia ſed honeſta Beſontina, ad ſummos honores intimamque familiaritatem à Cæſare ob eximias animi dotes prouectus, ſuccedente illi filio Antonio Perenoto Atrebatenſium Antiſtite, poſteà Cardinale.

Nuntiatur Cæſari, rebelles in Peru ſubactos, adferunturque inde ei quingenta millia ducatorum.

Sub idem tempus venit Auguſtam ad Cæſarem ex ditione noui orbis Peruana Petrus Guaſca Doctor Theologus, Præſes Regiæ Audientiæ, cum magno auri pondere, lætum adferens nuntium de domitis rebellibus, punito Conſaluo Piſarra, ac Franciſco Caruaialo, qui annis quatuor ab anno 1544. vſque 1548. Peruanam ditionem pænè vt propriam vendicarant. Menſe Decembri anno 1549. Guaſca Panama portu Peruenſi cum vigeſies centenis aureorum ducatorum millibus Cæſari deferendis profectus, menſe Iulio huius anni 1550. felici nauigatione Hiſpalim appulerat, atque inde nunc Auguſtæ Cæſari quingenta millia præſentat.

Mitigat nonnihil Cæſar Edictum apud Belgas contra hæreticos publicatum.

Menſe Septembri mitigat Cæſar Edictum ſuperiori Aprili apud Belgas publicatum in hunc modum: Declaramus, noſtram intentionem nequaquam fuiſſe (vt quidam interpretantur) negotiationes legitimoſque contractus vlla ratione impedire, aut quòd tales non poſſint de ſuis bonis diſponere, ſecundùm Ius ſcriptum & conſuetudinarium locorum; ſed benè, ad impediendum, quod illi deceptoriè vellent facere, ad euadendas noſtri Edicti pœnas. Datum Auguſtæ 25. Septembris

bris 1550. Exinde Cæsar, Magdeburgenses obstinatè proscriptionem contemnere videns, Georgio Meckelburgij Duci dat negotium cogendi exercitus, obsidendæque vrbis. Accipit is copias, ac Magdeburgum proficiscitur, oppidum Wancelebum ex itinere capiens, diripiens, ac incendens, arce intacta. Magdeburgenses, præsidio ac ciuibus eductis, iunctáque rusticorum multitudine, Meckelburgio instructa acie obuiàm progrediuntur. Qui, considerato ordine, mox terga vbi rustici erant, aggreditur, eósque paruo momento in fugam adeò præcipitem agit, vt præsidiarij ac ciues in fronte locati vix se conuertere armáque expedire possent. Quare per horam fortiter pugnantes, victi ad vrbem se recipiunt. Multi ab equitatu intercepti periêre, plures cum tormentis ac impedimentis capti sunt. Tum Principes Augustæ congregati Cæsarem pro Magdeburgijs ac Bremanis (qui tamen proscripti nondum erant) interpellant. Præscribit Cæsar vtrisque conditiones, sed eas admittere recusant. Quare iussu Cæsaris, Meckelburgio se iungunt Brandeburgius ac Saxo Septem-viri, nec non Henricus Brunswicanus, ac circiter Nonas Octobres ad Magdeburgum simul omnes castra locant. Ad Idus Nouēbres Papa Iulius Tertius, abrogato Bononiensi Conuentu, Patres Tridentum proximis Maij Kalendis redire iubet. Intereà Septem-vir Mauritius vniuerso exercitui à Cæsare præfectus acriter Magdeburgum oppugnat, adiutus copijs, quas recenter Lazarus Schuendius adduxerat, occupatque suburbium, quod noua Ciuitas dicitur; interfectísque omnibus diripit, inceditque. Alterum suburbium oppidani cremant, incolis in veterem ciuitatem receptis. Eo tempore Ioannes Haideccus ac Albertus Mansfeldius à Cæsare proscripti, in maritima Saxonia militem, Magdeburgijs auxilio profecturi, conscribunt. Contra hos mense Decembri profectus Mauritius, maiorem partem in fugam agit, cohortes quatuor ad nomina Cæsari sibique danda inducit, Mansfeldio Magdeburgum euadente. Decimonono Decembris noctu præsidium Magdeburgicum vrbe exiens, in proximo pago Otterslebio per tenebras Septem-viri Mauritij equitatum aggreditur, ingentíque edita pugna in fugam vertit, multis cum pago concrematis. Capti sunt cum equis ducenti sexaginta, ac ad vrbem perducti, inter quos & Georgius Comes Meckelburgij. Anno superiori, mortuo Hariadeno Barbarossa Algerij Rege, Turcicæ classis Præfecto, substitutus illi fuerat Dragutus piratarum Princeps exercitatissimus. Is fraude occupata apud Numidas vrbe Africa, (olim Aphrodisium ac Leptis, hodie ab Afris Mahamadia dicta) Regem se nominari iussit; collatísque in vrbem opibus ac viribus, vt noui Regni limites proferret, animum intendit, vniuersæ Hispaniæ ac in primis Siciliæ infestissimus. Quamobrem victus Cęsar vtriusque Regni

1550

Magdeburgenses erumpentes in turpem fugam aguntur.

Iulius Papa Concilium Vniuersale in gratiam Germanorum Tridentum reuocat.

Feruet obsidio Magdeburgensis.

Dragutus pirata Turca variè Hispaniam & Siciliam infestat.

1550 gni precibus, Ioanni Vegæ Siciliæ, Petro Toletano Neapolis Proregibus, ac Andreæ Auriæ classis suæ Præfecto, perscribit, iustis coactis copijs, instructáque classe, Africam vrbem expugnent, Dragutúmque pellant.

Collectis copiis & classe nostri Africam Draguti domicilium inuadunt.

Hi quinto Kalend. Septembres præsentis anni terra maríque insigniter vrbis murum, continuis nouem diebus, duobus locis tormentis verberant; iustaq; tandem facta ruina, militem se in posterum diem ad oppugnationem parare iubent. Tum instructis aciebus terrestribus, quarto Idus Septembris signum inuasionis circa meridiem datur. Idem eodem tempore Auria è prætoria facit triremi; vrbemque se varijs locis aggredi velle simulans, triremes muro circumfundit, vt præsidiarios distineret. Procurrunt Hispani Italíque, ac inter primos Melitenses Equites, terra maríque ciuitatem aggredientes, ac post aliquot horarum sanguinariam pugnam, à parte maris primi Melitenses vi irrumpunt, desideratis triginta Equitibus, ac multis militibus.

Fit acris pugna.

Tum bis mille Hispani à terra subsequuntur, captóque interiori pomœrio, Turcas ac Mauros in foro conglobatos aggrediuntur: qui extremo virtutis edito conatu, pro maiori parte pugnantes cecidêre, cæsis octingentis Ianitzaris, reliquis cum omnibus oppidanis in seruitutẽ abductis; fueréque ad septem hominum vtriusque sexus millia, qui militi fuêre distributi.

Demũ ciuitas Africa (quæ & Leptis & Mahamadia) à nostris armata manu capitur.

Cecidêre supra ducentos Hispanos, multique venenatis telis sauciati posteà obiêre, ac inter hos aliquot viri clari ac Nobiles. Dimissi sunt omnes serui Christiani. Captæ in portu triremes ac onerariæ complures, ac inter has tres dictæ Alexandrinæ. Expiato, Christoque dedicato ciuitatis Fano, refectis permunitisque ruinis, de commeatu, tormentis, ac mille ducentorum peditum Hispanorum præsidio ciuitate prouisa, posteaquam Christo Deo de victoria gratias egissent, eius curam, dum aliud Cæsar imperasset, Aluaro Vegę Proregis filio committunt, ac octauo Kalend. Octobres classem conscendentes, cum præda ac captiuis se mari committunt; cumque diu tempestate, huc illuc essent iactati, tandem pars in Siciliam, pars Neapolim & Genuam circa Idus Nouembres appulêre.

Redit classis Cæsariana domũ.

Dragutus insula Meninge (nunc Guelles) vbi auxilia parare disposuerat, ab incolis pulsus, per maria vagans, de amissa Mahamadia Solymannum certiorem facit. Is, datis ad Cæsarem ac Rom. Regem litteris, dicit, eos, occupata Africæ vrbe, pulsoq; Draguto seruo suo, inducias violasse; proinde vrbem reddant, datúmque damnum sarciant, nisi se sua vi recuperare malint.

Turcæ querenti violatas inducias, accommodè Cæsar respondet.

Respondit Cæsar, non esse violatas inducias, quòd bellum Afris intulerit, vbi nullum est Solymanno imperium, & quòd piratam Dragutum, prouincijs Regnísque suis infestum, ciuitate Africa, quam vi occuparat,
1551 similiter vi pepulerit. Idibus Februarij anni 1551. Comitijs Augustanis finis imponitur, reiecta Religionis causa ad Concilium Tridenti-

dentinum. Dissensiones, quæ interim oriri possent, Cæsar ad se recipit. 1551

Romanorum Regi contra Turcam auxilia decernuntur. In proscriptos bellũ decernitur. Cùm aliquot dies ludicro peditum equitumq; decursu Augustę inter se Principes certassent, ad sua quisque reuertitur. Cæsar cum fratre Romanorum Rege Insbruchum contendit, ac aliquamdiu manere statuit. Princeps Philippus cum patruele Maximiliano Tridentum pergit, inde Mantuam, Mediolanum, tandemque Genuam: vbi conscensis Andreæ Auriæ triremibus, Barcilonam in Hispaniam tertio Idus Iulij appellunt. Nonis Iulij, Guilielmus Nassauius Aurantij Princeps in vxorem ducit Annam Egmondiam Maximiliani Buræ Comitis filiam & heredem vnicam.

Solutis Comitiis Augustanis, reiectaq; causa Religionis ad Concilium Tridentinũ, quisq; in speciem lætus ad sua reuertitur.

Huius anni initio Octauius Farnesius à socero Cæsare alienior factus, partim ob mortem patris Petri Lowysij, Cæsare (vt existimabat) conniuente procuratam; partim propter ereptam à Cæsaris Ducibus Placentiam: ad hæc obitu aui Pauli Tertij temerarior factus, de Cæsaris amicitia diffidens, cõuerso ad Henricum Franciæ Regem animo, eius sibi partes amplectendas iudicauit. Scribit litteras ad fratrem Horatium Farnesium, qui paulò antè in Franciam erat profectus, Dianam adolescentulam Henrici Regis filiam notham in vxoré ducturus, suo nomine cum Rege transigat: cupere enim se Parmam Regis præsidio contra Cæsaris vim defendere. Rex Henricus, qui dudum Cæsari bellum inferre cogitarat, Thermæ Dominum in Italia Legatum constitutum, Parmam iustis peditum equitumque cum copiis ire, Octauiumque defendere iubet. Præficit Rex equitatui Horatium Farnesium, ducta Diana, à se Castresij Ducem nominatum; peditatui Petrum Strozzam Florentinorum exulum Principem. Hi cum Octauio communicatis consiliis, cùm illi copias, quas adduxerant, reliquissent, Mirandulam proficiscuntur, nouumque in amica ditione militem conscribunt.

Octauius Farnesius de socero Cæsare diffisus, in Francum respicit.

Imò iam eius auxilia recipit.

Pontifex Iulius de Octauij consilio certior factus, adeò ægrè tulit, vt mox ad tertium Idus Aprilis, spatio nimirum triginta dierum, Octauium ad dicendam causam Romam euocaret, nõ comparentem læsæ Maiestatis reum proscriberet, Cæsarique eius prouinciam inuadendam occupandámque concederet. Cæsar quoque statim Ferdinando Gonzagæ perscribit, collectis copiis Parmam oppugnet. Cogunt vno tempore Pontifex ac Gonzaga copias, rebusque omnibus paratis, Montius ac Vitellius Pontificij Duces Mirandulam, Gonzaga Parmam obsidet. Indignissimè enim ferebat Põtifex Octauium, quem initio Pontificatus in Parmæ ac Placentiæ Imperio confirmarat, Vrbisque Romę Pręfectum nominarat, violata fide, oblitumque beneficij ad Francum defecisse. Pridem Antistes Atrebatensis de restituenda Veterum religione, suscipiendisque Concilij Tridentini decretis, Augu-

Itaque oppugnatur, Farnesius tam à Pontifice quàm à Cæsare.

1551 ſtæ Windelicæ enixè, ſed fruſtrà, laborarat. Septem-viro Mauritio ad Proteſtantes paulatim deficiente, ac Magdeburgicos ſimulanter oppugnante; quippe qui arcanum cum Franco fœdus, vt mox patebit, liberandi ſoceri Heſſi cauſa, contra Cæſarem moliebatur. Francus verò cum Turca paternam amicitiam renouarat, eiuſque claſſem in mari Mediterraneo expectabat. Cogebantur interim in Italia à Francis, Pontificiis, ac Cæſarianis ſumma cum diligentia veteres nouæque copiæ. Sed Francus paratior, non diutiùs ſimulandum cenſens, triremes Maſſilia Duce Palino exire, ac Draguto Solymanni Præfecto iungere ſe iubet. Dragutus cùm arcem Melitanam fruſtrà tentaſſet, præmiſſo Palino Tripolim (olim Leptis maior) Mauritaniæ ciuitatem, Hiſpanorum præſidio munitam, contendit. Conſpectis Francicis ſignis (qualia & Turcæ expoſuerant) in portum vt amici admittuntur; vnde mox occupato oppidi portu, Turcę qui ſint declarant, (bellum enim neutra adhuc pars publicarat) præſidiarios cædunt, ciues capiunt, oppidoque præſidium cum commeatu imponentes, diſcedunt. Sub idem tempus in Aquitania claſſe alia clàm inſtructa, Franci vndecim Belgarum onerarias, cum mercibus in Hiſpaniam pacis fiducia tendentes, capiunt. Tum ab vtraq; parte libelli in publicum eduntur, quibus alter alteri violatæ pacis cauſas affigebat. Maria Auſtriaca, Cæſaris ſoror, Belgicarum nauium direptione violatam ſatis à Francis pacem iudicans, detentis eorum mercatoribus ac mercibus, ſexto Kalend. Octobris Bruxellæ bellum in Francos nomine Cæſaris publicat. Exinde Cæſar Hiſpanos, qui per quinquennium in ditione Wirtembergica cõſederant, in Italiam ad Gonzagam mittit, ſolam arcem Aſpergum, impoſito Germanorum præſidio, in tota ditione ſeruans. Atqui hac ratione, vndique excitato claſſico, violatóque pacis fœdere, bellum ſummis viribus vtrimque apparabatur, partimque gerebatur. Pontificij enim in Italia, fruſtrà tentata Mirandula, intereà Concordiam occupant, incenduntque. Oppugnabatur quoque Octauius Parmæ acriter: cui cùm Strozza è Mirandula nouas copias ſubſidio mittit, à Cæſarianis cum Mercurio Baiardóque Ducibus in itinere ad vnum cæſi periêre. E Mirandula Franci Bononienſes omni calamitatis genere diuexabant. Quare coactus Pontifex, ſuos Parma ad Bononiæ defenſionem proficiſci iubet. Gonzaga arcem Colornam munitiſſimam expugnat. Octauius præſidij partem, Duce Andeloto ac Cipetra, ad vaſtandos Soragniorum agros mittit: qui cùm id ſtrenuè feciſſent, in reditu à Cæſarianis victi, capto vtroque Duce ac Mediolanum perducto, præda exuuntur, ceteris Parmam confugientibus. Sed Horatius Farneſius duobus præliis feliciter erumpens, has clades pro parte vindicauit. Gonzaga, nouo in ſupplementum ad Parmam vocato milite, breui arcem Tizanam

Intereà quoque Mauritius clàm cum Franco faciens contra Cæſarem molitur.

Franci iũcti Turcis apertè ſe hoſtes Cæſaris declarant.

Item capiunt Belgarum onerarias in Hiſpaniam tendentes.

Hinc apertum bellũ; & prima belli area Italia.

Conflictus ibi variorum euentuum.

zanam in poteſtatem redigit; productiſque ad Carthuſianos vſque ca- 1551
ſtris, iiſque communitis, Parmam arctiſſimè premit. Intereà in Pedemontana ditione Carolus Coſſa Briſaccus, Francorum eductis copiis, Cherium, Fanum Damiani, ac opportunas aliquot arces occupat munitque. Gonzaga, relicto ad Parmam Marignani Marchione, cum parte copiarum in Inſubres contendit, Briſacco ſe oppoſiturus. Marignanus ob copiarum exiguitatem paululùm à Parma reducto exercitu, idoneis locis caſtella munitioneſque inſtituit, Octauium longa obſidionis moleſtia ad deditionem compulſurus. Strozza, proxima Parmę oppida pręſidiis munit, longúmque proſpiciens animo bellum, in Franciam cum Rege communicaturus, proficiſcitur: Octauo Nouembris Mauritius

Parma longo obſidionis genere à Cæſarianis premitur.

„ Septem-vir Saxo cum Magdeburgiis his legibus pacem facit: Magde-
„ burgici ſupplices Cæſari veniam rebellionis deprecantor. Nil cõtra Au-
„ ſtriacam Burgundicamque familiam tentanto. Cameræ Imperij iudicio
„ ſe ſubmittunto. Poſtremo Auguſtano Decreto ſtanto. Vrbis munitiones
„ è Cæſaris arbitrio dirimunto. Cæſaris præſidia omni tempore admit-
„ tunto. Aureorum Rhenenſium quinquaginta millia Cæſari perſoluun-
„ to. Tormenta maiora duodecim tradunto. Ducem Meckelburgij alioſq;
„ captiuos gratis dimittunto. Poſtero die Mauritius cum Cæſariano præſidio vrbem ingreditur, eiúſque nomine à Magiſtratu populoque ſacramentum accipit. Sub idem tempus Mauritius clam Cæſare cum Franco

Magdeburgẽſes Mauritio nomine Cæſaris ſe tradunt.

„ fœdus priùs conceptum his legibus ſignat: Rex Henricus pro ſua parte
„ ſociis in ſingulos menſes aureorum liliorum quadraginta millia nume-
„ rato; qua ſumma in Germania viginti millia peditum ac octo millia
„ equitum alunto. Germaniæ finibus exercitum ſuum, vt Cæſar interci-
„ piatur, aut vires eius diſtrahantur, admoueto. Belgis quoque iuſtis cum
„ copiis bellum inferto. Initio Decembris Cæſar huius fœderis ignarus, Legatos Septem-virorum Mauritij ac Brandeburgij pro Heſſi liberatione enixè ſatagentes Insbruchi audit. Adferebant in eamdem rem litteras à Romanorũ Rege, Alberto Bauariæ Duce, ac à Luneburgicis fratribus. Aderant & Legati idem petentes Regis Daniæ, Frederici Septem-viri Palatini, & aliorum. Reſpondet Cęſar, rem eſſe maioris momenti, quàm vt de ea ex tempore ſtatuere poſſit; expectare ſe in diem ipſum Saxoniæ Septem-virum Mauritium, alióſque Principes, quibuſcum de Heſſi libertate eſſet acturus. Sub finem anni Maximilianus Auſtriæ Archidux cũ vxore ac liberis (an, vna tantùm prole?) ex Hiſpania in Italiam, indeq; Tridentum venit. Maximo eis à Patribus Principumque Legatis in Cõcilio Tridentino congregatis cum honore obuiàm eſt itum, lautiaque cum comitatu aliquot diebus à Cardinale & Senatu præbita, donáque abeũtibus adiecta. Oeniponti ſeu Inſbruchi Cæſarem magno cum gau-

Nihilominùs Mauritius mox fœdus cum Franco cõtra Cæſarem ſancit.

Agitur cũ Cæſare de Heſſi liberatione, reiicit is in Mauritij aduentum.

 dio

Rediẽs Maximilianus cum vxore ex Hiſpania, Tridẽti & Oeniponti ſummo excipiũtur gaudio.

dio aſpiciunt, hæc patrem, ille patruum ſocerumque. Intereà miles, tam qui Magdeburgum oppugnarat, quàm qui defenderat, ſecretò Mauritij Septem-viri ſtipendio addictus, per Thuringiæ agros vagabatur. Fine huius anni, ac initio 1552. Tridenti cum Legatis Septem-viri Mauritij, Wirtembergij ac Imperialium aliquot Ciuitatum de cauſa Religionis variis modis diſceptatum eſt, ſed nullo cum fructu. Interim

1552

fama ſpargi cœpit, Septem-virum Mauritium, inito cum Franco aliiſq; Cæſaris hoſtibus fœdere, bellum parare. Quare menſe Februario, Oenipõte Cæſar Mauritio ſcribit, dimiſſo milite ad ſe veniat. Reſpondet, perſolutis, in quo totus eſſet, ſtipendiis, ſe eos exauctoraturum, & Insbruchum ſeu Oenipontem Aulæ ſuæ Magiſtrum mittit, qui hoſpitia præparet; ipſe Mauritius Lintzium ad Rom. Regem proficiſcitur, in ſpeciem cum eo de liberandis captiuis Principibus acturus. Statuitur ad Kalend. Iunij hac de re Paſſauij Principum Conuentus. Intereà clàm nouis peditum equitúmq; conſcriptis copiis, non contemnendus exercitus coit; cui ſtatim adductis auxiliis ſe iunxere Guilielmus Heſſi filius, Ioannes Albertus Meckelburgi Dux, & Albertus Brandeburgius. Hi primò in Sueuiam irrumpunt, liberas paſſim Ciuitates occupant, tormenta aurumque extorquent, Proteſtantem Magiſtratum, reiecto Catholico, reſtituunt. Idem Auguſtæ admiſſi faciunt, etiam ciuium tribubus, à Cæſare diſſolutis, ad vetera ſigna reuocatis. Vlmam Cæſaris præſidio munitam fruſtrà oppugnant, ſed mulctatis iis ad octodecim aureorum millia ad Alpes contendunt. Ab alia parte Francus iuſtis paratis copiis, cùm ſocios Germanos bellum Cæſari intuliſſe audiret, educto exercitu partim è Francis partim è Germanis conflato, in Lotharingiam ducit. Perlata Tridentum fama, Mauritianos Auguſtę admiſſos, rectà ad Alpium occupandas anguſtias contendere, pars maxima Patrum ac Theologorum inde diſcedit. Cæſar verò per ditionem Tirolenſem ſubitò militem cogit. Ex Italia quoque adfertur, Pontificem Iulium pacem cum Franco confeciſſe, Salernitanúmque Principem, occaſione diſſidij cum Prorege Neapolitano orti, ad Francum defeciſſe, bellúmque Cæſari ab ea etiam parte præparari. Menſe Aprili Cæſar copias tumultuarias ad oppidum Rutam in Alpium ingreſſu ſitum conuenire iubet. Sed Mauritius, eorum munitionibus ſuperatis, octingentos Cæſarianos in fugam coniicit, Fieſſamque contendens, obuias munitiones expugnat; quóſque Cæſar iis in locis habebat ad Alpium cuſtodiam præſidiarios, cędit, aut pellit, occiſis variis locis ſupra mille viris, & multò pluribus captis. Tum Ereburgum progreditur, magnoque militum labore in proximos arci montes euadens, præſidiarioſque tormentis oppugnans, mox ad deditionem cogit, captis hoc loco tribus virorum millibus, ceteris fuga elabentibus.

Magno aſtu Cæſarem Mauritius, Septem-vir ab eo creatus, circumuenit.

Paſſim ſummotis Catholicis, rurſum Lutheranos Senatores ſubſtituit.

Belli Mauritiani fama Tridentum allata, maxima pars Patrũ domum ſe recipit: Cæſar quoque militem cogit, ſed ſerò.

Mauritius Ereburgũ occupat, inde Oenipõtem contendit.

tibus. Hinc eadem vſus celeritate exercitum Insbruchum, vbi Cæſar erat, conuertit; qui de capto præter opinionem Ereburgo, cæſisque omnium locorum præſidiarijs certior factus, cùm ſe ſine milite conſpiceret, cedere (quod numquam fecerat) cogitur. Intempeſta igitur nocte cum fratre Ferdinando omníque aulico comitatu, relicta impedimentorum magna parte, abitum parat, ac Villacum in Carinthiam iter fugæ ſimile inſtituit, in libertatem priùs reſtituto Ioanne Frederico Saxone, quinto à captiuitate anno; at ille Cæſarem hoc rerum ſtatu deſerere noluit, ſed ſumma fide eum eſt comitatus. Mauritius Insbruchum ingreſſus, quidquid in oppido rerum erat Cæſarianarum, Antiſtitis Auguſtani, ac qui hos ſequebantur, militi dat diripiendum. A Romanorum Regis ac ciuium fortunis abſtinuit. Per triduum enim adhuc induciæ cum Rom. Rege Lintzij initæ durabant. Hæc à Septem-viro Mauritio per Maium menſem ſunt acta, nihilo ſegniùs intereà Henrico Francorum Rege rem ſuam in Lotharingia agente. Etenim mox vbi Mauritianos occupata Auguſta ad Alpes contra Cæſarem tendere intellexiſſet, copias dudum conſcriptas Tullium ciuitatem Imperialem ducit: obſides inuicem Rex ac Mauritius ex promiſſo mittunt, pollicitamq; in tres menſes Germanis ad bellum pecuniam Francus numerat; Metim vrbem clariſſimam quarto Idus Aprilis partim aſtu, partim fauore quorumdã qui intus erant, occupat. Hinc Tullium, Virduniumque, ipſumque deinde Nanceium Lotharingiæ caput in poteſtatem redigit, Carolo nouenni puero Lotharingiæ Duci filia ſua Claudia deſponſa, ipſoque in Franciam abducto, necquidquam reclamante Caroli matre, Chriſtierna Dana, Cæſaris ex ſorore nepte. Circa finem Aprilis Rex Metis diſcedens, Præfectos aliquot cum parte copiarum Treuerim præmittit, experturos, an eadem facilitate ea vrbe potiri poſſent. Sed cautiores Treueri facti erant, damno Metenſium. Exinde initio Maij in Holdreanam ditionem ſaltuoſam ſilueſtremque peruenit, tandémque Alſatiam rerum omnium copia abundantem ingreſſus, Argentorati vt Metis, intromitti varijs artibus fruſtrà petit. Tum ad Regem iuxta Argentoratum caſtra habentem veniunt Proteſtantium Principum ac Ciuitatum Legati, eíque de aduentu gratias agentes, ne vlteriùs progrediatur petunt. Cæſarem enim in eam neceſſitatem redactum, vt Principum petitionibus neceſſariò ſubſcribere cogatur. Accedat, quòd Rex certior eſſet factus, Mariam Auſtriacam, collectis in vnum quindecim Belgicorum peditum, ac tribus equitum millibus, Duce Reuſſio, ac Roſſemio, flamma ferróque Campangam euaſtare, Roſſemiumque Eſtainæum occupaſſe. Reditum igitur in Franciam parat, exercitu vnis in caſtris coadunato, Moſellam traijcit, receptóque Eſtainæo, Lutzenburgios inuadit,

1552

Cæſar (quod nũquam fecerat) cedere Mauritio cogitur.

Intereà & Francus Metim vrbem Imperialem occupat.

Item inſidiatur vrbi Treuirenſi, ſed fruſtrà.

Perrumpit vſque Argentoratum; ſed ne vlteriùs pergat Germani rogant.

1552 parte exercitus Vendomio tradita, qui Cæsarianos in Picardia similiter omnia vastantes inuaderet. Sed antequam is eò peruenire posset, Reussius ac Rossemius oppidū ac arcem Hesdiniensem, exeunte sine tormentis & impedimentis Ieulisio àc Ransa cum præsidiarijs, receperant. Fine mensis Iunij Robertus Marcanus Sedanij Dominus, Regi Henrico titulo Marscalci militans, arcem Bulloniam, expugnato numerata pecunia Præfecti animo, in potestatem redigit. Rex tota ferè Lutzenburgij ditione occupata, Maseriam venit; exercitus verò Aubignij castra facit. Inde in Hannones se conuertens, ab Auennæ obsidione continuis pluuijs, præsidiariorúmque constantia deterritus, ad arcem Tressonniam pergit, eamque cum Glaionnio expugnatam, trucidatis præsidiarijs, diruit. Eadem fuit Chimaij oppidi fortuna; vbi circiter ducentos Rex perdidit milites, ambustos incensione pulueris tormentarij, qui à discurrentibus ad prædam militibus casu fuerat incensus. Inde propter perpetuos imbres Guisam reuersus, distributo in præsidia exercitu, varijs casibus valdè diminuto, in Franciam medio Iulij reuertitur, tribus mensibus cum dimidio elapsis, ex quo Germaniam cum exercitu ingressus erat.

Altera parte inuadunt Picardiam Belgæ, quare Francus ad eos contendit.

Expugnat Francus aliquot Hannoniæ arces.

Eodem Iulio mense Passauij de pace tractabāt Mauritiani & Ferdinandus Rom. Rex. Mauritij verò exercitus, ne frustrà tempus tereret, Francofurtum, in quo Cæsaris erat præsidium, duce Conrardo Hestaino, obsidet; quo conatu Georgius Meckelburgij Dux, tormenti manualis globo traiectus, à parte Protestantium interijt, cogiturque ad hanc obsidionem Septem-vir Palatinus octo tormenta muralia mittere, nisi ditionem suam depopulari exuríque mallet. Intereà Rom. Rex Passauio ad Cæsarem, ab eóque Passauium recurrens, Cæsarísque responsa non degeneri animo (vt patebit) prompta, nec auctoritate Maiestatéque carentia, rebellibus adferens; tandem pridie Kalendarum Augusti his legibus inter eos pacem facit: Confœderati Principes ante duodecimum " Augusti diem ab armis discedunto, copiásque dimittunto. Ad duode- " cimum Augusti Philippus Hassiæ Lantgrauius in sua ad Rhenum ar- " ce Rynefeldia liber constituitor, cùm priùs Cæsari de implendis condi- " tionibus tempore captiuitatis conceptis cauerit; quam in rem Mauritius " Brandeburgiúsque Septem-viri, ac Wolfangus Biponti Dux, fidem in- " terponunto. Post sextum mensem in conuocatis à Cæsare Comitijs de " Religionis pace agitor; intereà omnes ac singuli pacem colunto. Ad Ca- " meræ Iudicium Senatúmque Protestantes etiam admittuntor. Confœ- " derati Principes fœderi inter se facto, Francicoque renuntianto. Qui " hoc bello damnum accepere, litem ea de causa non mouento, sed proxi- " mis Comitijs eorum rationem habento. Proscripti, modò nil noui con- " tra Cæsarem nec Imperium commiserint, Francóque militantes, intra " tres

Agitur Passauij de pace inter Mauritiū & Rom. Regem Ferdinandum nomine Cæsaris.

Tandem pax sancitur his legibus: imprimis Hessus liber demittitor.

Secundò de religionis pace agitor, interim omnes pacem colunto.

,, tres mēſes, eo deſerto, domum redeuntes, in gratiam recipiuntor. Alber- 1552
,, tus Brandeburgius, ſi ab armis ante dictum diem dimiſſis copijs diſceſ-
,, ſerit, hac pace comprehenditor. Qui has pacis leges violarit, hoſtis Im-
,, perij eſto. Hæc à Cæſare, Rom. Rege, Mauritio ac Principibus Confœderatis ſunt ſubſignata. Mox tertio Auguſti Mauritius filiíque Haſſiæ Lantgrauij copias Francofurto abduxere; hi in Haſſiam, ille ſuas in Hungariam Rom. Regi contra Turcas in auxilium miſit. Riſenbergius verò ſua cum legione ad Albertum Brandeburgium tranſijt. Hic enim pacis legibus ſubſcribere recuſabat, arma retinebat; relictóque Francofurto ad Moguntiam caſtra ponit, tandémque admiſſus, ciues ſacramentum ſibi dicere cogit. ac quaquauerſum Spirenſes, Treuirenſes, Franconiæ Antiſtites, alióſque pecuniarum exactionibus vexat. Cæſar facta pace, Villaco Insbruchum reuerſus, Auguſtam proficiſcitur. Iam enim conuenerāt cohortes Germanorum, Bohemorum, Italorum ac Hiſpanorum, quæ recenter cum Duce Albano ſub initium Iulij Genuam appulerant. Heſſus è fœderis legibus domum liber profecturus, Mechlinia Louanium, hinc Traiectum ad Moſam, denique in Haſſiam venit. Cæſar cum copiis Auguſtam intrat, lectumque à Proteſtantibus Magiſtratum loco mouet, tribus abrogat, templáque aliquot Proteſtantibus, aliquot Catholicis deſignat; relictóque in vrbe præſidio, Kalend. Septembres diſcedit, Ioanne Frederico Saxone fidei officiíq; admonito, ac in Saxoniam liberè dimiſſo. Cùm Cæſar in Franconiam perueniſſet, quæcumque Antiſtites cum Alberto Brandeburgio pepigerant, vt extorta, reſcindit. Idem Norimbergiis permittit; vtq; vetus cum Rhenanis Sueuíſque fœdus contra Albertum renouent, conſulit: quod multi fecère, nil ex promiſſa pecunia Alberto ſoluentes. Intereà Cæſar per ditionem Wirtenbergenſen, intactis Vlmenſium agris, ob eximiam erga ſe fidem, Spiram, indéque Orottam venit. Decimoquinto Septembris Argentoratum cum ordinario tantùm comitatu ingreſſus, exercitum in proximos agros diſpergit. Exinde Haganoam contendit, iterùm Duce Albano exercitus Legato conſtituto. tum Haganoa Lindauum petit, indéque in Lotharingiam profectus, vndecimo Kalendas Nouembres vrbem Metenſem, dolo à Franco occupatam, obſidione cingit. Veriti id iamdudum erant Franci, propterea Nanceium Metímque egregiè munierant. Eo tempore ad Cæſarem Metim obſidentem cum Belgarum venère auxiliis Lamoralis Egmondij Comes, ac plerique alij Belgarum Proceres. Oppugnabatur vrbs tormentis ac cuniculis continuò, præerátque pro Franco Franciſcus Lotharingus Guiſæ Dux, Legatum habens Petrum Strozzam, habebántq; in præſidio octo millia peditum electorum ac tria millia equitum. Agebat tunc haud procul

Brādeburgius nouū bellum in Germania concitat nihilominùs Heſſus liber dimittitur.

Cæſar iterùm Proteſtantes Auguſtæ Magiſtratu mouet.

Item alias vrbes in tranſitu videt.

Demum vrbem Metenſem obſidione cingit.

1552 procul Pontmussonio Albertus Brandeburgius cum quinquaginta peditum signis, ac valido equitatu. Qui dum se cum Franco de stipendiis præteritis ac futuris non conuenire posse videt, interpellantibus Cæsarem Proceribus Germanis, in gratiam recipitur, præteritáque omnia obliuioni mandantur. Francis certioribus factis Brandeburgium cum Cæsare transegisse, sed dissimulare, Rex Aumalæ Duci, Guisij fratri, quatuor millia equitum attribuit, iubens Albertum pellat aut interficiat. Eius enim pedites parum timebat, quòd plerosque clàm ad sua stipendia pertraxisset. Albertus de Aumalij aduentu peditúmque dubia fide edoctus, nil animo commouetur, sed equitum fidei virtutíque confisus, instructa acie Aumalio obuiàm tendit, inque mediam eius aciem audacter inuectus perrumpit, reflexísque momento equorum habenis, idem feliciter audet. Aumalius hoc incursu tribus locis vulneratus, equoque deiectus, capitur, multíque nobiles ac ignobiles equites cædũtur, aut capiuntur. Cecidêre circiter octingenti, ceteri fuga euasêre. Albertus ouans ad Cæsarem cum captiuis profectus, amicè suscipitur, castráq; separatim ad Mosellam iuxta Abbatiam D. Martini, quà Metis Franciam respicit, ponens, impediebat ne quid ab ea parte ad vrbem inferretur, quotidianásque Francorum eruptiones & repulit, & sustinuit fortiter, cadente hoc conatu eius Legato Lichtebergensi Comite. Cæsar, qui ob articularis morbi sæuitiam hactenus Theonuillę substiterat, duodecimo Kalend. Decembres ad exercitum venit; tantáque tum ingentium tormentorum vi ac multitudine vrbs oppugnari est cœpta, vt fragorem Argentoratum vsque exauditum tradant. Egmondius intereà cum duodecim equitum Belgicorum millibus, iustáque peditum manu, Pontmussonium in potestatem redigit, indeque Tullium profectus, frustrà ibi laborat. Tandem cùm Cæsar ad vrbem Metensem tormentis nec cuniculis quidquam proficeret, & è centum peditum millibus quæ Cæsar ad vrbem adduxerat, supra quadraginta millia dysenteria hiemisque intemperie periissent, nulla ratione consultum iudicans, reliquum exercitum magna parte etiam morbo affectũ, cum dubio expugnationis euentu firmissimo præsidio obiicere, motis castris, tormenta præmittit, Metímque Kalendis Ianuarij anno 1553. deserit, fortissimis equitum turmis in tergo relictis, qui erumpentes magno numero hostes non semel, illata clade, repulêre. Cæsar Theonuilla in Belgium est
1553 profectus. Intereà Vendomæ Dux Picardiæ pro Franco Gubernator, nihil territus brumæ diebus, Hesdinum aggressus, mirabilíque arte tormentis per loca paludosa attractis, cùm murum aggerémque prostrauisset, effecit, Reussij Comitis filius omnibus vitæ fortunarúmque incolumitatem pactus deditionem faceret. Mox Cæsar, veteribus copiis conue-

Brandeburgius Cæsari reconciliatur, sed pace non duratura.

Probat se Cæsari Brandeburgius insigni clade Francis illata.

Capit Egmondius Pontmussonium.

Nihilominus, pluribus dysenteria & hiemis intemperie absumptis, Cæsar in hiberna concedit.

conuenire iussis, cùm Rossemium cum parte copiarum in Lutzenburgios misisset, reliquijs Reussium præficit, Terowanamque Morinorum vetus oppidum Flandris infestissimum expugnare iubet. Reussius, productis tormentis, oppidi murum aggeremque acriter diuerberat: adest etiam nouis cum copijs Pontus Lalainus Bignicurtij Regulus, duobusq; locis oppidum premunt. Miserat Francus paulò antè Terowanam cum aliquot equitibus Marcanum, qui se Bullonij Ducem nominabat, cum Essæi Domino, vt iuncti Mommorancio Comestabilis filio natu maximo oppido præessent. Durante Terowanæ obsidione, moritur Adrianus Crouiacus Reussij Comes, succeditq; illi filius natu maximus Ioannes: exercitus verò cura imperiumque mansit apud Bignicurtium. Vendomius Francus Cæsarianos à Terowanæ obsidione retracturus, iustis in vnum coactis copijs, Flandriæ minatur. Sed nihilò segniùs Terowanam Bignicurtius oppugnat; factoque tormentis ingenti hiatu ac ruina, pridie Idus Iunij inuasionis dat signum. Irruentes ferociter Belgæ, prælium cruentum committunt: resistunt obstinatè Franci: cadunt ab vtraque parte multi, ac è Francis Præfectus Essæus; in cuius locum succedens Mommorancius, magno animo pugnam restituit, adeò vt post decem horarum continuum prælium, Cæsariani receptui canentes, militem seruato ordine reducerent; statimque alio loco translatis aliquot tormentis, factoque ingressu, & hîc oppidum inuadunt. Repugnant, sed maiori cum detrimento Franci. Quare non diu se vim oppugnantium duobus locis Belgarum laturos sentientes, ab vna oppidi parte, ignaris his qui alteram oppugnabant ruinam, deditionis signũ exponunt. Dum colloquuntur, Hispani proximo loco discessisse custodias videntes, appositis muro scalis transcendunt, magnaq; voce captum oppidum conclamant: quo tumultu, qui compositionis causa aduenerant, vitam tantùm pacti, deditionem faciunt. Qui verò ab alia parte propugnabant, opprimũtur; maior pars, proiectis armis, capitur. Oppidum militi datur diripiendum, deinde funditus deletur. Capta est Terowana quarto Idus Iunij, toties superiori sæculo capta & recepta. Extat hic versus numeralis;

1553 — *Obsident Cæsariani Terovvanam.* — *Eamdem per decem horas Belgæ ferociter oppugnant strenuè se defendentibus Fràcis.* — *Demũ altera cruenta oppugnatione Terovvana Cæsarianis cedit.* — *Diripitur, & funditus deletur.*

IVnIVs eX MorInIs, VICtrICIa sIgna potentI
Dat CaroLo: FranCVs VIdIt & IndoLVIt.

Capiuntur Mommorancius, ac alij aliquot viri clari; cæsi tantùm trecenti. Martignius ac Dampetrus parua pecuniæ summa ignoti se redimẽtes, euasere. Exinde exercitui Cæsar præficit Emanuelem Philibertum Sabaudiæ Ducem, nulla tamen Bignicurtij culpa, sed eo perhumaniter Sabaudo, ob familiæ claritatem, cedente. Sabaudus Monstreulium expugnare statuens, cùm certior esset factus, eò Vendomium sex peditum ac duo equitum millia misisse, mutato itinere Hesdinum copias conuertit.

Nouus creatus exercitus Legatus Sabaudus Hesdinum obsidet.

1553 tit. Præerat oppido ac arci iusto cum præsidio Marcanus, aderantque Comes Villerij, Horatius Farnesius, Dampietra, Martignius, aliique aliquot viri Nobiles. Sabaudus statim oppidum capit: at in expugnanda arce omnis consistebat difficultas; hanc enim summis viribus Franci munierant, tuerique statuerant. Sed cùm tormentis ac cuniculis in magnum essent adducti discrimen, de compositione tandem agunt. Cumque parum conuenirent, nec tamen spes concidisset, vno eodémq; tempore in arce puluis tormentarius fortuito igne correptus Francos complures extinxit, aut ambussit, cuniculíque à Sabaudo instituti, concepto igne, arcis partem disiecêre, accurrentésq; Horatium Farnesium, Dampietrum, Martignium, compluresque alios in frusta discerpsere. Quinto itaque Kalend. Augusti Cæsariani arcem capiunt, ceterósque omnes cum Marcano, Comite Riouio, Villario, Iolæo, Culano captos ad Sabaudum perduxêre. Oppidum verò cum arce, quod proximis triginta annis sæpiùs hinc inde esset captum, funditus diruere, nouumq; sequenti anno, vt dicemus, inter propinquas paludes condidêre. Dum hæc in Picardia gererentur, nihil pacatior erat Germania. Etenim Cæsar initio anni Theonuillâ in Belgium proficiscens, Alberti Brandeburgij copias in Treuirorum agris, donec soluta essent stipendia, manere iusserat. Sed ijs acceptis, Albertus in Germaniam cum auro tendens, nouúmque militem conscribens, iterùm Norimbergijs, Franconiæq; Antistitibus crudele inferebat bellum. Id vt sopiretur, diuersis habitis conuentibus, varij pacificatores, ipséque Cæsar & Rom. Rex mense Martio, Aprili, ac Maio frustrà laborarant. Quare tandem, fœdere inito, contra Albertum sacramento se deuinxere isti: Imperij Senatus, Norimberga, Archipræsules Moguntinus ac Treuirensis, Septem-vir Mauritius, Henricus Brunswicanus, Wolfangus Prussiæ Magister, aliique minores, moxque copias conscripsere. Septem-vir Mauritius belli socialis Dux nominatus. Sed Albertus, multò fœderatis paratior, intereà infestissimè Brunswicanos, Norimbergios ac Francones depopulatur, in oppida ac pagos igne & ferro sæuiens. Qua ratione per Germaniam furentem repressuri confœderati, (quibus & Romanorum Rex intereà se iunxerat) Alberto Kalendis Iulij solemniter bellum indicunt. Contemnit hoc Albertus, traiectoque amne Visurgi, ad Saxoniæ fines contendit. Septem-vir Mauritius confœderatorum Dux, celeritatem Alberti admiratus, sociorum copias in vnum cogit. Sed tempore exclusus, expectare omnes non potuit, nisi, se deriso, impunè Albertum Saxoniam suam vastare maluisset. Cùm vterque exercitus ad Visurgim conuenisset, sine mora acies instruunt, nonaq; Iulij, exoneratis magna cum strage hinc inde maioribus tormentis, acriter cum omni equitatu vtrimque concurrunt, victoria tandem in partes confœ-

Oppido simul & arce potitur, & destruit, mox cōmodiori loco nouum Hesdinum extructurus.

Iterùm Brandeburgius in Germania turbas ciet.

Plures fœderati Principes Brandeburgio bellum indicunt.

confœderatorum inclinante; quo tamen prælio Septem-vir Mauritius ita est sauciatus, vt post scriptas ad Antistitem Wirciburgensem litteras, (obsessis omnibus itineribus Albertum elabi non fineret) postridie diem obiret. Sepultus est Fribergi oppido Misniæ, iuxta patrem Henricum, ac filiolum Albertum, ætatis annum trigesimum tertium ingressus, vnica relicta filia heredeq; Anna, altera Guilielmi Nassauij, Aurantij Principis posteà vxore. Cecidere cum Mauritio, cruenta obtenta victoria, Carolus & Philippus Ducis Brunswici filij. Albertus, desideratis circiter quinque equitum millibus, fuga est elapsus. Peditatus, visa equitum clade, non tentata pugna, deditionem fecit. Relata sunt ad Mauritium adhuc spirantem quinquaginta quatuor pedestria militaria signa, equestria quatuordecim. Successit Mauritio in Septem-viratu, aliisque Ditionibus, in quas filiæ ius non habent, frater Augustus, qui Daniæ Regis filiam vxorem duxerat, frustrà se opponente, veterémque dignitatem à Cæsare repetente Ioanne Frederico Saxone, eiusque filiis. Pridie Nonas Iulij obiit Eduardus Sextus Angliæ Rex, Henrici Octaui filius, decimo sexto ætatis anno, successitque illi soror natu maior Maria, etsi non sine difficultate, vt mox dicemus. Huius anni vere Garcia Toletanus, Ferdinandus Gonzaga, & alij in Italia quoque exercitum coëgerant, castigaturi Senenses qui Francum admiserant. Censebantur copiæ vltra duodecim peditum, ac tria equitum millia. Franci ex aduerso quatuordecim circiter peditum, & duo equitum millia in Senensium oppidis habebant distributa. Aduenientes Cæsariani, arces oppidáque aliquot expugnant, interque alia Monfelonium, capto Pręfecto Sartorio Thieno, nobili Vicentino; tum Asinolingam, Turritam, Lucignanum ac Monticellam, cæsis vbique præsidiariis. Montalcinam, aliquamdiu obsessam, expugnare ob aduentum classis Turcicæ non potuere. Exoratus enim Solymannus à Salernitano Principe qui ad Francum defecerat, Regi Henrico succurreret, classem Dragutum educere, Cæsarisque ditiones inuadere iusserat. Quare Garcia, dimissa Montalcina, cum copiis in regnum Neapolitanum reuertitur, idemque ceteri Duces fecere. Erat hoc tempore Francica classis viginti quinque triremium in Senensium portu, qui Herculis Monœci dicitur, Dragutum cum Solymanni classe exspectans: qui cùm mense Augusto venisset, Franci eductis Sena, Duce Thermæo, aliquot peditum signis, perque triremes distributis, cum Draguto Corsicam inuadunt, statimque Bastiam deditione accipiunt, deinde Fanum Florentij, Glassam vi expugnant. Dragutus ab altera Insulæ parte obsidebat Fanum Bonifacij, præcipuum Corsicæ propugnaculum; vbi desideratis circiter sexcentis Turcis, instante autumno, re infecta discedens, Constantinopolim reuertitur, magna Christianorum multi-

1553

Cruentum prælium cum Brandeburgio, quo vulneratus victor Mauritius postridie obijt.

Brãdeburgus desideratis circiter quinq; equitum millibus, fuga euasit.

Eduardo Angliæ Regi defuncto succedit soror Maria.

Bellum iterũm in Italia ob Frãcorum præsidia in Senẽsium oppidis admissa.

Franci iũctis viribus cum Turca Corsicam inuadunt.

1553 multitudine in seruitutem abducta. Intereà in Germania Albertus Brãdeburgius, collectis è fuga copiarum reliquiis, nouisque aliquot conscriptis cohortibus, Brunswichi se continebat. Henricus Dux Brunswichi, Mauritio à confœderatis suffectus, veteribus copiis, quibus Norimbergij ac Antistites stipendia soluebant, suos iungit, Idibúsque Septembris in aciem educit. Prodit contrà pugnacissimus Albertus, iterùm tentaturus an se Germaniæ Regem fortuna esset factura; sed numero virtuteque superatus, altera accepta non exigua clade, profligatur, ac Brunswichum refugit. Cumque intellexisset, Ducem Henricum ad vrbis obsidionem cum exercitu properare, educto equitatu, in Thuringiam, indéque in Franconiam contendit, vagus oberrator, imbecillibus tantùm vim, vt aurum extorqueat, inferens. Intereà Comestabilis in Picardia haud procul Ambiano iustum exercitum cogebat, moxque iuxta Picquinium castra communit: quæ cùm indies augerentur, Sabaudus Franco copiis impar factus, in Hannonia iuxta vrbem Valencenensem se quoque castris munit. Rex Henricus ad castra sua veniens, Picquinio Corbeiam septimo Kalend. Septembris mouet, frustráque tentata Baupama, per Comitatum Fani D. Pauli sub initium mensis Septembris ingressus, flamma vbique grassatur. Postridie Nonas Septembres omnibus cum copiis haud longè Cameraco considet, vrbémq; per Legatum Castrensem aperiri iubet. Nil pacati respondetur. Paulò enim antè Reussius, Barbansonius ac Hericurtius cum milite intrarant, leuibúsq; præliis Francos exercebant. Pridie Idus Septembres Rex Cambresij admittitur, séque hîc cum Cardinale Farnesio, ceterísque Proceribus reficit. Tandem decimooctauo Septembris haud procul Valencenis castra locat. Pars copiarum Cæsaris in vrbe erat, pars cum Sabaudo arcem Famaam, collemq; Mommowiacum subiectámque eius vallem occuparat, magnúmque hîc sclopetariorum numerum condiderat. His locis sæpissimè vario euentu est certatum, Francis audacissimè ad castrorum Cæsarianorum munitiones summo cum periculo excurrentibus, cuius temeritatis non pauci pœnas, discerpti laceratíque à tormentorum globis ac sclopetariorum grandine, dabant. Rex Cęsaris copias singulis horis augeri, ipsúmq; Cæsarem, quamuis toto corpore articulari morbo miserè oppressum, cum omni Belgarum nobilitate ad castra properare intelligens, è Procerum consilio vndecimo Kalend. Octobres sub auroram castra Sulesino mouet, Cambresiúmque reuertitur, pagis omnibus, vbi incendiariis aditus erat, exustis. Inde ad Fanum D. Quintini militem partim in præsidia distribuit, partim solutis stipendiis exauctorat. Idem faciunt Cæsariani, continuis autumni pluuiis coacti. Eodem ferè tempore in Subalpina ditione Franci Vercellas fraude occupant. Sed accurrente paratissimis

Brandeburgius secundam accipit cladem.

Franci in Artesia flammis vbique grassantur.

Frustrà tentant Cameracum, potiũtur tamen Cambresio.

Sæpè leuibus præliis inter Cæsarianos & Francos in Hannonia certatur.

Ob continuas autumni pluuias vtrique militem in præsidia distribuũt, partem etiam exauctorant.

mis cum copiis Ferdinando Gonzaga, cùm eius muniendi, nec expu- 1553
gnandæ arcis tempus haberent, abducta rerum hominúmque præda,
oppidum deserunt. Kalendis Octobris in Anglia Maria West-munsteri
Regina coronatur, habitisque Londini Regni Comitiis, loco motis hæ-
reticis, Catholicam Religionem Angliæ restituit, ac de nuptiis cum Hi-
spaniarum Principe Philippo Cæsaris filio iuuenculo viduo ineundis,
agi est cœptum: quod Anglorum aliquot Proceres, qui Ioannæ Suffol-
ciæ ab Eduardo testamento Reginæ nominatæ studebant, & ipsam Re-
ginam proclamarant, ægrè ferentes, captis armis cum copiis contra Ma-
riam Londinum contendunt. Sed rebus malè succedentibus, omnes ferè
cum Ioanna Suffolcia eiusque patre & marito capti, duodecimo Februa-
rij anno 1554. Londini publicè capite plexi sunt. Eiusdem mensis die vi- 1554
gesimoprimo Vinariæ moritur Sibylla Cliuia vxor Ioannis Frederici
Saxonis pridem Septem-viri; qui vndecimo pòst die in fata concedens,
vxorem est secutus. De nuptiis Philippi Principis Hispaniarum, ac Ma-
riæ Reginæ Angliæ, opera Cardinalis Reginaldi Poli ex Regia Anglo-
rum stirpe orti, quem Papa Iulius constituendę Religionis causa in Ger-
maniam ac Angliam miserat, agi cœptum erat. Nunc verò Cæsar vt
nuptiarum leges conciperentur, filium Philippum Bruxellam vocarat.
In Angliam verò Legationem, rei transigendæ causa, ad Reginam valdè
honorificam mittit, cui præerat Lamoralis Egmondij Comes. Cum eo
ibant Brabantiæ Cancellarius Philippus Nigri, Carolus Lalaini Comes,
Ioannes Mommorantius Carreræ Dominus: qui certis legibus nuptias
confirmarunt. Leges omittimus, quòd propter sterilitatem nuptiarum
inutiles fuerint. Egmondius, vt est Principum mos, Reginæ Mariæ, no-
mine Principis Philippi, armatus aliquanto tempore accubuit. Elisabeth
Mariæ soror, sed alia matre, de superiori seditione suspecta, in honestam
custodiam concluditur; è qua paulò pòst sponsi Principis Philippi de-
precatione liberata est, ea quæ posteà Philippo eiusque filio tantum ne-
gotij vsque ad annum 1600. exhibuit. Circa finem mensis Aprilis Au-
malæ Dux ad vrbem Metensem ab Alberto Brandeburgio captus, per-
solutis ei sexaginta millibus aureorum liliorum dimittitur: paulóq; pòst
Cæsar Albertum diuina humanaque iura irridentem, à Senatu Imperij
superiori anno proscriptum, iterùm euulgatis Bruxellæ Brabantiæ litte-
ris, proscribit. Eum Henricus Brunswichi Dux acerrimè persecutus, tan-
demque adeptus, omnibus impedimentis ac tormentis, militibus diffu-
gientibus exuit, ipse cum paucis tranato Mœno Kintzingium euadit,
donec mense Iunio Blasseburgo munitissimo ditionis suæ propugnacu-
lo in Regis Rom. potestatem redacto, omni ditione exutus, in Franciam
ad Regem Henricum profugit; cui cùm se non admodum gratum adue-

Maria in Anglia Regina proclamatur, frustrà quibusdā obnitentibus.

Desponde-tur Mariæ Philippi Principo Hispaniarum.

Elisabeth Mariæ soror, de superiori seditione suspecta, custodiæ traditur, sed mox rogante Philippo dimittitur.

Brandeburgius aliam adhuc accipit cladem, nec tamen se submittit.

1554 nisse hospitem videret, per sesquiannum suo ære tenuiter in Francia vixit. Posteà quasi precariò apud Marchionem Badensem mansit, ibique anno 1557. obiit, anno ætatis trigesimo quinto. Consideret Lector horribiles calamitates, quas hoc octennio per causam restituendæ Religionis Germania pertulit. Sub hoc tempus moritur Carolus Sabaudiæ Dux, Vercellis sepultus, relicto filio herede vnico Emanuele Philiberto, à Cæsare dudum, ob ingenium acre, magnis exercitibus præfecto; cuius nunc sępiùs mentio facta est, & fiet. Intereà Philippus Hispaniarum Princeps, armata Coronnæ à Bernardino Mendosa insigni classe, quæ fuit 80. magnarum, ac 40. minorum onerariarum, vehentium quatuor millia Hispanorum peditum, ex Hispania in Portum Angliæ oppidi Hamptonij 19. Iulij appellit. Prodierant obuiàm medio Oceano 18. ingentes Anglicæ, ac complures Belgarum naues, tormentis virisque optimè instructæ, maria omnia explorantes, omnique metu aduenientem sponsum liberantes. Pransus est Hamptonij Princeps Philippus semper in publico, nullis ei præter Reginæ ministros ad mensam seruientibus, Hispanis non parum murmurantibus. Tum ad Reginam mittit Ruigomium Siluanum, suo nomine offerri iubens monile, frontale, brachialia ac armillas, quæ summam centum millium ducatorum excedebant. Cùm Princeps Hamptonij porta exiens Wincestriam, vbi Regina erat, contenderet, decem Anglicos equos gradarios, ad iter magnificè instructos, Reginæ nomine Antonius ei Brunius offert; è quibus statim vnum conscendit, ceteri Hispanis Proceribus cessere. Vigesimo quinto Iulij, qui D. Iacobo Hispaniæ Apostolo sacer est, Wincestriæ in summo templo regia pompa matrimonio iunguntur, præeunte Antistite Wincestrio, Maria annos nata triginta octo, Philippus tantùm viginti septem. Proclamati mox hi eorum tituli: Philippus ac Maria Dei gratia Rex ac Regina Angliæ, Franciæ, Neapolis, Ierosolymæ, ac Hiberniæ. Interim Rex Franciæ Henricus veteribus nouisque in vnum coactis copiis, exercitúque in tres partes diuiso, Belgas aggreditur. Fani D. Andreæ Regulus decimo tertio Kal. Iulij cum vna parte Marieburgum, à Regina Maria Cæsaris sorore ante paucos annos conditum denominatúmque, contendens, munitissimum oppidum, quod Præfectus Martignius Riffarti Dominus Regi partim numerata partim promissa pecunia vendiderat, sexto Kalend. Iulij, ne vno quidem exonerato tormento, deditione recipit. Altera pars Regij exercitus Duce Comestable ac Vendomio, Auennam versus profecta, iterùm captum Treslonium, Glaionium ac Chimaum incendunt, munitionésque diruunt. Tertia pars, Præfecto Niuernij Duce ad siluam Arduennam deflectit, ac Orchimontem expugnat; Villarium, Iedinesiúmque, fugientibus præsidiariis, occupat. Idem fit Bauraini, Fumentij,

Philippus Hispaniæ Princeps cum insigni classe in Angliam ad sponsam nauigat.

Monilia valoris centum milliũ ducatorum sponsæ offeruntur.

Celebratur Matrimonium Wincestriæ ipso D. Iacobi Apostoli.

Francus proditione Præfecti occupat Marieburgum.

mentij, ac Hiergæ. Pridie Kalendas Iulij iidem tres exercitus in vnum 1554
coëunt, aduenientéque Rege, ad Mosam proficiscuntur, Bouiniámque Namurcensis ditionis oppidum tormentis expugnant. Qui in arce erãt, aliquandiu se egregiè defendentes, cùm nemo auxilium adferret, vitam fortunásque incolumes pacti deditionem faciunt. Oppidum militi diripiendum datur. Ab altera Mosæ parte Niuernius Dionantum, ditionis Leodiensis oppidum, quòd Cæsari Leodienses fœdere essent iuncti, acriter oppugnabat. Sed bis ab Hispanis ac Germanis Duce Iuliano Romero reiectus, tertiò maiorem vim eo parante, desperans Romerus ab exiguo præsidio vltrà sustineri posse, ad Niuernium profectus, pactusque præsidiarij cum armis impedimentisque exirent, oppidum dedidit. Arx in medio sita, cùm actis cuniculis, subdito incensóque puluere tormentario exscinderetur, oppidi quoque maiorem partem absumpsit. Cæsar edoctus Regem, Mosæ amnis commoditate vtentem, oppida arcesque ad eius ripam sitas facilè in potestatem redigere, vires Namurcum colligebat, nominato Sabaudiæ Duce Legato, adiunctis ei Castaldo Platinæ Comite, Antonio Auria, ac aliquot Belgarum Proceribus, ceteris ad parandas copias in diuersa loca dimissis. Interim Rex tertio Idus Iulij Dionanto moués, transmisso amne Sabi, duobus Namurco milliaribus castra locat: sed ob propinquitatem Cęsariani exercitus indies augescentis, non diu manendum censens, Mariemontium vno distans Binstio milliari, venit, deliciásque Mariæ Reginæ cum arce incendit. Hinc Binstium obsidet, oppidum tunc parùm munitum: quod cùm aliquandiu tormentorum vim pertulisset, deditionem nulla conditione facere cogitur. Plebs militésque inermes dimittuntur: Pręfecti cum ditioribus ciuibus pecunia se redimunt. Oppidum direptum cum palatio incenditur; iidemque incendiarij, per aliquot milliaria in Hannonia sæuientes, calamitosam huius expeditionis memoriam, pagis arcibúsque compluribus euersis, reliquere. Hinc Franci Mabugam proficiscuntur, eamque cum vicino Bauaio, præsidiis destituto, similiter incendunt. Cæsaris copiæ Regias insequebantur. Rex castra posuerat medio inter Valencenas ac Quesnoum itinere, iamque commeatus inopia laborare incipiebat. Insistebat enim Sabaudus Francorum vestigiis, adeptumque Fani D. Andreæ Regulum, ad torrentem haud procul Quesnoo equites transmittentem, inuadit; paucisque captis, pluribusque cæsis, impedimenta ferè omnia diripit, ceteri Regem incitato passu insequuntur: iam enim Cæsaris vires vndique conuenerant. Sciebat id Rex: quare magnis itineribus Franciam versus iter instituens, circa finem Iulij Creuecœurium venit, ibique exercitum reficit. Haud procul à Rege Cæsariani castra ad Scaldim locant, Cameraco necessaria recipientes. Rex Cæsaris copias formidans,

Hinc Bouiniam expugnat, tradente se tandem etiam arce.

Quin & Dionantum ab exiguo Cæsaris præsidio insessum, & aliquandiu oppugnatum se ei dedit.

Mariemontium incẽditur, deinde & Binstium; multæque arces vicina.

Cæsariani Francorũ vestigijs insistentes, eos in Franciam paulatim cedere cogunt.

1554 dans, æquum in locum non deſcendebat: ſed poſtridie Kalend. Auguſti Creueceurio mouens, Baupamam contendit, eadem ratione quam in Hannones ſeruauerat, in Atrebates incendiis graſſans. Inde ad arcem Rentiacam caſtra ponit. Venerat iam ad caſtra Cæſar, qui eum ſubſequens, Marquij, vnico Rentiaco milliari, conſidet. Franci tormentis arcem vehementer oppugnant. Sed præſidiarij de Cæſaris præſentia certiores facti, magnis animis repugnant. Cæſar propius Regem Rentiacumque caſtra mouet, vnumq; è propinquis collibus Francis vicinum, in cuius decliuitate ignaris Cæſarianis Franci inſidias locarant, non ſine ſanguine occupat. Stabant Cæſariani Francique, inſtructis aciebus ad pugnam parati. Sed cùm ſe colle, pro quo diu erat certatum, pulſos Franci viderent, deſerto Rentiaco, præmiſſiſque tormentis, impedimentis, omníque peditatu, citato paſſu abibant, equitatu loco conſiſtente, peditúmque diſceſſum tegente. At mox à transfuga de paucitate Cæſarianorum collem occupantium admoniti (maiorem enim exercitus Cæſaris partem eò ſe contuliſſe exiſtimabant) è veſtigio omnem in eos equitatum, addita peditum Germanorum legione, ducunt; Swartzenburgioque in fugam coniecto, Naſſauij legionem ſolis ardore ſine ordine vagantem, perrumpunt (Hiſpanis ad ſaltum ſine incommodo ſe recipientibus, ſclopetiſque ſe defendentibus) ac antequam à ceteris Cæſarianis ſuccurri poſſet, concidunt, inſtanteq; nocte, concitato equorum curſu ad pedites ſuos, ſine tubæ ſono procedentes contendunt. Clades ferè æqualis fuit ob priorem Cæſarianorum victoriam. Cecidere ab vtraque parte, diuerſo pugnæ euentu, ſupra bis mille ſeptingenti viri, ac ferè omnes Naſſauicæ legionis Germani, ſignis eorum militaribus ad Regem relatis. Rex multum itineris prægreſſus, tandem Abbeuillam, Ambianum, indeque Compengam venit; vbi fine menſis Auguſti exauctoratis Heluetiis, Germanorumque maxima parte, in vlteriorem Franciam abiit, ceteris copiis partim in præſidia diſtributis, partim Vendomio Picardiæ Præfecto attributis. Cæſar corpore æger Bruxellam, tradito exercitu Sabaudo, reuertit; qui Francos, traiecto amne Authia, inſequens, arcem Auchiacam expugnat. Tum tranſmiſſo Somona, qui Atrebates à Picardis ſeparat, capit incenditque Dampterram, Durriam, Machium, Maintenaum, Fanum Riquerij, & alia; conuerſoque exercitu ad Comitatum Fani D. Pauli, indeque Monſtreulium ac Dorlanum, vt talionem redderet, omnes eius tractus Franciæ pagos incendit, & pro diruto ſuperiori anno Heſdino, ad Vicum Meſnium iuxta amnem Cancem, intra paludes cõdere cœpit Heſdinum forte ſeu nouum, adiectis vaſtæ molis quatuor munitionibus: quæ dum perficiuntur, eodem loco cum exercitu manet, Monſtreuliorum Dorlanorumque eruptiones reprimens.

Interim adhuc in Arteſia quoque flammis Franci ſæuiunt.

Stant non longè à Rentiaco acies vtrimque ad pugnam parata.

Pugnatur cruentè clade ferè æquali; cecidere ab vtraque parte ſupra bis mille ſeptingenti.

Sabaudus tranſmiſſo Somona, multa ſimiliter Francorum oppida, arces & pagos flammis abſumit: hinc Heſdinum nouũ condere incipit.

Heſdino

Heſdino permunito, Cæſariani, iterùm Somona traiecto, Ambianum vſque igne ſæuiunt. Hinc Corbeiam ac Einchrium contendentes, exuſtis his oppidis, tandem Bapamam initio Decembris reuertuntur, exauctoratiſque Cameraci atratis equitibus, Germanorumque legionibus, Belgas Sabaudus in proximis oppidis hibernare iuſſit; idémque mox faciens Vendomius, ruſticorum calamitatibus vltrò citróque ad tempus dedêre inducias. Ardebat in Italia adhuc bellum Senenſe. Ad Marignanum Cæſaris Ducem magna auxilia adduxerant, Ioannes Luna ex Inſubribus, Madritius è Regno Neapolitano; adeò vt in acie produceret 14. peditum ac duo equitum millia. Nec minores Strozza Senenſibus à Franco ſubſidio miſſus habebat copias, cùm non ita pridem Maſſiliâ ſex millia peditum accepiſſet. Quare vterque Dux, in aciem productis omnibus copiis, pugnæ occaſionem circumſpectabat. Recipit intereà Marignanus Moncarolum ac Moncatinum, paulò antè à Strozzianis occupata; indéque Senas profectus, vrbi copias admouet, ad portam Romanam munitionem erigit; cúmque Strozziani ad expugnandum Monaſterium contendiſſent, miſſo Marignanus iuſto ſubſidio, acriter eo euentu eſt concurſum, vt circiter octingentis hinc inde cæſis, intactum Strozziani Monaſterium relinquerēt. Tum Strozza Senas rectà contendit, collémque munitioni Chamoliæ imminentem occupare conatus, præuentum ſe à Marignano reperit. Raptato igitur Ciuitellam agmine, capere oppidum opportuniſſimo loco ſitum conſtituit. Expugnat in itinere, trucidatis præſidiariis, Martianum. Oliuetum deditionem facit, vt & Foianum, aliaque quædam iis locis oppida: videbatúrque bellum è ditiōne Senenſi in agrum Florentinum trāsferre ſtatuiſſe. Quare Marignanus, rebus neceſſariis ad Senarum obſidionem conſtitutis, cum reliquis copiis Strozzam inſequitur. Pugnatum eſt primò haud longè Chiana valle, poſtridie Kalend. Auguſti, vbi Strozziani vltra mille, Cæſariani vltra quadringentos amiſere: deinde haud procul Martiano, tertio Nonas Auguſti. Deſiderauit hìc Strozza circiter quinque virorum millia, maximè Francos ac Heluetios, ſiti æſtúque ſemienectos. Signa militaria ſupra centum relata. Capti milites bis mille, omnéſque liberi dimiſſi, cùm iuraſſent ſe proximo anno contra Cæſarem non militaturos. E Cęſarianis vix quadraginta. Etenim primo equitum concurſu Bergettus equitatui Strozziano Pręfectus contra Cęſarianos pedites concitato curſu prouectus, cùm illi inclinatas haſtarum cuſpides conſtanter obtendiſſent, paululùm declinans, ex acie ſe proripit: qua de cauſa paulò pòſt iuſſu Strozzæ fracto iugulo eſt punitus. Ceteri equites, horum abitu, facilè citóque in fugam acti, Strozzianos pedites Cæſarianis concidendos reliquere. Qui potuere, cum ſaucio Strozza Lucignanum, quod haud longè aberat,

1554

Vtriſque in hiberna diſtributis, quies tantiſper ruſticis data.

Marignanus proCæſare Senas, munitione extructa, premit.

Cruenta pugna in Italia: prima, vbi deſiderati Strozziani vltra mille, Cæſariani quadringenti: altera, in qua Strozzianorum quinque millia, Cæſariani vix quadraginta.

1554 aberat, profugêre. Intereà Senenses inutilem hominum turbam vrbe eiiciunt. Marignanus eos non recipiens redire iubet; miserrimumque erat spectaculum, conspicere, puerorum, feminarum, senumque turbam ad vrbis fossas dispalatam iacere, fameque interire. Perfecta insigni ad portam Romanam munitione, qua Carthusiani includebantur, seriò Senæ obsideri sunt cœptæ. Sub idem tempus Brisaccus Francorum in Pedemonte Præfectus, per occasionem absentię Ferdinandi Gonzagæ (erat is ad Cęsarem in Belgium profectus, diluendis aliquot inimicorum suorum calumniis, relicto Legato Figuarola) occupat Bugiellam, Iuræam cum arce, Fanum D. Iacobi, & alia non parui momenti castella. Fine anni Romanorum Rex Augustam ad indicta dudum Comitia, quibus ipsum præesse Cæsar iusserat, veniens, Principes expectabat: qui Nonis Februarij anni 1555. conuenere, multisque solito more sesquipedalibus verbis de Religionis restitutione auxiliisque contra Turcam egere, sed paruo aut nullo fructu. Per idem tempus Fani D. Andreæ Regulus, valida apud Picardos coacta manu, in Comitatum Fani D. Pauli, ac Atrebatensem excurrit; vastaque populatione mulctatis agrestibus, ne nouo Hesdino commeatus importaretur, frustrà impedire conabatur. Proinde in Cameracenses conuersis copiis, euastatisque agris, oppidum Cambresium, trucidatis præsidiariis diripit, inceditque. Mense Martio Brisaccus Casalem per fraudem in Subalpina ditione occupat, turrim ingentem cum Germanorum præsidiariorum clade expugnat, paulóque etiam pòst arcem Figuarolam per deditionem capit, magno Cæsarianorum ijs in partibus detrimento. Exinde captum Valencium ac Fanum Saluatoris diruit, omníque fermè Marchionatus Montferrati ditione Franci potiuntur. Duodecimo Kalend. Apriles Iulius Tertius Pontifex Maximus è viuis decedit, succedente Cardinale Marcello Coruino, qui retento nomine Marcellus Secundus est dictus. Sed cùm viginti duobus tantùm Iulio superuixisset diebus, vtrique decimo Kalend. Iunij succedens Ioannes Petrus Caraffa, vir octoginta annos natus, Pauli Quarti nomen sumpsit. Sub idem tempus in Hispania obiit Ioanna Arragona Caroli Cæsaris ac Ferdinandi Rom. Regis sororúmque eorumdem mater, à morte mariti Philippi (qui obiit anno 1506.) numquam mentis compos, sed corpore valido, nugis rebúsque ridiculis, instar puerorum, tempus ad extremum vsque spiritum terens. Cæsar solemnes ei exequias Bruxellæ Brabantiæ, Rex Ferdinandus Augustæ, vbi tum erat, soluit. Premebantur intereà in Italia Senæ extrema commeatus inopia; consumptísque omnibus eduliis, ad infames deuenerant cibos. Strozza de eorum calamitate certior factus, cùm ad Portum Herculis in vnum coëgisset duo millia peditum, ac trecentos equites, magnámq; vim commeatus,

Imbellis turba Senâ eiecta, & nusquam recepta, miserè fame conficitur.

Brisaccus pro Franco occupat Bugiellam & alia quædam loca vicina.

1555

Item Casalem, arcem Figuarolam, alia.

Mortuo Iulio Tertio & mox etiam successore Marcello Secundo, sufficitur Paulus Quartus.

Moritur & Ioanna Cæsaris mater.

1555

meatus, Senas intempesta nocte importare conatur. Sed Marignanus, de eius consilio edoctus, idoneo loco insidias ad pontem Tressianum collocat; in quas cum copiis Strozza incidit, multis desideratis ac captis: commeatus omnis in potestatem Cæsarianorum deuenit, Strozza cum equitatu Montalcinum se recipiente. Exinde Senenses animis fracti, hisce conditionibus decimo Kal. Maij Marignano Cæsaris Legato deditionem faciunt: Senenses in Cæsaris perpetuam clientelam se tradunto.

Frustrà Strozza Senensibus extremè laborantibus succurrere conatur.

,, Is arcem in vrbe, nisi è ciuium consensu, non ædificato. Munitiones se-
,, cundùm vrbem extructas diruito. Præsidium Cæsari in vrbe habere,
,, suo sumptu, quot militum ac cuiuscumque voluerit nationis, liberum
,, esto. Reipublicæ Senensis statum pro arbitratu Cęsar constituito. Senen-
,, sibus præterita omnia condonantor, exceptis Cæsaris subditis in ea exu-
,, lantibus, ac cum iis militantibus. Franci cum omnibus fortunis, impedi-
,, mentis, ac armis liberè, quò voluerint, è Senensi ac Florentina ditione
,, abeunto.

Dedunt se ergo Senenses Cæsari his conditionibus.

Exinde duo millia Hispanorum peditum Cæsaris nomine vrbem ingrediuntur, exeuntibus aduersa porta Fråcis, Italis, ac ciuibus qui Cæsaris imperium dedignabantur. Tum Marignanus exercitum ad Portum Herculis, vbi Strozza cum valido erat præsidio, ducit. Sed is per causam adducendi subsidij egressus, obsideri nolebat. Paulò pòst oppidum terrâ à Marignano tormentis quassatum, mari cum Genuensium triremibus ac onerariis ab Andrea Auria oppugnatum, tandem mense Iunio tertia inuasione vi capitur, cæsis in oppido circiter quingentis viris, multísque captis, ac inter hos, Saluiato, Tusino, Martinengio, cum omnibus Gasconum Grisonumque Præfectis. Hieronymo Fiesco iussu Auriæ caput est amputatum.

Capitur Portus Herculis à Cæsarianis tertia inuasione.

Huius oppidi expugnatione euulgata, proxima quæque statim deditionem faciunt, tandémque vniuersa Senensium ditio Tusciæque in Cæsaris potestatem concessit: qui eam cum vrbe gubernandam commisit Francisco Mendosio Cardinali. Tum Marignanus Florentiam reuersus, à Duce Cosmo insigniter remuneratur; acceptóque stipendio, dimissísque pro maiori parte Germanis ac Italis, Marignanum suæ ditionis apud Insubres oppidum reuertitur.

Demum proxima quæq; vniuersa deditionem faciunt.

Eodem ferè tempore iterùm Turcica classis Regi Franciæ ex fœdere auxilium latura, oram Italiæ legens, Plombinum Hetruriæ Tusciæque communem portum, iuxtaque eum insulam Iluam, nunc Elbim, frustrà tentauit. Interim magna abducta hominum pecorúmque præda, cum Principe Salernitano Franciæ Regis Legato triremes conscendens in Græciam abiit. Inter Belgas eorúmque vicinos Francos, omnia bellicis tumultibus perstrepebant; cuius miseriæ finiendæ causa, medio inter Caletum ac Greuelingam itinere, Legati Cæsaris, Regis Francorum Henrici, ac Regum Angliæ, de pace acturi, conuenere. Sed cùm dies com-

Frustrà

Legati Cæsaris & Regis Francorum, arbitris Anglis intra Caletũ & Greuelingam de pace agunt.

1555 complures frustrà triuissent, re infecta discessere. Cæsar intereà Subalpinæ ditioni prouisurus, in locum Ferdinandi Gonzagæ, Mediolanensium ditioni præficit Ferdinandum Toletanum Albæ Ducem. Is maximis itineribus è Belgio eò cum amplissimis mandatis profectus, ingentem exercitum breui cogit, ac Vulpianum à Francis obsessum, & ad extremam commeatus inopiam redactum, defendente Cæsare Neapolitano, adueniens cum exercitu obsidione liberat, ingentemque commeatus vim importat; prætereà nulla re memorabili pro tanto exercitu triginta millium peditum & trium millium equitum gesta. Nam paulò pòst, cùm Albanus exercitum pro parte dimisisset, & Franci arctè premere pergerét, Cæsar Neapolitanus honestis conditionibus deditionem facere coactus est. Franci Vulpianum decimo Kal. Octobres diruunt, satis sibi in Taurino præsidij esse iudicantes. Exinde Monscaluus Francis deditionem facit, præsidiariis cum armis, iisque quæ humeris efferre poterant exeuntibus. Eodem tempore Ferdinandus Gonzaga à Cæsare, restituto honore, absoluitur, ingentibusque donis affectus, acceptoque oppido Santseuerino, ac plerisque aliis in ditione Neapolitana arcibus oppidísque, magno cum honore ac gratia à Cæsare è Belgio discedens, in Italiam reuertit. Apud Belgas Rex Henricus Marieburgo ac Maseriæ de firmo præsidio, ingentíque commeatus copia prouidet: eò enim Cæsarem vires conuersurum existimabat, quòd non contemnendæ eius copiæ iis in partibus, Duce Martino Rossemio, coirent. Tandem Sabaudus ad exercitum veniens, arcem Chiueiam ad Mosam sitam insigni operarum diligentia permunit; quadratóque extructo vallo, cum quatuor ingentibus extantibus munitionibus, ac profundissimis largissimísque fossis, nouum oppidum Carolomontem, à Cæsare Carolo appellauit. Niuersius cum Regiis copiis opera impedire conabatur; sed adeò castra Sabaudus permunierat, vt frustrà omnia tentans, re infecta Marieburgum abiret. Hoc rerum statu ad Carolomontem Martinus Rossemius Porroiæ dominus peste obiit. Venit ad castra in eius locum Guilielmus Nassauius Aurantij Princeps; qui perfectis Carolomontianis munitionibus, castellum Fagnolium capit diruítque, ac ad Saltorium vicum, loco valdè idoneo, alterum ædificat munítque oppidum, cui à Rege Philippo Cæsaris filio, est inditum nomen Philippo-villa, finibus Hannoniæ ac Namurci his nouis oppidis Cæsare consulente. Cùm Franci harum munitionum extructionem impedire se non posse viderent, frustrà tentato Saltorio ac Chimao, ad nouum Hesdinum excurrunt, Atrebatibus minitantes. Pugnatum quoq; est mense Augusto mari inter Belgas ac Francos, viginti sex Francorum armatis nauigiis ex portu Diepæ, viginti quatuor Belgarum onerarias ex Hispania cum mercibus domum reuer-

Vulpianum post longam toleratam obsidionem tandem Francis traditur.

Gonzaga dudum ab æmulis calumniis oppressus, demum à Cæsare cum multo honore absoluitur.

Conditur ad Mosam oppidum Carolomons, & Martinus Rossemius tunc ibi peste moritur.

Item extruitur oppidũ Philippo-villa.

reuertentes inuadentibus. Fuit victoria penes Francos, sed valdè cruenta; etenim Belgæ naues harpagonibus inter se connexas tandem, coniecto in puluerem tormentarium igne, incenderunt, se Francosque communi morte extinguentes. Paucæ confractis harpargonibus liberatæ, laceræ in Hollandiam rediere. Prætoriæ ab vtraque parte, cum Ducibus omnibus qui intus erant, periere. Superstites Franci quinque ambustas Belgarum naues vacuas Diepam in signum victoriæ perduxêre.

1555 Pugnatum in mari contra 24. onerarias Belgarum: victoria fuit Francorum, sed valdè cruenta.

PHILIPPVS II. HISPAN. REX

FILIVS PRÆCEDENTIS, XLIII. BRABANTIÆ VI. BELGII VNITI PRINCEPS.

Præfuit annis quadraginta tribus.


HOC anno 1555. Cæsar, cùm se corpore deficere sentiret, quod dudum proposuerat, exequi, filióque Philippo Regna Ditionésque omnes tradere statuit. Octauo igitur Septembris ex Anglia venientem excipit, & in septimum Kalend. Nouembres in eam rem Ordines Belgarum Bruxellam conuenire iubet. Adueniente die, primùm, facto manè Sacro, supremam familię Burgundicę auctoritatem (quæ in Ordinis Aurei velleris Principatu consistit) in filium transfert. Sumpto prandio, ad Palatij aulam descendit, comitante filio Philippo, sorore Maria, Procerum Legatorúmque ciuitatum immensa turba. Iubente Cæsare exurgens Philibertus Bruxellius Consiliarius, disertè consilium Cęsaris aperit, causámq; præcipuam his verbis adstruit: „ Nondum (inquit) ea est Cæsar ætate, quæ rebus administrandis per se „ sit inidonea, sed morbo sæuissimo crudelissimóque, cuius immanita„ ti (articularem intelligit) nullæ vires diu resistere, nec medicina me„ deri valet, oppressus succumbit. Itaque cogitat Hispaniensem aërem „ Belgico sibi commodiorem visere, ibique Deo exitum suum com„ mendare, ac filio suo vnico proinde Belgicas Prouincias tradere. Hæc inter alia, prolixa & insigni oratione Bruxellius. Cuius orationem excipiens

Venit Philippus Rex ex Anglia Bruxellam ad patrem Cæsarem.

Acta Comitiorum summatim, quibus Cæsar filio Belgicas Prouincias tradidit.

1555 piens ipse Cæsar, in pedes stans, dextera ob imbecillitatem scipioni, sinistrâ humero Guilielmi Nassauij Aurantij Principis innixus, membranulâ (quæ capita eorum, quæ in Senatum referre statuerat, continebat) longinquo morbo affectam memoriam adiuuans, res omnes ab se gestas, & à nobis per tot annos commemoratas, à septimodecimo adolescentiæ anno, quo Hispaniam primùm adiit, & in his labores pro Republica susceptos toleratósque summatim proposuit, atque à capite (quod aiunt) ad calcem repetiit, ac deinde, cùm non ea deinceps vigilantia qua consueuerit, Prouincias ob immanem morbum gubernare posset, consultò eas iam filio à se tradi probauit. Addit, non esse theatrum vllum conscientiâ virtutis maius; eâ comite, se Deo sustentare. Porrò, si fortè, quod factum nollet, vspiam transuersum à regula discesserit, id imprudentia humana admissum esse, fateri; ideò veniam deprecari. Obtestari autem se in primis, vicinarum Prouinciarum sectis turbulentis ne inficiantur Belgæ. Deinde sublato in cælum vultu, Dei opt. max. numen implorãs, eodémque submisso, filium monens, eius vt prudenti gubernatione patris molestiæ leuarentur, lenem exclamatiunculam lacrymis terminauit. Quo factum est, vt vniuersus cœtus in lamentis ac suspiriis iacuerit, donec assurgens filius, Philippus Rex, atque ad patris pedes in genua procumbens, ita ferè reddidit: Indignum se tanto munere esse; sed cùm insideat animo patris, se onus suscipere, omnémque operam positurum, Belgæ vt auita æquitate gubernentur. Deinde paululùm à patre conuerso ore, Gallicè subtexuit, hoc ferè sensu: Quàm vellem, viri nobiles ac præclari, in me perfectior esset huius prouincialis vestræ linguæ notitia, vt sic vobis, quo in vos sum affectu, pleniùs declararem. Itaque vobis eum abundantissimè pro me testatum faciet Antistes Atrebatensis hîc præsens. Qui sine mora iussa exequens, quod Philippus fuerat exorsus, prolixa doctáque oratione pertexuit, omnia optima promittens. Hinc Iacobus Masius, vir eloquens, pro Ordinibus Belgicis hunc ferè in modum respondit: Nequaquam fugere Imperatoriam Maiestatem, quàm officiosos, quàm promptos, quamque fideles vsque habuerit Belgas; idcircò non solùm admirari admodum omnes, sed etiam perturbari, se, flagrante Francico bello, patrocinio S. M. priuari. Postquam tamen ita Imperatori videatur, eos vtcumque recreari auctoritate charissimi filij, nec vmquam Belgas, licet diuturnis depressos bellis, defuturos, quin patrono Philippo filio clientes erũt officiosissimi. Tum honestissimè assurgens Cæsaris soror Regina Maria hoc propè sensu est locuta: Tota quidẽ mente in hanc curam semper incubuisse sese vt delegatam sibi Prouinciam ad eam normam gubernaret, quæ tum fratri tum Reip. commodissima videretur: quod ipsum si minùs vspiam lapsa

Insigne dictum Cæsaris, Non esse vllum theatrum maius conscientia virtutis.

Deinde obtestatur, in primis Belgæ caueant ab hæresibus.

Accipit Philippus, patris ad genua procumbens, Belgicas Prouincias.

Summarium eius quod Masius tunc nomine Ordinum perorauit.

Renuntiat Regina Maria Belgij gubernaculis, cum fratre Cæsare in Hispaniã profectura.



PHILIPPVS II. HISPANIÆ REX, XLIII. BRABANTIÆ VI. BELGII VNITI PRINCEPS.

1555 lapſa præſtitiſſet, orare obnixè illius errati veniam; nunc ſe fratri Comi-" tem in Hiſpaniam futuram. Hîc iterùm aſſurgens Maſius, dilaudatæ & " ad cælum euectæ Reginæ (quòd ſummam diligentiam in Remp. contuliſſet) pro Belgis vniuerſis, quàm maximas gratias agit, promittitque Belgas admonitionum Cæſarianarum in perpetuum memores futuros, Deumque pro eius Reginæq; ſalute exoraturos. Ita Conuentus ſoluitur. Poſtridie qui erat ſexto Kal. Nouembres, iidem Belgarum Ordines in ampliſſimũ palatij locum deambulationi deſtinatum congregati, hora nona ante meridiem, Regem Philippum Equitibus Aurei velleris comitatum, inque ſede ornatiſſima ſedentem, adeuntes, accepto ab eo nouo ſolemni ſacramento, ſimiliter ſingularum ei Prouinciarum Belgicarum abſolutæ poteſtatis Legati, alterum ſacramentum, vt abſoluto iam Principi dicunt. Primùm vocati venêre Legati Ducatus Brabantiæ, Limburgi, Lutzenburgij, ac Geldriæ; deinde Comitatuum Legati; poſtremò reliquarum Prouinciarum: & accepto dictóque ſacramento ad manus oſculum admiſſi diſceſſere. Ceſſionis Tabulæ ſignatæ habentur ſeptimo Kalend. Nouembres. Paulò pòſt Cæſar filio Philippo etiam cedit omnibus Regnis hereditariis, ſeu bello partis, ac quacumque ratione quæſitis, Hiſpaniæ, Siciliæ (anteà Neapolim dederat) Sardiniæ, Balearium, Americæ, ac noui Orbis, idque præſentibus Proceribus, Secretariis, Conſiliariis, ac domeſticis Hiſpanis omnibus tum temporis apud Belgas agentibus. Quibus rebus confectis, traditurus ſe in poſterum Cæſar paterno Dei flagello in immaniſſimis podagræ cruciatibus, illudque quantũ poſſit diuinis meditationibus mitigaturus, neceſſaria ad Hiſpanicam profectionem quamprimùm inſtrui iubet. Nonis
1556 Februarij anni 1556. quinquennales Cæſar Rexque Philippus inducias pangunt cum Henrico Francorum Rege, his conditionibus: Induciæ " Nonis Februarij anni 1556. initium habituræ, ac in quinque annos pro-" ximos duraturæ firmæ ratæque ſunto, inque omnibus dictorum Prin-" cipum Ditionibus terra aquáque obſeruanto: ab omni bello, iniu-" ria ac vi abſtinento: alter alterius hoſti opem non ferto: quæ quiſ-" que occupauit, tenétque, poſſideto. Subditi hinc inde terra maríque li-" berè commeanto, mercaturam exercento, veteráque tantùm portoria " vectigaliáque ſoluunto. Bonis agríſque per belli tempus vltrò citroque " pulſi, in plenam poſſeſſionem redeunto, quemadmodum & hi quorum " ſubditi aduerſæ parti militarunt. Induciarum violatorem vita punito. " Rebelles exuléſque Neapolitani Siculíque his conditionibus non com-" prehenduntor. Induciarum leges ſingularium hominum iuribus & " actionibus non deroganto, ſed ius ex æquo exerceto. Duci Sabaudiæ, in " iis quæ adhuc poſſidet, vim non inferto. Franci ad Indias Occidentales, " merca-

Maſius actis gratiis Reginæ, Belgas memores futuros monitorum Cæſaris recipit: inde Conuentus ſoluitur.

Poſtridie Rex Philippus, vt abſolutus iam Princeps, ſacramenta dicit, & accipit.

Cedit etiã Cæſar filio Philippo omnia ſua Regna.

Induciæ ſanciuntur quinquennales inter Philippum & Regem Franciæ.

" mercaturæ, bellandi, nec quærendarum Ditionum causa, sine Cæsaris " Regísque Philippi consensu ne nauiganto. Albertus Brandeburgius his " induciis non comprehenditor. Acta transactáque sunt hæc nomine Cæsaris Regísque Philippi à Carolo Lalaini Comite, Gubernatore Hanoniæ, Simone Renardo, Carolo Tisanackio, Philiberto Bruxellio, ac Schitio Mediolanensi, Cæsaris Consiliariis; nomine Regis Henrici à Iaspare Collігniaco Ammirali, Abbate Bassefontainæ, ac Abbate D. Martini, Regiis Consiliariis. Subsignauit Cæsar Bruxellæ, Rex Philippus Antuerpiæ. Nempe duodecimo Kalend. Februarij Rex Antuerpiæ in templo D. Virginis Mariæ Ordinem Aurei velleris supplerat, compluribus solita cum pompa in Equitum numerum adscitis. Circa idem tempus Dux Albanus relicto Mediolano, Neapolim profectus Proregis munere fungi cœpit. Pontifex Paulus ex Carafforum familia alienior erat à Cæsare, tum à Columniis Cæsarem secutis; quòd non ita dudum Cæsariani, Ducibus Columniis, Caraffam quemdam Neapoli orta seditione interfecissent. Pontifex factus euocat clientales Ecclesiæ Proceres, de more sacramentum dicant; citatúrque inter alios Marcus Antonius Columna, tum hac de causa, tum vt crimen patri Ascanio Columnæ obiectum approbaret, aut purgaret, ne frustrà à prędecessoribus Pontificibus in exilium actus videretur. Marcus Antonius parum Pontifici fidendum ratus, Neapolim proficiscitur, per Legatum Pontifici clientale sacramentum offerens. Is occasione arrepta, omnes Antonij ciuitates arcésque in potestatem redigit, præsidiis firmat, Fredericumque Caraffam nepotem ex fratre Paliani Ducem appellat, omnia ei Marci Antonij oppida donans. Is ad Cæsarem confugiens auxilium implorat. Facta hæc fine anni præcedentis, certò tunc sibi Franci auxilium Pontifice pollicente. Qui cùm videret Francum inducias iam cum Cæsare Regéque Philippo fecisse, Octauium etiam Farnesium Cęsari reconciliatum, angebatur animo. Intereà quoque Romæ in carcerem coniicit Pontifex omnes, quos vocabant, Cæsarianos Cardinales, cum Garcilasco Oratore Hispano; exarmatísque per causam parati sibi veneni ciuibus Romanis, indies magis magísque ad bellum prorumpebat. Itaque in hoc enixè laborabat, induciæ inter Cæsarem Francumque initæ quacumque ratione dissoluerentur; quod sequenti obtinuit anno. Hoc rerum statu Pontifex Antonium Caraffam in Galliam Togatam, ac Antonium Tiraldum in Perusinos, vt copias conscriberent, mittit. Albanus Neapoli Prorex cum priùs Cæsaris Regísque Philippi nomine pro pace omnia frustrà tentasset, Pontificios præuertendos statuens, Neapoli duodecim millia peditum, ac tria equitum millia educit, rectáque in Latium contendit. Primo incursu Pontem-coruum, deinde

Nota, & tunc tanti fuerunt Indiæ Occidentales.

Rex Philippus Antuerpiæ Ordinem Aurei velleris supplet.

Paulus Quartus Pontifex mouet Camarinam; sic excitati crabrones; & hinc paulò post bellum.

Idem per speciem sibi parati veneni Romanos exarmat.

1556

Frustrà sæpè tentata pace, Albanus Neapoli Prorex iussu Regis Columnam, qui ad Cæsarem confugerat, in oppida sibi à Pontifice adempta armis restituit.

Nihilominùs iterùm Legatus pro pace Romam mittitur, sed is carcere includitur.

Frusinum (hodie Frasellono) tum omnia Marci Antonij Columnæ oppida recipit, Ascaniumque Corneſienſem ad ſe à Pontifice transfugientem honorificè excipit. Intereà Pontificiæ copiæ ſeptemdecim virorum millia excedentes in vnum conuenerant, inter quos tria equitum millia, qui clàm Franciæ ſtipendiis merere dicebantur: erant certò plurimi Franci, ſed fama eos iniuſſu in Italiam veniſſe ferebat. His omnibus ſummo cum imperio præerat Fredericus Caraffa, Dux Paliani, Pontificis, vt dictum eſt, ex fratre nepos, ditionis Columnææ inuaſor. E conſilio erant, Carolus Caraffa Cardinalis, ac Petrus Strozza Dux veteranus. Fit intereà Albanus certior, Legatum ſuum Pyrrhum Lofredum Neapolitanum, quem ad Pontificem pro pace iterùm miſerat, in arctiſſimum Romæ carcerem coniectum. Quare omni ſpe pacis abiecta, ad bellum ſe totũ conuertens, ſubito aduentu Verulum ac Babucum expugnat, faciuntque deditionem Alatrium, Terracina, Acutium, Fuma, ac pleraque alia Pontificiæ ditionis oppida. Anagnia etiam aliquandiu oppugnata, nocte effugiente præſidio, potitur. Hoc Albani ſucceſſu motus Pontifex, Camillum Vrſinum, quem Romanæ vrbi præfecerat, munire eam præcepit. Is rebus nullis parcens, ſuburbia, hortos, vineta, pomaria, ac quidquid erat circa vrbem deliciarum aut commoditatis, magno plurium cum dolore ac querimonia euertit. Circumſiſtunt hac de cauſa, ac ob dictorũ oppidorum amiſſionem, multi magnæ auctoritatis viri Pontificem; petentemque pacem Albanum audire dignetur, tandem impetrant. Mittitur Romam Franciſcus Pacæcus. Ad Albanum, ad Cryptam Ferratam caſtra habentem, Cardinalis Caraffa venire debebat. Sed deluſo Albano, irriſoque Pacæco, nullus à parte Pontificis comparuit, bellumque infeſtiſſimè geri iterùm ab vtraque parte eſt cœptum. Albanus enim mox in poteſtatem redigit Præneſte, Vicum Valerij, Tybur, ac Segniam. Pontificij ex agro Piceno Regni Neapolitani fines infeſta populatione deuaſtant, Albanum hac ratione è Latio agroque Romano fruſtrà retrahere conati. Is enim, occupata Oſtia, Romanorum portu, Vrbem fame ad deditionem cogere inſtituebat. Capit & hac de cauſa paulò pòſt Ardeam, ac Porcilianum. Antiates à Pontifice ad Columnios deficiunt. Veſpaſius Gonzaga Cæſarianus Palumbaciam expugnat diripitque. Pontifex ſe breui Latio pulſum iri, Albanique caſtra ad mœnia Romana viſurum conſpiciens, Legatos ad Henricum Francorum Regem pro auxilio mittit, ſtantibuſque cum Cęſare induciis impetrat. Nempe inducias tantùm apud Belgas locum habere Franci dicebant. Intereà Rex Henricus in vnum coactis ſex peditum Francorum, octo Heluetiorum millibus, ac bis mille equitibus, iis pręficit Guiſę Ducem, Pontificique in Italiam in auxilium properare iubet. Exinde opera

Tertiò de pace agendum constituitur, sed à parte Pontificis nullus cõparet.

Hinc apertum bellũ, frustraq; obnitẽtibus Pontificiis copiis, Albanus ipsam Romam fame premere incipit.

Francus auxilia Pontifici promittit, prætexens inducias tantùm pro Belgis pactas.

aliquot

aliquot Cardinalium in quadraginta dies induciæ fiunt. Secreta enim dicebatur inter Albanum ac Cardinalem Caraffam contracta amicitia, Albani filio notho Ferdinando, aliquot opimis Hispaniæ sacerdotiis promissis. Certè ex eo tempore frigidiùs bellum fuit administratum, Cardinale Caraffa statim Romam contendente. Albanus, exercitus partem in captis Latij oppidis relinquens, instante bruma Neapolim quoq; reuertit. Guisius interim cum fratribus, Aumalę Duce, ac Albeuffij Marchione, vel acerbissimis vrgētibus frigoribus, cum exercitu Alpes transit, sequebanturque eum præter fratres Dux Nemoursij, Brisaccus, Vicomarcatus, Biragus, ac aliquot alij Franciæ veterani Duces; qui mense Decembri Valentiam, vnius diei itinere Mediolano distantem, perueniunt, oppidumque obsident. Dum hæc in Italia fiunt, æstate huius anni Maximilianus Austriæ Archidux, Ferdinandi Rom. Regis filius natu maximus, cum vxore Maria Cæsaris filia, in Belgium ad patruum eumdemque socerum contendit. Obuiàm ei Bruxellam procedit Rex Philippus, deinde ad portam vrbis Magistratus, Cæsare cum sororibus subsequente, ac vtroque populi ordine Principes debito cum honore reuerentiaque suscipiente: intrant Bruxellam postridie Idus Iulij. Maximilianus cum Cæsare Regeque Philippo transigit de vxoris dote, assignatúrque illi ingens pecuniæ summa, quam certis pensionibus Neapoli esset recepturus. Quæ cùm tabulis ritè essent consignata, Maximilianus Belgarum Prouinciis Hispanięque Regnis renuntiat, ac sub finem mensis Augusti cum vxore in Austriam, Cæsari amitisque in æternum valedicens, rediit. Cæsar verò iterùm litteras ad fratrem Ferdinandum perscribit, quibus eum de Imperij cessione certiorem faciebat, vtque Cæsaream dignitatem admitteret, petens, rogat simul, Religioni concordiam pacémque summo studio procuret. Iam omnia ad profectionem Hispanicam erant parata, cùm in Zelandiam Cæsar mense Septembri contendit, ac Zeburgo, vbi ventum expectabat idoneum, Legatos ad Germaniæ Septem-viros Aurantium, Sila, ac Haller mittit cum litteris, hæc inter cetera continentibus: Carolus Dei gratia Rom. Imperator, &c. Omnibus ac singulis, &c. Coacti multis magnísque de causis, ac præcipuè, quod nos prægrauat, morbis difficilibus implicati, hereditarias ditiones omnes, quòd gubernare eas ampliùs, vt decebat, non possemus, filio nostro vnico Regi Philippo tradidimus; cedentésque illi Palatio, ad mare concessimus, tempus in Hispaniam nauigandi commodum expectantes. Propter hunc ergo meum in perpetuum abitum, ad Ferdinandum Romanorum, Bohemiæ ac Hungarię Regem, fratrem nostrum charissimum, gubernatio sacri Romani Imperij posthac pertinet, vt electum consecratúmque Romanorum Regem, nostrúmque in Imperio legitimum

1555

Frãci magnis cum copiis summa hieme in Italiam irrumpũt.

Venit Bruxellã Maximilianus cum vxore, & de dote cum Cæsare & Rege Philippo transigit.

Cæsar ex Zelandia in Hispaniam nauigaturus.

Legatos & litteras in Germaniã mittit, quibus Imperium fratri Ferdinando resignat.

1556 mum ſucceſſorem. Statueramus quidem hanc Imperialis poteſtatis in « fratrem tranſlationem, proximis Comitiis præſentes facere, niſi indies « ingraueſcens aduerſa valetudo itineri me tam longo terreſtri committe- « re inhibuiſſet. Quare à vobis omnibus petimus, ac ſecundùm præſen- « tium Tabularum tenorem præcipimus ac iubemus, niſi pœnam læſæ « Cæſareæ noſtræ Maieſtatis incurrere prçoptetis, Romanorum Regi fra- « tri noſtro obſequium fidémque debitam præſtetis, non aliter quàm no- « bis, ſi præſentes eſſemus. Hæc enim noſtra eſt expreſſa ac extrema volun- « tas. Datum adiuncto ſigillo noſtro Zeburgi Zelandiæ, ſeptimo die men- « ſis Septembris anno 1556. Imperij noſtri 36. Cum his renuntiationis ceſ- « ſioniſque Tabulis dicti Legati in Germaniam proficiſcuntur, Principum prima Comitia expectaturi, ac in iis Cæſaris voluntatem omnibus expoſituri. Cæſar verò Legatorum non expectato reditu, ſed commodum nactus ventum, filium Regem Philippum amplectitur, poſtremíſque ei verbis Religionem Catholicam cum lacrymis commendat, ſeriò quoque grauitérque eum admonens, ne Belgas ab exteris opprimi ſinat, niſi in calamitoſum continuúmque ſe præcipitare ciuile bellum velit. Tum dato cum lacrymis oſculo, ſalutatis Regum Principúmque Legatis, omnibúſque Belgarum Proceribus, cum vtraque ſorore nauem decimoſeptimo Septembris conſcendit. Comitabantur eum præſidij officiíque cauſa quindecim Cantabricæ onerariæ, viginti Belgarum Hulkæ, ac viginti & vna inſtructiſſimæ Anglicæ onerariæ optimè armatæ: ſicque tandem feliciter Laredium Biſcaiæ oppidi portum appulit; vbi mox in genua procidens, terrámque exoſculatus, Deo gratias de itineris felicitate agens, ei corpus vt alteri matri commendat; educénſque ſinu « auream cruci affixi Chriſti imaginem, exoſculans inquit: Te duce to- « ties, Chriſte, cum hoſte feliciter congreſſus, triumphos ac honores repor- « taui; quidquid inde decoris ac laudis eſt, tibi qui tribuiſti, ſubmiſsè re- « fero; vtque animæ meæ breui ex hoc corpuſculo migraturæ, felicem exi- « tum profectionémque dare, vt nunc corpori tribuiſti, etiam digneris, « obſecro. Confluxere ſtatim ad Cæſarem vndique Hiſpanorum vtriuſq; Ordinis Proceres: quos humaniter compellans, lectica Valledoletum cum ſororibus defertur; Carolúmque ex filio nepotem amplexus, & ad pietatem virtutémque omnem cohortatus, rebus omnibus conſtitutis, circa anni finem in Prouinciam Eſtremaduram, haud longè vrbe Placentia, ſe contulit, inq; Monaſterio D. Iuſti, Ordinis Eremitarum D. Hieronymi, loco ſolitario habitationem elegit; duodecim tantùm aſſumptis auxilij cauſa famulis, ac ex iis quatuor tantùm opera ordinariè vſus, ſororibus Valledoleti manere iuſſis. Sumpſerat in rei familiaris vſum è tot ampliſſimorum Regnorum ditiſſimis annuis prouentibus ſemel centum

Cauſa cur præſens in Comitiis Imperio non cedat.

Extrema Cæſaris nauē conſcendentis ad Philippum filium verba.

Piiſſima eiuſdem ad Deum oratio, cùm Hiſpaniam felici nauigatione attigiſſet.

Secedit in Monaſteriū D. Iuſti, Deo vacaturus, quatuor tantùm miniſtris aſſumptis.

tum millia aureorum ducatorum; è quibus dum vixit, quatuor tantùm 1556
millia insumpsit; reliqua impendit connubio iungendis pauperioribus virginibus, iuuandis viduis, pupillis, ac similibus calamitosis hominibus: vbi cùm non integro elapso biennio sanctè piéque vixisset, anno 1558. die qui D. Matthæo sacer est, decimo Kalend. Octobres summa animi tranquillitate, corporísque patientia, Deo animam reddidit, paulò ante auroræ ortum, tertiana febri, quæ è continuis articularis morbi doloribus nata in continuam tandem est mutata, extinctus, Sacramentis Christianis priùs deuotè munitus. Sepultus est Granadę, Bęticę vrbe primaria, iuxta matrē Ioannam ac auum maternum Ferdinandum, auiámque Isabellam. Rex verò Philippus patri, vt decebat, amplissimas Bruxellæ Brabantiæ celebrauit exequias; idémque fecere non solùm Prouinciæ eius omnes ac Regna, sed vrbes etiam, ciuitates, ac oppida. Tertia à Cæsaris morte hebdomada soror eius Regina Maria, Ludouici Hungariæ ac Bohemiæ Regis vidua, Belgarum per viginti quinque annos Gubernatrix, fratrem relicto mundo est secuta; cùm paulò antè frustrà desiderio Belgarum tacta, iter Barcilonâ Genuam, indéque terrestri itinere in Belgium facere constituisset, classísque in eam rem parata staret. Leonora verò, altera Cæsaris soror, Portugallię ac Franciæ vidua, fratrem ac sororem, deserta hac vita, mense Martio præcesserat: cui Henricus quoque Franciæ Rex Parisiis summo cum honore iusta persoluit. Profecto in Hispaniam Cæsare, Philippus Rex Bruxellæ apud Belgas agebat, vxore Maria Regnum Angliæ curante; ad quam sine dubio profectus fuisset, nisi missæ à Francorum Rege Henrico in Italiam, Duce Guisio, iustæ militares copiæ, suspicionem rumpendarum induciarum iniecissent. Itaque Dux Albanus cum Pontifice Paulo Quarto (vt dicere cœperamus) ac Francisco Guisiæ Duce acriter bellum in Italia gerebat. Mox
enim mense Ianuario anni 1557. Guisius cum Francorum copiis Miran- 1557
dolam venit; acceptísque auxiliis Ferrariæ Ducis (quem Pontifex Ecclesiæ Romanæ Imperatorem nominarat) peditum scilicet sex millium ac sexcentorum equitum, Mediolanensibus ingentem trepidationem iniecit. Verebatur enim Cardinalis Tridentinus, Regis Philippi nomine Insubrum Præfectus, ac Ioannes Baptista Castaldus, ne per causam iuuandi Pontificis, Franci imparatos Insubres inuaderent; quare diligenter Mediolanum vicináque loca muniunt. Dux Cosmus quoque non solùm vrbi Florētiæ sed vniuersæ Hetruriæ similiter timebat. Quare conscriptis quatuor millibus Germanorum peditum, Pisæ aliísque ciuitatibus præsidia imponit; totáque adeò Italia, Pontifice classicum canente, ad ingentis belli expectationem experrecta, terrorem conceperat, circumspectans, quò hi motus essent euasuri. Albanus tam ingentes contra

Exacto ibi non integro biennio placidè tūc in Domino obdormit.

Commemorantur simul reliqua de Maria & Leonora Cæsaris sororibus, licet pòst acciderint.

Ardet bellum in Italia.

Dux Florentiæ sua defensurus quatuor millia Germanorum peditum conscribit.

 se co-

1557 se copias coire videns, vires omnes Neapoli contrahit. Quin, ruptis hac ratione à Francis in Italia induciis, Rex Philippus, ingentibus in Germania ac Belgio conscriptis copiis, è Belgio Franciam inuadere statuit. Iam enim & iis in locis Iaspar Colignius Ammiralis Franciæ per fraudem Duacum pridie Epiphaniæ frustrà occupare conatus, inducias ruperat, ac in reditu, occupato exustoq; Lensio, magnā prædam abegerat. Intereà in Italia Guisius Valenciam, vnius diei itinere Mediolano distantem, Præfecto pecuniâ corrupto, in potestatem redigit, præsidiariis cum armis impedimentísque in tutum dimissis. Erant autem duo millia peditum: qui Ticinum venientes, decimantur, Præfecto iugulato. Dum hæc fiunt, Dux Paliani ac Strozza Pontificij, quòd Albanus cum exercitu Neapoli adhuc esset, eductis Româ copiis, Ostiam cum arce recipiunt; circumlatoque bello, cùm nullus in aperto resisteret, omnia Latij oppida ac arces ab Albano captas recuperant. Veneti huius belli spectatores facti, ne in aliqua ditionis parte vis fieret, terra marique præsidia augent, copias cogunt, iisque Sfortiam Pallauicinum præficiunt. Guisius verò Brisaccum ac Biragum iustis cum copiis Mirandolam mittit, inde contra Mediolanenses bellum gesturus. Ipse cum reliquo exercitu ad Ferrariæ Ducem contendit. Constabat sociorum Italorum exercitus viginti millibus peditum ac tribus millibus equitum; adeò vt his iunctus Guisius supra quadraginta virorum millia in aciem educeret. Intereà Brisaccus circa Mirandolam auctis copiis, Insubres inuadit, Vallem-feneram expugnat diruitque, Clarascum per deditionem capit. Cunium sæpiùs oppugnatum tandem Hispani deseruerunt. Nec dormiebat omnino ad hæc Albanus, sed dum conueniunt variis è locis copiæ, muniendis necessariis oppidis locisque intentus, hostium consilia explorabat, conatibúsque pro parte obuiàm ibat. Promotis Guisius copiis, Campilium expugnat diruitque, Ciuitellam obsidione cingit. Coëgerat Albanus circiter quindecim millia peditum ac duo millia equitum. Intereà Octauius Farnesius Parmæ Dux, à Rege Philippo per Insubriam exercitus Imperator constitutus, acri bello Ferrariæ Ducem vexabat, Octauio suppetias ferente Cosmo Florentię Duce. Guisius, desperata Ciuitellę expugnatione, ea deserta, Duci Ferrariæ tormenta remittit. Iam sex millia Germanorum Neapolim venerant, è quibus Albanus in Latium tria millia Marco Antonio Columnæ bellum gerenti in auxilium mittit cum mille quingentis Hispanis peditibus, ac quingentis equitibus; altera tria millia exercitui suo iungit. Marcus Antonius nouis Albani auxiliis animo viribúsque auctus Valmontium incendit, Palesanum capit, Palianum obsidet: quod cùm liberare Iulius Vrsinus, eductis Pontificiis copiis, vellet, nobili prælio cum Columna æquo loco decertans, victus

Ammiralis Franciæ per fraudē Duacum occupare conatus, etsi frustrà, apertè inducias rumpit.

Omnia priùs ab Albano circa Romam occupata, Pontifex recuperat.

Magnam etiam cladem inferunt Franci ditioni Mediolanensi.

Obijciunt se illis pro Rege Philippo Duces Parmæ & Florentiæ.

Item ipse Columna circa Romam magna parte sua armis recuperat.

ctus vulneratúſque in eius poteſtatem venit, Heluetiis ac Germanis pro 1557
maiori parte cęſis. Inde Columna ad Paliani obſidionem reuerſus, commeatus inopia oppidanos arbitrariam deditionem facere cogit. Diripiuntur ciuium fortunæ, inſuperque magna pecuniæ ſumma vitam redimere coguntur. Inde & Segina aliquoties oppugnata, tandem cum ſumma clade eorum qui intus erant, expugnatur diripiturque. Dum hęc in Latio geruntur, Albanus Guiſiúſque ad Turturetum caſtrametati, leuibus indies certabant præliis. Quærebat enim omni ratione pugnam Guiſius, multis difficultatibus preſſus. Id ſciens Albanus prælio ſtudio abſtinebat; dimiſſiſque domum Neapolitanis, Siculis, Calabris, ac voluntariis omnibus, cum expedito exercitu, traiecto amne Truento, Anchoranum expugnat, diripit ac incendit; ſubſequenteque licet Guiſio, ad alia Pontificiæ ditionis loca exercitum raptat, magniſq; eam incommodis, vaſtando, populando, ſed à pugna temperando, afficit, ratus (vt euenit) hoc belli genere & Francorum vires ardoremque ſe debilitaturum, Pontificemque belli diuturnitate, agrorúmque & oppidorum vaſtatione ad inopiam redacturum.

Fugit Albanus pugnam, quâ Franci inopia fracti eláqueant.

Edictum etiam paulò antè nomine Regis Philippi propoſuerat, quo omnes qui Romç aut in Latio eius ſubditi habitabant, exactis quindecim diebus migrare iubebantur, niſi bonis omnibus mulctari ac proſcribi mallent. Qua de cauſa Roma minùs frequentata viſebatur. Motus hiſce rebus Pontifex Guiſium accerſit, qui per agrum Spoletinum ac Tiburtinum Romam peruenit. Albanus, Marchione Treuici in Samnitibus cum Hiſpanis relicto, abductis Italorum cohortibus, ad Marcum Antonium Columnam in Latio bellum, vt diximus, gerentem contendit, vt è propinquo vehementiùs Pontifici ac Romanis inſtaret. Itaque res Regis Philippi ſenſim in Italia ſe meliùs habebant, Francorum verò ac Pontificiorum in peius indies abibant.

Edicit quoque omnes vt Regis Philippi ſubditi Româ eiúſque agro diſcedant; ſic Romæ minuta eſt negotiorum frequentia.

Apud Belgas intereà ingentes Germanorum Belgarúmque copias, quibus aliquot etiam Hiſpanicæ aderant cohortes, Rex Philippus coëgerat, iiſque ſuo nomine præfecerat Emanuelem Philibertum Sabaudiæ Ducem. Is omnes copias ad Carlomontem congregabat, Francis exiſtimantibus eum Marieburgum oppugnaturum, conuenerántque paulò minùs quinquaginta peditum, ac tredecim equitum millia. Regina enim Angliæ Maria à Rege marito perſuaſa, conſenſu Ordinum Angliæ, tertio Idus Iunij, miſſo ad Francorum Regem caſtrenſi Legato, bellum ei indixerat. Inſtantibus Auguſti Kalendis copiæ omnes à Sabaudo in vnum coactæ progredi incipiunt, ſequebantúrque Belgarum Proceres omnes armis apti, ac è Germanis Ericus Brunſwicanus Luneburgi Dux, & Comes Suartzenburgius, inſignem equitatum adducentes. Tormentorum quoque ingentium magnus aderat numerus, cum neceſſario ap-

In Belgio ingentes copias colligit Philippus Rex circa Carlomontem, indicto etiam ab Anglis Regi Francorum bello.

1557 paratu. Simulabat Sabaudus se Marieburgum contendere, paruis indies prœliis cum præsidiariis certans. Sed mox conuerso exercitu, in Picardiam mouet, oppidumq; Veruinum in itinere diripit incenditque; prætergressúsque Guisam, ac haud procul eo castra locans, tridui quietem exercitui tribuit. Quarto die, præter Francorum opinionem, ad Fanum S. Quintini, Veromanduorum caput, leuis armaturæ equitatum omnem præmittit; moxque cum exercitu subsequens, ad oppidum castra ponit. Oppidum de rebus necessariis mediocriter erat prouisum, sed non ad tanti exercitus vim diu sustinendam. Sedebat eodem tempore Attignij Anna Mommorantius Fráciæ Comestabilis, cum quindecim peditum millibus ac mille octingentis equitibus. Perspecto Sabaudi consilio, non parum animo turbatur. Statim igitur ad oppidum mittit Iasparem Colligniacum Ammiralem, induciarum violatorem, cum aliquot veteranis Præfectis, paucis equitibus, ac quinque peditum signis. Cùm Ammiralis Feram venisset, Hamam contendit, indeque felici conatu cum omnibus Fanum D. Quintini intrat; eademque felicitate Fani D. Andreæ Reguli Legatus cum aliquot peditibus & equitibus est ingressus. Iam Comestabilis cum copiis Francicis Attignio Feram processerat, præmitténsque Fani D. Andreæ Regulum cum quadringentis grauis armaturæ equitibus, Condæi Principem cum leui equitatu, ac Dandelotum Ammiralis fratrem cum bis mille peditibus, ad oppidum contendere iubet. Habebant Angli sua separatim à Sabaudo castra, ab ea oppidi parte qua Hamam respicit; quo itinere Comestabilis ab Ammirale instructus præsidium maius introducere statuit. Sed Sabaudus, tale quid suspicatus, certas eo loco munitiones erigi iusserat. Ita impeditus Dandelotus, fusus cæsúsque, cum paucis in oppidum vix euasit. Sabaudus, rebus omnibus paratis, oppidum duobus locis ingentibus tormentis oppugnabat, cuniculísque vallum aggerémque suffodiens in magnum oppidanos discrimen adduxerat, cùm Comestabilis per paludes, quæ iuxta Anglica castra oppido adiacebant, militem commeatúmque introduci posse sperans, eò Ferâ cum exercitu contendit, inque proximo colle, interlabente amne Sabi, tormenta maiora minoráque constituens, exercitum in acie continebat, castra Belgica, dum miles per amnem introduceretur, tormentis (vt putabat) terrens. Sed cùm Franci pedites trãsmissi pro maiori parte paludosis locis ad genua, multique ad vmbilicum vsque absorberentur, paucíque in oppidum peruenirent, totísque Belgarum castris arma conclamarentur, Comestabilis Regi exercitum copiásque reliquas seruaturus, redire Feram incipit. Sequitur à Sabaudo iussus abeuntes Lamoralis Egmondij Comes, cum tribus equitum, quibus præerat, leuis armaturæ millibus, prœliáque variis locis ciens, hosti abeunti

Sabaudus aliud aliquandiu simulans, oppidum S. Quintini obsidet.

Auxilia nonnulla à Franco feliciter dictum oppidum sancti Quintini intrant.

Duobus locis Sabaudus murum quatit, & cuniculos agit.

Parant Franci tota vi obsessæ vrbi succurere.

abeunti iter morabatur. Resistebant tamen fortiter in tergo quatuor Francorum equitum millia: pedites cum tormentis intentissimo passu iter fugæ simile faciebant. Territi enim fuerãt, multitudinem copiarum Belgicarum, præter opinionem, maiorem ex colle conspicientes. Sabaudus Egmondium cum Francis non infeliciter manus conserere intelligens, vniuerso equitatu, qui quinque millia non excedebat, educto (ceteri enim paulò antè pabulatum magno numero erant profecti) auxilio progreditur, relicto Megæ ac Swartzenburgij Comite cum Conrado Bonneburgio ad castrorum custodiam. Subsequebantur Sabaudum iusto passu peditum aliquot legiones. Habebat Comestabilis Duce Rhijngrauio duas Germanorum legiones duodecim virorum millia continentes, ad hæc quinque millia peditum Francorum, quatuor equitum millia, ac quindecim maiora tormenta. Sabaudi equitatus Francos equites ab vno, Egmondius ab altero latere inuadens, cùm impetum diu sustinere, ob conceptam anteà animis formidinem, non possent (vniuersum enim adesse Belgarum exercitum existimabant) post acrem dimidiæ tantùm horæ pugnam, solutis ordinibus, in præcipitem omnes fugam aguntur, ac in præcedentes citato passu proprios pedites illati, simulque dispalati, in diuersa abeunt. Maior peditum pars proiectis armis, deditionem facit, equitibus in propinquam Bauaiæ oppidi siluam pro magna parte euadentibus. Periêre è Francis circiter tria virorum millia, ac inter hos clari nominis, Ioannes Borbonius Anghiani Dux, Franciscus Vicecomes Turonensis, Plenora ac Gelaius, præter minores Nobiles Prefectos. Grauiter vulnerati in Belgarum potestatem venere, ac captiui obiere, Baro Chianderius, Guronius ac Gulaniesius. Captus est ipse Comestabilis Anna Mommorantius, in altera clune vulneratus, ac cum eo duo filij, hic Mombruni, ille Meruij Dominus, Dux Longauillæ septemdecim annorum adolescens, Ludouicus Borbonius Monpenserij Dux in capite sauciatus, Fani D. Andreæ Regulus Franciæ Marescalcus, Ludouicus Gonzaga Mantuani Ducis frater; Comites, Rochefocautius, Rhijngrauij, Westerburgius, Herbenaius; Barones, Curtenij, Vassij, Lanssacij, Rochæ, Cœnomanni, Obignij, Iallianij, Bironij duo, Mouij, Arbogasti, Rochefortij, Bortesij, Schenuij, Esdainij, Estræi, cum maxima parte Præfectorum & Signiferorum; ad hæc circiter quatuor peditum millia: ceteri, vt diximus, ad proximum nemus, aut ad oppidum Feram euasere; inter quos fuere, Ludouicus Borbonius Condæi Princeps, Comites Sancerræ ac Villarsij, nonnullique alij. Tormenta maiora minoraque omnia, cum impedimentis nobilique supellectile, capta fuêre. Signa pedestria relata quinquaginta duo, equitum grauis armaturæ octodecim, leuis viginti quatuor, cum trecentis plaustris bellico apparatu

1557

Pugnant nostri fortiter cum Franco, & inprimis Comes Egmondanus.

Post pugnam dimidiæ horæ Franci, solutis ordinibus, in fugam se coniiciunt.

Cæsi Franci circiter tria millia, & inter hos plures primæ nobilitatis.

Capti præter Comestabilem, & Marescalcum, etiam alij plurimi Duces & Comites, quorum hic nomina: & gregarij ad quatuor millia.

1557

Ex Belgis deſiderati tantùm octoginta.

paratu onuſtis. A parte Belgarum circiter octoginta tantùm cecidere, ac inter hos clarioris nominis Comites Spiegelbergij ac Waldec, nec non Ludouicus Brederodius Haurencurtij Baro. Vulnerati, ſed non lethaliter fuêre, Petrus Erneſtus Mansfeldius, Ericus Brunſwicanus, ac Beueræ Dominus. Decertatum eſt die decimo Auguſti. Secundùm hanc pugnam Rex Philippus, comitatus Ferdinando Gonzaga, decrepito ferè veterano Duce, Comiteque Penbrochi, Cameraco in caſtra ad Fanum D. Quintini veniens, mox tribus locis oppidi murum tormentis quaſſari, aperirique, tum acriter oppugnari iuſſit: & quamquam paulò antè Dandelotus cum quadringentis adhuc militibus obſcura nocte intraſſet, tandem expugnatur, Megani Comitis Wallonum legione ab vna parte, Hiſpanis ab altera, Anglis tertio loco ſigna vno eodemque tempore inferentibus: quibus præliis cùm aliquot eſſent ab vtraque parte interfecti, inter Meganos cecidit nobilis eius legionis Legatus Brancionius Burgundus. Cæſi ſunt præſidiarij ferè omnes; ciuibus, direptis fortunis, parcitum. Capti ſunt Iaſpar Collignіacus Ammiralis, Barones Mornęi, Iarnaci, Fani D. Remigij, Hunij, Rambullij, & Bruelij. Dandelotus à cuſtodibus ad oppidi prædam diſcurrentibus ſolus relictus, effugit. Captum eſt Fanum D. Quintini menſis Auguſti die vigeſimo ſexto. Francus tanti oppidi, totque Ducum clade permotus, ex Italia cum copiis Franciſcum Guiſiæ Ducem euocat; ipſeque Compendij equites peditéſque è fuga colligens, nouum inſuper militem conſcribit, operáque Niuernij Ducis proxima oppida firmis prȩſidiis munit. Propoſuit etiam per vniuerſum Regnum edictum, quo Nobiles omnes ad conſtitutum diem Compendium ad caſtra conuenire, armis equiſque inſtructi iubebantur, niſi albo Nobilium expungi mallent. Pariſienſes quoque in cohortes ac legiones diſtributi arma alacriter induerant. Omnium enim erat opinio, Regem Philippum Pariſios ducturum. Sed is, miſſo Ioanne Lignæo Arenbergi Comite, cum parte copiarum arcem inter paludes ſitam, Chaſtelettum nomine, exeunte Præfecto Salinacto cum trecentis præſidiariis capit. Rex Philippus iuſto ad Fanum D. Quintini relicto præſidio, caſtra Hamam mouet; eiúſque arcem aliquot diebus acriter oppugnans, pridie Idus Septembres deditione capit. Tum Rex Henricus citatis equis Guiſium vrgere, ac ad iter accelerandum incitare non deſinit: Sabaudus verò Nouiodunum ac Chaunium in poteſtatem redigit. Rex Philippus Anglos, perſolutis ſtipendiis, domum dimittit, ingentibus donis Penbrochi Comite ornato. Scoti enim à Francis concitati, eorúmque auro adiuti, collectis copiis, Angliam vaſtabant. Sed is vaſtationis fuit euentus, vt paulò pòſt ab Anglis ingenti prælio victi, adque interiora Scotiæ retruſi, mox facta pace, arma poſuerint, Rege Philippo vbique

Cùm Rex Philippus in caſtra veniſſet, oppidum tribus locis oppugnatur, & expugnatur.

Rex Francia in magnum metum coniectus, vndique copias colligit.

Pergit Rex Philippus alia etiam quædam oppida Franco adimere.

1557

Guiſio ex Italia reuocato, circumſpicere incipit Pontifex, quomodo pacem impetret.

vbique victore. In Italia enim Pontifex quoque de iam dictis victoriis certior factus, videnſque Guiſium in Franciam redire, pacis auctores quærere circumſpicereque incipit. Tandem, Venetis Florentiæque Duce ſatagentibus, Albanus Pontificiæ exiſtimationis cauſa, pacem prior petit. Conſentit Pontifex de conditionibus agatur. Mittuntur ad Albanum Sanctflorius ac Vitelloccius Cardinales, quorum opera Caraffa Cardinalis ac Albanus Cauas conuenere, vterque promittens, legitimum ſe Principis ſui negotiorum Procuratorem ſtaturum. Pontifex dictum Caraffam, Rex Philippus miſſo Diplomate Albanum conſtituit.

Agentibus Venetis & Florentinis tandem hæ leges pacis inter Pontificem & Albanum conſtituuntur.

" Tum hac formula pacis leges firmantur: Rex Philippus aut eius Lega-
" tus à Pontifice anteactorum veniam petito. Pontifex, renuntiato fœderi
" Francico, Regem Philippum in gratiam recipito. Vrbium, oppidorum,
" ac arcium munitiones vtrimque bona fide reddito, omnibúſque ac ſin-
" gulis ſua reſtituito, excepto Marco Antonio Columna, Aſcanio Corne-
" tio, ac Comite Balnæo, quorum cauſam Pontificis ac Regis Philippi iu-
" diciario arbitrio committito. Palianum in poteſtate Carbonij Neapoli-
" tani ſequeſtris cum præſidio octingentorum peditum communi ſum-
" ptu conſtituito, donec communi conſilio de eo aliquid fuerit decretum.
" Guiſio cum Francicis copiis liberum iter, ſine maleficio eunti ac neceſ-
" ſaria ementi, in Franciam ſinguli per ſuas ditiones conceduntο. Tum Albanus poſt Idus Septembres ſub noctem Romam ingreditur, exceptúſque eſt magna populi lætitia, quòd victoriam in manu habens, pacem petiiſſet. Inde ad Pontificis pedes oſculandos admiſſus, veniam ſecundùm pacis leges petit, obtinétque; & pro Ferdinando filio notho inſignem Hiſpaniæ Prioratum impetrans, inſuper donatur omnibus captiuis. Tertio quàm ad vrbem venerat die, diſcedit, perque Hetruriam Neapolim verſus iter inſtituens, Florentiæ Ducem Coſmum allocutus, Senas proficiſcitur, vrbem eam ac ditionem, iubente Rege Philippo, in poteſtatem Ducis Coſmi heredumque eius conſtituens, nil ex ampliſſima prouincia Rege Philippo ſibi ſeruante, præter Vrbatellum ac Portum Herculis. Poſt hæc Pontifex in memoriam reuocans, ſe concitatore duos Chriſtiani orbis potentiſſimos Reges induciarum fœdera abrupiſſe, iis ſeriò conciliandis animum conuertit. Mittit in hanc rem ad Henricum Regem, Antonium Triuultium Cardinalem, ad Regem Philippum in Belgium Cardinalem Carolum Caraffam, vtque pacem quoquo modo concilient, adniti iubet. Albanus Neapolim profectus, parte copiarum dimiſſa, reliquos contra Ferrariæ Ducem (qui pacis Pontificiæ conditionibus non fuit comprehenſus) mittit, ipſeque tandem ea de cauſa Caietam venit. Sed aduerſis tempeſtatibus, ne in ditionem Ferrarienſem irrumperet, eſt impeditus. Quare Mediolanum profectus, ibique ver exſpecta-

Albanus oſculatus Pontificis pedes, pro Ferdinando filio notho inſignem Hiſpaniæ Prioratum impetrat.

Pontifex conciliare nititur Reges Hiſpaniæ & Franciæ.

1557 ſpectaturus, copias in hiberna diſtribuit, interim Figuarolam à Rege Philippo Cardinali Tridentino in Inſubrum Præfectura ſubſtitutum, ſuſcipiens. Tum Ponſonem, eiectis Francis, ac alia pleraque munita loca recipit, agrumque Derthonenſem ac Alexandriam à Francorum populationibus liberam reddit. Moritur menſe Nouembri Bruxellæ Brabantiæ Ferdinandus Gonzaga, vir belli paciſque artibus clarus. Hic poſtquam Pauli Tertij Pontificis, ob cæſum filium Petrum Ludouicum Farneſium, implacabilem iram vitaſſet, in tantam animi formidinem incidit, vt nemini fideret, ſempérque, etiam ſolus, inuitúſque caput obuerteret, oculóſque in omnem partem coniiceret, ac quoſcumque ignotos vidiſſet, vt percuſſores clàm ſubmiſſos, ſuſpectos haberet. Exinde Rex Philippus Figuarolam Legatum ad Pontificem mittit, Inſubriæ verò præficit Sueſſæ Ducem, arci Mediolanenſi Alfonſum Pimentellium.

Mors Ferdinandi Gonzagæ ſtrenui veterani, & mira de eo.

Guiſius intereà cum Francorum Germanorumque copiis (Italis Ferrariæ Duci relictis) ſequente Petro Strozza, in Franciam contendit. Vbi cùm in Veromanduos parum ſe effecturum conſideraret, communicato Regi conſilio, bellum Anglis inferendum, Caletúmque tentandum cenſet. Vt verò Belgas Angloſque ludificaret, Niuernium cum parte copiarum in Lutzenburgios præmittit, Arloniúmque obſidere velle ſimulet, præcipit. Ipſe Hamam ac Fanum D. Quintini premere velle fingit, commeatúſque inopia ad deditionem cogere. Sed præter omnium

Guiſius ex Italia veniens, nunc Lutzenburgium, nūc ſanctū Quintinum premere ſe velle artificiosè ſimulat.

1558 opinionem, ipſis Kalendis Ianuarij anni 1558. conuerſis contra Caletum copiis, nulla moleſtia, Portus introitum *Rijsbanc* nominatum, exiguo præſidio munitum, ſine ſanguine occupat; indeque copias contra oppidum ducens, conſtitutis tormentis muros quatit, arces munitis locis ab Anglis ædificatas, præſidiariis metu deditionem facientibus, aut ſe ſubducentibus, recipit. Tum Duefortius Caleti Præfectus vix moram facit, quin iniquiſſimis legibus, ne vna quidem expectata inuaſione, vt vitam aurumque ſeruaret, oppidum Guiſio decimo Ianuarij aperit, non ſine ingenti proditionis ſuſpicione, quòd Anglicam claſſem ſubſidium adferentem in conſpectu haberet. Guicciardinus conditiones inter alias has fuiſſe aſſerit: Ciuibus incoliſque quocumque videatur commigrandi li- „ bera poteſtas eſto: ex tota nihilominùs ciuitate quinquaginta, quos Gui- „ ſius nominabit, apud victores captiui detinentor. Milites in Britanniam „ traiiciunto, ſigna tamen militaria omnia, inſtrumentáque bellica cum „ omni apparatu in loco integra relinquito. Aurum, argentum, æs, mer- „ ces, ſupellectilia omnia, denique bona mobilia arbitrio voluntatique „ Guiſij ſubiacento. Et concludit: Atque in hunc modum turpiſſima illa „ præſidiariorum ſocordia extinctionem quamdam Anglorum genti in Francia attulit. Hæc Guicciardinus. Inde ad oppidum Chuinam, in quo Hiſpa-

Mox Caletum, quod in Anglorum tunc erat poteſtate, ex improuiſo obſidet.

Conditiones quibus Caletum Guiſio traditur, referente Guicciardino.

quo Hiſpanorum ac Anglorum mediocre erat præſidium, Guiſius ducit, continuaque tormentorum verberatione murum vallumq; diſijciēs, tandem per vim in oppidum pertumpit, ciuium parte obtruncata, ceteris cum Greſſo Anglorum ac Mondragonio Hiſpanorum Præfecto in Arcem ſe recipientibus: quibus cùm Guiſius vim pararet, vitam, libertatem, arma cum impedimentis pacti, deditionem faciunt. Franci verò oppidum cum Arce ſolo æquant. Intereà Niuernius, paucis apud Lutzenburgios receptis Arcibus, in Campangam regreditur, locaque aliquot à Sabaudo capta, & nondum munita recipit. Rex Henricus ſucceſſu Guiſij animo recreatus, Pariſiis conuentum agit, ingenſque auri pondus ab omni hominum ordine impetrat. Nono Kal. Iunij Delfinus Franciſcus Regis Henrici filius natu maximus, annum ętatis decimumquintum ingreſſus, vxorem ducit Mariam Scotiæ Reginam; è qua moriens liberos non reliquit. Intereà Carolus Lotharingiæ Cardinalis cum Chriſtierna Caroli Lotharingiæ Ducis matre, Regis Philippi conſobrina, de pace inter Reges ineunda cum Antonio Perrenoto Antiſtite Atrebatenſi diligenter, ſed ſine fructu, tractant. Rex enim Henricus, iuſtis coactis copiis Theonuillam, munitiſſimum Ducatus Lutzenburgij oppidum, acriter oppugnabat. Habebat Rex viginti quinque peditum ac quatuor equitum millia. Adminiſtrabat omnia Legatus Guiſius, iuuante Caſtrorum Magiſtro Petro Strozza. Initio Iunij tormenta producuntur, magnoque in muris facto hiatu, turrim per paludes aggreſſus occupat, indeq; magna oppidanis detrimēta infert. Qua re commotus Quaribbius Theonuillæ Pręfectus, tum etiam quòd Philippus Mommorancius Hornæ Comes, fruſtrà Lutzenburgo auxilium immittere eſſet conatus, decimo Kal. Iulij honeſtis conditionibus deditionem facit, cùm nō pauci è Francis tormentorum oppidanorum globis eſſent diſcerpti, aut leuibus præliis interfecti, interque hos ipſe Strozza, ad inſpiciendum oppidi ſitum cum Guiſio obambulans, fortuito tormenti globo traiectus. Franci Theonuillæ, dum muniretur, hęrentes, tria equitum millia Lutzenburgum mittunt, exploratum quid animi ciues præſidiarijque haberent. Sed à Manſfeldio ac Hornio, qui intus cum magna manu erant, repulſi, ad caſtra rediere. Initio Iulij Guiſius Arlonium ducit. Sed pręſidiarij loco diffiſi, incenſo oppido, diſceſſere: Franci munitiones diruēre, ac deinde alia quędam minora loca ſubegere. Dum hac ratione Franci apud Lutzenburgios bellum circumferunt, Thermæ Dominus, qui Petro Strozzæ in Mareſcalci dignitate ſucceſſerat, ei parti Francici exercitus præficitur, quæ Caletum ac Guinam expugnarat, ibique, dum Caleti munitiones perficiuntur, relicta erat. Perfectis munitionibus, nouas peditum equitumque copias veteribus addit, cumque duodecim peditum ac duo equitum

1558

Idem Guiſius Guinam vi expugnat, mox & Arx deditur.

Franciſcus Delfinus Franciæ ducit Mariam Scotiæ Reginam.

Obſident Franci Theonvillam in ditione Lutzenburgenſi.

Deditur eadem cùm ei ſuccurri non potuiſſet.

1558 millia coëgiſſet, Caleto profectus, in maritimam Flandriam ei vicinam contendit, hac ratione Regis Philippi vires in diuerſas partes diſtracturus. Cùm ad flumen Ha, quod Greuelingæ Oceanum influit, traieciſſet, magnam ruſticorum manum cum paucis militibus tranſitum impedire conantem, in fugam conijcit. Tum Greuelingam ac Borburgum prætergreſſus, poſtridie Kalend. Iulij Duynkercam peruenit: dumque de deditione colloquuntur, Franci, alia parte tranſcenſis muris, oppidum capiunt, cædunt obuios, diripiunt ac incendunt. Eadem fuit fortuna Bergarum D. Winoci. Vnde Neoportum vſque excurrentes, omniaque in prædam vertentes, ferro igneque paſſim in Flandria ſæuiunt. Rex Philippus duobus exercitibus à Francis vno tẽpore diuerſis locis oppugnatus, verens ne Guiſius Thermęo ſe iungeret, Sabaudum cum copiis, Guiſio tranſitum impediturum, Namurcum mittit, donec è Germania conueniſſent copiæ. Sed Guiſio diutiùs quàm expectarat apud Lutzenburgios hærente, Lamoralem Egmondij Comitem Flandriæ Gubernatorem cum Belgicis copiis Thermæo ſe opponere iubet. Egmondius vndique in vnum collectis Belgis, comitante Ponto Lalaino Bignicurtij Regulo, Rentij Marchione, ac non paucis veteranis Præfectis, in Francos tendit. Thermæus Duynkerckæ ex articulari morbo decumbẽs, exercitum Greuelingam, indeque Caletum iter conuertere iubet. Sed extrema Egmondij diligentia celeritateque coactus, ad flumen Ha, loco munito caſtra ponit, ad quæ mox Thermæus quoque, quamquam maximis teneretur doloribus, acceſſit: Egmondius enim vix quarta milliaris parte à Francis conſederat, certabántque ſingulis momentis velitariis pugnis, creſcenteque in horas Belgarum exercitu, cùm ſe Thermæus breui numero inferiorem futurum conſpiceret, poſtero die ſummo manè, decreſcente maris æſtu, amnem Ha, aquis tunc ferè deſtitutum, ſupra Greuelingam tranſit. Egmondius hoſtem è manibus elabi, niſi arte celeritateque vteretur, conſiderans, infra Greuelingam ſuas tranſmittit copias, iuxtaque Sluſas Caletanas minori capto circuitu, Thermæo à fronte inſtructis aciebus occurrit; qui neceſſariò pugnandum videns, cùm ſe ſuoſque tormentis maioribus (quibus Egmondius ob celeritatem deſtituebatur) ex præſcripto belli munijſſet, ad alacriter pugnandum eos eſt cohortatus. Belgas pedites ducebant Pontus Lalainus Bignicurtij Dominus, ac Reuſſij Comes, Germanos Hilmarus Munichuſius, Hiſpanos ac Wallones Caruialus. Adueniente hac ratione Egmondio, non terrentur Franci, ſed exploſis tormentis, cladem Belgis non exiguam inferunt, occiſo Egmondij, cui inſidebat, equo: qui ſtatim altero conſcenſo, Francos inuadit, tempuſque iterùm onerandorum tormentorum, magiſtris cæſis aut fugatis, eripit. Tympanis ac tubis ſonum ingentem edentibus, primò omnes

Alia parte Fräci maritimam Flandriam inuadunt.

Capiunt Duynkerckam & Bergas diui VVinoci.

Occurrit Francis iuſſu Regis Egmõdius & alij.

Ne elabãtur Franci, iter eis præripiũt.

omnes equites, deinde & pedites acriter ab vtraque parte concurrentes, dubio diu Marte dimicant, multis vltrò citroque cadentibus ac sauciatis; statariamque pedites, ac mox etiam aliquot equites pugnam ineuntes, atroci inter se manu animoq; sæuiebant; Germanis tamen, qui Francis militabant, frigidiùs rem gerentibus. At à parte Belgarum pedites Frisij eorumque vicini constantissimè fortissimeq; depugnabant. Euenit autem, dum maximè pugna feruet, vt decem Anglicæ militares naues, maria prope Greuelingam explorantes, cum æstu ad ostium fluminis Ha appellerent: qui audito clamantium ac pugnantium dissono fragore ac sono, quid rei sit explorant. Certiores de veritate, amnis ostium intrant, dispositisq; secundùm ripam ordine aliquot nauibus, prǫmonito Egmondio de amica classe, tormentis Francorum terga impetũt. Vbi vrgentes acriter à fronte Belgæ, cùm eos ardorẽ remisisse sentirent, renouato impetu, tandẽ equitatum omnem in fugam agunt: quem statim subsecuti pedites, victoriam Egmondio Belgisque reliquere. Pugnantes è Francis cecidere circiter ad duo virorum millia, sed multò plures in fuga ab equitatu & rusticis fuerunt interfecti. Periere etiam multi in amne & mari, è quibus Angli ducentos piscati, in victoriæ signum, cuius pro parte auctores erant, in Angliam auexere, ac sepeliere. Capta sunt tria millia, ac inter hos Marscalcus Thermǫus in capite sauciatus, Caleti Prǫfectus, Annibaldus Moruillerius, Villebonius, Snierpõtius, viri illustres. Pugnatum est ad ostium fluminis Ha, in ipsis propè maris æstuariis, tertio Idus Iulij. Tormenta impedimentaque omnia, tam allata quàm deprædata, cum signis omnibus militaribus capta. Desiderauere Belgæ circiter quadringentos viros, ac inter hos Peluij Dominum cum nobilibus aliquot Præfectis, ne de incruenta gloriarentur victoria. Guisius intellecta Thermæi clade, suscepti itineris institutum deserens, alia via in Picardiam ad Regem Pierreponti copias colligentem se confert. Conuenerant intereà vndique Regis Philippi copiæ, habitoque delectu ad triginta peditum ac quatuordecim equitum millia censebantur. Cùm ijs copiis Rex Philippus castra haud procul Dorlano ponit, illud oppugnare se velle simulans. Ex aduerso Rex Henricus, Pierrepontij haud procul Ambiano castra locat, sæpiùs hinc inde amnem Authiam transmittentes, paruisque præliis vires experientes. Vbi cùm per tres continuos ferè menses munitis castris sese Reges continuissent, iterùm Christierna Lotharingiæ Ducis mater de pace mentionem inferre incipit, idemque annitebantur Franciæ Proceres superioribus præliis capti. Interim in Italia non quiescebat Dux Suessæ Insubrum Præfectus, sed in vnum coactis decem peditum ac duobus equitum millibus in Francos Subalpinos ducit: Centalliumque oppidum valdè munitum obsidens, tandem post

1558

Pugnatur diu dubio Marte, tandem victoria Egmondij & sociorũ fuit.

Haud parũ tamen ad victoriam quoq; contulerunt Anglorum naues tunc ibi casu appulsæ.

Cecidere Franci pugnantes duo millia, plures in fuga; capta tria millia: ex Belgis desiderati circiter quadringenti.

Intereà Rex Philippus ingentem exercitum colligit.

Opponit Francus & suum; nec tamen nisi leuibus præliis per tres menses certant.

1558 aliquot dierum validam oppugnationem, territis præſidiariis, ad deditionem cogit, diripit, incendit, ac diruit, commeatum, qui ingens erat, ac tormenta Cunium ac Foſſanum transferens. Deinde Piſcharij Marchionem equitum Præfectum, cum aliquot peditum cohortibus Roccauionem, oppidum à Francis valdè munitum, mittit, quod is, cæſo præſidio, expugnans, Hiſpanos imponit. Tum exercitum ad Montem Caluum ducens, expugnat, diripit, præſidioque impoſito munit. Hinc Caſalim in ditionem Montferratenſem mouet. At ob ingentes oppidi munitiones, firmiſſimumque præſidium, inſtante autumno, diuturnam obſidionem inſtituere noluit, ſed Vico Martini permunito, firmoque præſidio impoſito, vt Caſalanis infeſti eſſent, ſuiſque præſidio, Mediolanum reuertitur. iam enim de pace apud Belgas inter Reges agi certior quoque erat factus. Circa finem menſis Iulij Angli claſſe centum nauium inſtructa, quæ decē peditum millia vehebat, Duce Ammirale Milordo Clintonio, in altum dant vela. Iungunt ſe ſtatim eis viginti Belgarum onerariæ maiores optimè armatæ, quibus præerat Ammiralis Wackij Dominus. Coniuncti Franciæ littora legunt, tandemque in Britones militum partem exponunt. Sed cùm ſine ordine diſciplinaq; ad prædam diſcurrerent, raptaque ad naues deferrent, Cherſimonij Regulus, excita Nobilitate, ac ſubitariis aliquot eductis peditum cohortibus, in palantes ex inopinato inuehitur, cædem non exiguam facit, multos capit, prædamque quæ in naues nondum erat perlata, recipit. Angli Belgæque ad naues cō-pulſi, ſublatis anchoris, hi in Angliam, illi in Belgium, malè habiti, magno cum dedecore reuertuntur. Sub idem ferè tempus conſenſu Regis Philippi pacem in Italia faciunt Parmæ ac Ferrariæ Duces, vltrò citroque occupata reſtituentes. Intereà de pace inter Reges ineunda diligenter ab ijs, quibus res erat commiſſa, laborabatur, iamque ſpes affulgebat, rem confici poſſe, præſertim Angliæ Reginæ Legatis enixè ſatagentibus, cùm ſubitò triſtis ad Abbatiam Sercampiam, quò Pacificatores conuenerant, adfertur nuntius, Mariam Angliæ Reginam, Regis Philippi vxorem, menſe Nouembri, nullis genitis liberis, è viuis exceſſiſſe. Obierunt eodem hoc anno menſe Martio in Hiſpania, Leonora Franciæ ac Portugalliæ vidua, eiuſdem Philippi Regis amita, itemque pater Carolus pridem Cæſar, decimo Kal. Octobris, de quo pleniùs ante biennium prçnarrauimus; deniq; altera amita Regina Maria, Hungariæ vidua, tertia à fratris Caroli morte hebdomada: qui triſtes nuntij pacis negotium in menſem Ianuarium ſequentis anni reiecerunt, vtroque Rege interim exteros milites dimittente, ſubditoſque in præſidia diſtribuente. Liberatur eodem menſe Nouembri Anna Mommorancius Comeſtabilis Franciæ Belgico carcere, pro redemptione numeratis quinquaginta aureorum liliorū milli-

Dux Sueſſa in Alpibus pro Rege Philippo loca quædam recuperat, & munit.

Expeditio quædam naualis Anglorum & Belgarum in Britanniam minorem, ſed inglo-ria.

Pacem in Italia faciunt Parmæ ac Ferrariæ Duces.

Seriò agitur quoque de pace inter Hiſpanum & Francum, ſed triſtes nuntij de morte Angliæ Reginæ, Cæſaris, & ſororum, in ſequentem annum negotiu reijciunt.

millibus. Kalend. Ianuarij anni 1559. obiit Christiernus III. Daniæ Rex, succedente illi filio Frederico, pauloque pòst etiam moriente Christierno II. Daniæ Rege viginti quinq; annis captiuo. Die 14. eiusdem mensis Elisabeth soror, sed non vterina, defunctæ Mariæ Angliæ Reginæ, ex Anna Bolenia, de qua suprà, progenita, per vniuersum Regnum præconis voce Regina proclamatur, moxque inauguratur 17. Kalend. Februarij. Post inaugurationem (vtar verbis Guicciardini) magnis comitiis Senatus ad vrbem Londinum ex consuetudine cùm haberetur, multis obstinata altercatione consumptis mensibus, ægrè tandem est dimissus. Versabatur verò omnis in eo controuersia, Essétne aliquid de statu Religionis Christianæ mutandum, innouandúmve. Vniuersum Sacerdotum collegium cum parte Nobilitatis maxima nihil de institutis maiorum immutari debere, magna contentione ratiocinabantur. Verùm Regina, quæ cum nutricis lacte suxerat nouam Religionem, alueratque hactenus liberalibus stipendijs doctores imbibitæ institutionis, aliter sentiebat; sequebanturque eam plerique populares omnes. Itaque post inutilem nimisque longam rixam, quidquid Sacri homines Primatesque multi rogassent, seu dissidium verita, seu vt suis inseruiret affectibus, Regina, rescissis Actis sororijs, Edictum quod Eduardo Rege latum erat, ne Romano Pontifici posthac obtemperaretur, paucis immutatis clausulis, retulit ac restituit. De Iconomachiæ porrò negotio tunc quidem eo Senatu nihil est actum: verùm non multis interiectis diebus, populari insolétia Diuûm Imagines omnes è templis sunt refixæ ac dirutæ, excepta sola figura Christi cruci affixi, quam domestico in sacrario erectam reseruauit Regina; sicque femina (quam in Ecclesia nec loqui patitur Apostolus) Ecclesiæ Anglicanæ caput coli est iussa. Hæc Guicciardinus. Nonis Februarij Carolus Lotharingiæ Dux in vxorem ducit Claudiam, alteram Henrici Francię Regis filiam, dudum sibi desponsatam, nuptięque Parisiis summo cum apparatu pompaque sunt celebratæ. Mense Ianuario de pace Regum Legati acturi ab vtraque parte iterùm conuenerant. Erant nodi, & non minimus ille de restituendo Anglis Caleto, quod Rex Philippus Anglis gratificaturus nō parum vrgebat, cùm Mercurius fortè interuenit, nuntium adferens, Elisabetham Angliæ Reginam, veritam (quòd se Religione à pactoribus discrepare animo sciret) ne eius legitima haberetur ratio, diuerso in conciliabulo, intercessore Caualcante Florentino, pacem cum Franciæ Rege constituisse, eique fecisse
» liberam potestatem vtendæ ciuitatis Caletensis, ea summatim lege, vt
» exacto octennio Britannos in possessionem veterem Rex restitueret. Sin
» minùs, quingenties mille aureos appenderet; eaque vt sarta tecta essent,
» obsides interim daret quatuor ex Francica nobilitate, quos Regina optasset.

1559

Elisabeth ex Bolenia proclamatur Regina Angliæ.

Edicitur in Anglia ne Romano Pontifici posthac ibi obtemperaretur.

Quin, vt femina sit Ecclesiæ Anglicanæ caput, ibi constitutum est.

Transigit Angla cum Franco de Caleto.

1559

Demum Hispanus & Francus quoque concilian-tur his legibus.

Curet vterq; extingui hæreses, Concilij Generalis auctoritate.

Ab anno 1551. bello capta redduntur vtrimque eo statu quo nunc sunt.

Reddat Francus Ecclesiæ Leodiensi Bullontiũ, Fraisne, & Lonam.

set. His conuentis intellectis, cùm cetera satis inter Reges conuenirent, in desperatissima vulgi spe, apud Cameracesium optabilem Reip. pacem tertio Nonas Aprilis Legati fecerunt his præcipuis conditionibus: Pacis induciarumque leges, quæ inter Reges eorumq; prædecessores fuere initæ, ac quales eæ ad annum vsque 1551. permansere, firmæ, stabiles, rataeque sunto, nisi in quibus noua hac pactione aliter statuitur. Pax firma, absoluta, æternaque inter Philippum II. Hispaniarum, ac Henricum II. Francorum Regem, eorumque Regna ditionesque quocumq; terrarum sitas, subditosque cuiuscumque generis sexus ac conditionis esto. Vterque Rex omnibus fœderibus, quæ ad alterius læsionem redundare possent, renuntiato. Vt Generale Christianorum, sacrorum profanorumq; Procerum conuocetur habeaturque Concilium, ortæque in Religione hęreses extinguantur, ratioque inferendi Turcis belli ineatur, vterq; Rex laborato. Subditi vltrò citroque liberè commeanto, mercaturam faciunto, portoria vectigaliaque vetera tantùm persoluunto, priuilegiis ac immunitatibus solitis vtuntor. Sacræ profanæque conditionis homines ad bonorum possessionem, vt nunc sunt, reuertuntor, Siculis, Neapolitanis ac Mediolanensium exulibus exceptis. Rex Philippus Regi Henrico Fanum D. Quintini, Chastelettum, Hamam, quæque inde depẽdent, omniaque alia Francicæ ditionis, ab anno 1551. à se aut Cæsare Carolo occupata, restituito. Rex Henricus Regi Philippo Theonuillam, Marieburgum, Iuosam, Damuillerium, Mommedium, cum ijs quæ huc spectant, reddito, omniaque quæ à dicto anno in hunc vsq; diem Rex Henricus eiúsve Legati occupauere: neque licitum sit, munitiones hinc inde factas diruere nec minuere, sed tantùm è singulis commeatum, apparatumque belli omnem liberè auferre. Ager ditionis dirutæ Terowanæ, quæque eò spectant, Francici iuris esto, ea tamen lege, vt numquam eodem in agro nec loco oppidum aut munitionem ædificare Regi Henrico nec eius successoribus licitum sit. Sacra bona Terowanensia omnia æqua portione diuiduntor, vnaque pars Antistiti Fani D. Audomari, altera Antistiti Boloniensi, impetrato consensu Summi Pontificis, conceduntor. Rex Henricus Ecclesiæ Leodiensi ciuitatem Lonensem, Fraisnensem, ac Bullonensem reddito. Ditio oppidumque Hesdinum, quæque ei debentur, Regi Philippo eiusque successoribus in perpetuum maneto. Comitatus Fani diui Pauli Dominæ Tuteuillæ redditor. Comitatus Charoloij, quæque eius sunt iuris, Regi Philippo, vt ad successores transmittat, restitutior, Regi tamen Henrico eiusq; successoribus patronali in eo manente iure. Duci Mantuano Marchionatus Monferrati absolutè redditor; subditis tamen, quòd Regi Henrico adhæserint, fraudi non esto. Ciuitas Valentia ditionis Mediolanensis, Arce non imminu-

„ minuta, euectis bellicis tormentis ac commeatu, Regi Philippo red- 1559
„ ditor. Genuenses Rex Henricus in amicitiam admittito, omniaq; quæ
„ in Italia Corsicaque eripuit, restituito, præteritæque defectiones Corsi-
„ cis apud Genuenses incommodo ne sunto. Rex Henricus vniuersa di-
„ tione Senensi absolutè cedito. Nobiles ignobilesque, quamcumque hoc
„ bello partem sunt secuti, indemnes sunto. Rex Philippus Elisabetham
„ Regis Henrici filiam natu maximam vxorem ducito, cum ea in dotem,
„ nomineque paternæ maternæque hereditatis semel quadringenta millia
„ aureorum liliorum accipito. Emanuel Philibertus Sabaudiæ Dux Mar-
„ garetam Francicam Regis Henrici sororem vxorem ducito; cui illa in
„ dotem adferet Ducatum Berrij, fruitura tantùm ad vitam; qua de causa
„ Rex ei semel persoluet trecenta aureorum liliorum millia. Altero post
„ publicatas pacis huius leges mense, nuptias Sabaudus celebrato: quibus
„ absolutis, ei Sabaudiæ ac Bressæ Ducatus redditor. Tum etiam Comi-
„ tatus Bergeij, Veronnei, Moriennæ, Conocali, Tarentasiæ, Barcelon-
„ nettæ, Principatus Pedemontis, Comitatus Astensis, Marchionatus
„ Cheuræ, Dominium Languesij, Gallerésij, Comitatus Nicææ ac Barræ,
„ omnesque ditiones, quas olim pater Carolus Sabaudus possedit, cum iis
„ quę aliqua ratione ad hęc pertinēt, restituuntor, excepto Turino, Quier-
„ sio, Pinerolo, Chinaio, ac Villanoua Astensi, cum eorum finibus ac iuris-
„ dictionibus; quæ tamdiu Rex Henricus suis præsidiis obtinebit, donec
„ controuersiæ inter Francorum Reges ac Sabaudiæ Duces iam olim mo-
„ tæ, fuerint sopitæ: id verò vt proximo triennio fiat, Rex Henricus curato.
„ Rex Philippus similiter Duci Sabaudiæ, quidquid in eius ditionibus
„ præsidio obtinet, exceptis Vercellis ac Asta, statim reddito; ea verò suo
„ sumptu præsidiis obtineto, donec Rex Henricus quinque dicta oppida
„ retinuerit, nec diutiùs: interim Sabaudus in dictis oppidis nihilominùs
„ officia sacra profanaque conferto, censusque Ducales percipito, ac cum
„ vtroque Rege pacem amicitiámque colito. Restitutionem locorum, de
„ quibus his legibus est actum, hac ratione facito: Rex Henricus altero
„ mense à die huius initi ac conclusi fœderis numerando, Sabaudo omnia
„ quæ ex fœderis formula debet cis ac vltra Alpes, Genuensibus item in
„ Italia ac Corsica reddito, quatuor à Rege Philippo receptis obsidibus,
„ quos Rex Henricus nominabit; qui in eius potestate manebunt, donec
„ Rex Philippus à sua deinde parte conditionibus satisfecerit; id autem fiat
„ intra proximum mensem, ex quo Rex Henricus fidem liberarit, tum ob-
„ sides recipito. Hæc acta, transactáq; ac subsignata Cambresij tertio No-
nas Aprilis à Ferdinando Aluaresio, Albæ Duce, Guilielmo Nassauio
Orangij Principe, Ringomio Siluano Comite Malitano, Antonio Per-
renotto Antistite Atrebatensi, ac Viglio Zuichemio Præside Arcani

Rex Philippus Franci filiam, Sabaudus sororẽ vxores ducũto.

Vterq; Rex Sabaudo ablata, eidem restituito, tantùm pauca adhuc ad tempus in eorum manibus manento.

Prior Frãcus (acceptis tamen ab Hispano quos volet obsidibus) his legibus satisfacito.

1559 Concilij; à parte Francorum à Carolo Lotharingiæ Cardinale, Anna Mommorancio Franciæ Comestabili, Iacobo Albanio, Marchione Frossacquij, Fani D. Andreæ Regulo Franciæ Marescalco, Ioanne Moruillerio Antistite Aureliano, Claudio Laubespina Hautherinę Domino, Regiis Consiliariis. Paulò pòst ipsi Reges subscripsere, sigillaq; maxima appendi iussere. Idem vtriusque filius natu maximus, Carolus ac Franciscus fecere. Mox Cambresij ac Cameraci pax, ac deinceps per totum Belgium ac Franciam, incredibilibus hominum gaudiis ac triumphis publicatur. Exinde satisfaciendis conditionibus vtrimque se accinxere. Rex Henricus, antequam loca promissa redderet, obsides, vt conuentum erat, à Rege Philippo petiit, accepitque Ducem Albanum, Ducem Arcuensem, Principem Orangij, ac Comitem Egmondij; qui mense Iunio huius anni in Franciam profecti, pacta coniugij inter Regem Philippum ac Elisabetham Francicam inita, absoluêre; desponsaturque 9. Kalend. Iulij, stipulante Albano pro Rege Philippo, nuptięq; Regia magnificentia Parisiis celebrantur, armato Egmondio cum sponsa cubante. Sequentibus diebus equestri ludicro certamine Principes Proceresq; concurrunt. Decretum erat, vitandæ inuidiæ causa, Franci cum Francis, Belgæ cum Belgis ac Hispanis concurrerent. Rex Henricus in armis exercitatissimus cum variis Franciæ Proceribus, multis confractis ingenti concursu hastis, vires summa spectantium cum laude sępiùs demonstrarat. Postremò Gabrielem Mongomerij Baronem ad concursum cogés, cùm vterque hastam summo honore in concurrentis pectus confregisset, euenit, vt dissilientis ruptæ lanceæ frustum in dextrum Regis oculum per cassidis foramina, oculis seruientia, seu illam ipsam cassidis fenestram non satis clausam, cursus violentia adactum, ferè ad cerebrum penetraret, adeoque grauiter membranas cerebrum obuoluentes vulneraret, vt vndecimo pòst die, septimo nimirum Idus Iulij, ætatis anno quadragesimo secundo, summo omnium cum luctu è viuis discederet, ad extremum vsque spiritum integris vsus sensibus. Quin vocatis ante mortem in cubiculum Emanuele Philiberto Sabaudiæ Duce sororeque Margareta, iungi eos à Sacerdote, se inspiciente audienteque, iussit; omnia ei in Sabaudia ac Pedemonte, secundùm initę pacis formulam, restitui præcepit. Rex Philippus, de soceri Regis infelici casu certior factus, statim Parisios mittit Andream Vesalium Medicorum ac Chirurgorum eius temporis facilè Principem. Sed contra letale vulnus ars nec solertia humana quidquam valuit. Idibus Augusti ad Fanum D. Dionysij Rex perlatus, iuxta prædecessores sepelitur. Decimo octauo Augusti Romæ obiit Pontifex Paulus IV. De eius morte sic Guicciardinus: Tertio Idus Sextiles Romæ Paulus IV. Pontif. Max. in viuis esse desijt.

Publicatur vbiq; dicta pax incredibili omnium lætitia.

Desponsatur solemni pompa Elisabetha Francica Regi Hispaniarũ.

Henricus Franciæ Rex in hastiludio vulneratur.

Vndecimo posteà die ex vulnere moritur.

desijt. Quo onere subleuatus Romanus populus, & vniuersa ditio eius 1559 subiecta imperio, miris modis exultabat: nec enim solū propter nimiùm acerbam illam hæresum inspectionem, Inquisitionémque, quam ipse instituisset, verùm etiam propter bella, propter exactiones, propter insolentiam ac nimiam quamdam in Repub. agnatorum licentiam, eo Pontifice, vniuersæ Clientum Ecclesiæ opes supra modum erant depressæ. Ita ille. Sufficitur illi demum mense Decembri ipsis Iesu Christi Natalitiis festis Ioannes Angelus Medelinus, Marchionis Marignani, viri strenuè sæpè antè commemorati, nunc paulò antè mortui, frater germanus; assumptóque nomine Pij Quarti, mox Carolum Caraffam Cardinalem in carcerem conijci, conuictúmque de ingentibus sacrilegiis, furtis, aliisque facinoribus, in carcere strangulari iubet. Hactenus ferè Pontus Heuterus. Exinde Florentius Vanderhaer per annos aliquot succedet. Pace (inquit ille) constituta, Rex Catholicus, quòd Cæsarem patrem mense Septembri amiserat, quòd de Africanis præsidiis, Hispaniæque occultis motibus timebat, Hispanias cogitabat. Ad mensem Iulium Conuentum Prouinciarum Ordinibus atque inaurati Velleris Equitibus Gandauum indixerat: antè enim quàm Zelandiâ in Hispaniam nauigaret, sufficere in locum demortuorum equitum nouos Equites cupiebat, Ordinibusque de sua profectione, de Parmensi Ducissa à se ad regimen Prouinciarum delecta, de Religione, ceterisq; de rebus loqui constituerat. Postremus Aurei velleris Conuentus Antuerpiæ fuerat habitus anno 1555. Post eum diem mortui erant Equites quatuordecim. Supererant triginta duo notiores Belgis hi, hocque ordine adscripti: Ferdinandus Imp. Carolus Hispaniarum Princeps, Maximilianus Austrius Boëmiæ Rex, Philibertus Sabaudiæ Dux, Ferdinandus à Toledo Dux Albæ, Cosmus Medices Dux Florētiæ, Octauius Farnesius Dux Parmæ, Petrus Ernestus Comes Mansfeldij, Ioannes Comes Bossuti, Lamorallus Comes Egmondanus, Ioannes à Ligne Comes Arenbergij, Ioannes Lanoius D. Molembasij, Philippus Croius Dux Arschoti, Carolus Baro Barlaymontij, Philippus à Stauele D. Glaionij, Carolus Brimæus Comes Meghemi, Philippus Mommorācius Comes Hornę, Ioannes Marchio Bergensis, Guilielmus Nassouius Princeps Orangij, Ioannes Comes Frisiæ Orientalis. Istis allecti hoc conuentu hi: Franciscus Franciæ Rex Dux Vrbini, M. Antonius Colomna Dux Paliani, D. Assicourtij, D. Tourcoignij, Marchio Rentei, Dominus Montignei, Comes Lignij, Antonius Lalaignius, Comes Hoochstratanus. Conuentu hoc veteri ac solemni ritu peracto, cum Prouinciarum Delegatis agere Rex cœpit. Verba Regis nomine in eam sententiam facit Episcopus Atrebatensis, vt de Regis in optimos subditos præclara voluntate nonnulla prolocutus, libentissi-

Decedit & Pontifex Paulus IV. succedente Pio IV.

Parat Rex Philippus proficisci in Hispanias, & quare.

Indicit in eam rem Gandaui Comitia Ordinum, & Equitū Aurei velleris.

Ordo & nomina Equitum præcipuorum tunc viuentium.

Creantur eo conuentu & hi Equites.

1559 bentissimè mansurum fuisse in Belgio Regem ostenderet; si non eæ Hi- "
Oratio Regis nomine ad Ordines habita. spaniarum necessitates fuissent exortæ, quibus subueniri, nisi Rege præ- "
sente, non posset. Ducem Sabaudiæ supremam Belgij Præfecturam pręclarè administrasse; curanda nunc tandem illi propria. Optasse Regem "
Constituitur ab eo Ducissa Parmensis Belgij Gubernatrix. vti filium ex Hispaniis accersitum summæ rei præficere liceret, multas "
extitisse causas, cur id ante suum in Hispanias reditum facere Rex minùs "
potuerit. Diu itaque hac de re cogitantem in eam sententiam Regem "
discessisse, vti Ducem Parmæ sororem suam Belgam natam coràm assi- "
dentem Duci Sabaudiæ substitueret. Darent itaque operam Ordines, "
vti quo Regem oporteret, eo Dux Parmæ obsequio coleretur. Tum in "
eum sermonem Atrebatensis est ingressus: Vicinarum ditionum cōplu- "
res nouis de Religione dissidiis laborare; non posse non eorum Regem "
meminisse, quæ discedens Cęsar, audientibus Ordinibus imperasset, qui- "
busque de rebus moriens testamento studiosè cauisset: Parmensi itaque "
Vult Rex tam Parmensis quã Ordines coërcendis hæreticis diligenter aduigilent. id Regem imperasse, Religionem Catholicam tueretur, eásque leges ex- "
actè obseruaret, quibus de hæreticis coërcendis Cæsar atque Rex cauis- "
sent; velle vti & Ordines huius quoq; in se rei curam susciperent. Postre- "
mò, quòd sibi maioribúsque obsequentes semper extitissent, quòd pecu- "
nias liberaliter contulissent, magnas pro hisce Regem habere gratias, li- "
bentissiméque, cùm id rerum necessitas flagitabit, in has Prouincias re- "
diturum. Hæc præcipuè Atrebatensis. Vulgus iactat, promisisse singulis "
septennijs reuersurum in Belgium Regem; sed nec ipse Metrius, nec
Querimoniæ contra Regem & Hispanos tunc vulgò iactatæ. quisquam, quem legi, id habet. Iam diu erat mussitatio, plus apud Regem in Hispaniis natum & educatum Hispanos posse, (verba sunt Vanderharij) quàm vel Cæsar iis tribuisset, vel Belgarum meritis conueniret. Cæsarem Belgis Belgam, Hispanis Hispanum, Germanis Germanum, Italis Italum extitisse: Regem contrà vniuersis semper esse Hispanum, ministrisque Hispanis quàm ceteris vti libentiùs; multa Hispanos in Belgas dicere, quæ ferre ingenuos homines non oporteret; offensúmque aliquando iis sermonibus Cæsarem, Regi, Orangio Bossutióque præsentibus, dixisse futurum (ni caueat) vt Hispanorum consiliis res Belgica subuertatur. Accedebat nunc, (quod Belgio turpissimum videretur futurum) vti Comitem Feriæ, Secretarios Vergam & Eraso, eo sit cum imperio Rex relicturus, vt nisi iis auctoribus constitui de Republica res nulla posset. *Rogantur, & dicunt Ordines singuli suã sentẽtiam.* Rogati itaque Ordines Regi vt responderent, eas singuli sententias dicunt; Rogandum esse Regem, peregrinum vti militem Belgio educat; præsidiis non nisi Belgicis vtatur; cōsiliis de Repub. peregrinos non adhibeat. Mensis itaq; Augusti die septimo, cùm in eam quam dicebamus sententiam Ordinibus Rex esset locutus, tum Borlutius, vrbis Gandauensis Pensionarius, pro toto eo conuentu Regi rem

propo-

„ proponit, peregrinæ militiæ incommoda atque mala commemorat, 1559
„ Theonuillam, Marieburgum, deserta ab inquilinis oppida præsidiario-
„ rum Hispanorum insolentia ostendit, Belgicorum militum fidem mul-
„ tis exemplis docet. Rogare itaque Ordines vti Cæsaris exemplo muni-
„ tionibus peregrinos deducat, ea loca Belgis committat. Hinc in eum ser-
„ monem Borlutus ingreditur, alienum futurum à vetere forma Reipub.
„ indignum Belgarum fide atque virtute, si peregrinos homines ad publi-
„ carum rerum curam Rex sit adhibiturus: postulare itaque Ordines, vti
„ ne rem eam Rex committeret, quæ Regi inutilis, genti Belgicæ oppro-
„ brio sit futura. Quæ cùm Borlutus dixisset, subiratum (vti homines suspicabantur) de sede Regem surrexisse accepimus (ait idem Auctor) atque eo digresso, in eam sententiam locutum Ducem Sabaudiæ, vt Ordinibus peregrinę militiæ discessum polliceretur, verbis nihilominùs eos leniter increparit, qui de Regis voluntate aliter vel sentirent vel loquerentur, quàm illius in Belgas præclarum studium mereretur. Constituti hi Prouinciarum Belgicarum Rectores: Petrus Ernestus Mansfeldiæ Comes, Ducatus Lutzenburgensis Legatus seu Rector: Carolus Brimęus Comes Meghemi, Geldrię & Zutphanię: Lamoralius Comes Egmondanus, Flandrię & Artesiæ: Guilielmus Nassouius Orangię Princeps, Hollandiæ, Zelandiæ, & Vltraiectinæ ditionis: Ioannes à Bergis, Marchio Bergæ ad Zomam, Hannoniæ, Valencenæ & Cameracesij: Florentius Mommorancius, Dominus Montigny, Hornani frater, Tornaci & Tornacesij: Ioannes Mommorancius Dominus Courririj, Insularum, Duaci & Orchinij; Ioannes à Ligne Comes Arenbergij, Frisiæ & Transisulaniæ: Carolus Barlaymontius, ditionis Namurcensis: Ioannes Comes Frisiæ Orientalis, ditionum Transmosanarum: Comes Hornanus, Ammiralis seu Præfectus maris, eratque cum Rege in Hispaniam profecturus. Brabantiæ, Mechlinięque, veteri instituto nullus datus est Præfectus; quòd hîc ipsa suprema Præfectura esset, nisi quòd Antonio Lalaignio Hoochstratæ Comiti, Mechliniensis ciuitatis cura ex parte fuerit commissa. Ita Rex Gandauo in Zelandiam contendit, comitantibus omnibus Belgarum Proceribus, Ordinúmque Legatis; commodámque nactus tempestatem, 6. Kalendas Septembris nauem conscendit, paucisque diebus Laredum Cantabriæ oppidum, vno continenter afflante Aquilone, appulit.


Orant Regem, quatenus dimissis peregrinis, ipsis Belgis oppida & Arces cõmittãtur.

Pollicetur Rex discessum peregrinæ militiæ, irato tamen similis.

Nominat omnes Belgas, qui Prouinciis singuli præsint.

Nauigat in Hispaniam.

ANNALIVM BRABANTIÆ TOTIVSQ. BELGII TOMI PRIMI ET SECVNDI FINIS.


GLORIA SOLI DEO HONOR ET

INDEX RERVM
IN
ANNALIVM
BRABANTIAE
TOTIVSQVE BELGII
TOMVM PRIMVM ET SECVNDVM.

Numerus paginam, littera a *principium*, b *medium*, c *finem paginæ, designant.*

Mona-

Bellum

 tur

Brechta

C.

eius

co

Christia-

E.

militi

sed

obfi-

armata

Flan-

à filio

G.

Gisil-

quam-

I.

pen-

ob fontes

K.

ad bre-

M.

Roma-

in-

N.

Trancos

Fredege-

O.

Otho

P.

tandem

Pseudo-

Rega-

Rotsela-

Theo-

Thomas

Tuneti

insignes

VV.

eſt feu-

X.

Z.

rebel-

APPROBATIO.

CVM *Annales hi Brabantiæ & Uniti Belgij Principum res gestas duobus Tomis ex fide enarrent, gentisque nostræ, quam omnium Gallorum fortissimam iam olim dixit & verè dixit Cæsar, primordia, Principes, & euentus varios, distinctè & solidè complectantur, nihilque quod aut Religioni aut Politico statui aduersetur, contineant, dignos iudicaui, qui typis concepti in lucem prodeant. Datum Antuerpiæ, in Seminario Episcopali, die* XXXI. *Maij, anni* M. DC. XVII.

Laurentius Beyerlinck, Archipresbyter & Canonicus Eccles. Cathed. Antuerpiensis.


SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTVS & ISABELLA CLARA EVGENIA *Archiduces Austriæ, Duces Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Serenissimi Belgarum Principes, Diplomate suo sanxerunt; nequis,* Francisci Haræi Annales Ducum seu Principum Brabantiæ totiusque Belgij, *præter Balthasaris Moreti voluntatem vllo modo imprimat, aut alibi terrarum impressos, in Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalésve habeat. Qui secùs faxit, confiscatione librorum & alia graui pœna mulctabitur; vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ* VII. *Iulij,* M. DC. XVII.

Signat.

De Witte.

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XXIII.


LABORE ET CONSTANTI

F. HARAEUS

Annales Ducum seu Principum Brabantiae
Antwerp, Plantin, 1623. Three volumes in two.

Two engraved title-pages after Rubens' designs

Lent by Dr. Julius S. Held

41 HARAEUS (Franciscus), Annales Dvcvm sev Principvm Brabantiae Totivsq. Belgii. Antwerp: Plantin Press, 1623. 3 vols in two. Folio. Splendidly engraved title-page & numerous finely engraved full-page plates of Counts of Flanders. Vellum. 45.00

One of the most notable surveys of Flemish history: its rulers and social institutions, by Haraeus (Verhaer), d. 1632, of Utrecht. Of particular interest are the chapters relating to the lives of Philip of Flanders, Baldwin IX and Philip The Good, discussing development of Flemish town life and industry, the Latin Empire of Constantinople and Burgundian absorption of Flanders. Superbly illustrated with fine plates showing detail of costume. Foppens, *Bibliotheca Belgica* I, 295. Fine set.

Libri Quindecim. Antwerp:

Plantin, 1584. 8vo. Plantin title device. Boards. 20.00

History of Roman Belgium by the German prelate, Neuenar, 1481-1530, Chancellor of the University of Cologne, discussing the settlement of the country, establishment of camps, native tribes, customs, etc.

48 NEUHUYS (Edon van), Infantia Imperii Romani . . . cui accesserunt Manes Nasovii. Amsterdam: Jansson, 1657. 2 parts in one. 8vo. Boards. 15.00

Historical narrative of the evolution of Roman Holland by the Dutch humanist, Neuhauss, 1581-1638. Of particular interest for the heroic poem celebrating members of the House of Orange, their personalities and accomplishments.

49 [TER MEER]. L'ANCIEN & Noble Chateau de Ter Meer, ap-